UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Mirabilis Vita Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar Vallisoletanæ

Deprompta ex ijs, quæ ipsamet jussu Patrum suorum Spiritualium consignavit

Vitæ Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar. Pars Prima

Puente, Luis de la

Pragæ, 1672

urn:nbn:de:hbz:466:1-38580

Visual Library

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 922 a.

K
V
10

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

VITÆ
VENERABILIS
VIRGINIS
MARINÆ
DE
ESCOBAR.
PARS PRIMA.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Collegii Soctis JESV Paderborne 1697

Dono p. Kloppenb.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

LEOPOLDO ROMANORUM IMPERATORI SEMPER AUGUSTO, PIO, FELICI, PACIFICO; GERMANIÆ, HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ, SCLAVONIÆ, &c. REGI POTENTISSIMO, SERENISSIMO.

HIspanæ Virginis Vitam Hiſpanicam, Sereniſsima Hiſpaniarum Regina, ſibi paſſa eſt, à ſuo offerri Vaſallo: patere Tu quoq; Augustissime Romanorum Imperator, eandem traductam in linguam Romanam, Tuæ Maiestati, à ſubditorum Tuorum minimo dedicari. Clementia Tua faciet, ut culpæ ſit expers dedicantis audacia, útque

à libertate offerendi absit temeritas. Neque metuere poteram, ingratum fore, AUGUSTISSIMO FRATRI, quod SERENISSIMÆ SORORI placuit: imò clementer excipiendum sacrum hoc munus, à SACRA TUA MAIESTATE, non leve mihi fuit argumentum, quòd sciverim, in AUGUSTAS TUAS manus devenisse, Vitæ hujus Librum Hispanicum, nec ambigere potuerim, quin, ùt probare sacra soles omnia, TUÆ MAIESTATI placuerit. Audeo igitur me ad Augustalis TUI fores, etiam cum Latino sistere, eúmque, TUÆ MAIESTATIS gratiâ & benignitate fultus, TUIS, non tam terendum, quàm protegendum potentissimis manibus; & oculis serenissimis, non tam lustrandum, quàm illustrandum, offerre. Quod cùm facio, atque TUA MAIESTAS ratum habet, omni solutus metu, interpretationem meam, Augustissimo TUÆ MAIESTATIS Nomine illi præfixo, quorumvis Criticorum obelis impetendam, non tamen expungendam, propono. Videlicet (ut verbis Polyhistoris Lipsij utar) *sicut insignia* Principum, *ædibus, prætorijs, villis appendimus, contra vim & potentiam, sic sacra* eorundem *nomina* Libris, *contra calumniam & livorem*, præfigimus. *Neq; enim* Principibus *hic aliquid*

quæritur

quæritur; non aliter, ac, cùm DEO sacra facimus, & donum ponimus, nostrâ id fit, non ipsius causâ. Estis verò, Pij & Justi Principes, Dij & Divi, cùm verum sit, quod præclarè AUGUSTORUM Principum Princeps AUGUSTUS, apud Senecam, dixit: *Pietate*, nimirum, *& justitiâ, Principes, Deos fieri.* Atque horum Principum Principem, TE, AUGUSTISSIME CÆSAR, censendum ille negaverit, qui nescit TUAM MAIESTATEM ex ijs esse, de quibus vetere illo diasyrtico dicitur: *Omnes bonos Principes in uno annulo posse perscribi;* in cujus annuli gemma, Tu scribendus es. Vsque adeò rara est, & ab omni maligniore censura immunis, pientissimorum MAIORUM sanctitatis æmula, TUA Bonitas ac pietas: quam admirandæ istius Vitæ lectitatione confovere, auctiorémque reddere, non dedignaberis, Tibíque sic Venerabilis MARINÆ demereri favorem; ut diu, & gloriosè, ex voto bonorum omnium, imperes. Est illa cœli ac DEI CLAVIGERA, quia tum à DIVO PETRO, tum ab ipsomet CHRISTO, aureâ fuit donata clavi, quâ cœlestium, TUÆ MAIESTATI, pandet gratiarum gazophylacium. Filia spiritualis est meæ Societatis, quæ doctrinæ suæ, atq; institutionis lacte & pabulo eam enutrivit;

ideóque non poterit TUAM MAIESTATEM, unáque AUGUSTISSIMAM DOMUM, munificentiſsimam ejusdem Societatis nutritiam, quàm benigniſsimè è Cœlo non tueri: efficiétque, gratioſo ſuo, apud DIVINAM MAIESTATEM, patrocinio, ut hæc, MAIESTATEM TUAM, optatiſsimâ, univerſi Chriſtiani Orbis bono, ſecundet poſteritate.

AUGUSTISSIMÆ TUÆ MAIESTATIS

Infimus Servus

MELCHIOR HANEL, è Societate JESU.

MAIESTATI CATHOLICÆ
SERENISS: REGINÆ HISPANIARUM
D. MARIÆ ANNÆ AUSTRIACÆ,
DOMINÆ NOSTRÆ.

SIstit se REGIÆ MAIESTATI TUÆ CATHOLICÆ, prima Pars Vitæ *Venerabilis Virginis* MARINÆ *de Escobar*, certa, non defuturum sibi patrociniũ Tuæ MAIESTATIS, cujus non minùs Pietas floret ac Religio, quàm in admirationem rapiant vasta & ampla Regna, ac Monarchia. Disposuit illam Venerabilis P. Ludovicus de Ponte, Societatis JESU, quem spatio triginta annorum, hæc Illustris Virgo, ex speciali DEI Providentia, habuit arbitrum conscientiæ, ut, quæ tot à liberali ipsius manu erat cumulata gratijs, neque istâ careret, haberétque Magistrum, & Historicum, Virum adeò in Orbe nominatũ, ab admirandis suis scriptis, multóq; ampliùs ab heroica sua virtute, ac sanctitate, de cujus hodiéq; agitur beatificatione; ut authoritas tam celebris à virtute & scientia, Viri, conciliaret fidem insolitis donis, quæ ipsi à DEO collata fuerunt, & recensentur in illius Vita, sũntq; ejusmodi, ut meritò certare possint cum summis, quorum præteritis sæculis sunt factæ compotes aliæ illustres Virgines, quas jam Ecclesia veneratur in numero Sanctarum. Historia, Vitam referens talis Virginis, à tali scripta Authore, nec aliam quærere tutelam, quàm TUAM, neq; non esse grata potest oculis Tuæ MAIESTATIS, quæ utriusq; est DOMINA, cùm utriq; Patria fuerit Vallisoletum, ubi cum singulari sanctitatis fama vixerunt, & obiverunt. Ac proinde audeo illam deponere ad REGIOS Tuæ MAIESTATIS pedes, & committere favori ac protectioni

ejusdem

ejusdem Regij patrocinij; non meo nomine, id enim non auderẽ, sed Authoris, & Provinciæ Castellanæ, cujus Illustris filius fuit Venerabilis P. Ludovicus de Ponte. Quantũvis enim sit opus posthumũ, possum tamen præsumere, ipsum, qualem se vivens exhibuit *Catholico Regi* PHILIPPO III. Domino Nostro, piæ & gloriosæ memoriæ, Avo Tuæ MAIESTATIS, cui dedicavit libros, quos pro instructione cujusvis hominum status scripsit, ut hoc obsequio gratitudinis vicem rependeret tantis beneficijs, quibus illi obstricta erat nostra minima Societas JESU, talem etiamnum se exhibiturum, si viveret, Tuæ MAIESTATI, ijsdẽ de causis, dedicando illi Historiã hujus Venerab: Virginis. Unde ejus nomine offero Tuæ MAIESTATI, hoc postremum ipsius opus, ut ex illius lectione TUA MAIESTAS nanciscatur occasionem, laudandi DEUM, eíque gratias agendi, quòd non minùs hoc seculo, quàm præterlapsis, illustraverit Regna Hispaniarũ, & Tuæ MAIESTATIS Monarchiam, Personis, virtute præstãtibus, sibíq; dilectis; unáque TUA MAIESTAS confidat, fore, ut infinita ipsius Bonitas continuet eundem favorem, unum è multis & magnis, quos præstitit nostræ Hispaniæ, reddendo hac ratione securiorem Regnorum Tuæ MAIESTATIS, Regiæque successionis, conservationem, prosperis suffultã successibus, quos ejusdem subditi exoptamus. DEUS REGIAM TUAM MAIESTATEM Catholicam conservet in vita Magni nostri MONARCHÆ ac Domini, ad multos & felices annos, quo opus habent hæc Regna, & Ecclesia. Vallisoleti, 25. Octobris, Anno 1664.

TUÆ MAIESTATIS CATHOLICÆ

Minimus Servus & Vasallus

FRANCISCUS CACHUPIN.

AD LECTOREM.

ETſi magnopere expetita fuerit Vita Famulæ DEI, VENERABILIS VIRGINIS MARINÆ DE ESCOBAR, Fundatricis Recollectarũ Monialium S. Birgittæ, quæ nunc ſunt in Hiſpania; ob varias tamen intercurrentes cauſas, fuit dilata illius evulgatio, quoad præterlapſo anno milleſimo, ſexcenteſimo, ſexageſimo mandaretur typo Madriti prima & præcipua ejusdem Pars, quam Venerabilis Pater Ludovicus de Ponte Societatis IESV, qui illi fuit à Confeſsionibus, diſpoſitam reliquit, eâ intentione, ut, ſi finis hujus Famulæ DEI reſponderet Vitæ, quemadmodum fore ſperabat, prodiret in lucem poſt ejus obitum, tantóque minùs operæ impendendæ ſupereſſet alijs, qui curam ſuſciperent evulgandi ipſius virtutes, & ſpeciales atque inuſitatas gratias, quibus à DEO fuerat cumulata. Adimpleta eſt conditio. Si namque magna erat fama, & opinio virtutis ac ſanctitatis, quà vixit Valliſoleti, in ſua Patria, non fuit minor, quâ claruit in ſuo felici tranſitu, ac deinceps, attribuentibus illi nomen Sanctæ univerſis, atque confluentibus omnis conditionis hominibus, ad ejus ſepulturam, & exequias, quæ duraverunt octiduo, cum tanto populi accurſu, ac ijsdem demonſtrationibus, quo in pretio haberetur ipſius ſanctitas, ut non fuerint in illa celebri Vrbe unquam viſæ majores. Quâ etiam poſtulante, paucos poſt menſes, ejusdem Epiſcopus, D. F. Gregorius de Pedroſa inſtituit inquiſitionẽ Iuridicam de illius vita, virtutibus & miraculis, nè eorum deperiret memoria. Verificatâ igitur conditione, cum adeò præclaris circumſtantijs, viſum eſt, non eſſe ampliùs differendam, ſed publicandam, nomine ſui Authoris, primam hujus Hiſtoriæ partem, reſervatâ in aliud tempus ſecundâ, quæ continet acta ab obitu Venerabilis Patris Ludovici de Ponte.

Spero autem, primam Partem ejusdem Hiſtoriæ, quæ nunc in lucem prodit, non ſolùm acceptam fore illam lecturis, verùm etiam excitaturam deſideria, ut prodeat ſecunda, quò in utroque glorificetur DEUS, propter admirabiles & eximias gratias, quibus omni ævo eos dignatur, & honorat, quos ſpecialiter eligit, ac vocat ad ſuam intimam, & familiarem conſuetudinem.

LICENTIÆ ET APPROBATIONES
PRO EDITIONE HISPANICA.

LICENTIA P. PROVINCIALIS CASTELLANI.

EX ſpeciali Commiſſione Admodum R. P. Noſtri Goſwini Nickel, Præpoſiti Generalis Societatis JESV, data P. Martino de Lezaun, Provinciali ejusdem Societatis in Provincia Caſtellana, meo Prædeceſſori, pro typis mandanda prima Parte Vitæ *Venerabilis Virginis* MARINÆ *de Eſcobar*, Valliſoletanæ, quam reliquit diſpoſitam Venerabilis Pater Ludovicus de Ponte Societatis noſtræ; fuit examinatus, & approbatus hic Liber à Viris doctis, juxtà & gravibus ejusdem Societatis, atque impetrata licentia ab Ordinario, ut typis mandaretur: hac verò præſentatâ obtinuit facultatem, & Privilegium Regis, Domini Noſtri, dictus Pater Provincialis Martinus de Lezaun, quemadmodum conſtat ex eodem Privilegio, dato quartâ Aprilis elapſo anno milleſimo, ſexenteſimo, ſexageſimo: & excuſa eſt Madriti dicta Vita ac Liber, qui cum proteſtationibus juxta decretum URBANI VIII. felicis recordationis hodie prodit in lucem, nomine ſui Authoris, ex peculiari commiſſione, quam in hanc rem habeo, ab Admodum R. P. Noſtro Joanne Paulo Oliva, Præpoſito Generali noſtræ Societatis JESV, rato habito à me, ùt habeo ratum, eo, quod diſpoſuit meus Prædeceſſor P. Martinus de Lezaun. In cujus rei teſtimonium dedi has ſubſcriptas meo nomine, & ſigillo officij mei munitas. Valliſoleti, quartâ Octobris, Anno milleſimo, ſexenteſimo, ſexageſimo quarto.

Franciſcus Cachupin.

APPROBATIO P. M. F. MICHAELIS DE AGVIRRE, QVALIFICATORIS SANCTI OFFICII, ex Ordine S. Auguſtini, in Collegio D. MARIÆ Aragoniæ, hujus Curiæ.

EX Commiſsione Reverendiſsimi D. Licentiati Alphonſi de las Ribas Valdès, legi attentè Vitam Famulæ DEI, & Venerabilis Virginis MARINÆ de Eſcobar, *ſcriptam à Venerabili Patre Ludovico de Ponte, ipſius Confeſſario, è Societate JESU, cujus Virtus, Doctrina, & Scripta ſunt tantæ æſtimationis, ædificationis, & inſtructionis, pro omni hominum ſtatu: neque in hoc opere quidquam reperio dignum cenſurâ, contrarium fidei Catholicæ, & bonis moribus: imò multa, ex quibus ſolatium capiant ac documentum Aſcetæ: nullum autem inconveniens, quò minùs mandetur typis. Madriti, in Collegio D. MARIÆ Aragoniæ. decimâ Februarij, Anno milleſimo, ſexenteſimo, ſexageſimo.*

F. Michaël de Aguirre.

LICENTIA ORDINARII.

NOs, Licentiatus, D. Alphonſus de las Ribas & Valdès, Vicarius hujus Civitatis Madritenſis, & ejus Territorij, pro Eminentiſſimo & Reverendiſſimo Domino Cardinali Archiepiſcopo Toletano, meo Domino, &c. per præſentes concedimus licentiam, ut poſſit typis mandari Liber, ſcriptus à Venerabili Patre Ludovico de Ponte Societatis JESV, cujus titulus eſt: *Vita Venerabilis Virginis* MARINÆ *de Eſcobar*; cùm nihil

nihil in eo reperiatur contrarium nostræ Sanctæ Fidei Catholicæ; quin potiùs bona documenta, & instructiones pro Catholicis. Datum Madriti, vigesimâ tertiâ Februarij, Anno millesimo, sexcentesimo, sexagesimo.

D. Alphonsus de las Ribas.
Ad ipsius Mandatum,
Joannes Alvarez de Ljamas.

APPROBATIO ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI D. F. ALPHONSI PEREZ, Episcopi Almeriæ, ad quem ex consilio Regio Castellæ fuit remissus hic Liber.

EX Commissione V. S. legi perquàm attentè Vitam Venerabilis Virginis MARINÆ de Escobar, *scriptam à Venerabili Patre Ludovico de Ponte, ipsius Confessario ex Societate JESU, de cujus scriptis, sanctitate, ac doctrina satis Orbi constat: & inveni, non solùm nihil in ea contineri, quod dedeceat puritatem nostræ Sanctæ Fidei Catholicæ, sed ingens lumen, & instructionem, pro ejusdem mysterijs, ac mystica Theologia. Ac proinde judico, multùm profuturam animabus ejus lectionem, multúmque inde erudiendas, & cognituras DEUM, ac ejus Divina opera, animas aspirantes ad perfectionem Evangelicam. Ideóque existimo, posse à V. S. concedi facultatem, quæ petitur, ut mandetur typo, & communicetur doctrina tam necessaria, scripta à tanto viro, intuitu solius Gloriæ DEI, & fructûs animarum. Madriti, vigesimâ secundâ Octobris, Anno millesimo, sexcentesimo, quinquagesimo nono.*

F. Alphonsus Episcopus Almeriæ.

PROTESTATIO P. PROVINCIALIS CASTELLANI.

OBtemperando Decretis Sanctissimi D. N. Papæ URBANI VIII. editis, de illis, qui scribunt, ac typis mandant, Vitas, revelationes, miracula, & prophetias eorum, qui sanctitatis famâ celebres vixerunt, ac decesserunt, protestor, nihil quod refertur in hac prima Parte Vitæ Famulæ DEI *Venerabilis* MARINÆ *de Escobar*, Vallisoletanæ, dispositæ à Venerabili P. Ludovico de Ponte ex Societate JESV, ipsius Confessario, ullâ hactenus niti authoritate Sanctæ Sedis Apostolicæ, neque ea, quæ concernunt dictam *Venerabilem MARINAM*, vel alios, de quibus in illa agitur; sed duntaxat authoritate humanâ illorum, qui eadem scribunt, ac referunt, nullâ verò majore. Neque est mea intentio, attribuere dictæ V. MARINÆ, quemadmodum nec alteri cuiquam personæ, titulum Beatæ, aut Sanctæ, donec illam Sancta Ecclesia talem declaret; vel ullâ ratione quidpiam disponere, pro Beatificatione, Canonizatione, aut comprobatione miraculorum dictæ Famulæ DEI, ulliúsve alterius, omnibus relictis in eo statu, in quo fuerunt, antequam scriberetur, vel excuderetur hæc Historia. Quam protestationem facio, tum nomine Authoris, Patris Ludovici de Ponte, qui eandem faceret, si viveret post dicta Decreta, tanquam filius adeò obediens Sanctæ Ecclesiæ; tum meo, attribuendo, quoad hoc, mihi dictum Opus, in cujus principio, & fine ponitur ista protestatio.

Eundem in modum, se obedientem esse Sanctæ Sedis Apostolicæ filium, protestatur Interpres.

FA-

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS
BOHEMIÆ.

Cum Librum, cui titulus est: Mirabilis Vita Venerabilis Virginis MARINÆ de Escobar Vallisoletanæ; *à Venerabili Patre Ludovico de Ponte Hispanicè conscriptum, & à P. Melchiore Hanel nostræ Societatis latinè redditum, tres ejusdem Societatis Sacerdotes recognoverint, ac in lucem edi posse judicaverint: potestate à Patre Nostro Joanne Oliva Præposito Generali ad id mihi datâ, facultatem concedo, ut Liber typis mandetur, si ità ijs, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has literas manu meâ subscriptas, & sigilli Officij munitas dedi. Pragæ 1. Aprilis, Anno 1669.*

L. S.

Daniel Krupsky.

LICENTIA ORDINARII.

Imprimatur.

Sebastianus Zbraslawsky,
Officialis.

FACULTAS
PRO TYPOGRAPHO.

CVm ex Mandato Sacræ Cæsareæ Majestatis, omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis, ac alijs quamcunque literariam negotiationem exercentibus, seriò firmitérque inhibeatur, nè quisquam libros ullos à Societatis nostræ Patribus hactenus editos, aut imposterum edendos, intrà S. R. I. Regnorum, & Dominiorum Suæ Cæsareæ Majestatis hæreditariorum fines, simili, alióve charactere, aut formâ, sive in toto, sive in parte recudere, vel alibi etiam impressos adducere, vendere & distrahere, clàm, seu palàm, citra supradictorum Patrum consensum ac testimonium audeat vel præsumat: Ego Daniel Krupsky Societatis JESV, per Provinciam Bohemiæ Præpositus Provincialis, concedo Georgio Czernoch Typographo Vniversitatis Pragensis, facultatem excudendi Vitam *Venerabilis Virginis MARINÆ de Escobar*, à Venerabili P. Ludovico de Ponte Hispanicè conscriptam, & à Patre Melchiore Hanel, nostræ Societatis, latinè redditam. In quorum fidem has literas manu meâ subscriptas, & sigillo Officij munitas dedi.

Olomucij, die 19. Novembris, Anno 1669.

L.S.

Daniel Krupsky.

IN-

INDEX
LIBRORUM ET CAPITUM PRIMÆ PARTIS, MIRABILIS VITÆ VEN. VIRGINIS MARINÆ DE ESCOBAR,
Et extraordinariarum viarum, quibus Famulam suam DEUS duxit.
LIBER PRIMUS.
De extraordinarijs vijs, quibus illam DEUS, jam inde ab ejus principijs duxit, per admirandas gratias, horrendos cruciatus, & eximias virtutes.

CAPUT I. De ejus Parentibus, educatione, & virtutibus ætatis puellaris. Pag. 1

CAPUT 2. De varijs rebus, quæ ipsi contigerunt in adolescentia, quibus eam Deus disposuit pro donis extraordinarijs, quæ illi conferre volebat. Pag. 4

CAPUT 3. De modo, quo inceperunt extraordinariæ Dei visitationes. Pag. 13.

CAPUT 4. Quomodo Deus etiam voluerit, ut nonnulli Angeli ipsi assisterent, pro ejus custodia, & quidam sancti illam sæpe visitarent, pro ipsius solatio, manifestaveritque illi præstantiam, suavitatem & securitatem viæ, qua ipsam ducebat. Pag. 17

CAPUT 5. De propensione, quam semper retinuit, ad ordinarium modum meditandi divina mysteria, donec elevaretur, ad illa contemplanda, modo extraordinario; ac de dulcissimis colloquijs; nec non de eo, quod ipsi contigit cùm Christo Domino, & ejus sanctissima Matre. Pag. 22

CAPUT 6. Qualiter illam Deus simul duxerit per viam patientiæ, ut toleraret turbationes ac afflictiones. Et de modo, quo eam exercuerit internis crucibus, in ipsius initijs. Pag. 26

CAPUT 7. Quomodo illam Deus fundaverit in profundissima cognitione, & contemptu sui ipsius, per varios affectus, & cruces interiores, quæ inde proveniebant, quin tamen imminueretur ejus confidentia. Pag. 29

CAPUT 8. De ardenti igne divini Amoris, quo æstuabat ipsius anima, vehementer desiderans placere Deo, sèquè cum illo unire. Pag. 37

CAPUT 9. De singulari cura, quâ studebat puritati animæ, fugiendo omnis generis peccata, déq; multis rebus notatu dignis, quæ ipsi circa id evenerunt cũ Deo. Pag. 43

CAPUT 10. Quomodo illam interdum Deus reprehenderit & castigaverit, propter levissimos defectus, interponens monitis favores; & quid in hac re fecerint ipsius Angeli. Pag. 48

CAPUT 11. De nimio timore, quo angebatur totâ vitâ, ne pateretur illusiones in suis extraordinarijs vijs; quâmq; solicitè petiverit à Deo illuminari, ac de admirandis rebus, quas ipsi divina Majestas dixit, ut illam redderet securam. Pag. 51

CAPUT 12. De ejus puritate, & castitate, deque circumspectione, quâ agebat etiam cum Angelis & Sanctis, & quomodo se illius voto obstrinxerit. Pag. 56

CAPUT 13. De magna fame, quâ anhelabat ad communicandum quotidie, déque illius causis, & quomodo Deus interdum ipsius desiderio satisfecerit modis miraculosis. Pag. 60

CAPUT 14. De confidentia, qua à Deo petebat remedium omnium necessitatum, ac de eo, quod ipsi divina Majestas concessit, & quomodo illam docuerit, quid ei esset petendum. Pag. 64

CAPUT 15. De rabie, quâ ipsam dæmon incepit persequi, transfigurando se propterea diversimodè, ac de gratijs, quas ipsi Deus, & Angeli ejus præstabant, ut illam tuerentur. Pag. 69

CAPUT 16. Quomodo DEus specialiter providerit, ne diminueretur ejus vita nimijs fervoribus, vel ob defectum virium, rerúmve temporalium; aut per vehementia desideria patiendi. Pag. 74

CAPUT 17. Quomodo Beatissima Virgo illam inceperit jam inde ab ejus initijs visitare, succurrendo ipsi in omnibus ejus necessitatibus, & exhibendo illi inusitatos favores. Pag. 77

CAPUT 18.

CAPUT 18. Quomodo Sanctus Noster Pater Jgnatius illam inceperit persæpe invisere, manifestando ipsi amorem, quo prosequitur omnes suos filios; & curam, quam illorum gerit, eámq; juvando in omnibus suis afflictionibus: & quid ipsi contigerit, quoad Sancti canonizationem. pag. 82

CAPUT 19. Quomodo ex Dei instructione magni fecerit obedientiam, petiveritq; à Nostro Sancto Patre Jgnatio facultatem, se obstringendi voto obedientiæ præstandæ Confessario Societatis; quidque ipsi quoad hoc evenerit. pag. 88

CAPUT 20. Quomodo illam sibi Christus Dominus desponsavetit, dando illi pretiosissima cimelia, & postea compleverit desponsationem annulo admodum mystico, coram sanctissima Virgine & S. Josepho, ac multis Angelis: nec non de admirandis rebus quæ tunc evenerunt. pag. 91

CAPUT 21. Quàm ipsi firmiter inhæserit affectus Ancillæ Domini, ac de admirandis rebus, quæ evenerunt, concernentes quendam annulum, quem fecit cum hoc titulo Ancillæ, déque nonnullis pœnis, quas subivit, ob leves tum admissas culpas. pag. 95

CAPUT 22. Quomodo illi Christus Dominus, ac sanctissima ipsius Mater, monstraverint sanctitatem gloriosi S. Dominici, cùm adhuc esset puer, ut ei bene afficeretur: & sanctus illam deinceps inceperit invisere, procurando, ut esset addicta ipsius Religiosis. pag. 99

CAPUT 23. Quomodo Deus, postulante glorioso S. Dominico, fecerit, ut egrederetur ex sua solitudine, ad conversandum etiam cum ipsius Religiosis, & cum proximis. pag. 101

CAPUT 24. Quomodo diabolus multis technis fuerit conatus hoc opus impedire. pag. 105

CAPUT 25. Quomodo ipsi Deus mysticè immutaverit cor; posuerítq; in illo istam epigraphen: *Hic hospitatur JESUS*; deq; alijs specialibus favoribus. pag. 108

CAPUT 26. Quomodo illam Deus corroboraverit tribus gradibus perfectæ patientiæ, pro terribilibus cruciatibus ac tormentis, quæ per reliquam vitam sustinuit. pag. 111

CAPUT 27. Quomodo Deus cordi ejus inseruerit internam crucem, & capiti coronam spineam, similitérq; vulneraverit illius manus, pedes, ac latus. pag. 115

CAPUT 28. De colloquijs, quæ Christus Dominus cum illa instituit, de impressione istorum vulnerum, & quomodo ipsi donaverit pretiosa cimelia, propter dolores, quos in ijs sustinuerat. pag. 119

CAPUT 29. Quo pacto Christus Dominus sequentibus annis innovaverit ista vulnera, modis non minùs admirandis, quàm dolorificis, ut experiretur dolores suæ Passionis, consolans illam medicamentis mysticis, & ingentibus promissis. p. 123

CAPUT 30. Quomodo sibi illam Christus Dominus similiorem reddiderit in cruce, crucifigendo ipsam spiritualiter per suos Angelos, & innovando ejus vulnera in varijs pretiosissimis crucibus, magna simul illi promittendo, eximiósque præstando favores. pag. 128

CAPUT 31. Quomodo illam dæmones, molestissima quæq; machinando, alijs hujusmodi exercuerint tormentis, & Deus ipsi declaraverit causam, ob quam esset exosa dæmonibus. pag. 132

CAPUT 32. Quomodo illi Dominus manifestaverit causas; propter quas ipsam dæmones odio habuerunt, ijsdemq; postulantibus illam exercuerit derelictionibus, ac desertionibus internis, alijsque modis, & quàm se bene gesserit in omnibus. p. 136

LIBER SECUNDUS.

De admirandis Revelationibus, quas habuit de Mysterijs nostræ Redemptionis, & inusitatis gratijs, quas in illis est assequuta.

CAPUT 1. De Beatissimæ Virginis Nativitate, ac Infantia cum purissimæ Conceptionis encomijs. Pag. 142

CAPUT 2. De Præsentatione Beatissimæ Virginis in templo, unáque laudibus ipsius Immaculatæ Conceptionis. pag. 145

CAPUT 3. De Annuntiatione Beatissimæ Virginis. pag. 147

CAPUT 4. De modo, quo fuit peractum Mysterium divinæ Incarnationis, Christi Domini Nostri. pag. 151

CAPUT 5.

CAPUT 5. De Beatissima Virgine, visitante sanctam Elisabetham. pag. 154
CAPUT 6. De Nativitate Christi Domini in stabulo Bethlehemitico. pag. 156
CAPUT 7. De quibusdam specialibus, ac admirandis gratijs, quas ipsi Dominus præstitit in Festis suæ Nativitatis. pag. 161
CAPUT 8. De Mysterio Circumcisionis. 168
CAPUT 9. De Adoratione Regum. p. 170
CAPUT 10. De Purificatione Beatissimæ Virginis, & reditu ex Bethlehem ad suam domum Nazarethanam; quàmq; Domina Nostra æstimaverit hanc sanctam Domum. pag. 177
CAPUT 11. De quibusdam visionibus Pueri JESU cum sua sanctissima Matre, & magnis utriusque gratijs, quæ ipsi ab illis fuerunt præstitæ. pag. 181
CAPUT 12. De sapientia Christi Domini, quæ in eo elucebat, quando erat duodennis in medio Doctorum, atque etiam dum prædicaret. pag. 185
CAPUT 13. De Transfiguratione Christi Domini. pag. 188
CAPUT 14. De Mysterijs sacræ Passionis & speciatim de sudore sanguineo. pag. 189
CAPUT 15. De Mysterijs Passionis Feriæ sextæ in Parasceve. pag. 191
CAPUT 16. De quibusdam visionibus Christi Domini Crucifixi, quibus illam animabat ad sustinenda patienter adversa, & qnomodo ipsi præstiterit alias insignes gratias. pag. 196
CAPUT 17. Quomodo quodam sancto die Veneris viderit Christum Dominum defunctum, fueritque miraculosè ducta ad ipsum suscipiendum in Regio templo sancti Benedicti, ac susceptum in sacra Communione tulerit intra se, tanquam in sepulchro, usque ad Pascha. pag. 203
CAPUT 18. De Resurrectione Christi Domini. pag. 205
CAPUT 19. De Ascensione Domini, & extraordinarijs gratijs, quas illi hoc festo præstitit. pag. 207
CAPUT 20. Quomodo ipsi Dominus exhibuerit spectandas omnes stationes suæ Passionis, usque ad Ascensionem in Cœlos, & quandam pompam celebratam in honorem suorum vulnerum, instar triumphi donec ad dexteram Patris consideret. 215
CAPUT 21. De adventu Sancti spiritûs super Apostolos, déque ejus Æterna Processione, ac de eximijs bonis, quæ communicat justis, & communicavit illi, de novo ipsam suscipiendo in suam. pag. 217
CAPUT 22. Quomodo ipsam Spiritus Sanctus septem continuis diebus ante suum Festum mirandis modis, cum alijs duabus divinis personis, quotidie visitaverit, non sinè specialibus gratijs. pag. 222
CAPUT 23. Quomodo illi Spiritus Sanctus manifestaverit, se assistere summo Pontifici Ecclesiæ, denuóq; sibi ipsam desponsaverit, cum novis gratiæ suæ donis. pag. 226
CAPUT 24. Quomodo ipsam Persona Spiritûs Sancti visitaverit alijs multis vicibus, ducendo illam in spiritu ad cælestem Curiam, eandémque ipsi ostendendo, nec non reliquas Personas, & exhibendo alios magnos favores. pag. 229
CAPUT 25. De sanctissimo Sacramento, ipsiúsque Institutione, ac de modo, quo in illo existit Christus Dominus, per transsubstantiationem. pag. 232
CAPUT 26. De alijs stupendis visionibus, concernentibus idem mysterium sanctissimi Sacramenti, nec non Divinitatem Christi Domini; & quomodo Pater ac Spiritus Sanctus ibidem unà cum ipso existant. pag. 235
CAPUT 27. Quomodo viderit Christum Dominum in sacra Hostia, in varijs admirabilissimis figuris, & quâ ratione super omnia æstimaverit vivam Fidem hujus Mysterij, atq; principalem fructum communionis. pag. 238
CAPUT 28. Quomodo illi Christus Dominus ostenderit solemnitates & processiones, quas beati celebrant in cœlo, ob honorem sanctissimi Sacramenti, & modum quo celebrantur. pag. 243
CAPUT 29. De puritate necessaria pro sacra Synaxi, & de Sacramento Pœnitentiæ, quo obtinetur. pag. 246

LIBER TERTIUS.

De insignibus revelationibus, quibus illi DEUS manifestavit suam Divinitatem ac Trinitatem Personarum, æternam Beatitudinem & modum ad illam pertingendi per crucem, cum raris gratijs.

CAPUT 1. Quomodo illi Deus ostenderit immensitatem divinæ essentiæ, ac suarum divinarum perfectionum: quámq; sit incomprehensibilis à suis creaturis. 249

Cap. 2. De alijs visionibus divinæ essentiæ, & ad quem gradum pertingat earundem claritas. pag. 254

Cap. 3. Quomodo illi Deus manifestaverit alio modo suam divinam essentiam, & faciem, ac Trinitatem Personarum, & nonnulla sua attributa, atque de modo pertingendi ad tam sublimem communicationem. pag. 256

Cap. 4. De magnitudine Dei, ùt est infinitus ignis, ac de spirituali quadam cum ipso lucta animæ illum tenentis, & nolentis dimittere, nisi ei benedicat. pag. 159

Cap. 5. De alia spirituali lucta Dei cum Anima, petente dimitti à Deo, eò quòd non possit comprehendere omnia illius dona, & quomodo ei dederit mysticam clavim, ut ingrederetur ad cognoscenda ipsius arcana. pag. 263

Cap. 6. De arcanis Dei perfectionibus, déque ipsius divinis attributis, & occultus judicijs. pag. 266

Cap. 7. Quomodo sibi ipsi sufficiat Deus, à quo omnes accipiunt, quidquid habent boni, & de tribus mysticis aulis, in quibus illi id fuit magìs declaratum. 269

Cap. 8. Quomodo viderit tres Angelos, miro prorsus modo repræsentantes Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Christus Dominus ter descenderit, ad infundendas ipsi tres virtutes, utens verbis admirandis. 172

Cap. 9. Quomodo ipsi Deus alijs stupendis modis, manifestaverit Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, exhibendo illi singularissimos favores. pag. 276

Cap. 10. De admirandis visionibus, quas habuit de Beatitudine déque ejus origine & causa, quæ est visio Dei Trini & unius, necnon de gloria agni, & quos ob fines hæc ipsi fuerint communicata. pag. 280

Cap. 11. De eximijs fructibus, quos collegit; & gratijs, quas obtinuit in alijs Visionibus cœlestis gloriæ, qui sunt finis orationis & contemplationis. pag. 285

Cap. 12. Quomodo viderit magna mysteria cœlestis Civitatis, ordinem Beatorum & pompam, in qua Christus Dominus vehebatur curru triumphali, ac de alijs gratijs, quas est consequuta. pag. 291

Cap. 13. Quomdo à S. Michaële ducta fuerit in spiritu, & in ejusdem festis ad cœlestem aulam, viderítque hæc eadem mysteria & quandam pompam, in qua decantabantur laudes hujus sancti Archangeli. pag. 294

Cap. 14. De prodigioso modo, quo pars superior Animæ ipsius diu mansit in cœlo, perfruens Deo, sine imminutione doloris, quem patiebatur in terra, déque rebus admirandis, quæ ei acciderunt, dum videret dicta mysteria. pag. 298

Cap. 15. Quomodo illi Deus ostenderit scalam valde arduam, qua ascendebatur ad cœlestem gloriam, mandaveritque, ut eam conscenderet, manifestando illi bona cœlestia & miserias mundi. pag. 303

Cap. 16. Quomodo à Deo jussa fuerit ascendere in spiritu ad cœlestem aulam per terribilissimam scalam, fuerítque ipsi revelatum, quàm pauci ita ascendant, ut perseverent usque ad finem, & qualiter aliàs conscenderit similes scalas, onusta gravi cruce. pag. 308

Cap. 17. Quomodo illi Christus Dominus ostenderit in suo Divino pectore crucem, quam tulerat, jam inde à sua conceptione, eandémque ipsi desponsaverit, ducendo illam cum ea ad cœlum, & cumulando magnis gratijs. pag. 312

Cap. 18. Quomodo illi Deus modis prorsus miris ostenderit, crucem esse viam regiam pro introitu in cœlestem gloriam, quà ipse illam intravit, & quàm pauci ipsam amplectantur, illúmq; cum ea sequantur. 318

Cap. 19. Quomodo illam Deus animaverit ad tolerandas molestias crucis, eò quòd sint medium pro obtinendis gratijs inusitatis

tatis quas ipsi præstabat, & pro augendis meritis æternæ gloriæ. pag. 203
Cap. 20. Quomodo illi Christus Dominus paulatim manifestaverit, in primis mysteria suæ humanitatis, ac deinde secreta suæ Divinitatis, suúmque nomen ineffabile, & quà ratione his gradibus ascendatur ad tam sublimes visiones. pag. 330
Cap. 21. Quomodo illam Deus deduxerit per terribiles scalas ad quendam profundissimum locum, ostenderitque ipsi modum judicij finalis, & infernum atq; cœlestem gloriam: ut agnosceret mala, à quibus liberantur ij, qui pro Deo patiuntur, & bona, quibus perfruuntur. pag. 332
Cap. 22. Quomodo Deus impresserit ejus cordi sigillum crucis cum mysterio Sanctissimæ Trinitatis, insculpseritque mysticas cruces ipsius manibus, pedibus, ac lateri, dando illi pretiosa munera, quæ erant symbolum sublimissimæ perfectionis. pag. 335

LIBER QUARTUS.

De specialibus revelationibus, quas habuit de prærogativis Angelorum & Sanctorum, qui illam visitabant, déque ijs Beatissimæ Virginis, quæ concernunt immaculatam ipsius Conceptionem & Assumptionem, nec non de eximijs nonnullis rebus, quæ illi cum ipsis evenerunt.

CAP. 1. Quomodo illi Deus patefecerit varia ministeria Angelorum, quæ obeunt in commodum hominum. pag. 340
Cap. 2. Quomodo illi Deus manifestaverit magnam potentiam & curam Angelorum, in ipsa protegenda contra dæmones, ijsque castigandis, & de rebus notatu dignis, quæ illi ea in re evenerunt cum S. Michaele & S. Gabriele; nec non insignibus gratijs, quæ ei ab ipsis fuerunt exhibitæ. pag. 345
Cap. 3. Quomodo adfuerit festo, quod in cœlo celebrabatur in honorem Angelorum, videritque gloriam sui Angeli, non absque magnis mysterijs. pag. 349
Cap. 4. Quomodo illi Deus manifestaverit excellentiam & gloriam quatuor Angelorum, qui illi assistebant, & de quibusdam colloquijs, quæ cum ipsa habuerunt, déque eorundem absentia, ac reditu. pag. 352
Cap. 5. Qualiter ipsi Deus manifestaverit modum, quo Angeli tuentur Ecclesiam contra Dæmones; & monita, quibus illos instruit, ut custodiant homines. pag. 358
Cap. 6. De eo, quod ipsi duodecim Angeli, qui illam subinde invisebant, narraverunt, quid eis evenerit cum hominibus, quorum fuerunt custodes. pag. 361
Cap. 7. Quomodo illam multi Sancti ex omni statu visitaverint, præsertim in gravibus ipsius cruciatibus, atque in uno eorum Christus Dominus commendaverit suæ sanctissimæ Matri, Sanctóque Joachimo, ac Sancto Josepho & alijs Sanctis, ut eam frequenter inviserent. pag. 363
CAP. 8. De Sancto Joachimo Patre Beatissimæ Virginis, & quàm sit potens ad placandam iram Divinam suis precibus, atq; quomodo ipsa procuraverit, ut illius Festum celebraretur in tota Ecclesia. 364
Cap. 9. De glorioso Sancto Josepho, Sponso Beatissimæ Virginis, déque magna ipsius sanctitate. pag. 367
Cap. 10. De eximijs favoribus, quos illi exhibuerunt, S. Petrus Apostolus, dando ipsi quandam mysticam clavim, pro ingressu cœli, & S. Joannes Evangelista, animando eam ad patiendum, atque ad quatuor ferventus affectus, quos exercebat. 371
Cap. 11. De S. Maria Magdalena & undecim millibus Virginum, atque admirandis visionibus; de gloria & prærogativis harum Sanctarum. pag. 374
Cap. 12. De duodecim Apostolis, déque S. Martino & S. Augustino. pag. 376
Cap. 13. Quomodo illi Deus miris modis manifestaverit eminentiam, sanctitatem & gloriam S. Patris Nostri Jgnatij, & quid ei gloriosus S. Dominicus de ipso dixerit, déq; Societate JEsu. pag. 378
Cap. 14. Quomodo illi Deus manifestaverit præstantiam instituti Societatis, & quandam pompam procedentium multorum ex ea Beatorum, cum Nostro S. Patre Jgnatio in magna gloria. pag. 382
Cap. 15. Quomodo S. Pater Noster Jgnatius modo quodam mystico ipsam, approbante Deo, susceperit in suam filiam, instar aliorum

aliorum ex Societate,& quid post hoc evenerit. pag. 387
Cap. 16. De alijs favoribus, quos ipsi exhibuit S.Pater Noster Jgnatius, præbendo illi Sacram Communionem, ac manifestando ordinem prædestinationis, quidq; illi esset agendum pro ea consequenda. pag. 398
Cap. 17. De rebus notatu dignis, quæ ipsi evenerunt cum Deo & S.Patre nostro Jgnatio, in persecutionibus, quas est passa Societas. pag. 392
Cap. 18. De ijs, quæ ipsi evenerunt cum gloriosis Sanctis, S. Dominico & S. Jgnatio, quoad unionem Religiosorum utriusque Sancti. pag. 396
Cap. 19. Quomodo viderit gloriosum Sanctum Franciscum Xaverium, ac magnam ipsius sanctitatem; & quâ ratione illam Deus repleverit spiritu ac virtutibus Sancti Patris Nostri Jgnatij. pag. 399
Cap. 20. Quomodo ipsi Deus manifestaverit stupendis modis magnam Sanctitatem & gloriā gloriosi S. Dominici,& de eximijs gratijs, quas illi Sanctus præstitit. 401
Cap. 21. Quomodo gloriosus S. Dominicus illi exhibuerit præstantiam suæ Religionis & sanctitatem suorum filiorum. pag. 405
Cap. 22. De alijs rebus notatu dignis, quæ illi evenerunt cum glorioso S. Dominico, concernentes ejus sanctitatem & curam, quam habet de sua religione, déque alijs favoribus ipsi ab eo exhibitis. pag. 409
Cap. 23. Quomodo viderit gloriosum Sanctum Franciscum & ipsius stigmata, nec non eminentem ejusdem sanctitatem. 414
Cap. 24. Quomodo illam cum S. Bonaventura, S.Antonio, S.Ludovico Rege Galliæ, & S.JuniperoGloriosus Sanctus Franciscus duxerit, ad videndum suum sacrum sepulchrum & corpus, fueritque consequuta ab ipsis quædam mystica cimelia. pag. 418
Cap. 25. De singulari devotione,qua ferebatur erga indulgentias Portiunculæ, déque rebus notatu dignis, quæ ei evenerunt cum Deo,& cum S.Francisco, ut illas consequeretur ægrotans in lecto. pag. 422
Cap. 26. Quomodo Sancti Fundatores Religionum eam frequenter visitaverint, ac de rebus notabilibus, quæ ipsi cum illis evenerunt, præsertim cum S.Francisco. 424
Cap. 27. Quomodo eam visitaverint Sancta Catharina Senensis, ac S.Teresia à JESU, quámque fuerint differentes illarum naturæ ac vocationes, & qualiter viderit in cœlo multos, qui ipsi fuerant in hac vita familiares. pag. 429
Cap. 28. Quomodo Christus Dominus illi revelaverit purissimam Conceptionem suæ Sanctissimæ Matris. pag. 433
Cap. 29. Quomodo fuerit à Deo jussa publicare hanc veritatem, & Beatissima Virgo illam ad idem sit hortata, remunerando mysticis donis ipsius curā, quâ id egit. 435
Cap. 30. De notatu dignis, quæ illi acciderunt cum Gloriosis Sanctis Dominico & Thoma, atque alijs Sanctis ex ejus religione, comprobantibus immaculatam Conceptionem Beatissimæ Virginis. 439
Cap. 31. De eo, quod illi hac ipsa in re evenit cum alijs Sanctis. pag. 442
Cap. 32. Quomodo Deus ipsi manifestaverit simul duas purissimas Conceptiones, nimirum BeatissimæVirginis, & Filij Dei, intra ipsius viscera, dederitq; eidem Virgini tres coronas, propter id, quod in utraque præstitit. pag. 447
Cap. 33. Quomodo ipsi Deus manifestaverit, quid acciderit in assumptione Beatissimæ Virginis, & magnam ejusdem gloriam. pag. 448
Cap. 34. Quomodo Beatissima Virgo ipsi per Sanctum Dominicum dederit Rosaria à se benedicta, pacaveritq; illam in timoribus, quibus propterea angebatur. 442
Cap. 35. Quomodo illam Beatissima Virgo docuerit recitare quoddam breve Rosariū, commemoratis mysterijs ipsius Nativitatis,Præsentationis & Assumptionis. 454

LIBER QUINTUS

De rebus memoratu dignis, in quibus juvit animas Purgatorij, & promovit salutem proximorum, dum illi DEUS manifestaret ipsorum miserias, & quid ei agendum, dicendum, vel scribendum esset ad illis ferendam opem.

CAPUT 1. Quomodo illi Deus aliquando ostenderit Infernum,Purgatorium &Limbum, atque perditionem potioris partis Mundi, quin tamen ipsi exhibuerit ullum damnatum speciatim; nec non quibus de causis hæc omnia fecerit. pag. 457
Cap. 2. Quomodo illi Deus manifestaverit modum, quo animæ puniuntur in Purgatorio,

torio, ac de ardenti ipsius desiderio, earundem juvandarum. pag. 460
Cap. 3. Quomodo illi Deus præstiterit gratiam, ut quavis sacrâ communione liberaret ordinariè quatuor animas ex purgatorio, & quâ ratione liberaverit quasdam, cum circumstantijs sanè admirandis. 463
Cap. 4. Quomodo liberaverit ex Purgatorio alias omnis conditionis animas & nonnullas, quæ patiebantur propter leves culpas; alias verò, quæ ibi manserant, multis annis. pag. 466
Cap. 5. Quomodo ipsi Dominus concesserit Indulgentias, quas posset applicare defunctis, benedixeritq; illi quædam Rosaria, & de alijs hujusmodi gratijs. pag. 470
Cap. 6. Quomodo ipsi Dominus manifestaverit corruptelam mundi, quantóque sint mali plures bonis, & quàm tremenda sit infelicitas malorum, ut pro omnibus oraret. pag. 473
Cap. 7. Quomodo Deus ipsi manifestaverit miseriam hominum, cò quòd non utantur bene remedijs, quæ reperiuntur in ejus Ecclesia, ut pro illis oraret. pag. 478
Cap. 8. Quomodo illam Deus docuerit, quòd opera suæ misericordiæ sint plura operibus Justitiæ, quódque mitiget suam iram, propter preces Beatissimæ Virginis & Sanctorum, nec non quorundam pusillorum, commorantium in terra, similium isti suæ Famulæ. pag. 480
Cap. 9. De rebus notatu dignis, quæ illi acciderunt cum Deo, anno grassantis pestis, quoad mala, quibus punire volebat suum populum Christianum, & istam Civitatem Vallisoletanam, déque magno zelo, quem tunc ostendit. pag. 480
Cap. 10. De ardenti zelo, quo exoptabat salutem omnium hominum, & admirandis rebus, quæ illi ea in re evenerunt cum Deo. pag. 491
Caput 11. De charitate, quâ procuravit conversionem quorundam peccatorum, exhibendo se promptam, ad tolerandos pro ipsis graves cruciatus: & quomodo illi Deus promiserit, quòd esset conversus quemlibet, pro quo ipsa apud eum, die sacræ Communionis intercederet. 497
Cap. 12. Quomodo ipsi Deus manifestaverit pericula & necessitates quarundam animarum, ut illis subveniret suis precibus ac monitis, docueritq; illam, quæ ipsis essent dicenda. pag. 502
Cap. 13. Quomodo Sancti, & præsertim Fundatores Religionum illam rogaverint, ut commendaret Deo communitates ipsis commissas, & de nonnullis horrendis rebus, quæ illi quoad hoc evenerunt. pag. 506
Cap. 14. Quomodo ei Dominus, & sancti Fundatores Religionum dixerint, non acceptanda ipsius monita, ut ne concideret animo, ac de indignatione Divina, adversus eos, qui illa non acceptabant. 512
Cap. 15. De ejus charitate, quâ rogabat sanctos Angelos suos contubernales, ut inviserent ac juvarent infirmos, & constitutos in necessitatibus, quamvis ipsamet ijs opus haberet, quod illi rependit Deus favore admirabilissimo. pag. 517
Cap. 16. Quomodo illi Deus subitò solitus fuerit rependere opera misericordiæ corporalia, quæ exhibebat pauperibus & infirmis, ut quosdam miraculosè sanaret. pag. 520
Cap. 17. De repugnantia, quam sensit, in sanandis miraculosè infirmis, conscijs alijs, ac de rebus notatu dignis, quæ ipsi ea in re contigerunt cum Deo. pag. 522
Cap. 18. De rebus notatu dignis, quæ ipsi acciderunt cum Deo, concernentes carcerem & mortem Domini Rodericij Calderonij. pag. 527
Cap. 19. De alijs admirandis rebus concernentibus istum casum, quæ ipsi evenerunt cum Deo. pag. 531
Cap. 20. Quomodo Deus voluerit uti ipsius operâ ad inducendam in Hispanias Religionem sanctæ Birgittæ, dixeritq; ei, ut moderaretur illius Constitutiones, accommodando ipsas huic Nationi, & his temporibus, quidque illi ea in re evenerit. 533
Cap. 21. De ijs, quæ ipsi contigerunt cum Deo, in varijs eventibus, & mutationibus istius Fundationis. pag. 538

LIBER SEXTUS.

De ejus heroica perfectione, cujus specimina præbuit in perferendis adversis, & exercendis omnis generis virtutibus, déque raris gratiis illi à DEO præstitis, non sinè insignibus promissis, concernentibus ipsius obitum.

CAP. 1.

INDEX LIBRRORUM ET CAPITUM.

CAP. 1. De tremendis cruciatibus, quos sustinuit, circa extremos vitæ suæ annos, ac de pura intentione, quam in illis habuit. 593

Cap. 2. Quomodo illi Deus declaraverit, hunc patientiæ statum esse perfectiorem præcedente, satisfecerítque ipsius, ea de re, dubijs. pag. 598

Cap. 3. De Excellentibus actibus resignationis, in Divinam voluntatem, quos frequentissimè exercebat in suis gravibus doloribus, & quomodo ei Deus ostenderit, sibi illos valde placere, ipsámq; plurimùm ijs promereri. pag. 601

Cap. 4. De magna generositate, quâ recusavit tempore vehementis sitis & anxietatum solatia sensibilia fontium, & musicæ, quæque ipsi offerebant Angeli, quantúmq; hoc placuerit Deo, & quomodo id illi statim rependerit. pag. 607

Cap. 5. De quibusdam mysticis convivijs, & specialibus musicis Angelorum, quibus illam Deus est solatus, & remuneratus ejus voluntatem, qua hujusmodi favores, quantum erat in ipsa, recusabat acceptare, quando sitiebat & angebatur. pag. 611

Cap. 6. Quomodo illam Dominus vulneraverit quibusdam mysticis sagittis, quæ repræsentabant vulnera amoris Dei, & proximi: perfecerítq; in ipsa suæ Passionis vulnera, & præstiterit illi alios magnos favores. pag. 615

Cap. 7. Quomodo Christus Dominus in ea compleverit mysteria suæ Passionis, efformando in illa crucem quatuor brachiorum, incisam pectori, velítque, ut honorentur sua, quoad hoc, arcana judicia. 619

Cap. 8. Quomodo ipsũ Deus induxerit, ad suscipiendos tres mysticos nummos aureos, qui repræsentabant tres ferventes affectus, superatâ repugnantia, quam sentiebat, in illis acceptandis; & quid egerit, ut ei significaret, istam sibi non displicere. 622

Cap. 9. Quomodo Deus illi dederit quendã pretiosum librũ propriorum meritorũ, & mysticam clavim suæ Divinæ voluntatis, ad obtinendũ, quidquid à se peteret, additâ causâ, ob quã ipsi exhiberet has gratias. 625

Cap. 10. Quomodo Deus illi miserit quendam mysticum florem, quo confortaretur, additis alijs causis insignium gratiarũ, quas ei præstabat desumptis ex desponsatione spirituali, & quomodo ipsam ditaverit mysticis nummis aureis, non dicendo illi, quid significarent. pag. 628

Cap. 11. Quomodo ipsi Deus per mirabiles visiones ostenderit paupertatem, ac nuditatem animæ, secundùm se spectatæ, etiamsi possideat multas divitias spirituales; & quâ ratione, dum illas Deo reddit, easdem recipit auctiores. pag. 631

Cap. 12. De alijs documentis sublimissimæ perfectionis, quæ illi Deus dedit, de solidis, & heroicis affectibus, quibus obtinetur æterna gloria. pag. 634

Cap. 13. Quomodo Deus, circa postremos ipsius vitæ annos, designaverit alios quatuor Angelos, ut occultè adessent in ejus cubiculo, qui se interdũ manifestabant, mirabiliter repræsentando varia mysteria. 637

Cap. 14. De alijs raris modis, quos adinvenerunt isti Sancti quatuor Angeli, ut ipsam recrearent in illius afflictionibus, eiq; exhiberent diversa mysteria. pag. 641

Cap. 15. Quomodo Deus illi, per amabilissimas similitudines ostenderit, quòd ipsam eruat ex periculis, in ejus affectibus ac operibus, & speciatim, in concernentibus sublimitatẽ orationis, & contemplationis, tranquillã reddendo in ipsius timoribꝰ. 647

Cap. 16. Quomodo ipsi Deus, per alias admirabiles similitudines, manifestaverit pulchritudinem, efficaciam, & valorem internorum ipsius affectuum, præsertim illorum, quibus optabat videre Deum: nec non varietatem ac venustatem virtutum, quas ijsdem affectibus comparabat, pro exornanda sua anima. pag. 654

Cap. 17. Quam inusitatos illi favores Deus præstiterit compensando ipsi id, quod patiebatur, & peculiaribus visionibus cœlestis gloriæ, quæ illam manebat, & quantopere sibi in ea complacuerit. 659

Cap. 18. De varijs Dei & Sanctorum dictis, concernentibus ea, quæ patiebatur, excitantium ipsam ad patiendum. 663

Cap. 19. Quomodo Deus illi varijs modis repræsentaverit multa ex ijs, quæ solent evenire, & ipsi eventura erant tempore mortis, cum nonnullis magni momenti prædictionibus tunc futurorum. 667

Cap. 20. Quomodo illi Deus ostenderit quædam, spectantia ipsius sepulchrum, cineres & ossa, atque corpus resurrecturum ad statum gloriosum. 673

Cap. 21. Quomodo ipsi Deus communicaverit eximiam spiritûs mysticam & experimentalem scientiam, præceperítque, ut conscriberet omnes suas experientias, in commodum proximorum consignandas & in ordinem redigendas à Confessario, quem habebat in Societate JESU, & quid illi ea in re evenerit cum S. Dominico. pag. 677

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

IN MIRABILEM VITAM VENERABILIS VIRGINIS MARINÆ DE ESCOBAR,

à REVERENDO PATRE

LVDOVICO DE PONTE,

SOCIETATIS JESU

Sex Libris Hiſpanicè comprehenſam

DISSERTATIO PARÆNETICO-APOLOGETICA

Scripta

AD REV. PATREM MELCHIOREM HANEL,

Societatis Jesu, ejuſdem Vitæ Latinum interpretem.

à REV. PATRE JOANNE TANNER,

ejuſdem Societatis, THEOLOGO.

REV. IN CHRISTO PATER.

QUemadmodum liqvidiſſimo perfuſus ſum gaudio quamprimùm à tot jam annis expectatam non minùs à ſanctiſſimarum virtutum exemplis, quàm cœleſtium revelationum luce verè mirabilem Venerabilis MARINÆ de ESCOBAR Vallifoletanæ Virginis Sanctimonialium Ordinis S. Brigittæ in Hiſpania fundatricis, vitam Latinè jam conſcriptam & typis deſtinatam vidi, totámque accuratiſſimè iterum iterúmque perlegi: ità profectò poſteaquam Reverentiam veſtram (cujus diligenti ac pio ſtudio Opus hoc Romanâ donatum civitate habemus) intellexi nonnullorum obloquiis, quin & irriſionibus adeò commotam, ut laboris propè pœniteret, ac de ejus porrò ad plenam uſque lucem promovendi cura abjicienda deliberaret, graviter ſanè indolui, & mox de Reverentia Veſtra in tam ſancto Opere confirmanda cœpi cogitare, nè theſaurus iſte planè incomparabilis, publico bono ſubtraheretur. Et hoc quidem non putavi me facturum aptiùs, quàm ſi brevitate quantâ per materiæ amplitudinem fieri poſſet maximâ, diſcurſum quempiam Theologico-Aſceticum conſcribe-

rem,

rem, in quo non solùm solatium Reverentia Vestra inveniret, verùm & in promptu haberet, quæ adversùs ejusmodi cavillos opponere, & quibus ea quæ obijciuntur retundere valeret: cùm nimis clarum sit non paucis Catholicis etiam doctis ac Religiosis viris multa circa revelationes in novo testamento à DEO varijs hominibus, præsertim mulieribus concessas, nec libris sacræ Scripturæ insertas, difficilia videri; adeò ut nec desint qui eò usque eas vilipendant, ut nec legere ipsi velint, nec ab alijs audire sustineant. Hoc autem non potest fieri sinè detrimento animarum & gloriæ DEI manifesto: dum enim animæ devotæ, & ad viam spiritûs unitivam utcunque dispositæ, vident quempiam ejusmodi gravem virum, ad omnia quæ in talibus revelationibus proponuntur stupentem, & quasi nihil horum sibi persuadeat, attonitum, quin & modestâ quâdam subsannatione, tanquam ridicula explodentem; fieri vix potest quin & ipsæ ab his avertantur. Cùm autem mirabilis vita venerabilis Virginis MARINÆ de Escobar, sit præ alijs obnoxia ejusmodi difficultatibus, ut quæ plenissima est talibus, quæ hominibus illis maximè displicent; quid mirum est, si apud aliquos vilipendatur? Neque dubito me Divinæ Majestati in hoc aliquod facturum obsequiolum, cùm iste sit etiam scopus studij Theologici, ut ea quæ ad sanctitatem Christiani populi conducunt, declaret, protegat, confirmet. Quâ ipsa de re memorabile est illud quod ipsius hujus vitæ lib. 2. c. 12. §. 1. habetur, quomodo videlicet Christus Dominus postquam Ven. Virgini MARINÆ in specie pueri duodennis apparuisset, eique narrâsset quomodo in ea ætate cœperit coram scribis & legisperitis sapientiam suam in templo manifestare, & Messiæ adventum annunciare, subjecerit verba sequentia: *Et ecce quàm parum id ipsis profuit! Vellem non itâ etiamnum contingeret, sed ut veritates & mysteria quæ ego manifesto, ac declaro Patribus spiritualibus & Ministris, quorum officium est illa explicare, ijdem stabilirent & credibilia redderent quantum possunt, pro mea gloria & honore, ac bono animarũ, neque ea occultarent, & silendo infirmarent.* Sufficere equidem potuisset & debuisset omnibus hanc vitam lecturis sola auctoritas Ven. P. Ludovici de Ponte, tantæ sanctitatis, tantæ doctrinæ, tantæque prudentiæ viri, à quo hæc quæ VI. prioribus libris continentur, sunt conscripta, præsertim cùm præfixâ introductione fundamenta certitudinis horum explicuerit; sed volunt aliqui dubitationibus suis presso pede responderi: id quod quidem aggrediar, non tamen eâ spe ut neminem ampliùs vel protervum superfuturum arbitrer, qui adhuc cœlestes has revelationes insectetur, cùm sciam veritatem non esse tanti roboris, ut omnibus, etiam sine ulla ratione reclamare volentibus, os occludere, aut eos ad confessionem convictæ suæ falsitatis aut ad confessionem convictæ suæ falsitatis & proteruiæ, invitos cogere possit; nam & in hoc ipso aliqui suam laudem reponunt.

§. I. *An in novo Testamento dentur aliquæ fide dignæ revelationes Divinæ extra sacram Scripturam.*

SI in veteri Testamento inter signa credibilitatis non postremum fuit donum Prophetiæ, & Divinarum Revelationũ; quantò magis debet in novo Testamento signum hoc veræ fidei eminere; prout reliqua omnia signa credibilitatis eminent, adeò, ut uni deeadi Martyrum antiqui Testamenti, respondeant milliones Martyrum in novo Testamento, unúsque Sanctus Christianus plura miracula intra unicam diem fecerit, quàm in tota veteri Lege reperiantur. Jam ergo, quemadmodum non defecerunt homines spiritu Prophetico ac dono revelationum prædiri, quàm diu lex vetus duravit; ità multò minùs debent deficere in lege Gratiæ, usque ad diem extremum. Bene Theophilus Raynaudus in Heterocl. Spirit. sect. 2. pun. 5. n. 26. Dubium, inquit, esse non potest. quin sint in omni ætate ac seculo revelationes in Ecclesia DEI. Alioqui, ut sapienter admonuit Gerso Tract. de Discretione revelationum, revocari possent in dubium revelationes antiquæ, quæ æque paterent calumnijs, ac illæ, quæ posterioribus temporibus, & ijs ipsis, in quibus vivimus, accidere comperiuntur. Ac proinde Gerso, ingenia quædam libera, quæ ad nomen revelationis, subitò altè tollunt cachinnos, valde insectatur in prædicto opusculo sub initium. Nec ijs parcit sub finem, quis ex eo quòd unum aliquem delusum in revelationibus audierint, diffundunt ejus deceptionem ad omnes revelationibus donatos. Et verò nónne vel obiter rem inspicienti statim apparet, debere etiam in hoc apparere excessum Gratiæ præ veteri Testamento, ut plurimi non minùs frequenter ac familiariter DEO colloquantur, quàm colloquutus sit Moyses, aut ullus Prophetarum veterum?

Neque tamen libris Canonicis sacræ Scripturæ sunt inserendæ omnes particulares revelationes: nam & in veteri lege dubium non est, multò plura fuisse sanctis revelata quàm in sacram

ſacram ſcripturam fuerit inſertum, cùm etiam nominentur aliquot utriuſque ſexûs Prophetæ, ex quorum Prophetijs nec littera in ſacris paginis legitur. Sic quoque in primitiva ſtatim Eccleſia habemus ex actis Apoſtolorum, fuiſſe Prophetas & Prophetiſſas, quorum revelationes non ſunt annotatæ. Et verò quis credat DEVM nulli ſanctorum locutum nisi qui in ſacra Scriptura referuntur? Imò potiùs cuivis facilè occurret, nullum futurum fuiſſe finem augendi libros Canonicos, ſi omne verbum DEI, cuicunque revelatum, eis fuiſſet adijciendum.

Sed tamen dicet adhuc aliquis: cur ergo Eccleſia ſaltèm non determinat, quænam certæ vel incertæ ſint fidei? Planè ac ſi quærerem: cur Eccleſia non determinet ſemper, quisnam verus ſit Martyr, dum quispiam videtur pro virtute occidi? quodnam ſemper ſit verum miraculum? quibus Doctorum libris ſit, quibus non ſit acquieſcendum? nempe copia eam obruit; Ità profuſa eſt erga eam Sponſi ejus Chriſti Domini liberalitas. Quî enim ſufficiat his omnibus, tantâ, quantâ opus eſt, diligentiâ examinandis? Vnius ſancti Canonizatio quot annorum ſtudia fatigat? Ad unius libri ſuſpecti condignam trutinam Concilia congregantur. Quid ergo ſi ſingulas in novo teſtamento, tam copioſas revelationes ſimili ſtudio excutere vellet? Sufficit ergo quemadmodum in alijs libris præſtantiſſimis, quòd viri in Theologia tam myſtica, quàm ſpeculativa & morali præclarè verſati, nihil in eis inveniant diſſonum & diſcrepans ab eis, quæ Eccleſia tanto adhibito apparatu vera eſſe pronuntiavit, utpote ad quæ tanquam ad Lydium lapidem, reliqua, quæ ſubinde nova emergunt, ſunt examinanda: prout factum eſt cum multis lucubrationibus in Tomos SS. Patrum inſertis, quibus tamen alia ab Eccleſiæ calculo autoritas non acceſſit.

Quanquam etiam revelationes hujuſmodi aliquas ſumpſit ſibi Eccleſia quandoque ſolemniter examinandas, ac approbandas, prout contigit Revelationibus S. Brigittæ Viduæ, à Concilijs Conſtantienſi & Baſilenſi, nec non ab Vrbano 6. Bonifacio 9. & Martino 5. Romanis Pontificibus collaudatis, & commendatis; id quod videre quiſque poteſt in ipſo veſtibulo harum revelationum, ubi hæ approbationes, unà cum magnorum aliorum virorum doctorum elogijs ſolent apponi.

Nec majori opus erat approbatione ad eum quem Divina Majeſtas in eis ſpectat finem; nempe ut nobis auxilio eſſent ad ſalutem æternam; prout ad eandem nobis inſerviunt ſcripta ac dicta à SS. PP. ſapientiæ ac ſanctitatis pleniſſima: ut & variæ hiſtoriæ fide planè dignæ, etſi non tantâ quanta libri Regum, aut Acta Apoſtolorum. Planè enim inepti eſſet hominis, nihil penitus, præſertim ſi rarum & admirabile appareat, velle pro vero agnoſcere, nisi neceſſitas Divinæ fidei ei imponatur. Ridemus ſic delirantes hæreticos, qui dum per nimiam cautelam nihil quod ſacrâ ſcripturâ non contineatur, volunt recipere, ipſammet ſacram ſcripturam ſibi eripiunt: imò ſic nec ſciunt ſe ritè baptizari, cùm nullibi in ſacra ſcriptura exſtet, hanc, quæ eis ſuperfunditur, eſſe veram aquam, &c.

Quanta autem etiam apud quoſdam Catholicos ſit hoc in genere moroſitas, patet: quia nec approbatio Eccleſiæ eis ſufficit, ſiquidem & revelationes S. Brigittæ aliqui nauſeant: id quod etiam provenire poteſt ab aſpera indole, aut prava conſuetudine, vel denique etiam ex pœna DEI, cujus juſto judicio non datur eis gratia, ut tantos theſauros poſſint ac ſciant in occaſiones cœleſtium meritorum adhibere: planè prout videmus fieri cum indulgentijs, quas quidem aliquas in Eccleſia dari non dubitant, ſed in particulari de ſingulis indulgentijs ſunt qui dubitent: nunc quidem: an Pontifex cauſam ſufficientem habuerit? nunc, an ſufficiant opera præſcripta? nunc, alia & alia examinando, ſempérque certitudinem majorem requirendo, donec vita elabatur, & ipſi nullius indulgentiæ fiant compotes.

Longè aliter ipſimet ſummi Pontifices: apud quos quanta fuerit autoritas revelationum SS. Brigittæ & Catharinæ Senenſis, etiamnum in carne viventium, patebit legere volenti hiſtoriâ Eccleſiaſticam, ubi inveniet, earum præcipuè intuitu ſedem Apoſtolicam Avenione Romam rediiſſe. Inveniet etiam inter reliquas rationes quibus Vrbanus Romæ reſidens, verus fuiſſe Pontifex, adverſarius verò ejus Clemens, ſchiſmaticus, probas, adferri à maximis viris eam, quòd S. Catharina Senenſis ità conſtanter aſſeruiſſet.

§. 2. *Quænam ſint in Eccleſia illæ revelationes; & an in his etiam mirabilis Vita Venerabilis Virginis MARINÆ de Eſcobar.*

ETſi revelationes à DEO privatim hominibus ſanctis in novo Teſtamento factæ, ſint innumerabiles, cùm pauculi ſint ex celebrioribus ſanctis, quibus non legatur Divina Majeſtas fuiſſe locuta: quædam tamen ſunt prolixius annotatæ, quin & in ſpeciales libros

redactæ: de quibus, ut generatim feratur judicium, eæ solæ videntur admittendæ, quæ à doctissimis sapientissimisque simul ac sanctissimis viris diu probatæ, multùm excussæ, demùm plurimùm collaudatæ; ab Episcopis permissæ, ab Ascetis admissæ, ab Ecclesia DEI non reprobatæ sunt.

Antiquissimus ejusmodi libellus est in Bibliotheca Sanctorum Patrum cui titulus: Hortus Pastorum: continens revelationes factas cuidam sancto viro nomine Hermeti, cujus libelli tanta jam olim fuit in Ecclesia æstimatio, ut ejus auctoritate ad tempus Paschati celebrando statuendum uteretur. Exstat & libellus revelationum cujusdam Fratris Raimundi, itémque B. Amædei, aliorùmque virorum; ad quos reduci possunt etiam epistolæ Sancti Francisci de Paula. Sed longè celebriores, quia ad sanctitatem, & tenerrimam erga DEVM pietatem inflammandam longè opportuniores sunt, revelationes sanctarum mulierum, quas inter autoritate eminet, grande volumen S. Brigittæ. Has videntur proximè sequi dialogi cum DEO S. Catharinæ Senensis. Celeberrimæ præterea, atque à Ludovico Blosio, Joanne Lanspergio, aliisque Sanctis æquè ac eruditissimis viris laudatissimæ sunt, revelationes Beatarum Gertrudis, atque Mechtildis, quas etiam P. Ludovicus de Ponte, unà cum prædictis, ac cum Revelationibus S. Theresiæ, tanquam primarias, & notissimas, ac indubitatas, in sua Introductione commemorat. His accedant revelationes & epistolæ S. Hildegardis, itémque revelationes S. Elisabeth. Præterea vita B. Angelæ de Fulginio, viduæ, & vita S. Magdalenæ de Pazzis; itémque vita S. Franciscæ Romanæ, Viduæ, necnon B. Mariæ Oegniacensis itidem viduæ; ac vitæ sanctarum Virginum Ludgardis & Lidwinæ:

Post has omnes voluit Divina Majestas sponsæ suæ Ecclesiæ veluti pro novo cimelio in ornatum mittere & has, de quibus agimus, admirabiles revelationes Venerabilis Virginis MARINÆ de Escobar, idque ob eas quas P. Ludovicus de Ponte in sua Introductione refert, rationes; quæ etsi nondum ab Ecclesia eam certitudinem, quam S. Brigittæ, aut S. Catharinæ Senensis, vel S. Teresiæ acceperint, ob quasdam tamen circumstantias peculiares, majorem etiam præ multis alijs merentur fidem.

Et in primis ob peculiarem Divinæ Providentiæ dispositionem, quòd tales ac tantos huic suæ famulæ dederit spiritûs directores, ac revelationum harum examinatores ac conscriptores, idque ex duobus doctrinæ laude in Ecclesia præcipuis Religiosis ordinibus, nempe Prædicatorum & Societatis JESV, ex qua, post alios quatuor pios & graves viros, fuit quintus ejus Confessarius P. Petrus de Leon, vir doctissimus, & pijssimus: qui non contentus omnem adhibere diligentiam in revelationibus, quæ tunc huic venerabili Virgini accidebant, excutiendis; insuper consulebat alios Patres in domo Professorum Societatis JESU, Vallisoleti, eisque ad plures dies trutinanda dabat, quæ jussu ejus ipsamet venerabilis Virgo conscripserat: qui demum, suo, & omnium consensu, omnia secura & verè Divina esse agnovit. Huic successit incomparabilis ille vir à sanctitate, & doctrinæ Ascticæ excellentia orbi notus, P. Ludovicus de Ponte, Theologiæ Doctor, ejusdémque per aliquot annos Professor, ac deinde supremus Vallisoleti studiorum Præses; qui ob suos libros tenerrimà pietate simul, ac exquisitâ Theologiæ Mysticæ cognitione plenos, sæculi sui Bernardus à viris præclaris appellatur. Hic ergo vir à Spiritu Sancto tam illustratus, totos 30. annos Venerabili huic Virgini à Confessionibus, toto eo tempore in examen eorum, quæ divinitus tunc cum illa fiebant, intentus, non solùm ea tanquam verissima, & nulli illusioni aut fraudi permixta agnovit, nec solùm ea magno labore conscripsit ac digessit; verùm etiam præcipuam partem futuræ suæ in cœlis gloriæ ob hunc librum speravit, adeò ut cùm divinitus horam mortis suæ præsciviſſet, perrexerit usque ad pauculas ante mortem horas, nempe ad ipsum quodammodo lethalem agonem, ac ultimarum virium defectum, hæc ipsa venerabilis Virginis MARINÆ, tunc adhuc viventis, gesta, ac narrata ordinare, & annotare; quasi nullam aliam putaret se posse pro felici morte obeunda præparationem DEO acceptiorem adhibere. Et verò quàm vir ille fuerit sibi ipse de sufficienti quoad hæc dignoscenda peritia conscius, patet ex admirabili illo casu quem ipsemet refert in Vita Ven. Virginis MARINÆ f. 1. c. 19. §. 2. Quòd cum existente aulà Regis Hispaniarum Vallisoleti, fuissent Venerabilem Virginem aliqui Angeli allocuti, ut quasdam personas faceret ad quædam publica officia promoveri, eò quòd id esset è gloria Divina futurum; ipsáque id P. Ludovico Confessario suo exposuisset; noluerit ipse consentire, ob certas & graves rationes. Cúmque iterum iidem Angeli apud Virginem pro eodem negotio instarent, asserentes nihil eorum quæ P. Ludovicus metueret, eventurum, nihilominus ipse in sententia perstiterit, judicium suum judicio Angelorum præferendo. Et tamen hic tantus vir, quantopere suspexerit Venerabilem Virginem

ginem MARINAM, patere potest ex l. 2. c. 25. ubi sic loquitur: *Revelationes ac visiones recensebimus de modo quo reipsa & verè Christus Dominus existit in Sacramento, quas mihi enarravit dedítque scriptas dum docerem Theologiam Anno 1595. in nostro Collegio Vallisoletano. Docebam autem tunc materiam de Eucharistia, atque hoc punctum de transsubstantiatione. Referebat mihi id talibus verbis & cordis affectibus, ut obstupescens conferendo meas tenebras cum tanta luce: dicerem Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & revelâsti ea parvulis. Ità Pater quoniam sic placitum fuit ante te.*

Hujus tanti viri vices quandoque Frater ejus germanus P. Andreas de Ponte, Ordinis Prædicatorum, vir itidem virtutis ac doctrinæ eximiæ, supplebat, in confessionibus & revelationibus excipiendis: qui & ipse maximi has revelationes faciebat, prout de eo narrat P. Ludovicus. Sed & alijs quibusdam præclaris ex S. Dominici familia viris nonnunquam confitebatur, ac cœlestia hæc secreta manifestabat. prout videre est l. 1. c. 32.

Alterum argumentum certissimæ harum revelationum veritatis est vita ipsa Ven. Virginis MARINÆ, sanctitate & omnis generis virtutibus heroicis fulgentissima; de quo cùm P. Ludovicus de Ponte in sua introductione præclarè disserat, non est, cur hîc ampliùs exaggeretur.

Tertium argumentum itidem à. P. Ludovico inductum, est ipsa excellentia harum revelationum undique divinum quid spirantium. Tanta profectò tamque sublimia in eis traduntur ad virtutes altissimas, ad discretionem spirituum, ad gubernationem animarum pertinentia lumina, & documenta, ut omnes mundi Doctores, sinè speciali ac extraordinariè sublimi spiritûs Sancti illuminatione, nullo modo, solo lumine naturali scientiarum, tale quid excogitare, multóque minùs omnes hæretici aut quicunque impostores, quocunque etiam malignorum spirituum auxilio confingere possint. Videatur vel solus liber 5. à c. 22. ubi ex professo tractat doctrinam altissimarum virtutum, & gubernationis animarum.

Quartum argumentum est à valde specialibus circumstantijs, temporis & loci, alijsque in quibus hæ revelationes acciderunt. Sciendum namque est, Virginem hanc in ea tempora incidisse, in quibus universa Hispania fuit gravissimè adversùs mulierum revelationes exulcerata, eò quòd paulò antè non modò populus, verùm & viri ex omni statu summi, ipsique scientiarum & Academiarum, quin & Ecclesiæ pariter ac aulæ Regiæ togâ sagóque principes, à muliercula quadam dæmoni devota Ulyssipone, pudendam planè passi fuissent impostura, tam acerbo sensu doloris, ut is etiam putetur viro cuidam magno vitam extorsisse, qui tam propudiosæ suæ illusionis verecundiam non potuerit sustinere. Cùm ergo ad ea ipsa tempora Ven. Virginis MARINÆ revelationes cœperint propalari, necesse est omnem odiorum ac acerbissimarum linguarum procellam in eam fuisse conversam, ut omnia ejus gesta dictáve, ac omnes visiones essent omnibus suspectissimæ, atque in earum omnium reprobationem, quin & detestationem, propenderent universi. Et tamen postquam & in conspectu tribunalium & Inquisitionis, & in præsentia ipsorummet sapientissimorum Regum, totiúsque Aulæ Regalis, & in oculis Universitatum; verbo, in luce totius Hispaniæ revelationes hæ fuissent facilè 40. annis, continuatæ, divulgatæ, trutinatæ, exagitatæ, uno quodammodo ore omnium tam sæcularium quàm Religiosorum Doctorum, Inquisitorum, Episcoporum, Universitatum, sunt pro sanctis & cœlestibus agnitæ, collaudatæ, proclamatæ: adeò ut in quadam post ejus mortem concione nonnemo Ecclesiastes, vel hinc eam verè sanctam, verè à DEO Divinis revelationibus honoratam, cum plausu Auditorum probaverit, *quia in hoc*, inquit, *consentiunt etiam illi ordines Religiosi, qui alioquin ubi ubi possunt, solent, & quasi conantur, dissentire.*

Quintum argumentum est ab ingenti hujus etiamnum viventis Virginis apud summos viros æstimatione & autoritate. Societatis nostræ Præpositus Generalis P. Claudius Aquaviva, vir inter suæ ætatis sapientissimos meritò recensendus, ejus apud DEUM precibus statum Societatis universæ commendavit. Patres Hispaniæ Visitatores ex eadem Societate in rebus difficilibus ad ejus apud DEUM opem, quin & ad ejus consilia, & divinitus reddenda responsa recurrebant. Ipsa Regi Hispaniarum Philippo Tertio binas DEI jussu misit epistolas, de negotio Immaculatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis DEIparæ: ut & ad P. Dominicum Pimentellum Provincialem Hispaniæ Ordinis Prædicatorum. Quin ex eodem divino jussu scripsit hac de re ad ipsummet Reverendissimum ejus ordinis Generalem, bono, prout ipsa divinitus intellexit, successu. Ejus præcipuè intuitu imposita est Concionatoribus per Hispanias lex, nè sermonem ad populum incipiant, nisi priùs laudem Immaculatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis MARIÆ pronuntient. Ipsa instruebat suos proprios Confessarios, ipsúmque P. Ludovicum de Ponte

)*( )*(quomodo

quomodo regendæ essent animæ, & spiritus discernendi. Instruebat etiam Præsides ac superiores Religiosorum de modo suos subditos ad DEI beneplacitum gubernandi, prout videre est l. 5. ac specialiter in epistola ad Provincialem Hispaniæ Ordinis Prædicatorum. An. 1599. ibidem c. 31. relata. Denique apud ipsum supremum Ecclesiæ caput, operà ejus, effectum est, ut in Ecclesiasticos fastos referretur solemnis memoria S. Joachimi Patris SSæ Virginis; ob quam ab ea navatam operam S. Anna gratias ei coràm spectabilis retulit, & in universam Ecclesiam ingentia pacis bona sunt consecuta divinitus, prout habetur l. 4. c. 8.

Non erit etiam superfluum apponere sensum P. Roderici de Arriaga, viri à Theologicis suis tomis per orbem clari, quem sæpissime ipsemet audivi magnificè de venerabili Virgine MARINA ità loquentem, ut Pragensi in Collegio nostro passim diceretur, quàm primùm fieret mentio venerabilis MARINÆ, mox P. Arriagam fieri tam eloquentem, ut nullum finem eam laudandi inveniret; Dicebat ipse inter cætera se coram illa sacrum sæpius celebrâsse in ejus cubiculo, eiq; venerabile Sacramentum porrexisse, quo sumpto ipsa singulis vicibus per dimidiam horam formosissimæ puellæ vultu apparuisset, tametsi alioquin reliquo tempore esset rugosa jam vetula. In illo etiam cubiculo, tametsi omnes fenestræ essent occlusæ & obmuratæ, (eò quòd ob oculorum vitium lucem non posset sustinere,) adeoq; valde tenebricoso, semper tamen ajebat auram fuisse similem illi quæ in vere sentiri solet in quopiam amœno prato.

Sextum argumentum est ab eximijs fructibus, quos hæc venerabilis Virgo ad gloriam DEI protulit, quos quidem infrà seorsim recensebo, unicum nunc commemorare contentus, quòd ipsa sit Fundatrix Ordinis Virginum S. Brigittæ quem in Regna Hispaniæ induxit, novâsque ei regulas, DEI monitu, nationi Hispanicæ accommodatas præscripsit prout legere est. lib. 5. c. 20.

§. 3. *Quare DEUS in his revelationibus utatur tantis erga suos blanditijs.*

QUemadmodum reliqua sua omnia attributa vult Divina Majestas suis creaturis innotescere, ità vult quoque eis innotescere, sui amoris omni in genere perfectionem infinitam. Cùm ergo ea quæ in amore gubernatoris erga suos subditos, in amore parentis erga filios, in amore pastoris erga suas oves; in amore Fratris erga suum Fratrem, in amore Magistri erga suos discipulos, in amore Domini erga suos servos, quin & in amore Filij erga suum Patrem & Matrem, cùm inquam omnem eam quæ in his amoribus relucet, perfectionem, in vario suo erga creaturas amore, longè eminentissimo modo contineri, diversis ac multis jam ab Orbe condito modis manifestâsset; necesse etiam erat ut aliquando ostenderet bonum illud, quod in amore blando, qualis præcipuè est inter matrem ac proles parvulas, inter gerulam vel nutricem ac ejus lactentem, inter sponsum & sponsam, Amori suo non deesse: cùm ipse revera non solùm noster Dominus sit & Magister, sed etiam Pater & Mater, & nutrix, & gerula, & sponsus animarum nostrarum, nec in attributo amoris blandi minor, quàm in ullo alio attributo.

Manifestum est ergo, debuisse in mundo exstare non minora, nec minùs omnem nostrum captum excedentia miracula blanditiarum DEI erga Creaturas, quàm exstent miracula sapientiæ, Omnipotentiæ, Justitiæ, Misericordiæ. Manifestum præterea est, longè magìs novo quàm veteri testamento has blanditias convenire, utpote cùm vetus lex timoris fuerit & severitatis, nova verò sit lex gratiæ. Imò verò hæ tantæ à DEO blanditiæ sunt unum ex præcipuis signis veræ Ecclesiæ longè super veterem synagogam elevatæ, adeò, ut nisì cœlestes hæ blanditiæ nunc invenirentur, videretur DEUS Prophetas suos fefellisse, per quos pridem prædixerat, & specialissimè in libro Canticorum explicuerat, quantis erga sponsam suam Ecclesiam esset quondam blanditijs usurus; quas quidem qui ibi legit, non potest quin obstupescat illum excessum, qualem in nullo terreno sponso ulla unquam ætas vidit: quia videlicet DEUS prout in omni genere entis, ità & in ratione blandi amoris omnem possibilem creaturam in infinitum excedit. Indè est quòd in illo divino epithalamio tam exoticæ, ac planè obstupescendæ inveniantur similitudines & comparationes; ad eum modum quo nimis ardentibus amasijs, dum in suo æstu amoris hærent, nulla metaphora, nulla hyperbole satìs est, ad declarandum suum erga dilectam tenerrimum amorem. Cùm ergo harum omnium in veteri testamento prænunciatarum blanditiarum copia debeat in Ecclesia DEI apparere, juxta illud Esaiæ 66. v. 12. *ad ubera portabimini, & super genua blandientur vobis*

vobis, quomodo si cui Mater blandiatur, ità ego consolabor vos: planè necesse est, ut eas aliquibus in novo Testamento exhiberi palàm innotescat. Quod profectò quisquis consideraverit, mirari desinet, quascunque in revelationibus Sanctarum legerit cœlestes blanditias, cùm & omnes non excedant eas, quæ in Canticis sunt prædictæ. Quod si quibus blanditiæ hæ adhuc displicent, quantò magis displiceret, si legerent D. DEum ità Virginem quampiam sanctam adamavisse, ità ei blanditum esse, ut diceret; *O quam pulchra es Amica mea! tota pulchra es! oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, nasus tuus sicut turris Libani, guttur tuum sicut vinum optimum;* & his similia quibus se sponsus cœlestis quodammodo defatigat, ut blandissimum suum erga animas nostras affectum satis declaret. Nimirum hæc sunt, de quibus diceret S. Augustinus; *Da amantem & intelliget quid dico:* quia quæ ex corde frigido prolata, essent inepta, ea suum habent decus, quando ex corde affectibus inflammato procedunt. Neque enim ille magnopere amat, qui adhuc vulgaria & consueta loquitur, ità ut appareat eum omnia verba præmeditari: in tali enim necdum affectus dominatur; at qui amore totus incenditur, ille ea loquitur, quæ non debent ad rigorem ordinarium prudentiæ, & ad libellam omnia cautissimè perpendentis rationis, examinari: alioquin nunquam dixisset S. Augustinus: (quod passim dixisse fertur:) *O DEUS! Si ego essem DEUS, & tu esses Augustinus, mallem ego esse Augustinus, ut tu esses DEUS!* nunquam sancti se dæmonibus omnibus pejores reputarent; nunquam ad tam mira obsequia cæcæ obedientiæ intellectum submitterent: quæ quisquis frigidus ipse consideraverit, aut solum intellectum, non verò affectum respexerit; nunquam ut approbet inducetur. Sapiens est illud effatum; amorem ad ea quæ facere non potest aspirare: amorem excessibus vivere: amorem esse cæcum: ut nolit ab oculis intellectûs terminos sibi statui; sed eò evolat, quò intellectus sibi relictus non præiret: ità ut extra impetum amoris facta, notam imprudentiæ non evaderent; quæ tamen in æstu decori ac honesti amoris facta, decent, ac placent: imò nisi fierent, amor non esset vehemens, nec dilecto innotesceret. Huc pertinuit illud Agesilai Regis cum suis filiolis in arundine equitantis, responsum: *nescitis, quid sit esse Patrem.* Quin & hinc ortum habuit ipsa Christi Domini pro nobis mors & passio, verè excessus Amoris. Unde B. Jacoponus, cùm ei sese amore CHRISTI Domini in cloaca volutanti CHRISTUS Dominus conspicuus, utrùm stultizaret exprobrâsset, opportunè respondit: *Tu potiùs, ò Domine, tu magis stultizâsti, quando amore mei, tam miseri hominis, patibulum inter duos latrones ascendisti.* Et propterea ipsemet Christus Dominus Ven. Virgini Marinæ ad tantos favores attonitæ Anno 1617. 20. Maij prout scribitur l. 2. c. 21. §. 4. dixit: *Noli obstupescere, me hoc facere, propter unicam animam. Scis enim, ac fide credis, majora, quæ pro omnium salute feci: & si opus esset facerem pro una illarum.* Aliàs, prout habetur l. 1. c. 3. §. 3. dicenti quòd tanta vix legantur contigisse Sanctis, respondit: *ergòne mea potentia est alligata solùm ad id quod feci?* iterum aliàs objicienti: *Domine, quis unquam credet tantas ac tam mirabiles gratias?* reposuit: *quare non crederentur? nònne fuit magis mirum, quòd sim factus homo propter homines, & tantum illorum causâ fuerim passus, quòdque vobiscum manserim in Sacramento altaris?* Item cùm eam in lecto decumbentem vellet proprijs manibus sublevare, ipsâque huic dignationi valde reluctaretur, dixit: *Adverte, quid est plùs, an quòd hoc tibi faciam, quòd me juvante consurgas, an verò, quòd maneam in sanctissimo Sacramento, ut me sumant ij, quos ego amo, propter quos etiam sumor à tot malis Sacerdotibus, & secularibus?*

Et revera si Evangelium perpendamus, & in eo CHRISTUM Dominum ad pedes Judæ prostratum, à dæmone ad montem deportatum, à Judæis consputum, colaphizatum, denudatum, irrisum, flagellatum, in patibulo suspensum consideremus; evanescet omnis illa nostra opinio, quâ dignationes Sanctis in Ecclesia exhibitas, DEUM dedecere arbitramur, aut nè pariant contemptum, veremur. Cessabit & illa nimia admiratio, quòd in his Sancti se reciprocè erga DEUM tam blandè gerant, & tam mira mutuæ confidentiæ exhibeant specimina: neque enim sinè his satisfieret blandi amoris perfectioni. Quanquam etiam extra similes revelationes, multi Sancti blandissimè cum DEO egerunt, ut patet in meditationibus SS. Augustini & Anselmi, in jubilo S. Bernardi; & vel maximè in illis cantilenis ac ritibus quos Ecclesia in festis Natalitijs erga Christum Dominum adhibet, ubi Christum Dominum in cunis agitari, Angelos ad pulmentum coquendum damnari planè non ferrent, aut cachinnis exciperent illi, quibus blanditiæ illæ in revelationibus sanctarum, tam vicinæ fabulis anilibus aut Comœdijs videntur.

Specimina nimirum quædam & præludia hæc sunt futuræ quondam in cœlis cum DEO familiaritatis, ubi Christus Dominus *transiens ministrabit suis*, cujus etiamnum *deliciæ sunt*

esse cum filijs hominum. Qui si amore nostri victus, nostra non est dedignatus assumere tædia & tristitias; cur & nostras blanditias dedignaretur? qui nos redemit sanguine, dedignabitur suas electas animas sibi annulis desponsare, torquibus, floribus, monilibus exornare, varijs vestimentis condecorare? satis id profectò testantur ea quæ in Breviario Romano, S. Agnes ab hoc suo cœlesti sponso deliciosè sibi, haud dubiè in aliqua visione, contigisse enarrat: *mel & lac ex ejus ore suscepi, & sanguis ejus ornavit genas meas. Dextram meam & collum meum cinxit lapidibus pretiosis. Tradidit auribus meis inæstimabiles margaritas. Circumdedit me vernantibus atque coruscantibus gemmis. Ejus mihi organa modulatis vocibus cantant. Annulo fidei suæ subarrhavit me; Induit me cyclade auro textâ, & tanquam sponsam decoravit me coronâ. Ostendit mihi thesauros incomparabiles quos mihi se daturum repromisit.* Quibus quidem simillima in vita Ven. Virginis Marinæ passim reperiuntur.

Denique si dæmon ipse tam promptus quandoque suis adest, eisque se exhibet familiarem, dubitarine potest quin infinities propensior sit ac paratior ad omnem DEUS nobiscum familiaritatem. Neque enim dæmon id ipsum ullo nostri amore, sed solùm quâdam affectatione imitationis DEI facere putandus est, prout in rebus omnibus simiam Divinitatis agere affectat.

§. 4. *Quare eiusmodi Revelationes mulieribus potiùs præstentur, quàm viris?*

NEgo inprimis certò constare pluráne DEUS mulieribus quàm viris revelet, præsertim cùm revelationes non sint unius generis; prout habemus ex D. Thoma 2 2. q.174.a. 2. & 3. ubi docet excellentissimum modum prophetiæ ac revelationum, quique à solo Deo (q.172. a.5. ad 2.) non verò à dæmone præstari possit, esse eum per quem aliqua supernaturalis veritas conspicitur secundùm intellectualem veritatem, non per similitudinem corporalium rerum secundùm imaginariam visionem, adeóque non per phantasiam: atqui ea quæ nullo modo subsunt phantasiæ, non sunt enarrabilia, aut certè non possunt proprijs verbis explicari; sed solùm per quasdam planè ineptas, improportionatas, & insufficientes similitudines: prout videre est in revelationibus B. Angelæ de Fulginio l. 1. ubi frustrà laborat, quin & ejus Confessarius, in explicando debitè quidnam viderit, quando quâdam vice certo quodam modo DEum se vidisse narrat. Patet hoc in Apocalypsi S. Joannis, ubi plurima sunt ideo obscurissima, quia per similitudines imaginarias, seu tales, quales phantasia nostra potest capere, explicantur, & indicantur profunda mysteria non imaginabilia, sed solùm intelligibilia. Ità in vita Ven. Virg. Marinæ l.3. c.1.8.1. valde est admirabilis visio, ubi post alia dicit Ven. Virgo, *quale sit hoc secretum admirabile nec suppetunt verba, neq; reperitur ullus creatus intellectus qui possit sufficienter declarare. DEUS det, cui voluerit, ut id experiatur, & agnoscet ità esse.* Cùm autem sæpius ibi Ven. Virgo utatur similitudine maris & littoris, subdit: *voco autem littus, egressum ex hac immensitate; non quòd ibi viderim mare vel littus, aut aliam speciem corpoream.* Deinde §. 4. jussit eam DEUS conscribere quomodo anima in Divinam caliginem absorpta se habeat, & quòd tunc loquatur, *eâ phrasi, ac sensu, quo illic agitur.* Ex quibus apparet quòd illa non sint nobis satis exprimibilia. Et propterea tales ità ad solum intellectum pertinentes revelationes, sunt alijs hominibus, præter eos quibus fiunt, ferè inutiles, eò quòd non possint enarrari, ità ut etiamsi in libros referantur, vix ab ullo intelligantur. Sunt tamen eâtenus utiles, quâtenus videndo tanta & tam imperceptibilia dona à DEO Sanctis præstari, excitemur ad sincerum ejus Majestati præstandum obsequium. Insuper Sanctus ille qui revelationibus illis intellectum habet tam illuminatum, redditur valde aptus ad præclarissima tradenda documenta, quibus in sanctitate, & omni spirituali necessitate diriguntur. Cùm ergo viri sancti præ sanctis mulieribus excelluerint in gubernanda Ecclesia, atque in omnigena dirigendi spiritus doctrina, facilè credi potest eos quàm plurimas merè intellectuales habuisse revelationes, quas tamen ideo litterjs non tradiderint, quia nec satis exprimere potuerunt, nec sperârunt se satis ab alijs intellectum iri.

Sed quod revelátiones phantasiæ operâ peractas attinet, videntur sanctis mulieribus frequentiores accidisse, cùm longè plures sint conscriptæ. Quod quidem mirum non est, cùm Philosophi nôrint, fœminas in imaginatrice vi præcellere. Sciunt autem Theologi quòd gratia Divina naturæ se accommodet, ità ut in Angelis operetur ad quandam correspondentiam, & quasi proportionem naturæ Angelicæ; in hominibus verò accommodet se naturæ humanæ. Deinde in viris fit modo quodam virili, in fœminis fœmineo; sicut in

Amos

Amos Propheta pastoritium quid apparet, quandò è contrario Danielis Prophetia undique aulam, & quiddam regale spirat. Hinc fœminis non datur spiritus Apostolicus, ad percurrendas gentium provincias, nec ad concionandum, aut hierarchiam Ecclesiæ gubernandam; ut proinde mirum non sit, quòd vicissim detur eis, præ viris, abundantia spiritûs precum, & orationis ac tenerrimæ devotionis.

Jam ergo clara est ratio cur erga sanctas mulieres tantis divina Majestas dignetur uti blanditijs, quia videlicet, cùm juxta suam sanctissimam voluntatem, quod in Canticis Canticorum pronuntiare dignatus est, statuerit omnino Ecclesiæ manifestare infinitatem sui tenerrimi amoris & attributi divinarum blanditiarum, ubi quæso aptiùs blanditias illas exeret, quàm erga sexum planè ad blanditias natum? aut erga quem aptiùs assumet personam sponsi quàm erga sanctas Virgines? Ipsamet hoc agnoscit Ecclesia, dum sanctimoniales specialiter ornat titulo sponsarum Christi.

Et verò in hac vita satisfaciendum est etiam phantasiæ, cui nunquam persuadebitur, blanditias inter duos graves viros, aptè adhiberi: ità ut alter alterum compellet: *columba mea: aurora mea: ecce tu pulchra es:* cùm ergo sciamus Christum Dominum esse virum, DEum verò ipsum semper etiam sub sexu virili; imò sub figura viri grandævi concipiamus; planè phantasiæ nostræ non satisfieret, si inter eum & virum quempiam sanctum, tenerrimas illas Canticorum blanditias mutuò in quapiam visione intercessisse audiremus. Siquidem hos verba potiùs gravitatis plena & autoritatem spirantia decere arbitramur. Non diffitemur tamen posse à viro quocunque etiam gravissimo blanditias & verba teneritudinem redolentia non ineptè adhiberi erga suam sponsam, aut etiam erga tenerum quempiam suum filiolum, vel quemvis alium puellum.

Et propterea ut nobis se divina Majestas etiam in hoc accommodet, si quando ejusmodi blanditijs vult sanctos viros dignari, tunc eis se Christus Dominus in specie infantis aut pueruli exhibet, ut detur reciprocæ teneritudini locus. Quin & illud animadversum est, quòd ipsa SS. Virgo Deipara potiùs fuerit solita cum ijs conversari, eò quòd sic in persona vel Matris, vel Sponsæ potuerit cum eis agere blandissimè. Hinc quoque ortum est, ut Christus Dominus nunquam legatur sibi annulo desponsàsse in sponsum vel sponsam ullum sanctum virum; sed bene permultas virgines; quando è contra S S. Virgo Mater D E I, nullam sibi desponsavit sanctam, sed sanctos, ut S. Edmundum. Quod si quando DEus velit sibi virum desponsare, assumit personam fœmineam Misericordiæ vel Sapientiæ, &c. prout factum est erga S. Joannem Eleemosynarium, B. Laurentium Justinianum, Henricum Amandum Susonem, &c.

His sic stabilitis nihilominus ipsamet divina Majestas adhuc aliam causam assignare dignata est, dum S. Theresiæ, cur sibi miserculæ fœminæ, & non potiùs primarijs Academiarum Doctoribus, tam familiariter colloqueretur, interroganti, respondit: Doctoribus illis non vacare propter tot quos perlegendos assumunt libros. Ex quo divino responso profectò apparet, ipsosmet viros sibi obstare, utpote alijs nimis intentos; quando interea sexus fœmineus præcipuâ curâ soli DEO attendit. Accedit quòd ex divinis habeamus litteris cum simplicibus esse DEI sermocinationem. Mirum ergo non est, quòd non solùm mulieribus præ viris, sed etiam idiotis præ eruditis talia mysteria innotescant; adeò ut etiam voluerit DEus quandoque per fœminas innotescere quædam, quæ universam Ecclesiam concernebant, quale fuit & illud, quòd per S. Luciam Virginem Martyrem Syracusanam revelaverit finem imminere immanissimæ illius à Diocletiano excitatæ persecutionis. Sic S. Franciscus Xaverius ex studijs, quibus in Parisiensi Academia vacabat, fuisset avocatus, & consequenter Jndiæ hoc Apostolo caruissent, nisi sorori ejus, quantus esset in vinea Domini operarius futurus, fuisset divinitus indicatum. Sic Societas J E S U, per Jgnatium tanto fructu in Ecclesia D E I erigenda, fuit priùs ab aliquot sanctis mulieribus prævisa, & ab eis prænuntiata.

§. 5. *Quomodo fiant cœlestes hæ revelationes.*

TRiplex est à S. Thoma 22. q. 173. a. 3. modus descriptus. Primus quando ipsis sensibus exterioribus aliquid percipitur; prout Danieli apparuit manus scribens in pariete, & sæpius voces variæ sunt auditæ. Secundus, quando solâ imaginatione aliquid percipitur; prout fit per somnia, & prout sunt pleræque omnes quas descriptas habemus revelatines plenæ corporeis, quas phantasia percipit, similitudinibus. Tertius, quando per solas species intelligibiles soli menti & intellectui aliquid imprimitur prout factum

est Salo-

est Salomoni & Apostolis: de quo jam diximus §. præcedenti. Primus autem modus est facilis & cognitioni obvius. Medius ille habet difficultatem. Fit ergo ille prout docet S. Thomas 22. q. 172. a. 2. c. vel per novas species imaginarias phantasiæ impressas (prout fieret si alicui cæco nato divinitus imprimerentur in imaginatione species colorum) vel per hoc, quòd species jam antea per sensus acceptæ, divinitus ordinentur & transmutentur diversi modè in ordine ad id quod est ab anima illa intelligendum. Sicut enim ex diversa ordinatione earundem litterarum, accipiuntur diversi intellectus; ità etiam secundùm diversam dispositionem phantasmatum resultant in intellectu diversæ species intelligibiles. Hoc autem potest utrumque fieri tam in vigilia quàm in somno.

Hinc jam facilè solvitur, ea, quam quidam objiciunt, difficultas, quòd videlicet hæ Sanctorum revelationes videantur somnijs simillimæ, atque ideo appareant ridiculæ: nam reipsâ verè aliquando fiunt in somno, prout contigit SS. Patriarchis Jacobo, & Josepho: & alias semper fiunt modo somnijs non dissimili, prout loco citato insinuat princeps Theologorum. Unde etiam iste modus est obnoxius illusionibus dæmonum, potéstque etiam ex morbis contingere: adeoque indiget accurato examine, ut spiritus divinus à spurio discernatur.

Est tamen modus iste in hoc præ alijs utilis, quòd talis revelatio possit facilè per modum historiæ litteris tradi, prout in seipsa gesta est; tametsi sæpe lateant profundiora mysteria, prout patet in Apocalypsi S. Joannis, quæ quidem videtur magna parte facta in imaginatione, & modo quodam somnijs non planè absimili.

Neque tamen dubitandum est, quin sæpe interveniat modus ille primus, quo revera sensibus externis ea ex quibus constat revelatio, percipiuntur; prout cum Ven. Virgine MARINA sæpius contigisse certum est.

Sed præcipua restat difficultas, num Sancti reipsâ verè corpore adsint ibi, ubi aliqua percipiunt: ut quando Ven. MARINA toties narrat se fuisse in cœlo, atque in diversis terrarum Provincijs, aut templis, vel domicilijs, &c. Habet hanc difficultatem S. Doctor 22. q. 175. a. 6. ubi tractat locum S. Pauli 2. ad Cor. 12. *sive in corpore, sive extra corpus, nescio, DEUS scit.* & respondet, non posse hanc quæstionem satis determinari, cùm ipsemet S. Paulus hæc ignoraverit. Unde meritò nec à me, nec ab ullo in carne, peti debet, ut quæstionem hanc planè decidamus.

Quod tamen Ven. Virginem MARINAM specialiter attinet, fuit ipsa sæpissime unà cum corpore ad diversa loca translata, cùm ipsamet id expressè sæpius asserat; & intra ipsum cubiculum ordinariè, etiam spectantibus hominibus, solita sit Angelorum ministerio levari ex lecto, prout ejus necessitas corporalis exigebat. Sed an etiam in cœlum fuerit aliquando cum corpore translata, nec ipsa satis exprimere mihi videtur, nec aliunde colligere potui, cùm nullibi declaretur an corpus ejus tunc, & quidem quandoque per plures dies, à lecto abesse fuerit animadversum.

Qui plura de modo revelationum & raptuum scire volet, legat S. Thomam 22. q. 171. usque ad 175. inclusivè.

Neque tamen dissimulare volo in hac Ven. Virginis MARINÆ vita esse quid hoc in puncto præ alijs revelationibus admirabile, prout præter loca alia, habetur etiam l. 3. c. 13. & 14. ubi Christus Dominus animam ejus ex cœlo ad eam detulit, tanquam quid ab ea distinctum, dixitque eam esse partem superiorem animæ. Sed planè stupendum est quod habetur c. 14. §. 3. quomodo superior pars animæ habitans in cœlis salutaverit adventem ad cœlum partem inferiorem ejusdem animæ & §. 4. Cùm pars inferior rediret in terras, pars superior remansit in cœlo. Deinde §. 5. putat ipsamet Ven. MARINA fuisse in cœlis conjunctas, suam animam & suam naturam, seu suam partem superiorem & inferiorem. Quæ omnia puto esse emblematicè intelligenda, ut exprimatur, quomodo cogitationibus & corde possimus per divinam potentiam ita DEO inhærere, ut tamen his inferioribus naturæ operationibus tunc etiam adhuc sufficiamus: sed tamen facilè admiserim me non esse sufficientem ad tantas DEI gratias explanandas, cùm hæc sit Gloria DEI, ut omnem nostram capacitatem opera ejus excedant.

§. 6. *Qui sint apti ad legendum cum fructu tales revelationes.*

UT suus his cœlestibus revelationibus fructus constet, advertendum est, non pro omnibus vulgari, cùm non desint quidam ita dispositi, ut noxiæ potiùs eis essent futuræ quàm saluta-

ſalutares: prout nec ſacræ Scripturæ promiſcua lectio omnibus expedit, adeò ut nec in Religioſorum triclinijs ſuper menſam omnia, quæ in ea continentur, prælegantur.

Inprimis ergo non porrigendæ hæ revelationes hæreticis juxta divinum Chriſti Domini monitum: *nolite Sanctum dare canibus*: Ipſi enim hæc pretioſiſſima Catholicæ Eccleſiæ cimelia fædiſſimè diſcerperent, conculcarent, & ſcurrilibus ſuis dicterijs ac ſannis (prout à Patriarcha ſuo Martino exemplum acceperunt) defædarent, cùm nec ipſi ſacræ ſcripturæ, ac inprimis ſacratiſſimo illi cœleſtis ſponſæ in Canticis epithalamio parcant; ſed illud in profanis ſuis nuptijs carnalibus ſuis delicijs adaptent, ac pro incitamento ſuæ libidinis adhibeant. Nihil eis ocourrere poteſt quàm caro, quàm cœnum, quàm fætor; quem in colloquijs, in picturis, in libris exhalant. Lutheri fuit ſpiritus omnia negare; ut hodièq; Lutheranismus præcipuè fundetur ſuper hanc maximam: *plùs poteſt unus ſtultus negare, quàm centum ſapientes probare.* Et propterea Lutherani poſt quantamcunque demum diſputationem, evidentem probationem, & clariſſimam demonſtrationem, ſemper adhuc obſtinatè, planè quaſi ad tantam lucem cæci, clamant, & ingeminant, ſibi denique non videri. Mirabile autem eſt, quòd cùm eò ſint imprudentiæ progreſſi, ut in rebus ad ſalutem æternam ſpectantibus eis perſuadendis, nulla eis teſtimonia, nulla ſigna credibilitatis ſufficiant, adeò ut pro libidine ſua quem volunt librum pro Canonico ſuſcipiant, quem nolunt repudient, & ex ſacra ſcriptura expungant: fabulis tamen & anilibus nugis facillimè credant, prout & Kalendaria eorum perpetuò ſunt plena futilibus quibusdam narrationibus, de novis prodigijs & portentis, quæ etiam, quaſi ad terrorem populi, per compita decantant, typis evulgant, nec de his ſinè nota imprudentiæ putant licitum dubitare. Juſto DEI ſupplicio in eos, qui ſui Martini ſordes auſi ſunt Eccleſiæ & omnibus SS. Patribus anteferre.

Sed dicet quis, potiùs ergo tales revelationes non eſſent typis vulgandæ, nè in ſcurriles hæreticorum manus incidant; at, ſic omnes etiam Monachorum ordines, eorúmque veſtes, omnes item cæremoniæ ac libri rituales, plurimorum item Sanctorum Vitæ, aliáque innumera eſſent abroganda, quia hæretici ſuæ ſibi inde faciunt materiam ſcurrilitatis.

Secundò, non ſunt ad harum revelationum lectionem admittendi homines ſceleribus, præſertim carnalibus, penitus immerſi, *nè margaritæ proijciantur ante porcos.* Siquidem & his non minùs quàm Lutheranis mox ſe ingerit caro, & omnia hæc cœleſtium blanditiarum ſpecimina eis obnubilat exhalatio libidinoſa.

Tertiò nec ſunt revelationes hæ lectu utiles hominibus penitus idiotis, aut quibus nihil penitus de via perfectionis innotuit: hi enim ad omnia hæc planè hærerent attoniti, nec adverterent ſub corporalibus his ſymbolis latere myſteria cœleſtia, adeóque ex omnibus nimis ruditer acceptis, tanquam DEO indignis, non nisi offenſionem & confuſionem referrent. Hinc etiam non expedit in quavis lingua vernacula eas edi.

Quartò non ſunt etiam his revelationibus legendis apti, quorum aut indoles, aut prava conſuetudo eſt omnibus contradicere, ſemper aliena carpere, nec quidquam admittere quod ipſimet experti non ſunt. Multóque minùs illi qui à ſpiritualibus abhorrent, ità ut non nisi profana eos delectent, & novæ militaria, hiſtoriæque non ſacræ. Huc etiam pertinere poſſunt illi, qui ad primum nomen fæmineæ revelationis commoventur, & mox, ut ità dicam, aures obturant. Ad quos reſpexerit Bloſius, dum in fine appendicis ad monile ſpirituale, poſtquam loquutus eſt de revelationibus factis S. Brigittæ S. Catharinæ Senenſi, S. Mechtildi & S. Gertrudi, hæc verba ſubjungit: *Liquet, quàm longè adhuc à ſpiritu DEI ſint, qui prædictas revelationes tanquam ſomnia muliercularum. reijciunt & irrident. DEUS illis ignoſcat.*

Quintò non proficient etiam ex his revelationibus quicunque etiam docti ac Religioſis ordinibus adſcripti, qui nihil antea de ſublimi ac delicata via unitivi cum DEO amoris in libris Aſceticis, aut vitis extraordinariorum ſanctorum legerunt. Hinc non in quovis cœnobio expedit eas publicè legere, cùm pronum ſit invenire aliquos, qui quidquid non intelligunt, contemnant, quorum autoritate permoti alij, etiam ipſi ab eis avertantur, eas vilipendant, ac planè explodant, ſic quoque non ſunt proponendæ oſoribus omnis teneræ devotionis, ſolitis ſe appellare *ſolidos*, id eſt *exſuccos*; nihil nisi eſſentialia æſtimantibus. Ex quibus omnibus patet, nec pro concionibus temerè quidlibet ex eis eſſe populo proponendum, ſed cum delectu, ac præmiſsâ ferè declaratione ac explicatione, ad mentem Auditorum præmuniendam, nè pro ſperato fructu riſus vel offenſio ſequatur. Quòd autem contingat etiam in Doctoribus quandoque hæc non intelligi, mirum non eſt, cùm non omnes Doctores Theologiæ intelligant etiam Theologiam myſticam, aut ecſtaſes & raptus, quin quandoque nec ordinarium modum Contemplationis. Huc pertinet illud quod Ven. Vir-

gini MARINÆ contigisse refertur l. 1. c. 23. ubi S. Dominico agente jussa est ex sua solitudine egredi ad monasterium Prædicatorum pro ipsorum aliquo spirituali auxilio: quod tandem fecit successu felici, de quo ipsa §. 2. sic subdit: lib. 1. cap. 23. §. 2. *Aliquot diebus continuabam, quod mihi DEUS inspirabat, eràtque ut exponerem Religiosis quibus cum agebam, quædam puncta rerum spiritualium: siquidem hoc magni Theologi non bene intelligunt, nisi eorum habeant usum, sintque DEO familiares. Dicebam illis, exempli causâ, quid sit unio animæ cum DEO, & quos in ea motus & affectus operetur hoc tantum bonum; aliàs autem, quid sit cognitio sui ipsius, quando illam DEUS per speciale lumen infundit animæ, non absque magna vehementia & efficacia, & quos adeò admirandos ac utiles producunt effectus, in anima; aliàs, quid sit spiritus, quid agere & conversari cum DEO, qualisve modus, quo Divina Majestas aperit animæ, cui se eâ ratione communicat, suam voluntatem, non in rebus duntaxat ordinarijs, verùm etiam in extraordinarijs.*

Aptissimæ ergo ad hâsce tam singulares gratias legendas sunt illæ animæ, quæ puritate conscientiæ & virtutum studio enituntur per orationis mentalis viam ad familiaritatem cum DEO pertingere: præsertim si jam aliquid per auditionem, vel lectionem, vel aliquam quamcunque demum experientiam de divini Amoris delicijs intellexerunt. Omnes item quos DEUS animâ ad devotionem pronâ donavit, multóque maximè si cor habeant inclinatum ad deliciandum cum DEO, & ad quasdam pietatis teneritudines. Denique omnes quicunque magni faciunt eos cœlestes gustus, quos divina Misericordia suis dilectis communicare, quósque magis ordinariè ferventes Religiosorum Novitij solent experiri.

Legendæ etiam à Patribus spiritualibus, seu aliorum in via spirituali Ducibus, ut variorum DEI ductuum acquirant notitiam, & intelligant quàm mirabilis sit DEUS in Sanctis suis, & quàm non sint animæ omnes ad eandem viam spiritûs adstringendæ.

Denique legendæ etiam sunt à Theologis, ut videant quomodo hæc sint armis Theologicis protegenda, & quomodo aut rudibus, aut malevolis respondendum, occurrendum, & satisfaciendum: atque ut mysticæ Theologiæ cum Scholasticæ cognitione conjunctà, sciant & possint tantò magis & meliùs Ecclesiæ quacunque in occasione inservire, norintque aptum & prudens de talibus ferre judicium, ubi opus est, nè fortè in occasionibus oblatis appareant talium penitus ignari, cum exiguo Ecclesiæ Catholicæ & Academiarum honore.

§. 7. *Quanti fructus ex sanctarum Mulierum Revelationibus in Ecclesiam DEI redundent.*

UNica S. Theresia sufficeret ad ostendendum quanta hinc nascantur emolumenta, quando ab illa unica cœlestibus visionibus illustrata, tot & tanta sunt in universam Ecclesiam bona consecuta. Verùm fructus aliquos ex innumeris enumeremus.

Primus sit quem adducit P. Ludovicus de Ponte in Vita Ven. Virginis MARINÆ l. 2. c. 13. dicens: *Donum orationis & fructus gloriosissimus qui colligitur ex huiusmodi visionibus.* Nempe per has anima quasi manuducitur ad intimam cum DEO familiaritatem. Et inprimis ex eis facillimè hauritur modus ille contemplandi, qui à S. P. N. Jgnatio vocatur *applicatio sensuum.* Item instructio, qui circa quodlibet mysterium affectus sint eliciendi. Præterea magnum hinc accipitur adjumentum ad S S. Communionem quàm pijssimè obeundam.

Secundum est egregium signum credibilitatis Ecclesiæ Catholicæ ex tanta abundantia spiritûs devotionis & doctrinæ Asceticæ, atque ex tam sublimi, etiam in sexu fragili sanctitate & cum DEO familiaritate: quando nostri temporis hæretici, non dico sanctas Virgines, sed vix habent Virgines; siquidem, ut ajunt, mandata DEI ac Virginitas servatu ijs sunt impossibilia. Doctrinæ verò asceticæ nec vestigium apud eos exstat, ut ipsum etiam nomen ignoretur, totáque teneræ devotionis substantia demum in quibusdam exquisitis constet epithetis, quibus, exempli gratiâ, Christi Domini vulnera appellant rubino-rosea, aut purpureo-rubicunda. Et verò quàm grandis est iste honor Ecclesiæ quòd in unius Catholicæ mulieris libello plus exstet sublimis & excellentis doctrinæ sacræ, quàm in toto Alcorano, in toto Thalmud, in omnibus Græcorum, Ægyptiorum, Arabum, Sinarum & reliquarum gentium profanis Philosophis, in omnibus hæreticorum & Prædicantium tomis.

Tertius

Tertius est quòd Ecclesia DEI hinc habeat pro eis, qui in gradu eminentiori DEO serviunt, etiam quædam eminentiora lumina, incitamenta, documenta, præsertim pro contemplativis. Neque enim decorum fuisset, si homines devotioni magis addicti, nihil speciale præ alijs quibuscunque justis habuissent. Et verò quidnam potest esse efficacius ad extorquendum à corde nostro erga DEUM amorem, quàm si nos ab eo tantopere amari videamus? Quin etiam hinc desumitur robustum in omnibus hujus vitæ difficultatibus solatium, dum videmus tanta nobis à DEO in cœlis præparari.

Quartus fructus est discretio spirituum, & prudentia pro agnoscendis DEI ductibus & varijs unionis gradibus necessaria. Certè à S. Theresia didicere viri doctissimi totáque Religio Carmeli. Magnus ille spiritûs Magister in Societate nostra, P. Achilles Gagliardi, sapientissimum illum suum libellum ornavit eis, quæ à B. Aloysio Gonzaga adolescente intellexit. Ità Ludovicus Blosius multus est in allegandis pro librorum suorum firmamento sanctarum mulierum visionibus & doctrinis: id quod etiam videre est in tomis P. Nicolai Lancicij Societatis nostræ.

Quintus fructus est quòd per eas plurimorum fidei nostræ mysteriorum pleniorem accipiamus cognitionem, præsertim eorum quæ circa Christum Dominum nostrum à SS. Evangelistis sunt prætermissa. Sic l. 2. c. 25. §. 1. Christus Dominus Ven. Virgini MARINÆ miranti cur sibi tanta de Venerabili Sacramento ostenderet, dixit: lib. 2. c. 25. §. 1. *Ego volo, ut mei Amici hîc aliquantùm degustent, & cognoscant mysteria, quæ pro illis & pro ipsorum bono ac remedio sum operatus in mundo.* Plurima etiam nobis innotescunt de statu vitæ futuræ tam in cœlo quàm in inferno: atque ut sciamus nos in cœlesti patria non futuros instar immobilium truncorum, nihílque operaturos. Certè in revelationibut Ven. MARINÆ quasi specimen quoddam cœlestis vitæ voluit DEUS exstare; quanquam & pleraque veteris testamenti mysteria mirabiliter in ea renovavit, ut scalam Jacob & luctam cum DEO l. 3. c. 4. Moysen qui vidit posteriora DEI, & raptum S. Pauli l. 3. c. 1. & 2. Abraham qui tres vidit & unum adoravit l. 3. c. 8. Rubum ardentem l. 2. c. 6. Eliam cui DEus in sibilo venti apparuit l. 2. c. 9. Illud Davidis: *si ascendero in cœlum tu illic es* l. 2. c. 16. §. 7. Serpentem æneum l. 2. c. 16. §. 7. *sub umbra ejus quem desideraveram sedi* l. 2. c. 16. §. 5. Miphiboseth in mensa Davidis l. 2. c. 18. §. 4. Currum Ezechielis l. 2. c. 20. §. 2. Mannal. 2. c. 21. §. 2. Mysteria item plurima novi Testamenti, qualia sunt Incarnatio l. 2. c. 3. 4. & 8. prout in indice invenitur. Item quomodo S. Dionysius dixerit se crediturum fuisse SS. Virginem esse Deam l. 2. c. 3. Quomodo Christus Dominus Magdalenam coram Martha excusaverit, l. 2. c. 7. §. 4. S. Magdalena ad sepulcrum l. 2. c. 16. §. 6. *Noli me tangere* lib. 2. c. 18. §. 2. Quomodo Christus Dominus sit in Venerabili Sacramento l. 2. c. 8. §. 3. Plurima item ei aperta sunt de Divinis attributis, de dignitate Angelorum, aliísque, prout lector abunde inveniet. Quod si quando movemur ad pietatem spectaculo quopiam in theatro comico de vita Christi Domini aut Sanctorum exhibito: quantò magis id sperandum est dum mysteria illa ità renovari legimus, ut quodammodo eis interesse videamur? Æstimamus piorum virorum contemplativorum de gestis Christi Domini probabiles conjecturas, cur ergo cœlestia de his responsa, repudiamus, aut dum ipsemet Christus Dominus ea iterum exhibet, legere & spectare dedignamur? Certè quantopere ei hæ repræsentationes placeant, patet vel ex eo quòd per eas voluerit totam Missam celebrari.

Sextus fructus revelationum Ven. Virginis MARINÆ peculiaris est, exemplum, quàm cautè sit in talibus extraordinarijs divinis favoribus procedendum; siquidem Ven. Virgo MARINA tantas hoc in genere adhibuit cautelas, ut P. Ludovicus de Ponte non dubitaverit asserere, sicut sanctum FRANCISCUM Seraphicum in paupertatis Evangelicæ, aliósque Sanctos in virtutum aliarum; ita eam exemplum cautelæ & circumspectionis esse à DEO Ecclesiæ datam. Unde & Christus Dominus l. 2. c. 26. ad eam dixit: *times? perge. Si ità timerent animæ, non essent tot illusiones.*

His addi possunt peculiares illi fructus qui ex Ven. Virginis MARINÆ visionibus in totum mundum, ac in Hispaniam præsertim, provenerunt, prout sparsim in ejus vita inveniuntur: quos inter est ille ad immaculatam SS. Virginis Deiparæ Conceptionem, initio concionis collaudandam pertinens, de qua dictum supra. Item quòd Festum S. Joachimi in Breviarium Romanum imponi procuraverit. Quòd Ordinem Monialium S. Birgittæ in Hispaniam induxerit. Quòd Canonizationem S. IGNATII de Lojola à DEO tempore vitæ suæ impetraverit, & pridem prædixerit. Quòd plurimis hominibus subsidijs temporalibus & spiritualibus succurrerit directa Divinis his revelationibus. Denique quòd

)( )( )( )(plurà

plura adhuc futuris temporibus ventura à DEO exoraverit, inter quæ est, futura conversio Angliæ, & alia quæ lecturi in ejus Vita deprehendent.

Denique tanta, ut sic loquar, divinæ Majestatis sollicitudo, ut hæ revelationes conscriberentur, & tanta P. Ludovico de Ponte in cœlis pro labore eas combinandi promissa præmia, manifestant quanta DEUS bona lectoribus pijs & sinceris communicare disponat. Sic jussit DEUS S. Birgittam sua conscribere ad movenda corda, quæ lectione S. Scripturæ tunc temporis non movebantur. Sic lecturis revelationes S. Gertrudis grandes cœlestes favores pollicitus est.

Roganda est ergo divina Majestas, ut nobis & affectum ad eas diligenter ac piè volvendas, & lumen ad debitè intelligendas elargiatur, ut sic defectum, qui sæpe in nostris orationibus mentalibus contingit, compensemus.

§. 8. *Objectiones quædam diluuntur.*

INprimis adverti graves etiam viros à fide revelationibus ejusmodi præstanda retineri, eò quòd videantur sibi contradicere; id quod præcipuè notatur circa vulnera Christi Domini, quorum non tot millia computantur in revelatione una, quot in altera: ut proinde necessariò alterutra revelatio falsa, & consequenter fictitia aut illusoria sit habenda. Quod si jam semel deprehendantur falsæ, nullam ampliùs in toto fidem merentur. Sed ad quæstionis hujus solutionem advertendum est, rebus divinis & Propheticis frequens esse, ut sint profundæ & obscuræ. Grandis certè Sanctos Patres habuit labor, ut Evangeliorum concordiam demonstrarent. Quantùm S. Augustinus circa totam sacram scripturam hoc in genere desudàrit, apparet ex ejus de civitate DEI libris. Et quidem quod vulnera Christi Domini attinet, poterat ipse ea, diversis vicibus diverso modo computare, nunc vulnera seorsim sinè ictibus & vibicibus, nunc ictus simul & vibices & vulnera; nunc vulnera solius flagellationis, nunc totius corporis: nunc sola paulò majora, nunc omnia etiam minutissima: nunc quædam ob vicinitatem, aut quia eodem ictu inflicta, conjungendo, nunc singula minutim separando. Ut taceam quòd in numeris ac cifris facilis sit lapsus typi & descriptoris; qui etsi quandoque irrepsisset, ità ut demum manifestus error deprehenderetur, nunquid propterea revelationes omnes abijciendæ? planè sicut si omnes indulgentias, omnesque sanctas reliquias, omnes item sanctorum Patrum libros abijciamus, quia & in his non solùm errores, sed & fraudes & imposturæ contigerunt. Corrigenda ergo benevolè sunt, quæ clarum errorem habent: quæ verò nimis obscura, ea tantisper relinquenda, ac interim alijs clarioribus ad salutem animarum nostrarum utendum est.

Adde quòd & à Sanctis quandoque revelationibus intersperſæ narrentur eorum piæ contemplationes, ad quod si minùs attentus Lector non advertat, perplexus redditur. Sic l. 2. c. 2. Ven. MARINA refert quomodo contemplata sit sanctos Parentes Deiparæ Virginis in die ejusdem Præsentationis; nec tamen dicit sic sibi esse revelatum. Deinde contingit ut narrent quædam se sic in revelatione vidisse, nec tamen asserant sibi revelatum, sic reipsâ quondam contigisse. Sic Ven. MARINA l. 2. c. 6. narrat se parvulum Christum Dominum natum vidisse pendentem in aëre, & non vidisse an tetigerit terram. Nec tamen dicit eum terram non attigisse, multóque minùs asserit sibi revelatum, quòd re vera tempore suæ nativitatis non attigerit terram: ut propterea nihil hinc habeamus determinatum.

Dicunt alij multas fœminas esse deceptas, adeóque se nihil velle negotij habere cum fœminis. Dico ego: multi Religiosi apostatàrunt, diruamus ergo omnia monasteria. Sensus iste, est hominum primos statim impetus sequi assvetorum. At vir sapiens videt, solummodo sequi, quòd necessaria sit diligens cautela, etiam circa pias mulieres, qualem profectò & ego suprà suasi, nec nisi eas revelationes quas commune doctissimorum sapientissimorùmque simul ac sanctorum virorum judicium comprobavit, dixi securè & sinè ulteriore cura admittendas. Decepit fœmina Tertullianum: at obstitit & reprobavit summus Pontifex; obstitere tunc statim & reclamavêre magno numero viri sapientes. Neque verò mulieres imposturam, aut facientes, aut patientes, unquam ea possunt tradere sublimissima spiritualia lumina, & documenta, qualia in revelationibus supra §. 2. relatis admiramur: sed substantia gloriæ earum solet consistere in quibusdam miraculi speciem præseferentibus, ut quòd vulneribus Christi Domini putentur insignitæ, quòd sublimes à terra in flammis pendeant; quòd multùm jejunent. Alia profectò sunt argumenta veritatis revelationum à sæculis celebrium sanctarū fœminarum: prout inter alias fuisse certum est in

est in sancta illa ancilla Christiana, quæ totam Iberorum gentem in Asia ad fidem Christi Domini convertit, prout annotatur in Martyrologio Romano ad diem. 15. Decemb.

Quod si hoc solùm quòd sit fœmina, quòd sit vetula, quòd sit puella sufficit, ut extra dubitationem & attonitam quandam admirationem eluctari non possimus, miremur ergo similiter quinam fieri potuerit, ut unam puellam Judæam DEUS super omnes Sanctos & Angelos evexerit, in supremam cœlorum Reginam.

Obijciunt alij: Revelationes has etiam à viris doctis irrideri, aut saltèm non commendari. His jam suprà respondi. Hanc nempe DEUS à suis creaturis inter cæteras patitur etiam calumniam, ut pretiosissima & rariora ejus dona contemnantur: consueta sola laudentur. Incarnatio & passio Judæis erat scandalum, gentibus stultitia; valde dolendum est, quòd quandoque propter ejusmodi non exiguæ autoritatis viros, multi etiam sæculares & magnates fructum harum revelationum perdant, qui si eas viderent ab eis commendari, ad earum lectionem excitarentur, ad vitam sanctam aspirarent. Multi etiam hinc doctrinam Asceticam, & discretionem spirituum haurirent, necessariam pro aliorum in via spirituali directione. Nunc autem quandoque verum hîc illud est Christi Domini: *tulerunt clavem scientiarum, ipsi non introierunt, nec alios introire permiserunt. Luc. 11. v. 52.* Si quem ejusmodi irrisorem DEUS Ven. MARINÆ in Confessarium dedisset, quantùm is sanctamillam animam impedivisset & excruciâsset.

Præterea mirantur aliqui, quòd Sanctæ illæ tempore harum visionum tam mirabilia & quasi ridicula faciant: immemores quàm mirabilia legamus in Apocalypsi, quin & de S. Petro in monte Thabor. Nónne & in quovis alio gaudij excessu videmus accidere, ut planè faciamus ea, quæ alioquin inepta judicaremus? & propterea non opus est, ut omnia imitatione exprimamus, cùm quædam Sanctorum gesta sint solummodo admiranda.

Adhuc opponunt alij, se denique ad tales revelationes non habere piam affectionem. At respondeo, fortè nec eam cupiunt, nec à DEO unquam postulârunt. Nónne & vitam Sanctorum, & statum Religiosum, & perfectionem, multi nauseant? propterea dixi suprà, non omnibus has revelationes prodesse.

Sed tamen dicunt in his non consistere substantiam vitæ Christianæ aut Religiosæ. Omnino; nec in aromatibus consistit substantia ciborum: repudiemus ergo omnia condimenta. Solida & præcisè necessaria vestis est quodpiam linteum & pellis quibus obvolvamur, ergo sartores elegantiæ & commoditatis sectatores amandemus.

Reponunt nihilominus malle se talia legere in viris contemplativis. At re vera vix fidem invenient. Nam qui orationem mentalem verè adamant, solent magnopere desiderare ut subsidia sanctarum cogitationum unde unde accipiant, qualibus profectò revelationes Sanctorum planè abundant, ità ut etsi non veræ revelationes, sed meræ essent piæ contemplationes, valde adhuc prodessent. Quin & longè securiùs leguntur, quàm Rusbrochius Thaulerus, Suso, Harphius, aliique contemplationis Magistri, quorum scripta per se intellectu ardua, & imitatu censentur esse periculosa, præterquam quòd quibusdam in locis à rudibus sciolis sint corrupta.

EPILOGUS. Habet Reverentia Vestra pro mea tenuitate expositum, quod pro commendatione & auxilio sancto hujus Operis mihi occurrit. Non quidem. prout initio monueram, quòd hæc omnibus sint ità satisfactura, ut nemo ampliùs reclamet, sed tamen ità, ut cordatis hominibus sint sufficiens præbitura fundamentum, nè mirabilem hanc Vitam Venerabilis Virginis MARINÆ mordeant, nisì priùs aliquod admoqum grave & certum adversùs eam momentum deprehendant. Cæterùm Reverentiæ Vestræ ex animo gratulor, quam DEUS elegit ad opus tantæ suæ gloriæ; nec possum quin ominer, specialem quandam Reverentiæ Vestræ in cœlis coronam parari, siquidem & Reverendo Patri Ludovico de Ponte, ob hanc vitam prima vice digestam, & Hispanicè conscriptam, Divina Majestas magnum in cœlis præmium promisit, prout ipsemet Pater Ludovicus refert. lib. 6. c. 21. §. 6.

DEUS Optimus Maximus faxit ut animæ quàm plurimæ ex hoc Reverentiæ Vestræ labore, ad quàm maximam sanctitatem proficiant, ejúsque Majestati sincerè, ex toto corde serviant, ad quàm maximum ejus beneplacitum, cujus ineffabilis, & omnia merita ac demerita vincens Bonitas, precibus & meritis Sanctorum suorum faciat nos quoque ex Sanctis.

JOAN-

JOANNES LANSPERGIUS CARTHUSIANUS

In Prologo ad Revelationes S. Gertrudis editas operâ Tilmanni Bredenbachij SS. Theologiæ Doctoris.

IN lucem producimus librum divinarum revelationum, quod certè genus eruditionis non debueramus ignorâsse haùd admodum gratum, ijs præsertim, qui mundano humanóve spiritu tument, quique literâ magis docti sunt, quàm spiritu. Adeò enim illis quævis ejusmodi sunt frigida, atque insana videntur, ut non solùm ad ea nauseâ quadam moveantur, verùm etiam hujuscemodi libris, ubi possunt, detrahunt: & quæcunque non intelligunt, carpunt: parùm interea considerantes, quòd totum ferè vetus Testamentum revelationes esse fateri cogantur: DEUS non solùm varios scriptores Ecclesiasticos verùm etiam multiformem docendi modum, alia item & alia eruditionis genera, phrasim quoque ac dictionem multiplicem in Ecclesia constituit: idque in utroque sexu, quò nemini deesset vel (ut ità dicam) juxta suum genium, unde erudiri, unde illuminari, unde trahi, unde ædificari posset. Quid igitur jam mirum, si hominibus mollioris cordis, ut qui beneficijs, blanditijs, aut amore trahuntur, magis quàm præceptorum austeritate, id quod in sexu fœmineo DEO devoto præcipuum est, DEUS loquatur per revelationes. Non inficior quidem pias aliquot virgines aut mulieres DEO devotas, ubi sibiipsis relictæ fuerant, nequaquam suspicione caruisse. Verumtamen, quæcunque fuerunt, suntque hujusmodi, facilè deprehenduntur, neque enim diu latere potest fictio præsertim fœminea, siquidem ubicunque profundissimæ humilitatis non fuerit fundamentum, citò quidquid super illo fuerit ædificatum, non absque ignominia ruit. Non est autem personarum acceptor DEus, nec sexum à sexu (quem utrumque fecit) discernit, nisi quòd infirmiori plerumque ubi humilitas & devotio id meretur, potiora dat dona, ut confundat fortia, sapientésque in suo sensu confutet, quò dona sua sibi (hoc est DEO) asscribenda cognoscantur soli: quandoquidem illiterati & simplices minus habent, quàm ut ea, quæ scripturæ sacræ ad unquem sint consentanea, licèt difficilia plerumque scribant & ardua effingre possint. Per quoscúnque igitur, vult, loquitur DEUS. Hæc aspernari propterea, quòd per mulierem DEO revelante insinuentur, nónne tumidi foret cordis insolentissimæque superbiæ? Præsertim cùm per seipsum in scripturis sanctis eadem (quod dixi) DEUS quoque ipse nobis revelaverit: licèt pro temporum hominúmque conditione, hic aliquanto lucidius uberiúsque eorundem explanatio fiat. Sed quia in sexu fœmineo amantiora, fideliora, puriora, suaviorâque corda viris fortasse etiam Apostolicis aliquando anteferenda invenit: ideo benigniorem, quod reor, se illis interdum exhibuit. Vnde fit ut viris alioqui doctissimis, qui ambulant in mirabilibus super se, occupantes magis animum suum curiosis quæstionibus (pene dixeram superstitiosis) quàm necessarijs aut secretis, quæ scire non oportet investigandis, aut mundanis literis edisscendis, non tantâ se familiaritatis gratiâ manifestet DEUS, quanta ad eorundem confutationem potiùs fœminis illiteratisque viris DEO devotis illabitur. Quamvis eædem hujusmodi devotæ personæ (quod congruum est) nihilominus interea pro humilitate virorum doctorum directioni semetipsas subijciant. Ex quarum interrogationibus, ex quarum humilitate illuminata, non parùm (scio) proficiunt sæpenumero Patres aut Confessores earum bonæ voluntatis, in hoc planè multâ laude digniores timidis quibusdam sciolis aut literatis, qui si interrogentur præsumentes de se, aut laudanda damnant, aut commendanda vituperanda, hoc solo clari quòd sexûs infirmioris devotionem rident, nihili pendunt, & quandoque earum spiritum impediunt.

INTER-

INTERPRES
LECTORI BENEVOLO
SALUTEM.

SI, ex Divi Gregorij (*hom: 6. in Ezech:*) sententia, cuiquam terrarum regioni obtigit benedictio, quâ moribundus Isaac suum beavit Jacobum; obtigisse prorsus credenda est Regno Hispaniæ, quæ Tutelari gloriatur Jacobo. Libeat magni Ecclesiæ Doctoris, Maximi Pontificis, verba excipere: *Quoniam*, inquit ille, *inter electos DEI, alij in contemplationem surgunt, alij verò per activæ vitæ solummodò opera pinguescunt, rectè in benedictione illa Isaac dicitur: Det tibi Dominus de rore cœli, & de pinguedine terræ. Rores enim desuper, & subtiliter cadit: & nos toties de rore cœli accipimus, quoties, per infusionem contemplationis intimæ, de supernis aliquid tenuiter videmus: cùm verò bona opera, etiam per corpus, agimus, de terræ pinguedine ditamur.* Ista Gregorius. Quis porrò recenseat, quos, Jacobeâ sorte felix, Hispania numerat electos DEI, tum contemplatione rerum cœlestium sublimes, tum activæ vitæ sanctis operibus opimos? ut non immeritò, Christiani orbis consensu, fœcunda Sanctorum Parens habeatur. Illa Ecclesiæ, ut vetustiores taceam, etiam cùm *abundavit iniquitas, & refrixit charitas multorum*, dedit Dominicum Gusmanum, Vincentium Ferrerium; illa Ignatium Loyolam, Franciscum Xaverium, Teresiam à JESU, Thomam Villanovanum, Petrum de Alcantara, atque tot alios præterea tulit, quos, etsi Sanctorum Fastis Romana necdum adscripserit Curia, ob exactam tamen piè ac laudabiliter vitam, venerabundi suspicimus: è quibus una sanè est, Venerabilis Virgo Marina de Escobar, cujus, hoc nostro seculo, raræ sanctitatis, atque collatorum illi cœlitus illustrium donorum fama, extra Hispaniam quaquaversum diffusa, neminem non rapit in admirationem. Me profectò ità abripuit, ut, postquam primam hujus Admirabilis Virginis Partem Vitæ, nuperrimè typis Hispanicis excusam conspexi, animum ad illam interpretandam adjecerim; stimulantibus me etiam ad hoc audendum sapientibus Viris, ac in primis (quem singularis observantiæ ergò nomino) venerandæ memoriæ P. Roderico de Arriaga: qui, quòd in domestico hujus famulæ Dei Sacrario Sacerdos Divinam Hostiam litaverit, atque conspectu ipsius & alloquio fuerit fruitus, non in postremis id gratijs habebat, ac facundum semper, pro opportunitate, ejusdem agebat encomiasten. Dignum in-

 super

ſuper operæ pretium me relaturum exiſtimabam, ſi ſacram hanc hiſtoriam latinitate à me donatam, toti mundo reddere intelligibilem: quod quidem feci, tametſi ſtylo ſimpliciore, quàm, ut elegantioris forte cuipiam orationis amanti, ſatisfecerim. Atque ſi quis rationem facti petat, dicam: Curæ mihi fuit, nè, quoad ejus fieri poſſet, negligerem ſimplicem ſtylum, & verba dictæ Virginis Hiſpanica, quibus ipſa ſuas, atque non rarò ſatis obſcurè & involutè conſcripſit gratias, & ex quibus hanc primam Vitæ Partem contexuit Venerabilis Pater Ludovicus de Ponte, qui etiam dubio procul ſcribere cultiùs potuiſſet hiſpanicè, niſi & ille, quemadmodum in ſua ad eam introductione ait, ſolicitus fuiſſet, ut à Marinæ ſtylo, & verbis non recederet; eò quòd illi viderentur eſſe, ipſiusmet DEI; & ex ejusdem inſpiratione magis genuinè manifeſtarent myſteria, quàm alia, quæ viſa fuiſſent elegantiora. Videlicet, ſimplex eſt ipſius quoque DEI, cum ſimplicibus (quales, præ viris, ſolent eſſe fæminæ) ſermocinatio, & ea ſanctis acceptiſſima eſt dictio, quæ cum eorũ modeſtia, morũmque ſimplicitate conſentit. Neque liber hic ad aures mulcendas, aut linguam poliendam; ſed animum ſanctioribus imbuendum placitis, ac doctrinis eſt ſcriptus: *latet*, ſiquidem, *in illo, licet ſub verborum humilitate, theſaurus incomparabilis, qui, Divinæ pietatis experientiâ, offertur cunctis, bonæ voluntatis hominibus*, quod Landſpergius quoque dixit in epiſtola Apologetica, ad Lectorem, præfixa libro, Divinarum inſinuationum, Sanctæ Gertrudis. Et rem, non verba quærenda eſſe, ubi de ſalute agitur, reſponderunt viri prudentiſſimi Typographo, ſolicito, de ſtylo expoliendo, in editione Dialogorum Divæ Catharinæ Senenſis. Quid quòd, judice Eminentiſſimo Cardinali Baronio (tom: 3. an. 356.) *ſuſpectum redditur, quidquid obducitur fuco, atque pigmentis; pulchriorq; enite ſcit, ipſa ſua puritate, ſimplicitas: quæ, quòd mentiri neſciat, omne, quamvis ad ornatum compoſitum velamentum, abhorret?* Itaque, nè te prudens Lector, ſtylus, offendat rudior, & quandoque, ob inuſitata cultis Scriptoribus intercisa, ac periodos in ſpeciem intricatas, cacophonias & tavtologias, inamænus: *rem ipſam appendo* (loquor cum Roſweydo in Prolegomenis ad Vitas Patrum) *non verba; fructum lege, non folia; florem carpe: ne volaticos deſidera pappos;* & vale, DEUMq; pro me peccatore ora, ad cujus unius *majorem gloriam* interpretem egi.

IN-

INTRODUCTIO
VENERABILIS PATRIS
LUDOVICI DE PONTE,
AD PRIMAM HUIUS VITÆ PARTEM
DE
Præstantia, utilitate, & certitudine istius Historiæ.

Indicat Revelationes, quas Marina pro ea conscribenda habuit.

MAgnus noster DEUS ac Dominus, qualis omnibus fuit ætatibus, ac temporibus, éstque etiamnum in Sanctis suis, dignatus est sibi diebus nostris deligere Venerabilem Virginem, nomine Marinam de Escobar, ut in ea immensos infinitæ suæ sapientiæ, charitatis, & misericordiæ thesauros, atque inæstimabiles gratiæ divitias manifestaret, internè cum ipsa conversando, ac omnia illi declarando mysteria, quæ nos Catholica docet Fides, celebrátque Ecclesia, modis usque adeò novis, miris ac inusitatis, ut exhibiti eidem favores nullatenus cedant illis, quos S. Gertrudi, S. Mechtildi, S. Birgittæ, S Catharinæ Senensi, S. Teresiæ à JESU, aliisque consimilibus præstitisse scribitur: quandoquidem non est abbreviata potens manus Domini, neque exhausta ipsius sapientia, vel imminuta Charitas, quò minùs sciat, possit, ac velit innovare miracula, quæ operatus est in Sanctis antecedentibus, & alia patrare paria, atque subinde majora, pro nunc existentibus. Sunt etenim tot res eximiæ, quas DEUS de se ipso, déque suis Divinis perfectionibus, nec non de ijs, quæ hominis egit causâ, revelare potest, sunt quoque tam varij modi, quibus talia revelare consuevit, ut, postquam illa cuipiam mortalium patefecerit, semper ei supersint alia infinita, adeò novis manifestanda modis, ut omnem superent imaginationem: quorum illustrissimũ videtur voluisse facere compendium, communicando se Venerabili isti Virgini, quasi omnibus cœlestis ac Divinæ communicationis generibus, recensitis in Scriptura sacra, atque in Vitis Sanctorum.

Et quantumvis verum sit, omnia ista, utpote interna, & secretè acta, DEUM inter & animam, non potuisse sciri, præterquam ab ipsâmet Virgine, quæ, DEO jubente, illa conscientiæ suæ aperiebat Arbitris, & propter fines, quos mox intelligemus, conscribebat; non tamen propterea minùs credenda sunt & probanda, quàm creditæ & probatæ fuerint res admirandæ prædictarum quinque sanctarum, quamvis illæ ipsæ eas manifestaverint, cùm sint confirmatæ ijs operibus, ac signis, quæ nos sufficienter convincant, quòd nec ipsæ fallantur, neque nos fallant, ex ignorantia, passione, vel malitia: & quandoque sint ejusmodi, ut quamvis illa voluissent, non tamen scivissent confingere, nisi ab alio altioris ordinis spiritu, ad hoc permotæ fuissent.

§. I.
Fundamenta, quibus innititur veritas & certitudo hujus Historiæ.

QVamvis certum sit, & experientiâ compertum, quòd his temporibus, quæ sunt occulta DEI judicia, se transfiguraret Satanas in Angelum lucis, fingendo & simulando ea, quæ

apparent sancta, ac Divina, tam internè, quàm externè; certus nihilominus sum, quantùm præsentis vitæ conditio patitur, spiritum, quo agebatur, Venerabilis Marina, quiq; cum illa agebat, & ea ipsi manifestabat arcana ac secreta, quæ referemus, non fuisse malum, sed bonum; non dæmonem, sed verum DEUM, ipsúmq; Servatorem nostrum, subservientibus illi, & ab eo commissa exequentibus bonis Angelis, sanctisque Cœlitibus, atque imprimis Sacratissimâ Virgine ipsius Matre. Siquidem rigido admodum, & solicito plurium, quàm triginta annorum, quibus mihi rerum suarum, tum oretenus, tum scripto reddebat rationē, examine, universa, quæ illi eveniebant, semper inveni, habere omnia boni spiritûs signa, nobis à sacris literis, & sanctis Patribus indicata. Eorum ego, nè sim prolixus, succinctam duntaxat dabo epitomen, quam fusa isthæc comprobabit Historia.

Inprimis namque in verbis, operibus, & actionibus, atque rebus omnibus ejus Spiritûs, qui ipsi loquebatur, quiddam elucebat Divinum: eam siquidem sapientiam, & excellentiā; eam veritatem & puritatem; eam gravitatem ac discretionem, eam denique sanctitatem in summo perfectionis præ se ferebant gradu, ut abundè ostenderent fontem, ex quo procederent, esse DEUM; cùm in DEO nihil reperiri possit, quod malum vel falsum, leve aut imperfectum, & indignum sit tanti Domini Majestate.

Præterea, quemadmodum arbor cognoscitur ex fructibus, ità se Divinus Spiritus in ista sua Famula manifestabat, per septem raras illi collatas virtutes, quæ sunt septem certa sancti Spiritûs, ijs prædito assistentis, indicia. Prima fuit singularis quædam animæ & corporis puritas, atque summus cujuscunque, quantumvis levis culpæ, vel nævi horror, nec non prorsus rarum castitatis donum, quo fuit à tentationibus, & motibus illi contrarijs præservata. Admirabilior erat altera, quòd illam in tam profunda sui ipsius cognitione fundaverit, ut inter revelationes, & favores, usque adeò prodigiosos, ab omni fuerit superbia, & inani gloria, atque etiam ejus tentatione immunis. Tertia, quòd ipsi cor ità pacatum, & præsentiæ sui DEI inhærens dederit, ut in oratione & contemplatione mentali nunquam, aut rarissimè passa fuerit vel involuntarias mentis evagationes, quamvis illam ad multas horas produceret. Quarta, summus fuit timor, nè circumveniretur à diabolo in rebus extraordinarijs, quæ illi accidebant, ideóque omnem sibi possibilem adhibebat diligentiam, ut eam DEUS ab hujuscemodi illusionibus liberaret, vel talibus vijs non duceret, ità ut nemo unquam tam fuerit cupidus similium visitationnm & gratiarum, quàm illa fuit solicita, ut resisteret, ac reluctaretur ijs acceptandis, donec ipsam DEUS induxisset ad consensum. Quinta, sunt vehementia desideria, quibus tenebatur, ut quoslibet toleraret contemptus, & cruciatus pro DEO. Vnde quando illam Divina Majestas postremo vitæ tempore, sustinendis horridissimis molestijs ac doloribus exercuit, tantopere acquiescebat, ut se desolatam diceret morituram, nisi modicum illud toleravisset, quod ipsi DEVS ferendum obtulerat. Hinc etiam, inter tam terribiles cruciatus, perfectissimè suam Divinæ conformabat voluntatem, neque ulla ipsi crux erat tàm gravis, quàm timor, quomodolibet deflectendi ab ea conformitate. Sexta est ingens zelus salutis animarum, ut mille dedisset vitas, nè vel una damnaretur: tàmque tenera commiseratio, quâ proximorum condolebat miserijs, in quarum deveniebat notitiam, ut illis conficeretur, & gravaretur, acsi propriæ ipsius essent eæ virtutes, in quibus Evangelica est sita perfectio, & de quibus in primo agetur libro. Denique summam habuit propensionem, non tamen impetuosam, neque præcipitem, sed admodum moderatam, & circumspectam, ad reddendam omnium rerum suarum rationem suæ Arbitro conscientiæ, à quo dirigebatur, noluitque se ipsam, seu proprio judicio, seu interno spiritûs impetu, regere, nisi accederet approbatio Magistri, ac Ducis visibilis, quem illi dederat DEUS, in ijs rebus, quæ ipsius indigebant directione.

Hæ septem heroicæ virtutes, seu affectus animæ, adversantur intentionibus Satanæ, conveniúntque tam propriè DEO, qui desiderat ac prætendit salutem, atque perfectionem suorum electorum, ut dum illæ firmiter ac stabiliter in anima perseverant (quemadmodum perseveraverunt in Venerabili Marina, quamdiu ego ipsi fui à confessionibus) sint septem indubitata testimonia, septémque certissima indicia ejusdem DEI, qui illam adeò insuetis ducit vijs, reddendo ipsam immunem ab omni diaboli vel proprij spiritûs illusione, ac deceptione. Et propterea illi dedit naturam, indè quidem extremè reformidantem ejusmodi dolos, hinc verò vividam, perspicacem, ac impigram, & celerem in examinandis & perspiciendis rebus internis, quæ illi eveniebant, ità ut magnâ hujus solicitudinis parte, suos liberaret Confessarios. Idcirco, non absque sufficienti fundamento, existimo, quòd, sicut DEUS in sua Ecclesia

clesia constituit Sanctum Franciscum ad paupertatis, & alios Sanctos, ad aliarum virtutum præbendum exemplum, ità periculosis his temporibus proposuerit hanc Virginem, ut timoris, & solicitudinis, cautelæ, circumspectionisque ac disquisitionis exemplo doceret, quomodo Divinæ revelationes, & inusitatæ gratiæ tutò sint suscipiendæ.

§. II.

Deus jubet Marinam, ob valde sublimes fines, ea scribere, quæ ipsi eveniebant.

EX dictis sequitur, Venerabilem Virginem Marinam de Escobar, ea, quæ ipsi eveniebant, non ex sua propria voluntate, neque ex animi levitate, conscripsisse, & propalavisse, cùm potiùs ab hac re summè abhorruerit, usquedum id facere juberetur à suo Confessario, Patre Petro de Leon, ut illa ipse diutiùs expendere posset atque discutere, & exhibere alijs, authoritate pollentibus, rerúmque spiritualium peritis, ac doctis viris, qui suum de ijs judicium dicerent. Cùm tamen is paulò post, connivens in illius repugnantia, ei dixisset, sufficere id, quod scripserat; ipsemet DEUS eam denuò jussit cœpta prosequi, manifestatis illi admirandis hujus scriptionis finibus & motivis, quod ipsa his refert verbis:

Postquam à DEO multas obtinuissem gratias, & ingentia solatia, fuissemque ab illo multoties visitata & illuminata, ut cognoscerem sublimissima ipsius mysteria, dicebat mihi aliquot continuis diebus: *Scribe, quod tecum ago.* Ego verò advertens, mihi à Divina Majestate iterari ea verba, dixi illi quâdam vice: Domine, quare Tua Majestas id à me vult scribi? ánne forsitan idcirco, ut reddere possim meo Confessario rationem eorum, quæ fiunt in mea anima? responditque mihi DEUS: Non ideò. Tum ego rursum: Quare igitur mi Domine? & Dominus mihi dixit: Facit ad meam gloriam, ut hoc scribas. Ideóque subitò incepi scribere, quia istud dictum tantopere me ad scriptionem compulit, ut absque magno conscientiæ remorsu eâ supersedere non possem. Verùm etsi scriberem, unà id spectabam, conabárque consequi à DEO, ac postulabam quàm enixissimè, & ex intimo corde meo, ut me illuminaret, darétque mihi gratiam, ne quidquam fieret adversum sanctissimæ ipsius voluntati: maluissem enim mihi eximere linguam, & amputare manus, quàm vel unum verbum, DEO nolente, loqui, aut scribere. Quocirca timens meam malitiam, & astutiam diaboli, continuè dicebam: Domine, visne id à me fieri? & Divina Majestas mihi respondit: Ità; quia ista tibi, non tui solius tantùm fiunt gratiâ, sed etiam propter alios. Aliàs verò addidit: Noveris, hoc sæculo reperiri in mundo homines, qui vehementer falluntur, dum cogitant ac dicunt, non esse tempus, quale quondam erat; & à me non conferri gratias, neque esse, cui eas possim conferre, quas consueverim alijs præstare temporibus, quasi verò jam non essem idem, qui eram. Juverit ergo eos intelligere, aliter se rem habere. Post hæc nihilominus adhuc metuebam, ideóque illi dixi cum magna verecundia & confusione: Domine, ergóne ego miserabilis esse debeo instar campanæ, quæ alios advocat, ut veniant ad templum, licèt ipsa remaneat in campanili? fac de me quod vis, neque enim ego aliud volo. Ad hoc mihi respondit quædam verba consolatoria, indicavítque nonnullas personas, quibus esset profuturum id, quod mecum agebat. Ego verò reposui: Plurimùm gaudeo, Domine, quòd, cùm ego tam parùm proficiam ex gratijs, quas mihi præstas, reperiatur, qui ex illis proficiat.

His animata, perrexit scribere ea, quæ illi contingebant, cùm tunc esset provectæ ætatis, quadraginta quatuor annorum; sed DEUS indulgendo ipsius naturali repugnantiæ, illi dixit, ut hac vice scribendo consequenter impleret sexaginta circiter philyras chartæ, quódq; deinde esset ampliùs aliquid sibi placiturum. Atque ità fecit, consignando quæcunque illi acciderant, & accidebant usque ad ætatem quinquaginta annorum, aut aliquantùm ultrà, quo tempore cùm ipsamet scribere non posset, eò quòd tum esset vehementer infirma ac debilis, ego, qui jam eram ipsius Confessarius, mortuo Patre Petro de Leon, illi mandavi, ut scribenda dictaret

ctaret cuidam probatæ virtutis Virgini adolescentulæ, quæ ipsi convivebat. Id verò illa ægrè tulit, ob ingentem naturæ suæ resistentiam, abhorrentis à talibus cuiquam alteri patefaciendis, quàm Arbitro Conscientiæ. Et cùm in hac re esset remissior, vidit à dextris Christum Dominum, quasi duobus à se distantem passibus, qui valde graviter, & instar redarguentis ipsi dixit: *Quæ est hæc tua repugnantia Marina, cùm, tam ex ordinaria doctrina, quàm ex mea illuminatione, scias, me velle, ut obedias tuo Confessario? nunc verò ego intervenio, præcipiendo, ac mandando, ut id facias, neque ultrà repugnes. Nunquid fortè nôsti, qualia sint mea judicia, ac intentiones? & quam ob causam, aut cur, seu propter quem tibi ex mea misericordia has gratias conferam? atque an hunc in modum tecum forsan agam, quòd id merearis? an potiùs propter multorum aliorum, atque alicujus speciatim bonum & emolumentum? supersede hac difficultate Marina, obtempera tuo Magistro.*

Non multò pòst incepit dubitare, utrùm non committeret aliquē errorem in scribendis suis rebus, dixitq; Christo Domino: Cuperem sanè vehementer, Domine, bonum, paucis & multa significantibus verbis, scribendi modum assequi, sicut tu interdum meam animam edoces de tuis mysterijs: quod enim scribo, recensendo misericordias, quas mihi præstas, multorum est verborum, videntúrque mihi istæ narrationes fusæ. Audivit me Dominus, & penetravit cor meum, respondítque mihi quàm gravissimè, quasi interpositâ aliquâ morâ, quæ indicabat magnam majestatem: *Non dicis bene, quâ namque ratione modum, quo te ego instruo, tibique dicto, qualiter te conscribere oporteat meas veritates ac mysteria, ac gratias, quas tibi præsto, vocas narrationes fusas? depone istam ignorantiam, & simplicitatem, ac tace, & obedi.*

Istâ Christi Domini responsione indicatur id, quod hæc ejus famula aliquoties mihi asseruit, sæpe sibi ab illo inspiratum fuisse, & quasi dictatum, quod scribebat, ne verbo mutato, in rebus majoris momenti, quas suggerebat scribenti: quod si quandoque evenit, ut non meminisset, quid acciderit, dum tamen ordiebatur scriptionem, id ipsi DEUS in memoriam exactè revocabat. Quando verò de re quapiam dubitabat, itáne se haberet, an secus, interrogabat de ea Dominum, vel aliquem assistentium sibi Angelorum, qui illi eximebant dubium.

Tanto porrò tenebatur desiderio non aberrandi à vero, ut aliquando dixerit DEO: Si tu velles, libenter dicerem meo Patri spirituali, cui committis mea scripta, ut omnia, quæ in illis reperiuntur, & quæ ipsi non integerrimè satisfaciunt, deleat, laceret, ac destruat. Respondit autem ei Dominus, suaviter & graviter illam corripiens: *Dic agè Marina, quis te Dominam constituit rei non tuæ, sed meæ, quam ità velis jubere destrui ac aboleri? nunquid forsan plus es, quàm miserabile meæ potentis manûs instrumentum? tace, & relinque ista, quæ ego facio pro meo beneplacito ac providentia, & obedi, nullo verbo dicto.*

Sic anima ipsius reprehensa fuit & convicta, ut faceret, quod illi à DEO præcipiebatur. Hoc audito, incepit dictare, quæ ipsi denuò eveniebant, alicui suarum contubernalium, vel suis Confessarijs; brevi tamen adeò debilitata decubuit in lecto, ut illam oportuerit esse contentam, rerum suarum mihi rationem reddere oretenus, quas ego conscriberem. Cùm autem propter meos graves & continuos morbos illi non possem adesse, paucis vicibus hunc defectum supplevit Pater Frater Andreas de Ponte, meus Germanus, ex Ordine S. Dominici, vir magnæ virtutis, zeli, & spiritûs, qui magnâ charitate, ac diligentiâ, per plures annos illam bis intrà septimanam adibat, ut exciperet ipsius confessionem, & propter alia, quæ ei committebat: eâdémque occasione, me volente, illi referebat, quæ ipsi cum Domino acciderant; ille verò omnia fideliter consignabat, ac deinde ipsi exhibebat, ut dispiceret, an aliquid addendum existimaret, vel omittendum: atque ità correcta mihi tradebat, & ego eadem cum ipsa conferebam, ac iteratò corrigebam.

§. III.

§. III.

Jubet Christus Dominus Confessarium è Societate JESU hæc scripta disponere, ut suo tempore evulgentur.

POst hæc intellexi ex relatione Marinæ, DEI voluntatem esse, ut Societas, atque speciatim ego (donec viverem) utpote ipsius Confessarius, haberem curam earum chartarum, ut redigerentur in ordinem, & suo tempore evulgarentur: atque à Sancto Patre Nostro Ignatio, jussa fuit mihi dicere, *ut hoc faceremem, tanquam si ad me unicè spectaret, quemadmodum spectabat; sciremque, esse partum domesticum:* quibus ultimis verbis significavit, à Domino DEO assumptam fuisse Societatem pro instrumento, ad conferendas illi has gratias, atque ut ipsa illam suâ educaret doctrinâ & institutione. Habitâ hac monitione cœpi dubitare, bonúmne foret, statim hac de re agere, priusquam me è medio mors tolleret, quæ continuè meis oculis observabatur, & quia id procrastinabam, Dominus in Vigilia Sancti Petri, anno 1614. (qui ætatis Marinæ erat sexagesimus) gravi & imperiosâ voce illi dixit: *Audisne? jam est tempus, ut redigantur in ordinem, quæ tibi contigerunt, & gratiæ tibi à me præstitæ; dic tuo Confessario, ut id citò faciat, acsi tibi, vel ipsi, paulo post esset moriendum: hoc enim statuto tempore eveniet.* Isto monito, & judicio gravissimorum Patrum Societatis permotus, accinxi me ad opus quàm secretissimè, donec adesset tempus illius publicandi, quod esse consuevit post mortem personæ, cujus gesta conscribuntur.

Et quantumvis id exequi fuisset facile, si secutus fuissem ordinem, quo suas ipsa res conscribebat vel dictabat; quia tamen omnia erant indigesta, transiliebat enim ex his ad alia, & quædam interrumpebat, ut ad prorsus diversa transiret, judicavi è majore DEI gloria futurum, si assumerem aliquem modum, quo clariùs ac distinctiùs exponeretur excellentia & sublimitas mysteriorum nostræ fidei, ac mirabilium operum, quæ Divina Majestas in ista sua famula, & per illam, operata est, etsi quandoque non haberetur ratio ordinis temporum, ubi illum sciri parùm referret: semper tamen fui sollicitus, ut non recederem ab ejus stylo & verbis, eò quòd mihi viderentur ipsiusmet esse DEI, & ex ejusdem inspiratione magis genuinè manifestarent mysteria, quàm alia, quæ visa fuissent elegantiora; demptis etiam nonnullis, quæ ipsa adjungebat ac repetebat, ut se magis aperiret, vel declararet repugnantiam, quam sentiebat, in acceptandis adeò insuetis gratijs, donec adigeretur ad illas admittendas. Quas equidem repugnantias repeto sæpius, ut sint instar theriacæ, seu antidoti, contra venenum, quod solent haurire Tirones & imperfecti ex lectione hujusmodi revelationum, dum similium vana concipiunt desideria: quod non facient, videntes Venerabilem Marinam se, ità illas recusando, cautéque admittendo, dignam reddidisse, ut eas consequeretur, dum conaretur pro viribus viæ communi ac tritæ veratum ac solidarum virtutum insidere.

§ IV.

Partitio primæ Partis hujus Historiæ, in sex Libros.

QVapropter contenta in hac Historia, quæ sunt innumera, neque minùs proficua, quàm gloriosa, redigemus in sex Libros. Primus Liber comprehendet extraordinarias vias, quibus illam DEUS duxit, combinatas ex admirandis favoribus, horrendis cruciatibus, & eximijs virtutibus: quæ tria hujus vitæ sanctitatem reddunt undequaque absolutam, ac perquam stabilem; secundùm illud dictum Ecclesiastis: *Funiculus triplex difficilè rumpitur*, quia favores ac dona, absque crucibus, facile consuevit vincere superbia, præsumptio & vana gloria; cruces autem ac tormenta, sinè gratiarum solatijs, nullo negotio præcipitant in impatientiam, tædium & pusillanimitatem spiritûs; & virtutes absque prædictarum duarum rerum mixtura nunquam sunt solidæ, nec robustæ, neque bene probatæ, ideóque facilè illas superat pigritia ac tepiditas cordis: quando verò omnia tria sunt conjuncta, faciunt sanctitatem excellentem, & quasi inexpugnabilem. Atque hæc tria generatim erunt argumentum istius primi Libri, qui exhibet specialium rerum fundamenta, quæ singillatim referuntur in sequentibus Libris.

Secun-

Secundus Liber erit de admirandis revelationibus, quas habuit, de mysterijs nostræ Redemptionis, quæ fuerunt materia ipsius orationis & contemplationis, tam ordinariæ, quàm extraordinariæ, nec non de magnis gratijs, quas in illis est consecuta. Specialiter verò in eo agitur de mysterijs vitæ Christi Domini, de ejus Passione, Ascensione & Adventu S. Spiritûs, atque de institutione & Festo Sanctissimi Sacramenti: præterea de Vita Beatissimæ Virginis, incipiendo ab ipsius Nativitate; ijs, quæ concernunt purissimam illius Conceptionem, ob singulares causas, dilatis ad finem Libri quarti, ubi etiam agetur de ejus Assumptione.

Liber tertius est de admirabilioribus revelationibus, spectantibus ad mysteria Divinitatis, & Trinitatis Divinarum Personarum, ac ad æternam sanctorum felicitatem, quam ipsi DEUS dedit delibandam, conferendo illi alias insuper eximias gratias.

Liber quartus complectitur speciales revelationes, quas habuit de officijs & excellentijs Angelorum Custodum, ac Sanctorum, qui illam frequenter invisebant, præsertim verò de prærogativis Beatissimæ Virginis sine macula Conceptæ, & Assumptæ, unáque res insigniores, quæ illi cum ijs Sanctis evenerunt.

Quintus Liber erit de rebus memorabilibus, quibus juvit animas Purgatorij, & promovit salutem proximorum, cùm illi DEUS manifestaret omnium miserias, & quæ ipsi essent agenda, dicenda, ac scribenda pro ijs adjuvandis; ubi refertur doctrina, pro consequenda perfectione, quam à DEO didicit, & scribere jussa fuit ad profectum eorum, qui sunt addictiores tractandis rebus spiritualibus.

Denique Liber sextus erit, de heroica ipsius perfectione, quæ enituit in modo, quo toleravit suos terribiles cruciatus, & exercuit omnis generis virtutes, atque de raris gratijs, quas illi DEUS præstitit, additis præclaris promissis, concernentibus ipsius obitum.

PRI-

PRIMA PARS MIRABILIS VITÆ MARINÆ DE ESCOBAR.

De extraordinarijs vijs, quibus illam DEUS, jam indè ab ejus principijs duxit, per admirandas gratias, horrendos cruciatus, & eximias virtutes.

LIBER I.

CAPUT I.

De ejus Parentibus, educatione, & virtutibus ætatis puellaris.

VEnerabilis & Illustris Virgo Marina de Escobar, nata est Vallisoleti, anno millesimo, quingentesimo, quinquagesimo quarto, octavâ die Februarij. Filia fuit nobilium Parentum; Patrem habuit Doctorem Jacobum de Escobar, oriundum Civitate Roderici; Matrem Margaritam Montanam Montis-Serratensem, filiam Doctoris Bernardini Montanæ, qui fuit Protomedicus Imperatoris Caroli Quinti. Ambo eminuerunt virtutibus Christianis, ac timore DEI, imprimisque Pater excelluit, non solùm virtute, verùm etiam doctrinâ Juris, tum Civilis, tum Canonici: gessit munus Advocati in Regia Cancellaria Vallisoleti, docuitque multo tempore, in insigni ejusdem Urbis Universitate. Deinde Ossunæ fuit Gubernator illius Ditionis, postulatus à Duce, & honoratissimum inter Juris Doctores obtinens locum, primariam in Academia quadriennio explicuit lectionem: postea redijt Vallisoletum ad suum pristinum officium, tametsi non diu Advocatum egerit, eò quòd esset quàm timoratissimæ conscientiæ. Reversus autem ad docendum in Universitate, obtinuit Cathedram, è qua Sextum Decretalium

lium est interpretatus: in cujus sincera petitione apprimè demonstravit Christianam suam virtutem, benedicente DEO ipsius æquitati, cùm nullo iniquo uteretur, vel fucato medio, quod illi adversaretur. Verùm id, quod ego, qui tum discipulus scholam frequentabam, plurimùm mirabar, erat tam ejus modestia & compositio exterior, unáque tanta gravitas, tranquillitas, ac moderatio actionum, ut præclarum præbuerit toti scholasticæ juventuti exemplum.

Sed ut hujus Viri sanctitas appareat, sitq; exemplo constitutis in illius officio, refemm hîc vitæ ab eo gestæ methodum, ùt ejusdemmet examta manu reperta est in scrinio armarij, ubi sua reponere solitus erat scripta, his conceptis verbis:

Norma, juxta quam cogito, DEO juvante, instituere meam vitam, est sequens:

IN primis, ubi manè surrexero, preces aliquas fundam ad Beatissimam Virginem, conferam me ad Sacrificium Missæ, & diebus Festis ad Concionem; quam audiam attentè ac devotè, rogando DEUM, ut mihi ignoscat errata, détq; gratiam sibi serviendi, impertiatur etiam verũ dolorem de meis peccatis. Statuo, ubicunque me esse contigerit, non consentire murmurationibus; impedire, & reprehendere juramenta; dare bona consilia; ignoscere offensas, & super omnia æquanimiter pati ac tolerare injurias, afflictiones & adversitates, quarum se mihi offeret occasio: visitare quoq; quotidie aliquem infirmum, eundem solari, & ipsi suppeditare, quantum opportunè potero; adire afflictum solatij præbendi gratiâ; comitari ad sepulchrum vitâ functos, largiri eleemosynam, corde hilari, cuivis illam petenti, juxta meas facultates; pauperes, quos reperero in vijs & plateis, diversorio carentes, excipere hospitio, ac reficere, & offerre illis cibum ac potum, nec non vestitum, prout mihi fuerit possibile, considerando, me domo excipere Christum Dominum, qué is pauper repræsentat: diligenter curare, nè ullus à me abeat tristis, ac desolatus, sed potiùs lætus, & recreatus; gestare cilicium, vel funem super nudam carnem; flagellare me semel qualibet septimanâ; jejunare, non solùm, quando id præcipit Ecclesia, sed pridie etiam cujusvis Festi Beatissimæ Virginis, &, si potuero, ferijs sextis: accedere statis diebus ad Audientiam; lites, quarum suscepero curam, diligenter legere, ijsdémque magnum studium impendere; sistere me & comparere, informare scripto, vel oretenus; non agere tyrannicè cum litigantibus; loqui illis comiter & amicè: præterea dictare lectiones scholasticas studiosè elaboratas, & pro discipulorum profectu; contemplari subinde, suppetente mihi tempore, Vitam & Passionem Christi Domini; considerare accepta à DEO beneficia, eique pro illis gratias referre & laudes; amare ipsum, & illi servire propter ejus bonitatem.

Hæ sunt Leges, ad quas vitam exigebat iste DEI Servus, quam non dispar subsequuta est mors: tam enim certum est, eum frui cælesti gloriâ, quàm est certa ista hæc Historia, siquidem à Filia sua postea sæpe fuit conspectus in cœlo inter alios sanctos, ab eadémq; auditus, dum dulcissimis illam solaretur alloquijs, ùt deinceps videbimus.

Ex ista adeò integra ac sancta radice, enata est felix hæc planta, minimè dissimilis suo Patri; qui tres jam habens filias, at prole carens masculâ, hanc à DEO, non tamen absque resignatione in ipsius voluntatem, instantissimè petebat: atque cùm eo teneretur desiderio, sensit quandam inspirationem, seu vocem DEI sibi internè dicentis, futurũ, ut, si illi filios negaret, daturus esset filiã, plus ei allaturum cõmodi ac emolumenti, quàm multi adferrent filij, cui esset insignes præstiturus gratias: quod illum magno affecit solatio. Hoc autem post multos annos fuit revelatum isti Famulæ DEI ab Angelis, qui illi semper assistebant, ut eam solarentur in acerbis quibusdam cruciatibus, quos patiebatur. Nata igitur ipsi est quarta filia, quam vocavit Marinam, admodum conformis Parentibus, quoad naturalẽ bonitatẽ, quæ disponit, plurimúmq; confert ad virtutem. Siquidẽ enim illam DEUS ad sublimissima eleva-

re

re decreverat dona supernaturalia, voluit selectorum pro ijsdem donorum naturalium jacere fundamentum, dotando ipsam mansuetâ & suavi indole, ingenio docili, & prompto ad imbibenda bona documenta, ac monita; apto intellectu ad quidlibet condiscendum, ac bene percipiendum, quod doceretur; præclarâ ad retinendum memoriâ, nè obliviscereturque, quod semel didicisset; judicio pacato & moderato, cui non deesset naturalis modestia & gravitas, quam demonstrabat verbis & factis, quæ omnia longè magis postmodum gratia perfecit. Sed quia profundissimâ opus fuit animi demissione, ut tam excelsum ædificium, quantum erat erigendum, staret quàm securissimè, placuit DEO fundamenta pro eo ponere, dum naturâ illi dedit mirè verecundam, & vehementer in proprijs rebus meticulosam, ità ut hic metus, à quo frequenter & quàm potentissimè invadebatur, ei freni instar esset, atque calcaris: instar freni quidem, nè evanescereret, nève sibi fideret; instar calcaris verò, ut recurreret, confugerétque ad DEUM, à quo omne dependebat ipsius auxilium, ac robur.

Præterea illam DEUS etiam voluit esse ab ipsa infantiæ præditam singulari quadam propensione ad ea, quæ virtutem concernunt, ac pietatem, providendo ipsi de personis, quæ illi in hoc prodessent. Et quamvis ejus Parentes fuerint ità probi & exemplares, ac fuisse dictum est, commodiorem tamen aliam inijt viam: quia, cùm unius esset ac dimidij anni, advenit Civitate Roderici Vallisoletum Avia paterna, ut sui Filij inaugurationi in Doctorem interesset, quæ Neptis sibi cognominis amore capta, domum revertens, ipsam eôdem abduxit, ubi specialem illius gerebat curam quædam ejus Amita, quæ ipsam doctrinæ Christianæ imbuebat rudimentis. Et verò brevi capacem comperit instructionis puellam, quia, cùm vigesimum attigisset ætatis mensem, DEUS illi dignatus est accelerare usum rationis, id quod ipsi postea fuit revelatum. Cùm Decalogi præcepta edisceré cœpisset, necdum biennio, triennióve major, specialiter expendebat primũ, sublatisque ad cœlum oculis, interrogabat magno affectu suam Amitam, quidnam esset, DEUM super omnia amare? illâ verò respondente, esse magis DEUM, quàm suum Patrem, & suam Matrem, ac suam Amitam, & quàm reliqua omnia amare; itemabat frequentissimè ipsa apud se hæc verba: Amo DEUM magis, quàm meum Patrem ac Matrem, & quàm Amitam, quámque reliqua omnia. *Et veluti metuens, ne suam animam alius occuparet amor, quàm Divinus, sæpè dicebat:* Amo DEUM super omnia, & nihil magis quàm illum, sed neq; ita, sicut ipsum. *His intenta affectibus, exquirebat abditos domûs angulos, dicens ad DEUM:* Ibo ad solitudinem, investigatum Te, Vita mea. *Vitabat alias puellas, atque si quod in illis animadvertebat peccatum, tenerè illacrymabatur propter offensum eo DEUM, quem tantoperè diligebat. Cùm esset quadrimula, habiturétque tum temporis cum sua Amita in quodam loco, quatuor à Civitate Roderici leucis dissito, dicto Robleda, præterfluebat ejus domum rivulus aquæ, ultra quem erat pratum: accessit puella ad rivulum, & pratum versùs aspiciens, nescio quid viderit, ut intrà se diceret:* Volo transire istum rivulum, ut ibi quæram DEUM meum: *cúmque jam elevavisset pedem, ut ingrederetur aquam, dixit illi DEUS:* Quid agis puella? expecta, quò vadis? *cui ipsa:* Volo, *inquit*, quærere meum DEUM. *DEUS verò respondit:* Ego ipse sum DEUS, quem tu quæris, & qui te priùs quæsivi: veni mecum; *pergénsque cum ipsa, deductam usque ad domum Amitæ, reliquit in introitu portæ. Quod factum memoriâ recolens, cùm ætate jam esset grandior, dubitabat, verène sibi id accidisset, vel fuissetne imaginatio: & dixit illi ejus Angelus, verè accidisse, siquidem ipse adfuisset, quando ea res evenit.*

Jam tum cœpit multis Christum Dominum venerari precibus, precatoriâ coronâ Beatissimam Virginem, atque alijs orationibus alios Sanctos, quin & supplicare pro animabus Purgatorij, & existentibus in peccato mortali. Quem orandi modum est prosecuta ad annum usque nonum completum, quo domum ad suos Parentes Vallisoletum redijt.

Quàm grata DEO fuerint exercitia ejus puellaria, ipsa deinde intellexit ex quadam

revelatione. Cùm enim aliquando vehementes pateretur cruciatus ac dolores, DEUS, ut illam solaretur & recrearet, quemadmodum consuevent, spectandam ipsi exhibuit terrum consitum caryophillis, & rosis, aliisq; varijs pulcherrimis, & suaveolentibus floribus, quos sigillatim multi parvi Angeli, præferentes speciem puellorum, decerpebant: & confecerunt ex ijs tres, quatuórve fasciculos, impositósq; suis urceis obtulerunt Puero JESU, qui parvulus jacebat in cunis, & elevato capite eos blandè est intuitus, rursúmque recubuit. Illa conabatur, quantum poterat, suo more, oculos ab isto spectaculo avertere, nec volebat interrogare, quidnam id esset, sed ipsius sancti Angeli illi dixerunt, eos flores ejus opem esse, facta in ætate puellari, oblata ab Angelis JESULO, ut indè intelligeret, quàm illi fuerint grata.

CAPUT II.

De varijs rebus, quæ ipsi contigerunt in adolescentia, quibus eam DEUS disposuit pro donis extraordinarijs, quæ illi conferre volebat.

CVm pervenisset Vallisoletũ paucis post diebus illam DEUS incepit expolire, ac aptare pro extraordinarijs gratijs, quas ipsi præstare decreverat, disponendo ac permittendo, pro sua altissima Sapientia, ut varios in via virtutis, prosperos & adversos experiretur casus, quos ipsamet postea recensuit, ùt sequitur. Ubi tamen advertendum est, nihil grave scienter ab illa commissum fuisse in omnibus ijs, quæ refert tanquam peccata, licèt proprium sit humilibus, ut existiment esse grave id, quod est in oculis DEI leve.

§. I.

Exercetur tentationibus, & scrupulis.

OMnis, *inquit*, virtus, & bonus instinctus, quem Dominus DEUS largitus est meæ animæ, duravit exiguo tempore, quia tanquam fragile vas testaceum, quod nequit infusum continere liquorem, effudi totum, & citò perdidi. Cùm namque decem circiter essem annorum, incepi dissipari, quia DEUS me quasi mihi ipsi reliquit, ut viderem, & agnoscerem, esse donum ipsius, quidquid ante habueram, méque nihil habere, nec posse habere boni ex me ipsa; útque hac ratione Divina ejus Majestas in me profunda jaceret cognitionis mei ipsius fundamenta, posset; securiùs & firmiùs ædificare, quòd constituerat, si ego indè scivissem proficere. Occasio mei mali fuit, quòd me associaverim cuidam coætaneæ valde petulanti, & non bonæ indolis puellæ, à qua didici quasdam petulantias, ac jocos non adeò modestos, & singularem habere curam componendi capitis, concinnandíque capilli; optabam videri tantùm superficie tenus bona, absq; perversa tamen intentione gravis peccati; proferebam multa verba vana, immixtis facetijs, quæ displicebant meo bono parenti; intermisi devotiones mihi priùs consuetas, neque jam orabam Rosarium Beatissimæ Virginis, immemor, ex mea ingratitudine, & incuria, ingentium obligationum, quibus DEO eram obstricta; & in his vanitatibus perseveravi usque ad decimum quartum ætatis annum.

Hoc tempore, Pater misericordiarum misertus meæ miseriæ & perditionis, cùm me deberet deserere, & abigere ad infernum, ùt mea magna peccata merebantur, quæsivit me, instar boni Pastoris, qui quærit ovem suam perditam, ac defert in humeris ad suum ovile; habétque illius curam, & ipsi condolet: hoc modo quæsivit infinita bonitas nostri magni DEI ac Domini, perduxítque ad se istam suam miserabilem, vilissimam, & omnium infidelissimam

simam creaturam. Via, quam hunc in finem assumpsit, fuit, quòd animum cujusdam Patris gravis, & Concionatoris è Societate JESU, nostri cognati (erat is Pater Hieronymus de Ripalda) qui advenerat habitaturus in Domo Professa hujus Civitatis Vallisoletanæ, permoverit, ut inviseret meos parentes. Unde brevi bono ipsius consilio, & sanctis adhortationibus factum est, ut decreverimus omnes expiare peccata apud Patres dictæ Societatis, id quod mea Mater statim est executa, ducens me secum, & reliquas meas sorores; atq; ità mihi obtigit pro excipiendis meis Confessionibus quidam servus DEI, & doctus Religiosus (Pater Dominicus de Samaniego) qui per DEI gratiam, & suâ bonâ doctrinâ, ac instructione me reduxit, effecitque, ut agnoscerem meos defectus & peccata, adhibendo semper diligentiâ, pro sua charitate & providentia, ut proficerem, útque eliminaret ex mea anima, quidquid me impediret, quò minùs progrederer in virtute, & sic intrà pauculos menses, seu septimanas, deperdidi malos illos habitus, quos acquisiveram, & incepi ingenti fervore satagere, ut quàm solicitissimè servirem Domino DEO, & extirparem ex anima mea quàm diligentissimè, quidquid intelligebam illi displicere, essèque ejus offensam; recolligebam etiam me ad peragendas meas devotiones quàm accuratissimè, ac studiosissimè. Legebam assiduè sanctos ac pios libros, conabárque semper exequi doctrinas, & monita in illis tradita; sæpè confitebar singulari adhibitâ operâ, præparando me ad sacram exomologesim, quàm optimè poteram & sciebam, semper præ oculis habendo peccata vitæ præteritæ, ac de illis dolendo, eadémque confitendo. Inserviebam meis Parentibus, & obediebam ipsis exactissimè; educabam & instruebam meas sorores diligenter; peragebam speciales & extraordinarias pœnitentias; jejunabam, vigilabam, & orabam; gestabam cilicia frequenter; me flagello cruentabam, aliáque hujusmodi faciebam; & in isto vivendi modo aliquamdiu perseveravi, quasi quadriennio.

Intra hoc tempus, quasi subitò DEUS, Pater misericordiarum (qui semper invigilat vijs & semitis illorum, quos Divina ipsius Majestas ex æterna sua bonitate & clementia respexit oculis suæ misericordiæ, ut ipsos adjuvet ac deducat ad omne bonum, dummodo nos id nostris peccatis & negligentiâ non perderemus, qualiter ego facio) permisit pro meo majori bono, si hæc ego scivissem agnoscere, indéq; proficere, ut me diabolus tentaret, ac affligeret animam meam, concessâ ipsi, ad id facultate, ut sic evaderem fortior, discerémque panem comedere cum crusta, & scirem, quid sit diabolus, ejúsque insidiæ ac nequitiæ, & quæ sim ego, ac mea debilitas, cognoscerémque Divinam Bonitatem & misericordiam. Proinde me cœpit statim exagitare gravibus, & molestis, multis ac varijs tentationibus, quæ longo tempore meam animam exercuerunt, in magna angustia & afflictione constitutam, diu, noctúque, & sinè intermissione; quamvis, quæ DEI erat misericordia, magis molestaverint animam, quàm in notabile aliquod induxerint discrimen; etiamsi nulla sit tentatio, quæ, nisi nos DEUS juvaret, atque custodiret, non adferret periculum animæ. Præterea affligebat me simul dæmon vehementer timoribus, quòd se mihi esset exhibiturus spectandum, méq; malè accepturus. Ego verò utpote miserabilis ac imbecillis ipsum horrebam, ideóq; me non sinebat solam quiescere, quando me recolligebam ad agendum cum DEO in oratione; excitavit insuper in anima mea tantos, támque molestos & graves omnis generis scrupulos, ut tota essem pusillanimis, & arefactas consumptásque haberem vires miserabilis corporis, anima verò, his omnibus gravissimè torqueretur, nullam habens pacem & quietè, adeò ut si DEUS pro sua misericordia non habuisset meæ miseriæ rationem; mihíque in tanta angustia non succurrisset, fuissem bis tèrve redacta ad insaniam; quia, ùt sum tam miserabilis, debilis, & vilis, non poteram, neque sciebam ullo modo emergere ex ea lacuna, & caligine, ac tenebris animæ, quæ, omnium judicio, mihi vehementer nocebant.

bant. Licèt verò mei Confessarij multùm conarentur curare istam ægritudinem, ac mederi huic vulneri, etiámque ego satagerem, quò me juvarem, non poteramus tamen, nec erat possibile quidquam efficere, quia magnus Medicus ac Dominus sciebat ac volebat, videns id expedire, ut eo tempore essem aperta, eáque ratione expugnaretur malignus humor, qui latere poterat intrà animam, unde postea evaderem purior. Ista crux erat valde diuturna & gravis, quia duravit quasi quatuordecim annis, à decimo quarto meæ ætatis anno, usque ad annum circiter vigesimum octavũ.

§ II.

Quomodo ex proposito inceperit vacare orationi mentali.

POstquam progressa fuissem eâ viâ, quam exposui, primis quatuor meæ conversionis annis, quibus habui dictum conscientiæ Arbitrum, & ille fuisset missus aliò, datus mihi est Confessarius alius Pater, magnæ virtutis ac spiritûs, multúmq; deditus orationi (Pater Antonius de Leon) qui me ingenti suscepit charitate, & affectu, conatusque est me semper promovere in virtute; ac in primis mihi continuè suadebat, ut me DEO conjungerem, continuando amplius orationem mentalem: dicebat enim, nunquam à se visas fuisse animas, quæ magis virtute excelluerint, quàm deditas orationi; quod ego non invita faciebam, quia Dominus DEUS me suâ inspiratione perurgebat, ut huic viæ insisterem, dederátque mihi illius orationis gustum ab ipsis meis principijs. Siquidé recordor, quòd aliquando, dum essem adhuc puella parvula, neque scirem, quid esset mentalis oratio, diu consideraverim mysteria vitæ Christi Domini, non absque magno gustu & solatio meæ animæ, ex quo tempore mansi addicta illi exercitio. Propterea, accedente persuasione Patris, promptissimè suscipiebam eam instructionem, statimque incipiebam mea orationis tempora observare cum insigni voluptate & solatio spirituali; quia Dominus DEUS me subitò cœpit consolari. Agebat mecum ea in re tanquam cum infante ac debili, præsertim initio, communicabátque mihi Divina ejusdé Majestas eximios sensus, quando ruminabam mysteria Vitæ, & Passionis Dominicæ, replendo meum os melle ac lacte, ut me ità ad se traheret, redderétque mei ipsius immemorem, præsertim verò mihi bene erat, & experiebar magnum profectum ac solatium, quando me crucifixi Domini pedibus affigebam: ibi erant meæ deliciæ, & mea prima ac ultima statio: judicio quoq; mei Confessarij hac viâ proficiebam. Quodam die, qui antecedebat Festum S. Michaelis, mihi præstitit Dominus DEUS magnam gratiam, quamvis tunc, necdum videlicet versata in eo exercitio (etsi eam senserim) non intellexerim fuisse gratiam adeò extraordinariam, adeóque pro me novam. Ea verò fuit, quòd illâ nocte, post meam recollectionem, cùm irem (ut quidem putabam) cubitum, mihi ex improviso comparuerit Christus Dominus, præseferens speciem & habitum, quo Pilatus ipsius Majestatem eduxit ad populum, quando dixit: *Ecce homo.* Quam visionem ego non modicè admirans, dum expenderem eam novitatem, vix potui integrâ nocte dormire; ità siquidem illa animam reddidit attonitam, ac abstractam, atque accendit amore illius Domini, quem videram, ut ipsum non potuerim ex meo corde & anima mea evellere: Unde postridie adeò stupebam, & ardebam amore ejusdem Domini, ut, cùm me Mater mea ad spectandas nundinas, quæ eo die Vallisoleti celebrantur, magis coactam, quàm volentem duxisset, quando me adverti esse in foro inter tantum populum & strepitum, vix sciverim, quomodo illuc devenerim, feréque non viderim, neque intellexerim, quid illic ageretur, quia habebam animam quasi totam sancto illo amore occupatam, & sensus exteriores veluti sopitos. Eo tempore incidi in gravem morbum, ex quo ter existimabar moritura. Passa fui gravissimos dolores atque cruciatus, quos ego libenter amore Domini mei tolerabam, & speciali afficiebar solatio, quando cogitabam, quòd me DEUS vellet ad se assume-

re.

re. Sed quia necdũ advenerat hora, quam Divina decreverat Majestas, eodem momento, quo sumebam Venerabile Sacramentum, convalescebam, & sanabar à febri, id quod tribus vicibus accidit. Propterea obstupescens medicus, & qui aderant spectatores, dicebant, quotiescunque me cum periculoso morbo conflictari animadvertebant, ut curarer medicinâ epuli Eucharistici, quæ pro me sola illis esse efficax videbatur. Eâ infirmitate fui vehementer debilitata, adeò ut nunquam ampliùs vires habuerim pro tantis pœnitentijs, quantas antea peragebam, vel ut attentè, ac tam diu me impendere possem orationi, in qua priùs eram solita noctes cõjungere diebus, quamvis in ea me DEUS, ùt sæpe consueverat, magnâ exercuerit ariditate, & alijs gravibus ac importunis diaboli tentationibus, verúmque etiam sit, quòd mihi Dominus DEUS his annis magnam istam præstiterit gratiam, ut me frequenter in exercitio orationis præservaret, nè inquietarer à dæmone, aut affligerer continuis ipsius molestis tentationibus ac scrupulis, quemadmodum faciebat toto eo tempore, & omnibus illis annis, de quibus sum locuta. Per hoc etiam tempus bis peregi confessionem generalem, præmissâ optimâ, quam adhibere potui, & scivi, præparatione, conando omnibus viribus meis in illa placere Domino DEO, & meam mundare animam ab omnibus meis culpis & peccatis. Progredienti mihi hac ratione & viâ in meis exercitijs, dabat Dominus DEUS multas bonas inspirationes, & sancta ac ferventia desideria, præsertim verò sensi vehemens & speciale, diúque durans desiderium, ut fierem Monialis Carmelitana discalceata; sed hoc mihi propter defectum valetudinis, & virium non concedebat meus Parens ex consilio medicorum, quia ipsis, secundùm eorum principia, videbatur esse impossibile, ut perseverarem in illa Religione tam rigida & austera, ideóque mea desideria non fuerunt mandata executioni, eò quòd non essem digna tam beato & cœlesti statu, ac propter alia, quæ Dominus DEUS novit: sunt enim incomparabilia judicia ipsius, nec illa potest ullus comprehendere. His annis, eóq; tempore, multas patiebar persecutiones à quadam persona, quæ ob nonnullas causas, ipsius opinione non malas, perperam de me loquebatur, volebátque quibusdam vijs impedire mea exercitia orationis & confessionum, ac audiendarum concionum, nec non operum charitatis erga proximos, atque adeò me quàm sæpissimè affligebat, ut propter meam pusillanimitatem caverem, nè illa persona resciret, quid agerem, méque idcirco persequeretur; neque auderem ipsâ vidente gratificari, vel aliquid benevolentiæ exhibere pauperibus. Patiebar etiam illis annis aliam afflictionem, pro me non exiguam, quòd videlicet mihi semper deesset tempus pro meis exercitijs, propterea quòd obediendum fuerit Parentibus, qui me multùm occupabant præstandis sibi obsequijs: licèt enim verum sit, fuisse ipsos ex honoratioribus, & primoribus, ideóque habuisse ancillas, quæ suffecissent ad inserviendum ipsis, eorundémque prolibus, mea tamen Mater, utpote admodum prudens, semper suas filias cum ancillis exercebat negotijs domesticis, atque me imprimis perpetuò occupabat educatione ac instructione mearum sororum minorennium, & alijs quibusdam rebus: quo fiebat, ut me semper deficeret tempus, eò quòd illis inservirem speciali solicitudine, & promptitudine, ut adimplerem quartum DEI præceptum, qui nos jubet honorare nostros Parentes, ijsdémque obedire, & usque adeò erga me se exhibebat benignum, ut etiam in exterioribus occupationibus invenirem Divinam ipsius Majestatem, neque distraherer, vel illius ideò viverem immemor, siquidé pro viribus conabar conservare internam sensuum collectionem.

§. III.

Deserit orationem mentalem.

CUm ità feliciter progrederer, magnus DEUS ac Dominus noster, cujus oculi perspiciunt & penetrant abditissimos nostrarum animarum recessus atque affectus, eò quòd ipsi magis videretur necessarium

rium profundiora in me jacere fundamenta propriæ cognitionis, sinè qua est impossibile ædificare firmiter & securè, indulsit denuò diabolo, ut me tentaret, ac probaret per octo circiter hujusmodi meorum exercitiorum annos, dum mihi à confessionibus esset alius Pater valdè pius, doctus, ac spiritualis, quem aliquot jam annis conscientiæ habueram Arbitrum, propterea quòd alter migraverit ad aliam domum. Via, quâ diabolus rem suam cœpit agere, fuit, quòd conjecerit oculos in meam naturam timidam, ut eâ utens, faciliùs voti sui fieret compos: magni namque semper facit, si utatur in suum commodum, dum potest, naturali complexione, ut nos circumveniat: orsus proinde est, me terrere sub specie virtutis, dicendo, huic orationis mentalis methodo multa subesse & magna pericula, ac sæpe, quemadmodum reperitur scriptum, & experientiâ docemur, dæmonem se transfigurare in Angelum lucis, ut nos seducat, ideóque optimum & prudentissimum consilium fore, si vitarem istam occasionem, desererémque hanc viam, & viâ incederem planâ, observando sancta decem præcepta, neque me immitterem profundiùs, ubi fortè commissura essem errores, & habitura molestias, ac afflictiones. Hac ratione meam animam in magnas redigebat angustias, ut nescirem, quid mihi esset agendum, vel quæ via ineunda: reddebat etiam me obliviosam, obscurabátque mihi intellectum; unde fiebat, ut tacerem, neque istam tentationē manifestarem meo Confessario, & sic fui superata. Cùm enim essem adeò timida, & scrupulosa, haberémque ità obtenebratum intellectum, non poteram, neque sciebam intelligere, aut cognoscere hostem, qui ità præseferebat virtutis, & boni consilij speciem: sed nec habebam vires & robur ad sustinendum illum impetum, quia necdū eram profundè radicata in virtute, neque, ut est opus, me multùm solidaveram in mei ipsius cognitione. Quare Dominus DEUS justissimè permisit, ad majus bonum meæ animæ, modò ego indè scivissem proficere, ut me hoc modo deciperet, viderémque ità & cognoscerem denuò, quid essem, ac meam exiguam virtutem, quámque parùm valerem, ac possem absque ipsius auxilio, & misericordiâ.

Postquam ergo aliquot annis virtuti, ut apparebat, studuissem, eámque professa fuissem, & postquam etiam tantas suscepissem à Divina Majestate gratias & consolationes in oratione, tótque bonas inspirationes, propter mea peccata, & occultas ac latentes imperfectiones infeliciter secundò cecidi, quo mihi innuebatur, ut resipiscerem, ac solicitè vias & gressus meos considerarem, quâ incedendum, & ubi figendi mihi essent pedes, atque diligenter scrutarer occultos affectuum & passionum animæ recessus.

Cùm mihi diabolus hoc mendacium persuasisset, continuè me tentando, quod duravit multis diebus, denique ex proposito orationem, quæ est animæ cibus, deserui, & sic prolapsa sum in quandam gravem intellectus obscuritatem, propter quam non videbam lumen virtutis, ut illam exercerem, ac amarem, & in tantam cordis duritiem, ut videretur conversum esse in lapidem, vel metallum, ideóque misera anima non erat potens, aut idonea ad invadendos suos hostes, neque habebat oculos ad ipsos agnoscendos, quin potiùs sinebat se ab illis vinci, dando locum passioni iræ & melancholiæ, quasi non essem amplius, quæ fueram, neque assecuta fuissem à Domino DEO misericordias & gratias, quas recensui, videbatúrque mihi esse impossibile quidquam circumspectè facere. Quando se mihi aliqua occasio offerebat, atque sæpe licèt nulla se offerret, deprehendebam me prolapsam in multos defectus, ac miserias, multúmque exorbitavisse, quia volebam, quæ rationi erant contraria, & insolentia; atque ità molestabam & affligebam meam Matrem & domesticos, quos vexabam meis ineptijs. Quin & ego ipsa miserabilis vivebam, ob has imperfectiones & miserias, in continuo cruciatu, & afflictione, deperdendo pacem animæ, ejúsque tranquillitatem, nec non & sanitatem corporis, atque capitis. Tantum erat meum tormentum, & ea melancholia, ut nisi Dominus DEUS mei fuisset misertus, secun-

secundùm magnitudinem misericordiæ suæ, sæpè insanivissem, propter ingentem meam anxietatem, & perturbationem, ortam ex perpetuis & vehementibus insultibus iræ, & melancholiæ, quia hæc me passio maximè impetebat; & hoc modo omisi gustum rerum pertinentium ad devotionem, adeò ut mihi elaberentur multi dies, quibus nè quidem orabam Rosarium Beatissimæ Virginis, &, si illud quandoque orabam, faciebam id valde tepidè ac aridè, & sine animi collectione; non libenter audiebam conciones, ideóque perpaucis intereram, & quasi nullis, prætendendo defectum valetudinis; confessionem peragebam rarò, differendo illam diutiùs, quàm consueveram, quia ab una confessione ad aliam tres vel quatuor labebantur septimanæ. Hac ratione, & in his passionibus agebam vitam vehementer afflictam, ac molestam, tum mihi, tum alijs, qui mecum versabantur, ità ut nihil aliud possem præstare, quantumvis id toto desiderarem conatu, quia tantopere illæ passiones meâ animam subjugaverant, ut mihi videretur impossibile, emergere ex illo pelago miseriarum, nisi me Dominus DEUS indè erueret, cujus erat totum illud opus. Quia verò jam degustaverâ Dominum DEUM, remanserat nescio quid in anima de ipsius Majestate: quo fiebat, ut inter has miserias & anxietates suspirarem & gemerem, optans illum statum pacis, ac tranquillitatis, quo propter mea peccata excideram, diceremque Domino DEO aliquando lachrymans: Quid est hoc, mi Domine? Quis me perduxit ad tam lugubrem & miserabilem statum? In hunc modum vixi circiter quinque annis, quo tempore Confessario utebar diverso ab illo priore, qui discesserat ad missionem Indicam: & vehementer ipsum molestavi meis defectibus, miserijs, & melancholijs; sic enim eas ille appellabat, ideóque faciebat, quantum poterat, quò me consolaretur.

§. IV.

Iterum se tradit orationi, cum majore tum applicatione, tum fructu.

EVolutis his quinque annis, trigesimo tertio ætatis meæ anno, dignatus est me Dominus DEUS, pro sua misericordia, & ex incomprehensibilibus suis judicijs, secundò vocare, & extrahere ex hac miseriarum atque cœcitatis abyssò, in qua vivebam; non autem plectere mea peccata, gravibus pœnis, quas talis merebatur ingratitudo, & irreverentia, ut ità in me magis agnosceretur ipsius bonitas & misericordia, utque deinceps timerem ac tremerem coram Divina Majestate, tanquam eo Domino, quem toties offenderam, & ex cujus domo ac protectione excesseram. Ut ergo Divina Majestas, opus, adeò suâ bonitate & misericordiâ dignum, perageret, cœpit cordis mei duritiam emollire, disponendo illud, pro imprimendis in eo favoribus, & gratijs, quas sua Majestas constituerat mihi conferre, secundùm sua altissima, & incomprehensibilia judicia, ut sic magis cognosceretur, ac laudaretur à suis creaturis ejus magnificentia, & bonitas, ac misericordia; eò quòd non repellat à se peccatores, neque dedignetur aut renuat cum illis agere, & conversari, quin imò eos quærat, trahatq; ad se, si nos ipsi non fugiamus, sicut apparuit, atque tam clarè in hactenus dictis, patuit. Postquam igitur dispositum, sicut dixi, & emollitum fuisset cor meum à manu Domini DEI, incepi quadam Quadragesimâ experiri novum gustum in anima, ac desiderium audiendi conciones, haberi solitas qualibet feriâ sextâ, cujusdam Patris è Societate, in quibus ingenti spiritu, & fervore egit de materia magni momenti, quâ scilicet ratione Dominus DEUS, cùm posset multa media pro nostra salute ac remedio assumere, elegerit suam sacratissimam Passionem, & quomodo hoc fuerit aptissimum, ad finem, quem sibi Divina Majestas proposuerat. Percipiebam magnum fructum ex auditione istarum concionum, quia cor in dies illâ Divini Verbi medicinâ aliquantò magis mollefiebat: præterea etiam Dominus DEUS, videns meam miseriam ac imbecillitatem, quódque nihil possem, removit à meis oculis quasdam occasiones, quæ

me ſpecialiter affligebant, & impediebant, nè emergerem ex eo pelago miſeriarum. Hunc in modum de die in diem plus experiebar ſolatij, & fructûs in mea anima, opitulante mihi DEI gratiâ, & his Divinis ſubſidijs, adeò ut citiſſimè fuerim liberata ab omnibus illis miſerijs: quia namque illud opus totum erat DEI, perfectum eſt à Divina Majeſtate, quando ipſi libuit, me, ut mihi videtur, valde parùm collaborante. Taliter perveni paulatim, DEO juvante, ad ſtatum peculiaris cujusdam guſtûs, ac ſenſus, & cognitionis DEI, ipſiusque perfectionum, gratiarum, & mirabilium operum, intermicantibus in mea anima repentinis irradiationibus luminis, revelantis mihi tanta myſteria, ut ſæpe obſtupeſcerem, & quaſi à ſenſibus abalienarer, cùm ità colluſtrata viderem & cognoſcerem res tantas, modò de Magnitudine immenſæ Majeſtatis DEI, modò de illius Omnipotentia, & ſubinde infinita ejusdem Sapientia, aliisque Divinis perfectionibus. Sub initia iſtarum gratiarum, quas mihi Dominus DEUS conferebat, me gerebam inſtar cujuspiam rudis ac ſimplicis ruſtici, cui Rex præſtitiſſet gratiam veniendi ad ſuam aulam & palatium, ibique oſtendiſſet ſuas divitias, ac magnificum apparatum, qui conſpectis tantis rebus, nunquam à ſe viſis, admiraretur, & ſtupens ac attonitus omnia perluſtrando interrogaret, quidnam hoc eſſet, illúdve? Ità mea anima in his principijs hærebat, & obſtupeſcebat propter tantarum novitatem rerum, quas videbam, & quæ mihi exhibebantur. Hac ratione me ſibi Divina Majeſtas addixit adeò, ut jam occupata à ſancto ac Divino ejus amore, & quaſi nonnihil mei ipſius oblita, dum illum mea anima quæreret, ardens eo igne, quem eadem Majeſtas in ipſa excitaverat, anhelaret ad ſuum dilectum, quando ipſi videbatur abſens. Cùm ità progrederer, Confeſſarius meus, & Pater ſpiritualis, qui tantopere mecum laboraverat, ſingulari fuit perfuſus ſolatio, videns ea, quæ in me DEUS operabatur, & ipſius gratias, agebatque mecum jam longè aliter, quia me inveniebat ad id diſpoſitam, mortificando me quibusdam in rebus, quantum ferebat mea imbecillitas, & requirebant illa principia. Hoc tempore, & ſtatu meæ animæ, placuit Domino DEO auferre mihi iſtum Patrem ſpiritualem *(Patrem Didacum Perez)* immittendo ipſi gravem infirmitatem, ex qua obijt: unde fui valde deſolata & afflicta, quia mihi ex diuturno meorum ſcrupulorum morbo nihilominus remanſerant quædam reliquiæ, ut cum ijs Confeſſarium mutare mihi fuerit vehementer difficilè, ac præterea, Confeſſariorum judicio, noxium. Atque diabolus videns me ità ſolam, & Patre ac Magiſtro ſpirituali deſtitutam, adeóque perpiexam, ut mihi à nemine viderer intelligi, incepit me torquere & affligere timoribus, ut me non ſineret quieſcere, ſeu ſomnum noctu capere, ingerendo mihi imaginationes, quòd me malè eſſet tractaturus, & invaſurus: ſuſcitabat quoque denuò in anima mea ſcrupulos ac tentationes, ut proinde viverem, quaſi acta in crucem. Sic eram ſeptem vel octo ſeptimanis afflicta, non habens certum Confeſſarium, qui me juvaret, quia mihi nullus videbatur aptus, ideóq; non adibam ordinariè unum, eundémque. Elapſis his ſeptimanis, inſpiravit mihi Dominus DEUS voluntatem, aſſumendi in Arbitrum conſcientiæ quendâ Patrem ex ijs, qui ibi commorabantur, apprimé religioſum, gravem, & prudentem; naturâ tamen non nihil auſterum *(Patrem Franciſcum de Lam.)* Hic Pater mihi cum DEI gratia multum profuit, quia, ſpectato meæ animæ ſtatu, exiſtimabat, ut erat prudens, me confortandam eſſe frequenti ſacrâ Communione. Antehac me cœleſti pane reficiebam ordinariè octavo quoq; die, ipſe verò me id ex obedientia facere juſſit bis intrà ſeptimanam, & quandoque ſæpius. Divino iſto epulo mea anima tantopere fuit corroborata, ut jam eſſem diſpoſita ad patiendum & ſufferendum plus, quàm eatenus, amore DEI, neque ſubterfugerem crucem, aut recuſarem ampliùs tolerare, licèt frequenter poſſem. Dum me ità videret confortatam, cœpit me valde ſeriò, ſecundùm meum genium, & vires mortificare, multisque modis humiliare,

re, adeò, ut me quatuor vel quinque annorum ſpatio ſemper quaſi continuò crucifigeret, licèt neſcirem, nec intelligerẽ, qualia eſſent illa mea peccata, propter quæ ità me tractaret, facerétque ac diceret talia. Sæpe me privabat ſacrâ Communione, cùm tamen ignorarem cauſam, nec ipſe mihi eam diceret: quando verò illam dicebat, innuebat mihi, hac ratione me non progreſſuram ulteriùs; id quod me vehementer affligebat, & cruciabat. Subinde me magna cum ſeveritate, & quadam cholera, quæ mihi incutiebat tremorem, reprehendebat de eo, quod nec feceram, nec dixeram, neque cogitaveram: & nullam omninò admittebat excuſationem (neque ego ipſi illam adferebam, ad excuſandum id, cujus me arguebat) cum interminatione gravis pœnæ. Abigebat me aliquando, & pellebat ex ſua ſede confeſſionali, dicens, nolle ſe ampliùs mihi confitenti aures præbere, eò quòd non eſſem obediens, humilis, vel aliquid aliud, quod ipſi dicendum videbatur, permittebátq; me hoc modo aliquot diebus cruciari, & vehementer affligi, quamvis ipſum rogarem, & per amorem DEI obſecrarem, ut me reciperet, atque ad homologeterium ſuum admitteret; quia propter fructum, quem mea anima capiebat ex ejus inſtructione, deſiderabam illum habere à confeſſionidus, donec Domino DEO aliud ſtatuere placeret. Quádam autem vice, etſi non eſſem rea culpæ, quam mihi Pater imputabat, mortificavit me tribus menſibus, reprehendendo me quotidie ut ream, & negando mihi quibusdam diebus Communionem, quòd mea anima valde ſentiebat; aliàs verò eam mihi cómutando, & transferendo in alios dies, quàm ſolita eſſem ipſam adire; nunquã illi quidquam, quantumvis parcè, dicebam per illos menſes, quin me idcirco reprehenderet, ac mortificaret, dicerétque me neſcire, quid dicerem: & ſemper, ac in omnibus me rigidè admodum exercebat, adeò ut notabiliter debilitarer afflictione, & moleſtiâ, quam mea anima ex his percipiebat; cogitabam enim quandoque, me ſine dubio, magna habere peccata, quæ ego non cognoſcerẽ, quandoquidem Pater ità mecum ageret, quamvis ipſe, ùt erat vir prudens ac diſcretus, nè meæ animæ iſta cogitatio noceret, mihi diceret, non iſtam eſſe reprehenſionum occaſionem, néve illas curarem, ſed commendarem id DEO, ſe enim ſummopere cupere majus meæ animæ bonum: aliquando clarè agnoſcebam, difficile ipſi eſſe ac moleſtum, me mortificare in ijs, quæ ipſe ſciebat me vehementer ſenſurã; quia poſtquam me mortificaviſſet, conſolabatur me, dicebátq; mihi ſubinde, quando aliquid valde grave toleraveram, quòd me præclarè geſſiſſem, & ſicut decet fæminam honoratam, quódque mihi idcirco eſſet ſatisfacturus, concedendo mihi eâ die, & alijs ſacram Communionem. Incidi eo tempore in longam & gravem infirmitatem, in qua ſum paſſa multas afflictiones, ac diverſas moleſtias, non ſolùm quas ingentes adferebat infirmitas, ſed etiam alias perquàm moleſtas & graves, ſimiles ijs, quas ſuſtinui in morte mei Parentis, quæ etiam fuerunt multæ, & valdè arduæ: inviſebat me eo tempore meus Confeſſarius, juvando me multùm, & conſolando.

§ V.

Acquirit alium Confeſſarium, ſibi magis convenientem.

CUm jam quatuor annis iſti Patri fuiſſem confeſſa, quamvis proficerem, quantum dixi, neque me ità mortificaret, ſicut conſueverat, nihilominus propterea, quòd ipſum valde revererer, & propter magnam meam verecundiam, non auderem illi reddere prolixam interni ſtatûs animæ meæ rationem, licèt eam ipſi redderem generalem, quæ ſufficiebat pro mei directione; adverterem autem opus mihi eſſe, ut omnia fuſiùs cuipiam exponerem, qui me diutius audiret, permovit me DEUS ad alloquendum alium Patrem ejusdem Domûs, qui erat ſuavioris naturæ, & magnæ charitatis ac ſpiritûs, cui Divina Majeſtas contulit peculiare lumen ad me cognoſcendam, & intelligendas res meas. Aperiebam illi omnia, atque etiam meos defectus, quamvis nihilominus adhuc confite-

rer alteri Patri, quia nunquam audebam illum deserere, donec tandem, postquam Dominum DEUM instanter rogavissem, ut mihi daret Confessarium, qui mihi conveniret, ad majorem ipsius gloriam & obsequium, consuluissémque graves Patres Domûs, qui mihi poterant suum judicium hac super re dicere, omnes mihi asseruerunt, meliùs fore, si confiterer isti posteriori, qui erat Pater Petrus de Leon, & relinquerem alterum, cui valedixi, atque ipse factum meum probavit. Ex eo tempore P. Petrus de Leon, pro ea magna cognitione, quam rerum mearum jam habuerat, cœpit me regere cum extraordinaria solicitudine, cui ego exactissimè obediebam, non prætereundo vel minimum quid, quoad poteram, & quod intelligebam ipsũ velle, firmâ fide adhibitâ ipsius dictis, nè errarem, útq; me conformarem in omnibus voluntati DEI, cui anima mea desiderabat omnibus viribus placere. *Hactenus sunt illius verba.*

Ex dictis satis apparet specialis providentia, quâ DEUS adfuit huic suæ famulæ, dando illi semper Confessarios aptos ad regẽdam ipsius animam, in statu, in quo tunc erat constituta. Ultimus autem iste illi à DEO datus fuit, quando incipiebat incedere viâ novâ, mirabili, & secundùm se periculosâ ac difficili, eò quòd esset usq; adeò extraordinaria: quia, cùm jam aliquantum perspexisset bonum spiritum, quo agebatur Marina, faciliùs illam dirigebat, præ oculis habendo salutem animæ, nè tamen corporis valetudo penitus pessumiret. Istam providentiam ipsa deinde intellexit, in quadam visione, in qua cã illi pro ipsius solatio DEUS hunc in modum manifestavit.

Cùm, *inquit*, essem collecta in oratione, & propter meam debilitatem decumberem in lecto, vidi Christum Dominum stantem ad meum cervical, & mea anima fuit repleta solatio, quamvis me quodammodo puderet, quòd me invenisset ità decumbentem, seu prostratam (licèt verum sit, quòd durante illâ intellectuali visione animæ non habeam eum usum sensuum externorum, ut possim advertere, an decumbam, nec ne.) Dum ità mihi adesset Christus Dominus, adverti, quòd aspiceret, ac alloqueretur quandam aliam personam aliquantùm distantem, quam ego intuita, agnovi esse meum Confessarium, qui adstabat valde humiliter, & reverenter, capite aperto, oculis demissis, ac defixis in terram, junctis manibus, & invicem superimpositis, coopertus suo pallio, cum magna modestia & verecundia, qualem par est habere coram Divina Christi Majestate. Mirata sum, & habui solatium, quòd illum ibi viderem, quòdque ipsum Divina Majestas alloqueretur; nihil tamen illi dixi, sed eram quasi attonita, dum audirem, quod ipsi à Domino mansuetissimè & gravissimè dicebatur, videlicet: *Animadverte, tradidi tibi istam, ut tua sit: habe illam, ut talem, & custodi, atq; consolare, ac gere ipsius cumm. Dic age, quid tibi videtur?* Quasi diceret: Non feci hoc alijs, sicut potuissem, sed tibi. Ipse id audiebat cum magna reverentia & attentione, annuendo dictis Divinæ Majestatis: ego verò stupebam, & eram attonita, videns amorem istius Domini, quo tantopere prosequitur peccatores, eorundémq; vicem dolet; quia non dubito, quin Dominus, quia me videbat aliquoties desolatam, eò quòd mihi viderer non esse eo loco, ut de rebus animæ conferrẽ cum meo Confessario, & quia aliquando sumebam ex aliquo verbo, quod mihi ille dicebat, occasionem desolationis, propterea voluerit ipsum alloqui, eíque dicere, quod retuli & exposui, ut in eo exequerer voluntatem DEI, non autem satisfacerem meæ. Post hoc rogavi Divinam Majestatem, ut suâ sanctissimâ manu protegeret meum Confessarium, darétq; ipsi suam abundantissimam gratiam, ad placendum illi in omnibus suis operibus. Tum abivit priùs meus Confessarius, ac deinde statim Christus Dominus, relinquens me hinc quidem repletam solatio, inde verò pudefactam, eò quòd coram me talia meo Confessario dixisset, cùm ego propter mea magna peccata essem digna, ut diceret longè alia.

De

CAPUT III.

De modo, quo inceperunt extraordinariæ DEI visitationes.

Differitur de omnibus in genere, ac de bonis, quibus fuit per illas cumulata ipsius anima.

POstquam DEUS famulam suam vidit bene dispositam ad id, quod proposuerat in illa operari, statim applicuit manus operi, facto initio ab apparitionibus, & revelationibus, contingentibus in somno, sicut incepit agere cum Patriarcha Jacob, & Rege Salomone, quæ revelationes juxta Sanctum Thomam, sunt imperfectiores fieri solitis in vigilia, quàm accommodatissimæ tamen incipientibus, nè communicationem hujusmodi rerum attribuant suis industrijs ac meritis, dum vident, quòd eveniant dormientibus, quando alienissimi sunt ab illis petendis, & adhibenda pro ijsdem consequendis ulla diligentia.

§. I.

De duabus apparitionibus in somno.

PRosequens itaque narrationem, quam commemoravimus, sic ait:

Cùm Dominus DEUS in conferendis mihi prædictis gratijs perseveraret, ut inchoaret in ista miserabili creatura id, quod Divina ipsius Majestas secundùm suam bonitatem, nec non altissima & incomprehensibilia judicia decreverat, excitavit in mea anima magna & ardentia desideria, ut ex intimis meis præcordijs ipsum quærerem ac amarem, propterea que investigarem, ubi reperirem Dominum, quem tantopere amabam, ac desiderabam, dicendo illi diu noctúque: *Ubi es bonum meum, & quies mea, quia tui desiderio emorior? ubi moraris Cor meum; ubi te quærã & inveniam infinitum Bonum animæ meæ?* Dum ità aliquot dies traducerem, apparuit mihi Christus Dominus primùm quadam nocte dormienti, & quia illum amabam ex tota anima mea, somniavi, quòd concitato passu, & quasi fatiscens, atque anhela, quærendo DEUM meum obirem quoddam Claustrum & Sacella cujuspiam Monasterij, & quòd ità obambulans ex improviso viderim ac invenerim Divinam Majestatem affixam cruci, in specie tam lamentabili ac Divina, ut una ex parte vulneraverit cor meum dolore atq; compassione, ex altera verò accenderit vehementi sui amore. Cùm igitur ipsum deprehendissem, cucurri sine intermissione, ad amplexandos sacratissimos ejus pedes, & magno affectu, ac reverentiâ, & amore cœpi illi dicere: *Ubi eras Bonum animæ, & Cor meum, quòd te non invenirem? Quærebam ego te omnibus meis viribus, & non te videbam: ubi te abdideras, dic, Bonum meum infinitum?* Dominus autem me quàm amantissimè aspiciebat, audiebátq; loquentem, & ostendebat sibi non displicere, quòd ipsius pedes indignis meis stringerem brachijs. Amplexabar illos sat diu, cùm interim mea anima Dominum suum amaret ex omnibus viribus suis, & recrearetur illo favore. Atque ità expergefacta ex eo somno, in quo anima mea tota fuerat abrepta, retinui ardentissimos affectus erga Dominum, quem videram, quique mihi se jam subduxerat, firmissimè statuens derelinquere amore ejus universa. Et quia hæc intellectualis visio animæ fuerat prima, ac instar somnij, nihilque simile eram experta, fui attonita hâc novitate, & dicebam ad me ipsam: Quale somnium hoc fuit, quòd adeò animam meam abripuerit, adeóque inflammaverit amore DEI, ut ab illo propè nec ad momentũ possim avelli?

Aliâ vice somniavi, me in quodam cubiculo domûs meæ reperisse puerulum duorum vel trium annorum, quem ubi conspexissem, existimavi esse Christum Dominum

minum, cucurrique ad ipsum, ac sublatum in ulnas amplexabar, & osculabar, mirisq; modis ei abblandiebar: dum autem hoc facerem, animadverti illum puerulum esse DEUM, quod me tantopere turbavit, ut subitò ipsum deposuerim humi, cum qua consternatione fui expergefacta. Postridie manè dum irem ad Communionem, jámque sumptura essem sacram Hostiam, videbatur mihi puerulus ille præcedentis noctis amplecti meam animam, unde in me fuerunt excitati tanti affectus amoris DEI, tantáque desideria, ut ijs colliquescerem; quia verò putabam me tantam vim, si ea diu duraret, non posse sustinere, dixi DEO, vellétne me hinc ad se transferre? sed Divina Majestas mihi respondit: Anima, nequaquam: non enim explevisti, quod tibi est faciendum. Triduo, vel quatriduo non poteram istum infantem dimittere ex meo corde, habens animam unitam, atque conglutinatam cum DEO, & quotiescunque recordabar pueruli, exardescebant affectus tantâ vehementiâ, ut, si duravissent, non fuissem illis ferendis.

Hæc duo mysterijs plena somnia habuit ista famula DEI in suis initijs, quorum affectus tam admirabiles certum præbent testimonium, quòd fuerint Divina; quia illos nec natura, neque dæmon possent excitare.

§. II.

Quales fuerint apparitiones in Vigilia.

PLerumque tamen istæ apparitiones contingebant in Vigilia, cùm vacaret orationi, & esset collecta, habens animam vehementer flagrantem amore DEI, ac desiderijs ipsi placendi. Tunc spiritus elevabatur ad videnda mirabilia, quæ illi DEUS manifestabat. Et hæc ipsi quandoque videbantur repræsentari in eodem loco, in quo orabat, aliàs ubi fuerunt peracta, ùt est Stabulum Bethlehemiticum, mons Calvariæ; subinde in alijs remotis, ac diversis locis, sed accommodatis rei, quæ exhibebatur; & interdum abripiebatur ad Cœlum, in quo raptu modò in se deprehendebat indicia corporis remanentis eo loco, in quo versabatur, eò quòd experiretur aliquam respirationem, vel quòd se aliquantùm moveret; modò verò non sentiebat, an ibi corpus remaneret, an abiret unà cum spiritu, quidve cum ipso ageretur, ad eum modum, de quo locutus est sanctus Paulus dicens de suo raptu: In corpore, vel extra corpus, nescio, DEUS scit. *Tamen ità disponebat DEUS (quò suæ familiæ gratificaretur) ut isti raptus fierent ijs locis ac temporibus, quibus non animadverterentur ab alijs.*

In his visitationibus DEUS semper communicabat speciale lumen animæ ipsius, ut perciperet, atque intelligeret ea, quæ illi manifestabat, præsertim verò ipsummet admirandis modis videret & cognosceret, jam ùt est DEUS, & secundùm Divinas ejus perfectiones, ac proprietates Personales; jam modo quodam purè spirituali, & intellectuali; aliàs autem videbat Personas Divinas in specie aliqua humana, in qua solent depingi, ità tamen, ut bene adverteret, corpus assumptum à Persona Patris, vel Spiritûs sancti, non esse verum corpus humanum, sicut Filij DEI, quem ùt hominem innumeris vidit vicibus; & quamvis semel, iterúmq; dubitaverit, an ipsum non conspexisset oculis corporeis, ordinariè tamen illum semper videbat oculis tantùm animæ speciali lumine collustratis, in quo se ei videndum exhibebat jam ùt infantem, jam ùt crucifixum: plerumq; tamen comparebat in sua propria specie, & statura viri adulti, exhibente ætatem triginta triũ annorum, qualis est in cœlo, quæ non est multum procera, neque parva, sed bene proportionata, & quamvis ipsum diversis vicibus viderit indutũ elegantissimo ac admirabili vestitu, is tamen ordinariè erat honestus, coloris ferruginei, seu cerulei obscurioris, protensus ad pedes instar talaris togæ, seu vestis interioris, anteriùs clausæ, qualem gerunt nonnulli Ecclesiastici; supra illam verò gestabat quoddam quasi pallium, ejusdem coloris, brevius dictâ togâ, & carens collari, applicatum humeris, quâ parte erat valde latum: apparebat autem ad collum, & aperturas manicarum quoddam quasi lineum, nitidissimè candicans: capillum habebat defluentem usque ad humeros, in medio discriminatum, & in capite quoddam quasi diadema.

ex au-

ex auro purissimo: atque in his omnibus præferebat tantam authoritatem ac majestatem, ut abundè ostenderet, se esse tam verum DEUM, quàm verum Hominem: atque in primis, in Divino ejus vultu resplendebant radij quidam Divinitatis ac potentiæ, & infinitarum perfectionum, adeò ut cum quadà ex primis vicibus illum eo modo conspexisset, dicat, quòd sibi visa fuerit contremiscere, demiseritq; præ verecundia oculos, propter Divinam ipsius præsentiam, neque sciverit, quid sibi esset dicendum aliud, quàm: Ah, mi Domine, ô Majestas! *Et quia hæc visio est intellectualis, non semper potest, pro solo suo libitu, intueri illius vultum, vel videre vulnera manuum, nisi in ea specie, & eo modo, quo illa cœlitus acceptum lumen illi exhibebat, quod se accommodat affectibus, quos reperit in anima, vel ad quos in ea excitandos datur. Unde quando prædominatur affectus reverentiæ, & propriæ confusionis, demittit vultum, quando verò amor & confidentia, tunc illum erigit ac attollit. In istis apparitionibus sæpius ipsi loquebatur DEUS, non voce sensibili, quam percepisset auribus corporis, sed voce internâ, cumprimis distinctâ & clarâ, quam percipiebant aures animæ. Loquebatur illi verba pauca, gravia, & sententiosa, dicebátq; talia, quæ plena erant infinitâ Sapientiâ ac Bonitate illius Domini, qui ea proferebat; præterquàm quòd in ipsis nihil reperiretur dedecens authoritatem & gravitatem Divinæ ejus Personæ. Aliàs (& hujusmodi colloquia erant ordinaria in oratione) illam alloquebatur, non exhibendo se illi præsentem, sicut fit, si quis audiat alium loquentem in tenebris. Quotiescunque ipsam Christus Dominus affabatur, certo utebatur vocis sono sibi proprio, adeò ut mihi sæpe diceret, quòd illum nôsset ex vultu & loquela, sicut amicus solet cognoscere eum, quo cum multùm versatur: & quod est amplius, quando ipsum aliquoties vidit scribentem ea, quæ deinceps referemus, dicebat, se etiam discernere formam & figuram chamêteris; quandoquidẽ, tam in loquela, quàm in chamêtere, reluceret certus quidam modus Divinitatis, & majestatis ipsi propriæ. Exempli loco erit prima earum apparitionũ, quæ illi contigerunt vigilanti, quam ipsa in suis scriptis refert his verbis:*

Dum quodam die adessem Sacrificio Missæ, dedit mihi DEUS, sub elevatione sacræ hostiæ, lumen internum, cum quo vidi existentem sub illis speciebus sacramentalibus Majestatem DEI, & Hominis veri: aspiciebam illum ego indigna & miserabilis, & Dominus pariter nos aspiciebat ibi præsentes, pauperes creaturas suas. Cohorrescebam, dum Dominum Majestatis, & nos miserabiles, sub eodem viderem tecto, dicebámq; intrà memet ipsam: *Tua Majestas, & nostra vilitas!* atque id me diu tenuit attonitam. Finito Sacro discessi, & Dominus mihi ter quaterve obviàm venit, collocando se ante me, & postquam coram me aliquamdiu stetisset, disparebat; erátq; tantum meum solatium, quod capiebam ex ejus præsentia, ut nihil mihi uspiam præter DEUM meum ac me videretur existere, vellémque ipsum per omnem vitam sequi: quando verò abibat dicebam: *Heu me miserum, quæ procul dubio Dominum meum offendi, ut propterea ab illo sim derelicta!* Plorabam cogitans, ità se rem habere, & proponebam, quòd ipsum non essem amplius offensura. Hinc sum majorem assequuta istius Domini cognitionem, quàm priùs habuerun, ideóque illi magno affectu dicebam: *Bonum meum, etiamsi te non noverim, bene tamen te novi, & quamvis te non videam, bene te video;* & mirabar infinitam Christi Domini sapientiam in se occultando, atque manifestando animæ, quæ etsi ipsum re verâ cognoscat ac videat, non videtur tamen sibi illum cognoscere aut videre, quandoquidem multò plus est quod illam latet, quódque experitur, & nescit explicare.

§. III.

De varietate, frequentia, & præstantia istarum apparitionum, ac de bonis, quæ operabantur.

Juxta hujus visitationis modum continuabantur cæteræ, usque adeò frequentes, variæ,

rix, & præstantes, quoad tum res, quæ illi in ijs revelabantur, tum modum revelationis, ut illa ipsa obstupesceret, & contremisceret ad acceptandas tantas gratias.

Quadam vice, *inquit*, postquam me visitavisset Christus Dominus cum sua sanctissima Matre, dixi illi: O Domine, non sum digna tantis gratijs. Dominus autè mihi respondit: Nunquid non ponderabas in hesternis meditationibus infinitam Potentiam DEI, ipsiúsq; immensam Bonitatem, & quomodo conferat tantas gratias, tam dignis, quàm etiam indignis? quo responso habito conticui, dixi tamen illi secundò: O Domine, qualia sunt ista adeò magna & extraordinaria, quæ mihi dicuntur, ut vix similia legantur contigisse Sanctis? atque, me miseram! ego non sum Sancta. Respondit Dominus: Ergóne mea Potentia est alligata solùm ad id, quod feci? quibus mihi verbis multò ampliùs indicavit, quasi diceret: Mea Fides & mea Lex est immutabilis: in reliquis autè nemo est, qui mihi præfigat terminum, quò minùs præstem gratias, pro meo libitu.

Aliàs cogitans de eximijs gratijs, quas mihi Dominus conferebat, dixi illi: Domine, quis unquam credet, tantas, ac tam mirabiles gratias & favores, quibus me cumulas? Responditque mihi Dominus: Quare non crederentur? nónne fuit majus meum & Bonitatis meæ ac Misericordiæ opus, quòd sim factus homo propter homines, & tantum illorum causâ fuerim passus, quódque vobiscum manserim in Sacramento Altaris? Si hæc tam admiranda opera feci, nunquid non potero minora: atque si illâ Fide creduntur, quâ ratione non credantur ista? Simili modo me longè amabiliùs, aliâ vice pacavit decumbentem in lecto præ magna debilitate, quando dignatus est apprehendere meum brachium, ut me elevaret, eò quòd me ego non possem erigere. Cumque eo demersa profundissimè in abyssum propriæ cognitionis, illi dixissem, me non cõsentire (ut mecum taliter agat) & alioquin me penitus perditum & pessundatum iri, neque id à me posse sustineri, Dominus mihi dixit: Adverte, quid est amplius, an quòd hoc tibi faciam, ut me adjuvante consurgas, an verò, quòd maneam in Sanctissimo Sacramento, ut me sumant ij, quos ego amo, propter quos etiam sumor à tot malis Sacerdotibus? His, aliisque verbis mihi suaviter dictis me disposuit ad consentiendum, ut à Divina ipsius Majestate adjuvarer, unde intellexi suavitatem DEI, in disponendis ità auxilijs, ut faciat, nos velle id, quod antea nolebamus, salvâ hominis libertate.

Hunc in modum me Dominus tam frequenter invisebat, ut aliquando mihi diceret, non esse multum, si quotidie semel invisantur amici, & agebam interdum tam familiariter cum Divina ipsius Majestate, quàm si de rebus meæ animæ conferrem cum aliquo Patre spirituali, avidissimo mei commodi ac solatij, & ille mihi ad mea quæsita responderet, méque quàm affabilissimè instrueret, vel quasi idem Dominus se gereret instar Parentis addictissimi suo Filio, eundémq; amanter alloquentis, & manifestantis ipsi sua secreta, ac respondentis propositis sibi ab eo dubijs. Et verò manifestabat mihi interdum sua secreta, acsi librum coram me aperiret, ut illa in eo legerem.

Hoc fiebat in initijs, ut ipsa ostendit, dum suam narrationem his verbis concludit: Ex eo tempore cœpi rejicere ac deserere ex corde omnia propter hunc Dominum, & odio me ipsam prosequi, ac amare Divinam Majestatem ex omnibus viribus meis, optando & satagendo, ut in universis exequerer ejus voluntatem, útque illum honorarent, & ipsi servirent omnes creaturæ; quò factum est, ut illius gratiâ adjuvante, (ad cujus gloriam hæc omnia recensentur) pervenerim ad eũ statum, ut non jã in me, sed in Christo Bono ac Domino nostro viverem, amando, quàm possem maximè, quod ipse amat, & abhorrendo similiter ab eo, à quo ille abhorret, ídque sine difficultate, & repugnantia: jam enim caro quasi subjecta est spiritui, nec fertur, vel propendet magis in quidquam aliud, quàm in id,

quod

quod ille vult. Et quamvis verum sit, me deinceps passam fuisse aliquas tentationes diaboli, omnes tamen illæ non sunt fundatæ in passionibus immortificatis carnis & sanguinis, sed proveniunt à fraudibus inimici, qui cum strepitu armorum ac tumultibus, vult quasi extrinsecus animam invadere, DEO id, ex incomprehensibilibus suis judicijs, permittente. Quod quidem attinet ad diabolum, ingrederetur in illam, si posset, per qualemcunq; tandem portulam, quam inveniret apertam: sed omnes ipsius insultus, strepitus, ac tumultus semper, quæ est Bonitas & Misericordia DEI, recidunt in nihilum, majorémq; adferunt molestiam & crucem animæ, quàm notabile periculum. Iste est status, in quo me Dominus DEUS per suam tantùm misericordiam modò tolerat, & ego fruendo dictâ pace & quiete, amandóque DEUM ex toto corde & omnibus viribus, velut oblita omnis rei, quæ non est ipse, & omnem in illo spem reponens, vivo simul in magno timore, metuens, ac tremens in omnibus meis operibus, & verbis, atq; cogitationibus, dum semper omnia perscrutor, nihilque prorsus mihi ipsi fido, sicut qui semel iterúmque incidit in dentes lupi, ubi didicit vivere cum timore ac solicitudine. Hæc namque magna bona elicuit, & potuit elicere magnus Magister ac Dominus noster, ex illis malis & peccatis meis, in quæ ex mea miseria, & ipsius permissione sum prolapsa. Atque ità, cum experientia, quam habeo istarum mearum miseriarum, & cum lumine, quod meæ animæ dat DEUS, pro illis cognoscendis, sum, & conservor à Divina Majestate bene sedens in isto cognitionis propriæ fimeto, ut, quidquid cruciat & affligit, vix sentiam; imò mihi facilè videatur & leve, sustinere quidlibet, dum considero modicum, quod patior, comparatum cum tot malis, quæ pati mereor: in hoc præterea loco cognitionis mei ipsius, qui est adeò proprius locus meus, invenio DEUM meum, & illum cognosco ac amo, tanquam Bonum infinitum meum: atq; ipse quærit me miserabilem, méque visitat & consolatur, ac revelat mihi sua Divina secreta, & illuminat me, ut cognoscam ipsius perfectiones, communicans se hâc ratione parvulis, qualis sum ego, eò quòd delicias ipsius sint, esse cum filijs hominum, sicut Divina Majestas dixit, & experientia ostendit: quapropter adoretur, & glorificetur in æternum ab omnibus suis creaturis. Amen.

CAPVT IV.

Quomodo DEVS etiam voluerit, ut nonnulli Angeli ipsi assisterent, pro ejus custodia, & quidam Sancti illam sæpe visitarent, pro ipsius solatio, manifestaverítque illi præstantiam, suavitatem & securitatem viæ, quâ ipsam ducebat.

CVm DEUS vellet famulam suam ducere vijs internis, ac tam novis & inusitatis, voluit illi quoque attribuere aliquos Angelos speciales, qui ipsam per illas ex officio sibi proprio, ducerent, & comitarentur, atque ex singulari gratia ei assisterent, non solùm invisibiliter, qualiter assistunt cæteris fidelibus, verùm ità, ut illos videret ac audiret oculis, ac auribus animæ. Et quia ubique eorum fit mentio in hac Historia, oportet modò aliquid de singulis dicere.

§. I.

De Angelo Custode.

IN primis ab eo statim tempore, incepit se illi spectandum exhibere Angelus Custos, in specie decennis pueri, mirè formosum ac splendidum, & candidâ veste indutum, præseferens in vultu magnam majestatem ac

poten-

potentiam, quam aliquando ex peculiari DEI illuminatione intellexit esse tantam, ut ipsi videretur sufficere ad evertendum mundum. Unde usque adeò fuit consternata, ut multis diebus aliud non ageret, quàm intrà se ipsam diceret: Si unus Angelus tantâ est præditus potentiâ, quantâ iste, quem vidi; qualis erit potentia Domini Angelorum? *Cùm autem ipsi aliâ vice comparuisset eleganter vestitus, atque illa præ modestia nollet ipsius vultum intueri, dixit ei: Siquidem me non vis aspicere, DEUS te illuminabit, ut videas meam fortitudinem. Et subitò illi apparuit instar muri cujusdam fortissimi, quem nulli globi possent perrumpere, non secùs quàm si forent stramineí: talis, dixit tum Angelus, est nostra potentia, pro custodiendis hominibus, ac defendendis contra dæmones. Cum hac potentia, & non minori solicitudine, atque cum adventabat, ut ipsam custodiret, ac tueretur, modo prorsus peculiari, & alio, quàm reliqui Angeli; qui ordinariè cum ipsa agebant, quodam modo humano, sicut amici, aut socij solent secum conversari, ille verò cum imperio, & tanquam Hospes domûs ingrediebatur, & egrediebatur, exaquebatúrque universa pertinentia ad salutem animæ ipsius, docendo illam, dirigendo, exhortando, objurgando, nec non castigando, quando opus erat, & peragendo cætera omnia, quæ prudens aliquis, amans ac solicitus pædagogus, potest ac debet agere cum puero, cujus curam gerit: ipse quoque specialiùs erat quasi minister, & instrumentum DEI in extraordinarijs gratijs, quas illi conferebat; erátq; præterea tanquã depositarius, in cujus manibus & sinu deponebantur spiritualiter cimelia, quibus illam DEUS ditabat, gratiarum, virtutum, ac meritorum, quæ per ea cimelia significabantur. Atque ut intelligeret antiquam esse hanc ipsius curam, quamvis illud usque ad tempus eam gessisset invisibiliter, incepit illi quadam vice enumerare pericula, ex quibus ipsam liberaverat ab infantia, eò quòd illam diabolus jam tum persequeretur:* Non meministi, *ajebat*, quando adhuc puella volebas aliquid extrahere, quod tibi ceciderat inter grandes lapides, unum illorum ruisse, qui supra te labebatur? scias, velim, ipsum fuisse motum à diabolo, ut te mactaret, sed esse à me detentum, quamvis tibi læserit digitos, cujus rei signa etiamnũ in illis habes: neque recordaris, te, cùm aliquando conscenderes quædam præcipitia, fuisse proximam casui? Ecce ego te erui ex eo discrimine. *Atque hunc in modum illi recensebat beneficia, quæ ei præstiterat postea in provectiore ætate, in qua plerumque, dum ipsa pateretur persecutiones & molestias, quas illi dæmon procurabat, magnâ virtute pro ejus defensione aggrediebatur istum potentem hostem, donec illam eriperet ex illius manibus.*

Denique (*inquit illa*) præbitis aliquando indicijs magni gaudij, mihi dixit: Ecce, mihi incumbit, animam tuam adducere ad conspectum DEI. Cùm autem ego perpenderem lætitiam, quam præferebat, & modicum illud, seu nullum à me præstitum DEO obsequium, nec non multa à me commissa peccata, respondi ipsi: Quomodo creatura tam indigna cõparebit coram suo DEO?

§. II.

De alijs quatuor Angelis, quos ipsi dedit DEUS defensores ac socios.

CUm in dies augerentur ipsius miseriæ ac certamina, & infirmitates ac dolores, auxit pariter DEUS sua auxilia: quia procedente tẽpore (circiter quadragesimo quinto anno ætatis) illi attribuit alios quatuor Angelos, qui ipsam custodirent, eique semper assisterent instar contubernalium, quod ipsa humiliter imputabat suæ propriæ imbecillitati, dicens, eam esse majorem, quàm reliquarum animarum, ideóque illi DEUM providisse de majore numero Custodum, tanquam magìs indigenti his auxilijs; & postea refert speciem, in qua illos initio videbat: Agnosco, *inquit*, sentio ac intelligo, peculiariter à DEO illuminata, semper mihi adesse istos quatuor Angelos; atque licèt eos non videam ordinariè, sæpe tamen ipsos video, occurrentibus mihi occasionibus, & necessitatibus naturalibus, quales sunt, dum mihi est surgendum ex lecto, quod à multis

tis annis non possum facere absque speciali auxilio, & illi me suis manibus elevant: tunc autem illorum conspectu tam diu fruor, quàm placet DEO, ut ipsos videam præsentes eo tempore, quod modò est longius, modò brevius. Video etiam illos, & ipsi me eodem modo juvant, quando sum valde debilis, & me non possum movere in lectò. Interdum accidit, ut dum comedo, vel aliud quid simile ago, me intueantur cum amabili quadam cura, ac attentione, & applicatione tanta, ut videantur inusitato amore de me solicitari, dèq; meis, quantumvis exiguis, necessitatibus. In supernaturalibus ipsos video, quando me jussu DEI aliqualiter corripiunt, vel curant quædam mea vulnera, aut morbos, & quando mihi dæmon, actus in furiam ac rabiem, vult inferre aliquod malum, vel nocumentum: tum quoque video, quomodo me defendant & liberent, quávis subinde DEUS nolit, ut illos tali occasione videam, quò plus patiar. *Quod hic asserit, fiebat in principio; deinde enim illos propè semper poterat pro libitu intueri: Duo erant specie tenus majores, duo verò minores, ad eum modum, quo puer decennis excedit septennem. Vestis ipsorum erat tunica protensa ad pedes, coloris violacei, supra quam habebant aliam instar Dalmaticæ cum suis manicis, quæ pertingebant usque ad genua; super istam autem gestabant quoddam quasi pallium, quod ex una parte convolvebant sub brachio: assistebant porrò illi in quatuor designatis cubiculi partibus, non nihil remoti à lecto, unus ex majoribus & alter ex minoribus, suo ordine, ad parietem proximum superiori parti lectica, alij verò duo ad parietem ipsi conjunctum, efformantes quendam quasi triangulum; Angelus tamen Custos semper comparebat ad lecti caput, ante prædictos duos Angelos. Et quia Sancti Angeli, sicut constat ex Sacra Scriptura, sortiuntur nomina ex officijs, quibus funguntur erga homines, exposuerunt ipsi sua nomina, ac proinde intellexit majorem ex illis duobus, qui stabant in una parte, vocari* Fortitudinem DEI. *Hoc enim significat nomen Gabrielis, quia ipsam defendebat strenuè, & conservabat à damnis, quæ illi dæmon inferre conabatur: minor autem appellabatur Raphaël, quod idem est ac* Medicina DEI, *sanabat enim ipsius vulnera, quæ illi dæmon infligebat, & sublevabat ipsam in doloribus. Alij duo stantes in altera parte, habebant nomen conforme suo munere, vocabantúrq;* Missus major, & Missus minor, *utpote missi à DEO: minor illorum ibat ad omnia peragenda, quæ DEO permittente, & ipso inspirante, ab eo petebat, illique commendabat, ut ad consolandos infirmos, vel juvandos afflictos; Major erat quasi superior, & hic ibat ad expedienda majora negotia. Quamvis autem apparerent in specie puerorum, majoris decentiæ causâ; in verbis tamen & operibus demonstrabant sapientiam, potentiam & majestatem Angelicam, ut apparebit ex ijs, quæ de ipsis dicemus.*

§. III.

De alijs Angelis, quos præterea DEUS suæ famulæ adjunxit.

TEmpore alterius vehementis cruciatus, *inquit ipsa*, mihi ob id, quod patiebar, conquerenti, respondit Dominus: Nè affligaris, sicut enim tibi dedi quatuor Angelos, ut tibi assistant, tuiq; curam habeant, ac te custodiant, addam & alium, qui tibi similiter adsit. *Illa verò dixit:* Hoc non, Domine, hoc non: quid de me dicent, quòd habeam tot Angelos? quid dicet meus Confessarius? *Siluit Dominus, & post aliquot deinde horas venit quidã Angelus, in specie pueri duorum annorum, seq; coram ea constituit: sed ipsa se ab illo videndo avertebat, quantum poterat, & in hac lucta transegit octiduum, donec mihi eam retulisset, præcepissemque illi, ne ampliùs reluctaretur, sed aspiceret ipsum, sicut alios quatuor. Quod illa fecit, & iste Angelus ipsi semper assistebat. Quamvis autem appareret corpore puer, erat nihilominus mirum in modum magnanimus, & dixit illi quodã die:* Etiamsi appaream parvus, non est tamen parva mea potentia, cum Divina virtute; *statimque conscendit quendam montem, ad cujus declivitatem decurrebat fluvius, & cùm cederet quendam gestum, intellexit,*

lexit illuminata à DEO, quòd posset illum montem evertere, ac detinere fluvium, eâ potentiâ, quam ipsi DEUS contulisset; & cùm ipsam interrogavissem, scirétne nomen ab illo assumptum, dixit ipsum vocari: Paranymphum. *Quodam die, post tolerutum diuturnum cruciatum, ultra viginti horas, afflicta exposuit manum ex toga, collocans illam supra lectum, & Angelus paulatim accedebat, ut ubi appropinquavisset, admoveret caput ipsius manui, quã illa retraxit. Dixitq; ei Angelus:* Anima DEI, quare me fugis? Quia (*ajebat ipsa*) non eram ita cõposita, ut posses tam propè accedere. *Intellexerat autem, illum venire, quasi ad exosculandam manum: sed Angelus reposuit:* Nos Angeli Dei tantopere æstimamus eos, qui ipsius amore patienter & prompto animo tolerant afflictiones, ut non tantùm ipsorum manus, verùm etiam pedes oscularemur: & si nostra natura Angelica esset capax invidiæ, tangeremur illâ ideo, quòd non possimus pro DEO pati, sicut homines. *Tandem illi DEUS dedit alios quatuor Angelos, qui admirabili modo semper cum ipsa versabantur in cubiculo, quamvis illos non semper videret, sicut priores quatuor: quia ibi morabantur quasi occulti, intrà quandam ædiculam, constructã ex quatuor aureis parietibus, per cujus portulam apertam apparebat elegans aula, in qua ij sancti Angeli residebant, seq; videndos illi exhibebant: subinde verò exibant patrantes mirabilia & cœlestia opera, ad illam consolandam in afflictionibus; qua de re dicetur in Libro sexto.*

§ IV.

Quomodo à Beatissima Virgine, & alijs Sanctis fuerit frequentissimè visitata.

ULteriùs progressa est misericordia DEI erga hanc suam famulã, in designandis ipsi etiam quibusdam sanctis Cœlitibus, qui essent specialiter ejus Patroni, Advocati & Intercessores, illámq; juvarent in omnibus ipsius, tam spiritualibus, quàm corporalibus necessitatibus, modis suavissimis, mirabilissimis, & plenis amore. Hos inter, præcipua fuit Beatissima Virgo, quia Servator noster plurimùm delectatur, si ejus Electi, quibus tantas confert gratias, sint quam addictissimi suæ Sanctissimæ Matri, ut ipsos hac ratione provehat ad excellentem sanctitatem. Sanctissima Virgo frequenter secum adducebat Sanctum Joachimum suum Parentem, & Sanctum Josephum suum Sponsum, ut eam redderet bene erga ipsos affectam. Præterea, qui illam sæpius invisebant, fuerunt Sancti Patriarchæ Fundatores Religionum: inprimis Sanctus Pater noster Ignatius, cujus se reputabat esse filiã; deinde gloriosus Sanctus Dominicus æquè frequenter; ac tum Sanctus Franciscus mirùs: atque hi tres adducebant secum subinde Sanctos suarum Religionum, & manifestabant ipsi earundem prærogativas, nec non alia notatu dignissima, quæ deinceps intelligentur. Agnoscebat verò cœlesti collustrata lumine singulorum sanctitatem, ac dignitatem; atque etiam diversitatem humanorum corporum, cum qua illi comparebant: animadvertebat enim, quando erat corpus verum & unitum animæ, ùt in Beatissima Virgine; & quando erat tantùm apparens, sicut in Angelis, qui sunt puri spiritus; in reliquis tamen Sanctis videbat cum eodem lumine formam corporis, in qua eo modo comparentes illam adibant, esse velut ectypon corporis proprij, quod habuerant, cum aliqua proportione & respectu ad animam: veniebant etiam habentes vestem similem illi, quâ induebantur in hac vita; interdum gestabant vestitum pretiosissimum, in quo, tanquam in speculo, cognoscebat præclaras ipsorum virtutes.

§. V.

Quàm præstans, suavis, & secura fuerit ipsius via.

DEnique, ut DEUS consolaretur suam famulam, voluit ipsi manifestare præstantiam, suavitatem, & securitatem viæ, quâ illam ducebat, ad eum modum, quo Justo Jacob in ipsius principijs exhibuit scalam, quæ pertingebat à terra ad Cœlum, per quam ascendebant ac descendebant Angeli, unáq; se ipsum eidem innixum, ubi illi magna est pollicitus: quod nihil erat aliud, quàm signum

via

viæ rectæ, per quam illam decreverat deducere.

Dum, *inquit*, quodam die scriberem ea, quæ mihi eveniebant, vidi ab anima mea usque ad cœlum, ubi erat Divina Majestas, protendi viam rectissimam, & lucidissimam, quæ videbatur esse quidam Paradisus bonorum. Habebat ea colorem cœli lucidissimi, ac serenissimi, & constabat quasi ex gradibus utrinque clausis, ità ut, quantum apparebat, non esset possibile, quenquam per illos ascendentem ad alterutram partem cadere: tanta erat ejus soliditas. Vidi præterea, quòd per istam viam ascenderent ad Divinam Majestatem desideria & affectus ardentes meæ animæ, descenderétq; ad ipsam virtus illius, & communicatio, adeò, ut summa quædam, animam inter & DEUM suum ac Dominum, atque inter hunc & illam, intercederet consensio. In utroque latere hujus viæ stabant Angeli, per intervalla, instar pinnarum, quæ ipsam vehementer exornabant, & reddebant jucundam aspectu. Cùm viderem, quàm recta & secura esset illa via ad DEUM, existimabam, me non habere aliud impedimentum perveniendi ad Divinam Majestatem, quàm quòd non liberarer à corpore hoc mortali, & egrederer ex hoc exilio. Et quia mea anima perspectam habebat istam viam, ac ipsam emensa fuerat, atque, ut sic dicam, perambulando triverat, ideo in ea per Divinam misericordiam constituta non habebat cur metueret, quò minùs ascenderet, cœptúmque iter prosequeretur, donec perveniret ad conspectum sui dilecti, & exoptati Sponsi ac Domini, in quo omnem suum collocaverat amorem. Propter hanc visionem cessavi scribere, & rapta in ecstasim habui oculos defixos in cœlo, ac animam repletam tanto solatio & gaudio, ut cùm corpus aliquam ipsius partem, quæ in illud redundaverat, non posset sufferre, aliquamdiu fuerit effusum in risum, nec ab eo potuerit abstinere: quod mihi erat valde mirabile. In ista ecstasi perseveravi multo tempore, & mihi reddita, retinui magnam partem gaudij, quo in illa fueram delibuta, quódque mihi duravit multis diebus, unà cum memoria istius tam beatæ viæ.

Hæc fuit ipsius visio. Quamvis autem non scripserit illius declamationem, satis potest intelligi, quòd significaverit rectam ad DEUM viam, absque obliquis finibus; claram, absque tenebris errorum; certam, propter magnas prærogativas, ex quibus apparebat, esse bonum spiritum, cujus sequebatur ductum; cœlesti conspicuam colore, absque terrenarum rerum mixtum; undique clausam, propter securitatem, quam habebat, DEO ipsam protegente; repletam Angelis, qui illam custodiebant, eique tutum reddebant ascensum; & similem Paradiso propter abundantiam bonorum, & solatiorum, quâ interim fruebatur, simili ei, quâ perfruuntur, qui gaudent in cœlo. Quod significabat lætitia & risus, in quem tunc fuit soluta.

Unde solebat dicere, bona & solatia, ac benedictiones dulcissimas, quæ proveniunt ex conversatione cum DEO, esse quasi quasdam scalas firmissimas, pro quotidiano ad perfectiorem amorem DEI conscensu, in quo, & cum quo sunt, atq; acquiruntur omnia simul bona, cujus solatia sunt tanta, ut si tantillum ex illis degustarent, qui optant bona, favores & voluptates mundi, statim hæc libenter desererent, atque adverterent, vitã solitariam, & familiaritatem cum DEO, non esse vitã tristem & melancholicam, uti sibi mundus imaginatur: quia DEUS est valde fidelis, perquàm liberalis & magnificus, in adimplendis suis promissis: siquidem ipse dixit, se ijs, qui omnia propter illum relinquerent, daturum centuplum, & postea vitam æternam. Non dicent se deceptos, qui illa dereliquerint, ut ipsi serviant, quamvis illũ oporteat multo cum labore quærere, & invenire, ut eo quis potiatur. Quod bene est experta hæc Virgo, ideóque cùm aliquando dixisset DEO, ut istas visiones, alloquia & favores ipsi servaret pro cœlo, respondit illi:

Se hic, & ibi ipsi præstiturum solatia,
& favores.

CAPUT V.

De propensione, quam semper retinuit, ad ordinarium modum meditandi divina mysteria, donec elevaretur, ad illa contemplanda, modo extraordinario; ac de dulcissimis colloquijs; nec non de eo, quod ipsi contigit cum Christo Domino, & ejus Sanctissima Matre.

DUabus causis attribuebat Marina viam extmordinariam, quâ ducebatur: in quo manifestavit suam profundam humilitatem; videlicet inprimis immensæ Bonitati & misericordiæ DEI, qui dignatus fuerit libenter ostendere in sua creatura copiosissimos thesauros suæ gratiæ; ac tum suæ extremæ miseriæ & imbecillitati, indigenti subsidijs adeò inusitatis, nè obrueretur suis malis, sed procederet firmiter & prospere per semitam virtutum, quemadmodum ipsa rem expendit, & sic descripsit:

Misertus est mei Pater Misericordiarũ, ex sua infinita bonitate, & cognoscens meam imbecillitatẽ, ac indigentiam, nec non viam, qualis meę animæ magìs conveniret, ingressus est in illam, quasi tacitè, ità ut vix audiretur, communicando illi suaviter & blandè suum Divinum amorem, suámq; Divinam dulcedinem, & illuminando eam suâ luce, ut ità illustrata & correpta eo Divino igne, denuò securè & fortiter iniret viam, à qua recesserat, quámq; ipsa tantopere timuerat. Statim autem, ac Divina Majestas illam sibi subjecerat, etsi non coactam, sed promptissimè se ipsi offerentem, occupavit ipsam, fixitque in ea suam sedem, totámque possedit. Incepit tum subitò, Divinus iste Rex, & Sponsus dulcissimus animarum, colloqui ac agere, & conversari, idque ex sola sua bonitate, & altissimis ac incomprehensibilibus judicijs, cum sua paupere ancilla, quæ nunquam aliquid simile experta fuerat; neq; parùm mirata est, agnoscens se indignam tali honore, & communicatione: cúmq; se videret totam miserabilem ac pauperrimam, vix animum inducebat, ad tale quid credendum, nec poterat intelligere ejusmodi magnalia, vel illa apprehendere; & propterea clamans ac tremens instar ancillæ, cui Rex ipsius ac Dominus talem exhibuisset honorem, quémque sibi esse exhibitum, vix propter suam vilitatem posset credere, dicebat illi: *Mi DEUS, mi Rex, bonum meum, numquid me fortè non novisti? an ignoras, quacum tibi sit negotium? Dic, mi Domine, utrùm forsan propter ardentem amorem, quo amas tuas creaturas, non videas ignobilitatem, ac vilitatem tuæ ancillæ, quæ non solùm non meretur tales honores & gratias, sed potiùs digna est gravibus pœnis ac supplicijs.* Has voces & clamores continuò iterabat miserabilis creatura coram suo dilecto Domino; sed infinita ipsius sapientia ac Bonitas, non magni faciendo istas vociferationes, quò minùs faceret, quod mihi sciebat convenire, illis neglectis, jubebat me silere, & solabatur me, proponendo mihi suas rationes, plenas infinitâ suâ bonitate ac sapientiâ, quibus me convincebat, ac subjiciebat suæ Divinæ voluntati, conabatúrque promovere suam sanctissimam intentionem, peragendo in ista miserabili creatura opera deinceps referenda, quæ fuerunt talia, ut, si ex ijs scivissem proficere, pervenissem ad sublimissimum perfectionis gradum. Quia quando DEUS dignatur ducere hâc viâ animam, progreditur quàm facillimè, & propter abundantiam donorum gratiæ, quæ ipsi intrà unam horam communicantur, potest conficere ingentia itinera, quæ non posset tam velociter ordinariè emetiri, nec tanto cum fructu is, qui taliter non duceretur. Verumtamen, quia sicut omnibus, debilibus æquè, ac fortibus, non dantur ijdem cibi, neque eadem medicina, eò quòd hoc fieret cum eorum nocumento, & periculo, ità non expedit omnibus

bus animabus, incedere viâ extraordinariâ, sed nec etiam ordinariâ: verùm, quod omnibus congruit, est via & modus, quem DEUS noster ac Pater amantissimus nobis constituit, & communicat, pro infinita Sapientia ac Divino amore, quo nos esse oportet contentos: nostrum quoq; est, diligenter nos præparare, pro obtinendis majoribus gratijs, ad ejus gloriam, si ipsi placuerit.

§. I.

ITà Marina de Escobar loquitur ex occasione duplicis viæ orationis mentalis, quâ ipsam DEUS duxit, promovendo illam ab una ad alterum. Prima via fuit ordinaria, communis ac trita, dum meditaretur & contemplaretur mysteria nostræ fidei, excitando in se ferventes affectus, obsecrationes, & colloquia cum DEO: qui est ordinarius omnibus modus, usurpatúrq; ac docetur in Societate JESU; quem modum observavit multis annis, non absque peculiari DEI gratia, quam habuit totâ vitâ, ut non distraheretur in oratione, ad quidquam diversum, ab eo, quod agebat, quamvis in illa tribus horis continuis perseveraret; multò verò magis, quando ipsam elevavit, ad modum extraordinarium orationis, in qua illam Dominus DEUS, absque ratiocinationibus, cælesti lumine illustrabat, & ei revelabat Divina mysteria; unde fiebat, ut præsentem semper haberet DEUM, esset q. adeò dependens ab hoc summo Bono, & cum ipso unita, ut non diverteret ad alia: unde factum est, ut dixerit, se magis vivere cum DEO, quàm secum, seque habere corpus in hoc exilio, instar asselli, haustrum, seu rotam aquariam, calcantis, cui eruuntur oculi, ut non videat, ubinam ambulet. Aliàs verò mihi dicebat, se vivere, quasi duplici vitâ, unâ humanâ, conversando cum domesticis, ac alijs, qui ipsam alloquebantur; & alterâ superiore, acsi degeret in altero mundo, conversando cum DEO, & Angelis ipsius, ac Aulicis cælestibus. Atque, cùm ejus oratio esset tam continua, invitabatur ab illa DEUS, ut ipsam frequenter extraordinario modo visitaret. Quia verò Marina, propter suam timiditatem, & obtendendo indignitatem, refugiebat istas visitationes, dixit illi Divina Majestas quodam die: Ecce, quot horis tu coram me perseveras; ergóne sim ego tam austerus, & morosus, ut non convertam ad te oculos? *Nihilominus etsi hâc viâ incederet, ducta à suo DEO, desidembat, quantum erat in ipsa, insistere viæ ordinariæ, ac tritæ, quæ est securior, & liberior à magnis periculis ac fraudibus, quæ reperiuntur in altera: & quoad hoc ipsi acciderunt aliqua notatu digna ac proficua, quæ illa ipsa sic narrat.*

§. II.

SCivi, peragi ab hominibus Societatis quotannis exercitia spiritualia more consueto, per octo, vel decem dies; habuíque etiam desiderium ijs vacandi, ut illud tempus impenderem meditandæ vitæ Christi Domini. Approbavit id meus Confessarius, sic tamen, ut propter meam debilem valetudinem moderaretur tempus orationis. Cùm illa inchoavissem, vidi venientem Sanctum quendam Angelum, magnâ præditum majestate, quem non novi, nam illum nunquam videram; & quia sciebam, me esse indignam, ut Angelus tantæ potentiæ me visitaret, verecundabar, vixque ipsum audebam aspicere. Quod ille videns dixit mihi: Ego sum Archangelus Gabriel, & venio, ut tibi adferam quoddâ nuntium à Beatissima Virgine, Domina nostra. Valde obstupui, & expavi, dixíque ipsi: Sancte Angele, rogo te, ut me priùs permittas aliquamdiu de re tanti momenti agere cum DEO. Respondit, se esse contentissimum, atque ità ipsum reliqui, quasi non adesset, méque contuli ad DEUM, & intimè commota, ac metuens acceptare tantam gratiam, dixi illi: Domine mi ac DEUS mi! qualia sunt ista tua tam admiranda & magna opera, quæ facis, ac vis facere in ista miserabili, & indigna creatura? Vide humilitatem meam & vilitatem, ac miserere mei, fiátque in me omni modo, & in rebus omnibus tua sancta voluntas, ac ejice ex anima mea omnia, quæ illi non sunt conformia. Respondit Divina Majestas: Bene dicis: audi, quæ tibi dicentur. Tum

fui

fui coacta me convertere ad sanctum Angelum, & prostrata ad ipsius pedes, quàm reverentissimè audivi ipsius nuntiũ, quod erat hujusmodi: Sacratissima Virgo Domina nostra dicit, gratum sibi fore, si exequuta fueris, quod cogitavisti, visitaverisque sanctam ipsius domum Monasterij, quod ab ipsa nomen habet, Monialium Sancti Dominici. (*Est autẽ illud, quod Vallisoleti vocatur Matris DEI, ubi erant nonnullæ Moniales, quæ cupiebant ipsius alloquium.*) Ad quod, cùm mihi non videretur esse quidquam grave, respondi, me id libenter facturam, quamvis parùm, vel nihil alijs prodessem. Deinde mihi Angelus dixit: potissimam sui adventûs causam esse, ut mihi nomine illius Magnæ Dominæ diceret: placitura plurimùm Exercitia, quæ constitueram peragere, si, quod proposueram exequerer, exercendo intellectũ; gratissimásque illi futuras meditationes de perfectionibus Divinis, & sanctissima Vita ac Morte Christi Domini, & infinitis bonis, quæ per eundem Dominum nobis fuerunt præstita: significare enim ipsam mihi, se esse, ac fuisse, quasi Patronam & Fundatricem illorum sanctorum Exercitiorũ Societatis, séq; etiam fuisse Auxiliatricem ac tanquam Magistram Sancti Patris Ignatij, ut taliter fierent; & istud opus inchoatum esse in Societate, atque etiam se, tempore & annis vitæ suæ, fuisse continuè his sanctis Exercitijs occupatam.

Hæc revelatio fuit facta isti Famulæ DEI, ad approbandum & collaudandum communem omnidi modum, adhibitis meditationibus, non tam, ut ipsa semper ei insisteret, quàm, ut illum doceret alios, ac permoveret ad eidem insistendum, quamdiu illis DEUS non communicaret alterum sublimiorem, quemadmodum ipsi communicavit: atq; in hanc rem addidit, quod illi cum Divina Majestate accidit hunc in modum.

§. III.

APpropinquante, *inquit*, Solennitate Natalis Dominici, vehementer desiderabam, ut DEUS modicùm instrueret meum intellectum, ad ruminandum & meditandum aliquid de altissimo Mysterio Incarnati Verbi Divini, & Adventu ipsius in mundum, eò quòd me Divina Majestas ad id, pro sua Misericordia & Sapientia, multis diebus aliâ viâ duceret, conferendo videlicet meæ animæ peculiare lumen, ad cognoscendas ipsius veritates, ac Mysteria, & per illud, ipsam inclinando & movendo ardentibus desiderijs, exequendi Divinã ejus Voluntatem, nec non inflammando magno sui amore. Quod quantò fit ampliùs, tantò minùs speculationis habet intellectus, qui tunc esse videtur sopitus ad meditandum. Ego igitur optabam laborare, & humiliare tantisper intellectum ad considerationem istorum altissimorum mysteriorum, nè semper anima panem gratis comederet, cibante illam assiduè DEO, suis expensis, & apponente ipsi continuè quæcunque habet domi suæ. Placuit Divinæ Majestati satisfacere huic desiderio, & uno alteróve die mihi dedit animum, instituendi prolixum discursum, ac meditationem de hoc sublimi Mysterio, cum magno animæ meæ solatio, illuminando me, ut intelligerem ingentia bona, quæ nobis suo in mundum Adventu contulit, & magna mala, ex quibus nos liberavit, quámq; ille conveniens fuerit medium ad hæc omnia. Postquam aliquamdiu fuissem immorata isti considerationi, dixit mihi DEUS: Sufficit, nè ultrà progrediaris: & pro sua sublimissima Sapientia, dixit mihi quædam verba, propter quæ mea anima amore ipsius exarsit. In eo, ajebat, quod facis, te geris, sicut qui parat cibum, ut illum posteà comedat, vel sicut is, qui disponit domum & hospitium, pro excipiendo illo, cujus ad se adventum vehementer exoptat: verùm si ei, qui operosè cibum præparat, offeratur ab alio præparatus, & proponatur in mensa, non est opus, ut se magnopere ejus præparatione occupet; atque si alter dispositam semper habeat pro amico domum, etiam non habet multum, quod paret, instante ipsius adventu, sed tantùm restat, ut fruatur illius præsentiâ: ità, cùm tibi apponatur cibus animæ præparatus, ut illum sumas, habeásque domum pro hospite adaptatam,

non

non est cur tantopere labores, sed ut vescaris eo, quod tibi datur, & fruaris gratiâ, quàm tibi præstat Dominus, qui venit ad tuam Domum. Auditis his Domini verbis, plenis sublimissimâ sapientiâ, fuit anima mea repleta singulari ejusdem amore. Aliâ vice tenebar eodem desiderio, meditandi hæc Mysteria, & Confessarius mihi dicebat ea, quæ me ad id faciendum inclinabant: sed ultra duas horas non potui quidquam meditari de Mysterio Nativitatis Dominicæ, neque etiam ullo modo, vel uno verbo, alloqui DEUM: inter quas anxietates rogabam Divinam Majestatē, ut me adjuvaret, illuminarētque meum Confessarium, ad me instruendam ac ducendam eâ viâ, quæ esset conformior ipsius voluntati. Tunc mihi respondit Dominus: Cùm semper sis mecum, & in mea verseris præsentia, quid ultrà quæris? Nónne in me sunt omnia Vitæ meæ, Passionis & Mortis Mysteria? Dic age, quid quæras ampliùs?

Ex eo, quod Dominus dixit isti suæ famulæ, colligitur, ità differre orationem discursivam & affectuosam, ab ea, quam DEUS infundit, sicut differunt, invitare ad mensam, & invitari; excipere hospitio, & excipi: quia priùs constat nostro labore & solicitudine; posterius autem magis est acceptare id, quod nobis datur, quàm aliquid facere, & laborare. Quemlibet verò oportet insistere illi viæ, quâ DEUS ipsum duxerit, ità ut, quantum est in eo, propendeat ad tritam & securiorem. Modi mirabiles, quibus illam DEUS in oratione edocuit, de omnibus Mysterijs nostræ Sanctæ Fidei Catholicæ, referentur ordine in libro secundo ac tertio, ut possint & nobis pro nostro captu subministrare materiam meditationis.

§ IV.

VErùm, nè ullus decipiatur, cogitando istum sublimem orationis modum, consistere tantùm in acceptando, & non in agendo, intelligat, quòd hæc DEI famula consueverit suscipere Divinam illustrationem, & præventa à gratia se sponte applicare, ad instituenda ferventissima colloquia, petitiones, ac orationes, subinde etiam vocales, provenientes ex ardenti oratione mentali, cujus erant affectus & fructus: atque hac ratione, solita fuerit magnam suæ orationis partem exigere, non absque cœlesti quadam harmonia, & fervore, quemadmodum apparebit ex eo, quod ipsamet taliter refert:

Quando tam ardentia habeo desideria placendi DEO, more meo, non possum non alloqui Christum Dominum, quem mihi ibi videor habere vicinum, & dico ipsi: Mi Domine, quàm diu differt Tua Majestas, dare mihi tantillum humilitatis, & alias virtutes, quas ab ea peto pro me, & alijs. Eja tandem Dilecte mi, respice istam creaturam tuam, quæ præ tui fame & siti emoritur. Dilecte mi, doce me facere voluntatem tuam! quòd si, ut hoc mihi des, vis & me tibi aliquid dare, non habeo, quod dem, ut tibi sit gratum. Verùm vides hic meam animam, meum cor, ac meam vitam, & hoc miserabile corpus, ut de omnibus disponas, pro tua voluntate: quidquid enim feceris, id ego benefactum existimabo, modò vel unâ horâ exequar tuùm beneplacitum.

Aliàs illi dixi: Dilecte, ac Domine mi, usque, quò tua Misericordia cogitat meam animam suspendere, ut tantopere ad te anhelet, téque desideret? Ecce, ó Salus & Bonum in te sperantium, jam non possum ampliùs expectare, quia elabuntur dies vitæ meæ, & non video impleta mea desideria. Quamvis autem culpa sit mea, eò quòd me non disponam ad obtinendū id, quod mihi libenter dares, si me disponerem; est tamen etiam verum, quòd major sit tua Potentia, quàm mea miseria, ac fragilitas; quódq; possis me salvare ac resuscitare, quamvis sim mortua; quia non est quidquam insolitum tuæ Bonitati ac Potentiæ operari talia, quæ operaris quotidie: ac proinde, Bonum meum, non est cur ultrà expectes, quia advesperascit, & advenit nox; neque cogito desistere à petendo, quoad usque mei miserearis, désque mihi tuam benedictionem, & vitam ac mortem tibi plurimùm placentem, cor novum & humile, atque accommodatissimum tuo genio, & beneplacito.

Alio die, dum considerarem Filium DEI ad dexteram Patris, humanâ vestitum naturâ, ab eo assumptâ, ingens fuit meæ animæ lætitia, & conversa ad Spiritus Angelicos, dixi illis, ut aspicerent ibi Redemptorem nostrum, & viderent, assumpseritne fortè ipsorum naturam, an nostram? & utrum descenderit ex sinu sui æterni Patris in uterum Sanctissimæ Matris, vixeritq; triginta ac tribus annis inter homines, sustinendo tantos labores, persecutiones, & mortem Crucis, pro ipsis, an pro me? Abreptâ eâ suavitate, quam experiebar in istis considerationibus, destituebar quasi sensibus, donec paulò pòst sentirem fatigatum caput. Tunc me converti ad solitum meum modum agendi cum Christo Domino nostro, DEO vero ac Homine, considerando ipsum illic præsentem, & cœpi alloqui Divinam ejusdem Majestatem, dicendo illi: Dilecte mi, & mi Domine, ego eram surda & attollebam vocé, ut me exaudires; eram cæca, & invocabam te, ut me illuminares; eram tota leprosa, & clamabam ad te, ut me sanares; tu verò Bonum meum, fingebas te surdum, quasi non audires: eram tibi importuna, & tu tacebas. Sed jam, Domine, te aliquantulùm novi, quia mihi dedisti tantillum luminis, & vis à me cognosci viscera misericordiæ tuæ, ut mihi bene facias, liberésque me ab hostibus meis. In his, & alijs, mihi DEUS manifestabat suam magnam bonitatem, ut illam ponderando consternarer, & sentirem, me deficere viribus. Intereà Dominus modicum recedebat, & paulò pòst iterum percipiebam idem Divinum lumen; multùmque confidebam in ipsius misericordia, quâ mihi esset indicaturus viam suæ voluntatis: quod ego adeò exopto. Advertebam præsentem DEUM, ità ut mihi nunquam viderer desistere ab ipso, his corporeis oculis, intuendo, & sentiebam novum quoddam desiderium, videndi hoc Bonum, & hunc Dominum meum, neq; tamen id audebam ab ipso petere, præterquàm, ut mihi daret humilitatem, & faceret mecum, quod vellet: cùm namq; ipse voluerit ostendere suam magnificentiam in tam vili & abjecta creatura, quàm sum ego, ad suam gloriam; non decebat, ut imperarem in aliena domo, sed gererem me humiliter, & peterem illius gratiam.

Hæc & alia hujusmodi colloquia, quasi semper in principio orationis instituebat, instar ollæ bullientis, & egerentis per os aquam, quæ in ea continetur. Hujus generis adferemus multa in capite septimo & sequentibus, in quibus est videre multos discursus, absque discursu; & multas meditationes, absque meditatione.

CAPUT VI.

Qualiter illam DEUS simul duxerit per viam patientiæ, ut toleraret turbationes ac afflictiones. Et de modo, quo eam exercuerit internis crucibus, in ipsius initijs.

SUmma viæ, quâ DEUS duxit Venerabilem Virginem Marinam, excellentiâ fuit eâ, quòd extraordinarij ipsius favores ac solatia, hactenus insinuata, fuerint permixta extraordinarijs crucibus & afflictionibus internis: eò quòd priùs illud absq; hoc altero non esset solidum, nec perfectum; posterius autem absque primo non esset in hac vita mortali tolerabile: ac propterea cùm Sapiens dixisset, quòd ostenderit DEUS Justo Jacob suum Regnum in scala, de qua fuit sermo, addidit, quòd ipsum honestaverit laboribus, dederitq; illi certamen forte, ut vinceret, discerétque experientiâ omnium potentiorem esse Sapientiam; siquidem magna solatia in oratione dantur, ad animosè tolerandas magnas afflictiones. Hoc ipsum Dominus dixit isti suæ famulæ in ejus principijs, quod illa narrat hunc in modum:

Dum conspexissem Beatissimam Virgi-

nem

nem eâ præditam pulchritudine, cum qua mihi solet comparere, exhibitique mihi fuissent ab illa singulares favores, non absque ingenti gaudio meæ animæ, dixit mihi Christus Dominus, præ se ferens quandam quasi indignationem: Vidistine id, quod contigit? Scias, velim, hoc tibi concessum esse, ut ità posses supportare, quod brevi videbis, neque enim id tibi datum est gratis. Cœpi subitò timere, & cogitare, quidnam esset eventurum, quod essem passura; ánne futura fortassis esset aliqua vehemens tentatio? & contremiscens idcirco, dixi: Considera, Domine, meam imbecillitatem: patiar, quidquid volueris, modò te non offendam. Hoc pacto enim ero contentissima, etiamsi patiar mille mortes. Respondit autem mihi Dominus: Non erit opus tot mortibus, sicut existimas. Paulò pòst Divina Majestas suscitavit in mea anima quædam, quæ videbantur exigua, cum adeò tamen profunda cognitione mei ipsius, ut præ afflictione existimarem, mihi non esse possibile ità vivere, sed crederem me expiraturam. Unde mihi Divina Majestas fuit suppliciter oranda, ut me sineret modicùm quiescere; quod mihi concessit: sed statim mihi dixit: Noli nimiùm angi, quia hoc superabis. Ego, cùm tantopere desiderarem aliquid pro DEO pati, & exequi ipsius voluntatem, quamvis mihi viderer conficienda, dicebam ingenti animo: Feri, Domine, istam bestiam, donec vindictam de illa sumat Justitia tua, eique satisfiat. Et post modicam quietem iterum illi dicebam: Quid habes, mi Domine? Quid tibi feci, Bonum meum? Cúmque adverterem ipsum velle, ut ampliùs paterer, timebam, non dolores, sed defectus, in quos propter meam debilitatem poteram incidere, dicebámque illi: Domine, per tuam misericordiam, considera meam magnam miseriam. Et respondit mihi: Major est mea misericordia; tace, non time. Fui hoc modo constituta tribus vel quatuor horis, inter afflictiones tamen non cessabat DEUS mihi exhibere suas gratias, tribuendo mihi tantum lumen ad intelligendas perfectiones ipsius sapientiæ, & incomprehensibilia judicia, ut me repleret admiratione tantus Rex, tam Magnæ Majestatis, dum ità se mihi manifestaret. In eo statu mihi dixit Divina Majestas: Adverte, hàc itur, inter tenebras & lucem. *Ista visio refert quoddam specimen mixturæ solatiorum & afflictionum, quam habuit via, quâ DEUS duxit Venerabilem Marinam.*

§. II.

Modum, quo DEUS conficiebat has cruces internas, permittendo etiam, ut Dæmon cooperaretur ad illas fabricandas, declamvit ipsa fusiùs his verbis:

Scio verè dicere, eam esse Sapientiam hujus Domini, in minimo bolo aliquo tam dissimulanter præparando, ut, qui illum videret, diceret, ipsum posse absque magna difficultate deglutiri, ubi tamen est impositus ori, opus est speciali illius auxilio, ut possit sustineri eo modo, quo profit, & non noceat: atque ità dico, me, si nunc non est æquale afflictioni solatium & gaudium, quod Dominus DEUS dat meæ animæ, nescire, multúmne desit, ut ipsam adæquet, vel sit illi quasi par; si verò velim declarare, quid sit, quod patior, tantùm sciam dicere, DEUM agere mecum, sicut agit sapiens ac discretus medicus cum debili ac delicato infirmo, cui præbet medicinam adeò dissimulanter præparatam, quoad quantitatem, atque id quod apparet forinsecus, ut quicunque sanus illam videns diceret, facilè eam posse sumi, quæ tamen infirmo magnam adfert molestiâ, neque relinquit in ejus corpore, quod non alteret ac perturbet, sive jam propter ipsius malam dispositionem, sive propter scientiam Medici, qui in exigua quantitate scit componere ea, quæ talia efficiant in infirmo: ità suo modo se habet, quod mihi nunc Dominus DEUS offert tolerandum, ut videatur modicum, & facile toleratu: quando tamen sentitur ab anima, juxta dispositionem infinitæ ipsius sapientiæ, est multum. Et quemadmodum prædictus infirmus, postquam superavit exiguam illam molestiam, convalescit; ità ego experior, mihi prodesse, id quod sum passa;

atque sicut talis æger, quando affligitur, non habet aliud remedium, quàm patientiam, donec conquiescat humor, ità pro me nihil est melius, modò ego id scirem facere, quàm sinere, ut transeat terræ motus, qui concitatur, quando diabolus, DEO permittente, suscitat timores, turbationes, & terribiles repræsentationes, ac scrupulos, aliáque ejusmodi, quæ jam frequentiùs patior, & omnia simul concitant maximum in anima bellum, ità ut ignorem, quis sit hostis, quo cum mihi pugnandum, vel cujus sint illi timores, turbationes, & scrupuli; cùm enim hæc sit lingua diaboli, qui est tam callidus, ac tot præditus linguis ad loquendum, atque ad excogitandas fraudiũ technas, neq; verò ipsi DEUS concedat majorem facultatem, quàm ut commoveat illam lacunam, & conturber, spissáque nebulâ obscuret animam, affligit notabiliter subinde in eo, in quo potest, & quàm solicitissimè, acsi diceret; faciamus, quod possumus, priusquam nobis ligentur manus: sed DEUS, ex sua infinita misericordia, aliquando ipsum non permittit quidquam efficere, ut inchoata via possit continuari absque lapsu, tametsi difficulter: quia metitur capacitatem, & vires suarum creaturarum, ut non ampliùs premantur, quàm possint sustinere: unde omnes possumus esse contenti eo, quod fecerit. Si parùm nobis patiendum offert, id ipsum est, quod nos pati convenit; si verò nobis offert multum, etiam hoc est, quod nobis magis expedit, quia non tam consistit profectus in patiendo, si DEUS pro sua Sapientia infinita aliud velit, quàm in transfusione suæ in sanctissimam DEI voluntatem, & in nostra promptitudine, ut faciat de nobis, quid quid voluerit, sive fruamur pace, sive pugnemus, sicut ipsi placuerit.

§. III.

HUnc modum, & normam patientiæ ipsi DEUS posteà, cum quadam suavi unione ità manifestavit. Vidi, *inquit*, longissimam supplicationem pœnitentium, & afflictorum, qui incedebant bini, duplicato ordine, vultu valde tristi & lugubri: alij ibant onerati crucibus, alij catenis vel compedibus, aut alijs varijs insignibus afflictionum, & cruciatuum; alij verò ibant absque his signis, qui apparebant minùs afflicti; in medio ambulabant quidam Angeli, dirigentes supplicationem, & ipsis immixti, susque deque commeabant dicentes: Ulteriùs, ulteriùs. Inter hos pœnitentes, etiam me conspexi, sed absque ullo insigni, instar illorum, qui in speciem parùm patiebantur; & quia ego summè desiderabam pati multa pro DEO, affligebar propterea, atq; conversa ad Divinam Majestatem dixi: Infelicem me, quàm parùm est, quod patior! Dominus autem respondit: Falleris, nam aliqui exteriùs videntur parùm pati, & re verâ patiuntur multùm, partim propter constitutionem & complexionem naturalem, partim verò, quia ego res eo modo dispono, ut quòd est modicum, affligat multùm: quo responso mihi indicavit, sic mecum agi.

Addo ego, hunc modum patiendi, qui exteriùs non ità comparet, sicut jejunia, cilicia, flagellationes, & alia exteriora exercitia, quæ sanctè usurpant sancti, esse magis immunem à vana gloria & jactantia, atque à DEO per has internas suppleri alias cruces exteriores, quando desunt vires pro illis tolerandis. Quia magnus DEUS noster, Sapiens, ac Potens, quemadmodum scit consolari suos servos, internis rerum cœlestium ac Divinarum visionibus, ità illos novit affligere visionibus & repræsentationibus rerum valde horribilium, quas ipsemet ingerit spiritui, unde non exigua resultat molestia corpori; & quandoque favores sunt ejusmodi, ut simul & consoletur, & affligat, sicut fecit, quando impressit stigmata Sancto Francisco.

§. IV.

HOc ipsum illi DEUS voluit manifestare istà mirabili visione. Cùm, *inquit*, die quadam versarer in mea collectione, vidi mihi vicinum Christum Dominum, qui mihi dixit: Marina accede; & cùm accessissem, ostendit mihi suis genibus impositam quandam effigiem efformatam ad eum modum, quo solet pingi

mons

mons Calvariæ, habentem tres Cruces, quarum media erat alijs major, atque ad cujuslibet pedem stabat unus Angelus. Non audebam interrogare, quale esset hoc mysterium; sed Dominus mihi dixit, tres illas Cruces, esse cruces meæ animæ, quæ me illis diebus tantopere afflixerant. Media major alijs erat crux tam ardentis & inflammantis Amoris Divini, ut eo consumerer; una lateralis erat crux profundæ cognitionis, quâ penetrabam meam vilitatem & indignitatem; altera verò desideriorum, & flagrantissimorum affectuum doloris, compassionis, zeli, aliarúmq; virtutum, qui affectus ac desideria subinde adveniunt, cum tanta vehementia, ut mihi videantur cor disrumpere, debiliténtq; vires adeò, ut si DEUS illos non reprimeret, sufficerent ad abbreviandam vehementer vitam, vel adsciscendam mortem.

Illi verò Angeli, qui stabant ad pedem cujusvis Crucis, erant ipsius Custodes, solliciti, nè eam gravarent aut affligerent ampliùs, quàm DEUS vellet. Voluit autem sæpe, ut illam vehementer torquerent: ùt apparebit ex eo, quod de istis crucibus dicetur in sequentibus capitibus.

CAPVT VII.

Quomodo illam DEVS fundaverit in profundissima cognitione, & contemptu sui ipsius, per varios affectus, & cruces interiores, quæ indè proveniebant, quin tamen imminueretur ejus confidentia.

QVandoquidē humilitas est fundamentum vitæ spiritualis, & nascitur ex profunda sui ipsius cognitione, vult DEUS ab hac inchoare progressum facturos in oratione, & exercitio virtutum. Quia verò est perexigua ea cognitio, quæ acquiritur nostris discursibus, & meditationibus, communicavit DEUS Venerabili Marinæ aliam profundissimam, per admirandum supernaturale lumen, quo ipsi exhibebatur, quid esset, quidve de se deberet sentire, eà claritate, ut quamvis tam præclaras à DEO susciperet gratias, nunquam tamen passa fuerit tentationem vanæ gloriæ: quod est perrarum, & paucis concessum.

Hæc tamen profunda cognitio illi erat loco crucis adeò terribilis & gravis, ut vehementer affligeret ipsius spiritum, temperarètque abundantiam spiritualium deliciarum. Et verò ipsa tum dicebat, se, si careret tormento cognitionis propriæ, victuram in continuo gaudio, sicut in cælo.

§. I.

MOdum, quo hæc omnia fiebant, declaravit ipsamet in quodam suo scripto, quo reddebat rationem conscientiæ suo Confessario, his verbis: Dominus DEUS, pro sua infinita Sapientia, indiderat meæ animæ, pro ejus bono, tam profundam cognitionem mei ipsius, ut propter illam me tantopere, & cum tali nausea, atque horrore omnium, quæ habeo, & in me interiùs ac exteriùs deprehendo, vili pendam, ut sæpe mihi videatur impossibile, nisi me DEUS conservet, subsistere cum tam gravi onere, quod me adeò opprimit, ac tam potenter compellit ad abyssum meæ vilitatis & miseriæ. Cùm autem ità me ipsam cognoscerem, frequenter me indignabundè sic alloquutus est, meritóque mihi dixit: Adesto stolida, inconstans, & destituta judicio, sterquilinium immundum, ac abominabile, quid agis? quomodo te geris? in quid aliud impendis omnes horas & momenta diei, quæ tibi concedit DEUS, ut in illis ipsum ames, eique servias, quàm in committendos defectus, & multiplicanda peccata? Quomodo omnes decipis? Me sanè non latet, quod facis: videsis, an hoc sit verum; offendis omnes, præbéfq; illis malum exemplum, omnes affligis & vexas.

Eritne tandem aliquis, inimica mea! qui te aliquando exerceat, sicut mereris? Propterea desiderabam, ut me DEUS puniret, ac ulciscereturur peccata, quibus ipsum offendebã, atque ùt reperiretur quispiam, qui, ut mihi & alijs benefaceret, me concluderet, & aliquò compelleret, ubi laterem: & inter omnes quasi erubescebam ac pudefiebam, ità ut me ipsam ferre non possem; conquerebar, quòd exiguam cognitionem haberem meorum errorum, ac dicebam: Anima, túne etiam me vis decipere, miserabilis? Ergòne non possum, neque scio mala, quæ à te sustineo, aliter exponere, quàm ut, dum ijs tam graviter affligor, & illa volo explicare, sim instar comœdi, qui dicturus videtur aut facturus magna, ac post omnia animadvertitur meram exhibuisse repræsentationẽ, & nihil ampliùs? sic tu facis, quæ nec scis, neque potes dicere, sicut se verè habet id, quod fit in tua anima. Et re ipsâ non est aliter. Cùm enim usque adeò vera sit nostra miseria, & vilitas: propria miseriarum cognitio, est quædam comica istius veritatis, quæ existit intra nos ipsos, repræsentatio.

Hoc agitur in mea anima, & solus DEUS potest dare cognitionem intellectui, ac verba linguæ, ad explicandum modum, quo ipse id facit, & exuscitat istam crucem in anima: sicut præ mea ruditate non possum intelligere, neq; exponere admirabilem modum, quo DEUS suâ infinitâ potentiâ res creat ex nihilo: scio tamen ipsius voluntatem sufficere ad quidlibet faciendum; ità nescirem dicere, quomodo Divina Majestas id operetur in mea anima, ùt in se est, & accidit, sed agnosco hoc ab ipso fieri. Licèt hæc omnia absque ulla fictione & exaggeratione sint vera, neque sit tantùm modus loquendi; nihilominus si me aliquis ex Reverentijs vestris interrogaret: Tu dicis, quòd scandalizes omnes, & quòd illis præbeas malum exemplum, atque illos decipias & fallas; dic ergo modò, si ità est, fefellistine, scandalizavistine aliquem, & præbuistine ulli malum exemplum? vel, decepistine quenquam verbo, aut opere, vel cogitatione, vel desiderio? ego verè responderem, nisi vellem mentiri: Pater, non, per DEI misericordiam! à cujus potenti & clementi manu nobis provenit omne bonum: atque ista veritas replet magno solatio animam, redditque illam quietam & contentam. Cùm autem ità sit, quomodò possunt se compati, & conjungi hæ duæ veritates in speciem contrariæ? & quis sciet intelligere, aut edisserere modum, quo DEUS id facit, vel conjungit has veritates, ità ut neutra illarum in illo deficiat. Istud est secretum & opus Sapientiæ Divinæ, quod anima experitur, nec tamen lingua scit explicare: ac proinde DEO, qui hoc facit & intelligit, soli relinquitur, ac animæ, quæ idem experitur; mihi verò sufficit dicere, utrumque esse verum.

§. II.

PRaxim horum omnium videbimus in colloquijs ac discursibus, quos instituebat secum ipsa, atque cum DEO, & qui, sicut suprà dictum est, indicabant sensus & affectus cordis, & fructus orationis, unde oriebantur, ut hac ratione ex omnibus, quæ ipsi in illa eveniebant, sumeret occasiones sui cognoscendi & humiliandi. Quàdam die, *ait*, sesqui alterâ horâ oravi aridè; sub finem tamen me DEUS inflammavit suo Divino amore, sicut solebat, ut cum magno fervore inceperim illi dicere: Ubi fuisti, Bonum meum, ac Domine mi? quid faciebas, Cor meum? ut te non potuerim videre, neque tecum ullum loqui verbum? Bene me agnosco ream, & meritò mihi esse luendum: ego verò libenter luo. Cùm hæc & similia dicerem, comparuit mihi Christus Dominus cruci affixus, sicut aliàs fecerat: vidi illum tamen subobscurè, intelligens, quòd se non manifestaret, quia non haberem sufficientes vires, pro tolerando ingenti dolore, quem mea anima ex tali visione esset perceptura; tunc incepi dicere: Adesdum miserabilis ac destituta virtute muliercula nullius momenti, sempérne vis habere consolationes, & visiones, quæ tibi sint gratæ, multúmq; adferant voluptatis, ac solatij animæ? ità ut, si videas tuum Dominum, debeat esse valde

de speciosus & gloriosus, atque exhibere in vultu magnum splendorem? si verò ipsum intueris habentem vulnera in manibus, id necesse fit sic fieri, ut illa videas, quàm pulcherrima ac recentissima; si autem intueris ejus latus apertum, hoc non aliter fiat, quàm ut ibi conspicias sanctissimum ipsius cor gloriosum ac ardens, totúmque flagrans amore suarum creaturarum? quòd si illum videris parvulum recèns natum, oporteat esse etiam gloriosum ac splendidum? Non video, te valere ad quidquam aliud, quàm ut à Domino tuo suscipias gratias, non verò ut facias, vel patiaris aliquid pro illo. O miserabilis, & inepta! quis compensabit tuos defectus? & quis illos tolerabit, nisi immensa tui Domini Bonitas, qui te novit, ac perspectam habet tuam imbecillitatem, & exiguam virtutem, scíque te nihil habere, nec habere posse, nisi quod tibi præstat ex gratia: atque hoc ipsum, quod tibi dat, malè impendis, & eo abuteris, ac semper te volutas in tuis miseriis, quantumcunque velis ex illis emergere. O vilis vermiculè, animadverte, quòd te non noscas, neque te scias considerare: agnosce te, & videbis, quid fueris, quid sis, & quid sis futura. Quia autem cum isto modico lumine, quod tibi dat DEUS, hoc vides: quid fieret, si tibi aperiret oculos animæ, & illam illuminaret, magno lucis radio, ut te perspiceres & agnoscères? quod quidem non facit, tanquam Pater misericors, ne deficias ob tui exiguam virtutem, videns te, tam plenam improbitatibus & miseriis, & quia non es promerita tuis peccatis, atq; contradictionibus, quibus restitisti ipsius vocationibus; neque te disponis, ut assequaris, quod tibi libenter daret, si te disponeres. Vide, nè perdas tantum temporis, neque tibi indulgeas, nec sis otiosa: scias aliquid pari, quod nunquam scivisti. non sis instar illius pigri, qui, nè modicum laboraret, potiùs fame est mortuus: adverte, venturum tuum Dominum, & exacturum à te rationem villicationis: redde priùs illi istam rationē; agnosce te, corrige te, & castiga te, neque hac in re sis pigra, aut negligens, ut possis placare tuum Dominum. Has veritates, & alias similes DEUS imprimit animæ meæ, exclusis discursibus, & consideracionibus: quia nec illi, neque istæ sufficerent ad excitandum istum affectum, & cognitionem tam demissam, & profundam mei ipsius; tantúmque propter lumen, quod mihi Dominus communicat, ut me cognoscam, usque adeò anima imbuitur hâc veritate, in eâque confirmatur, ut non possit effugere, neque evitare, quod tam clarè videt ac sentit de se: atq; dum agnosco in me tantam miseriam, existimo, éstque verissimum, quòd dum DEUS toleret tam vilem creaturam, tàmque prodigentem ipsius dona, quàm sum ego, & quòd illius misereatur, faciat opus unum ex maximis, & præclarissimis, quæ unquam fecit in suis creaturis. Quando autem mihi dat istud lumen, quia simul in me excitat desideria amandi sui, sibíque serviendi, soleo illi dicere: Miserere mei DEUS secundùm magnitudinem & multitudinem miserationum tuarum: attende bene, Domine mi, quòd, si hoc feceris, sis facturus unum è maximis, præstantissimisque operibus tuæ Magnificentiæ, tuáque Misericordiæ & Potentiæ infinitæ, quæ unquam fecisti: Vide, mi Domine, quòd si hoc feceris, laudari te sint omnes Angeli & Sancti, quos habes in cœlo, ac dicturi: Benedicatur, & laudetur Dominus in æternum, DEUS magnus, & potens, propter magnitudinem suæ misericordiæ, & bonitatis infinitæ, quia hodie fecit unum è sublimissimis operibus, & unam è maximis gratijs, quas unquam contulit suis creaturis, siquidem miserabilissimæ, maximóque ex omnibus rebelli pepercit, adduxitque illam ad se, sicut fecit alijs magnis peccatoribus. Et quia mihi videbar scandalizare & offendere omnes, supplex à DEO petebam facultatem, rogandi meum Confessarium, ut me juberet claudi in aliquo angulo, ubi alijs non obessem, neque propter mea peccata quidquam acciderет; verùm DEUS mihi respondit: nolle se mihi concedere talem licentiam, sed ut hoc ipsum curæ committerem, se quippe facturum, quod magis mihi conveniret.

Aliâ vice, cùm per aliquot dies non viderem

derem Christum Dominum, & aliqualiter sentirem ipsius absentiàm, dixi illi ex quodam amore, qui oriebatur ex intimo corde: Ah, mi Domine, & Bonum meû! quàmdiu te non vidi? Cùmque mihi videretur esse quodammodo audacia, hoc dicere, ac desiderare, statim subjeci: Sed, mi Domine, non volo ego (miseram mè!) desiderare, ut te videam, verùm, quod volo & desidero est, ut videas me tu; & videbis, qualis sim, adeò repleta iniquitatibus & miserijs. Respice me Domine, & miserere mei secundùm magnitudinem miserationum tuarum; vide, Cor meum, qualis sim, tam plena amore proprio & miserijs, quas ego ipsa non possum sufferre, vel tolerare, quódque est pejus, tanta est mea cœcitas ac defectus propriæ cognitionis, ut, cùm sim infirma & vulnerata, sentiàmque dolores & molestias meæ infirmitatis, non sciam nominatim dicere quid mihi doleat, sed de omnibus tantùm tibi conqueri, meum Bonum, & Domine mi, quòd omnia mihi doleant, atque ità, nisi haberem talem Medicum, qualis tu es, Bonum meum, qui scit & potest suâ Sapientiâ ac Potentiâ infinitâ curare debiles & parvulos, qualis ego sum, qui propter defectum linguæ & intellectûs non sciunt explicare morbum, quem patiuntur, neque ubi dolorem sentiant, jam essem mortua & sepulta: sed sicut medicus non negligit curare infantem, & adhibere suas diligentias, quamvis nesciat loqui, ità tu, mi Domine & Medice cœlestis, ac Pater omnipotens, qui scis & potes omnia, quæ vis, non me derelinquis, nec deseris. Dum ista dicerem cum summo animæ desiderio, carendi omni vel minimo defectu, qui displiceret Divinæ Majestati, vidi Christum Dominum extendentem brachia, & sejungentem manus, ijsdémq; intercipientem meum caput; qui mihi quàm amantissimè dixit: Vade, dabo enim tibi, quod tibi expedit, quia tu non intelligis, quid ego faciam.

§. III.

Hinc etiam fiebat, ut inter gratias & solatia, quæ consequebatur à DEO, proficeret in cognitione sui ipsius, quam quidem, unáque amorem DEI, dicebat esse fructum, quem decerperet ex arbore Paradisi extraordinariarum gratiarum, quibus affluebat, & cum quibus semper profundius descendebat in hanc abyssum suarum miseriarum: unde cum assequuta fuisset à DEO quandam prorsus inusitatam gratiam; Adeò, *inquit*, me profundè immersi in sterquilinium mearum miseriarum, ut cogitem & credam, summè esse meæ animæ necessarium, semper in eo manere, quia quotiescunque mihi DEUS exhibet ejusmodi specialem gratiam, præcipuus affectus, quem mihi ingenerat, est iste, omnisque alioquin consolatio, & quidvis aliud repentè transit, quasi pertinerent ad aliquem alium: ac proinde magnam partem vitæ meæ impendo isti exercitio, cum quo mihi bene esse experior, & sum humilis, jucunda, contenta, affluóque solatio in Domino. Indè ipsum bene contemplor, indè illum amo, indè agnosco, & volo, ac desidero tantùm id, quod ipse vult à me. Est propria cognitio, seu id, quod ego sum in vitæ meæ decursu experta, instar conspiciliorum vehementer augentium, ad videndum DEUM, & obtinendum id, quod anima ab ejus Majestate postulat. Indè me DEUS educit, quando mihi vult monstrare alia, & ibidem me postea relinquendo, elevat, sicut facit nutrix, quæ attollit infantem, quem deinde humi collocat, quia sic oportet fieri. In hoc denique loco operatur DEUS stupenda, & admirabilia in anima, quæ ex omni eo scit proficere, quod à DEO accipit.

Idcirco & illa sumebat occasionem ex ipsis gratijs extraordinarijs, quas obtinebat, ut se magis humiliaret, & confunderetur, attribuens illas indigentiæ tot auxiliorum, nè periret, propter magnam suam imbecillitatem. Non est, *ait*, quidquam, quod me ità deprimat ad abyssum meæ miseriæ, sicut dú video DEUM hac ratione mecum agentem: atque si Divina Majestas interdum non tantopere illuminaret meam animâ, quando mihi aufert omne dubium, sitne ipse, qui mihi loquitur, nescio an id crediderim: quia agnoscens, quid fuerim, & quid sim,

ſim, ac fætorem prodeuntem ex hoc ſterquilinio, quod eſt intra me, ita ut ego ipſa illú non poſſim tolerare, aut ſufferre meos multos defectus ac fragilitates, & malum exemplum, quod præbeo, erubeſco & pudeſio, vellémque omnes vitare, ne ullum ſcandalizarem. Video quoq; totum, quod ſentio, eſſe quaſi nihil, ac veluti umbram reſpectu veritatis, & ejus, quod eſt re ipſâ. Quodſi eſſem à DEO compellanda, dico, quòd me ita deberet alloqui: Fac pœnitentiam pro tuis ſceleribus, & effunde propter illa tuum ſanguinem; jejuna in pane & aqua; dormi in terra, & perage alia hujusmodi opera. Hoc mihi omnino conveniret: video tamen, quòd, etiamſi DEUS mihi ob oculos ponat omnes meos defectus & peccata, unâque modicam pœnitentiam, quam egi, me nihilominus conſoletur, & confortet dicendo: bene eſſe, ſi non poſſim agere pœnitentiam, eò quòd ipſe pro me paſſus fuerit, profuturáque mihi ſint ipſius merita, ſi ego unà fecero, quod potuero. Quando verò ipſum audio dicentem: Comede, & bene tibi ſapiat, hoc enim tibi conducit; ac alia hujusmodi, expaveſco, ùt quæ prædita ſum perexiguâ cognitione Sapientiæ & judiciorum Divinorum, quoad vias, quibus ducit ſuas creaturas.

Aliâ vice, metuebam comparere coram DEO meo, eò quòd mihi Divina Majeſtas meritò diceret: Quid feciſti? Quantum tibi dedi ſtolida, mente capta, & inſenſata? dedi tibi dona pretioſiſſima, ut cum illis mihi placeres, & tu mihi talia rependis, lacerrimum mendicabulum, miſerabilis, & abſurda? quomodo fuiſti uſa tot gratijs, quas à me accepiſti? tum neſciebam quidquam dicere, ſed confidebam in miſerationibus DEI mei: quia conſiderans quantum acceperim, & quàm parum reddiderim pro mea obligatione, invenio me quaſi hærentem in alto puteo miſeriarum, qui caret fundo, & video me veluti defœdatam ac deformem coram DEO. Unde illi ex intimo corde dicebam: Mi Domine, noſcitne me Tua Majeſtas? videbaturque mihi reſpondere: Ità noſco. Reponebam ego, ac dicebam: Heu me miſeram! quomodo ſum auſa huc venire, cùm ſim tam immunda, & plena miſerijs? Quid mecum Dominus meus faciet? nónne eſſet melius hinc abire, & priùs mundari, ac deinde coram illo comparere, atque implorare ipſius miſericordiam? ſtatim tamen iterum dicebam: Quid dico, mi Domine? Ego ſcio, comparendum mihi eſſe coram te, qualiscunque ſim, quia es ubique, nec poteſt ullus te fallere, aut decipere: unde qualitercunque ſim conſtituta, volo me proſternere ad tuos pedes, & petere à te miſericordiam; atque ita ex gratia conſequar, quod mihi non debetur ex juſtitia.

§. IV.

EX hac ſui ipſius cognitione etiam proveniebat humillima reverentia, quâ venerabatur DEUM, ità ut magna cum ipſo familiaritas non pareret illius contemptum, imò vel ideo ipſum magis æſtimaret, dum videret tantum DEUM verſari tam familiariter, cum tam vili creatura.

Cùm, *ait*, quodam die valde eſſem immerſa huic abyſſo mei nihili, videréque mihi opus habere alio majori inferno, quàm ſit is, quem DEUS habet pro reliquis peccatoribus, derepentè me inveni coram Divina Majeſtate, fuitq; tanta mea verecundia & confuſio, propterea, quòd me adverterem eſſe in ipſius conſpectu, ut illi elatâ voce dixerim, ſicut Sanctus Petrus: Noli huc venire Domine, recede à me, quia non mereor comparere coram te; exiſtimabam enim, quòd ipſi moverem nauſeam, poſſémque illi parere faſtidium, ut me abominaretur, atque à ſe repelleret. Sed Clementiſſimus Dominus, poſtquam aliquantum tacuiſſet, dixit mihi: Nónne vides, quòd nullâ me ratione poſſis coinquinare, & ego te poſſim mundare? atque hoc dicto acceſſit, & amplexatus eſt me cum magno affectu, & ſignis tenerrimi amoris: quâ gratiâ factum eſt, ut meæ lacrimæ converterentur in gaudiú. Et deprehendi me mundiſſimam, vehementérque obſtupui, quòd me viderem inter brachia mei Domini. Poſtquam iſte raptus præterijt, quando ad me redij,

non inveni Dominum, quia jam abiverat, quod tantopere sensi, ut deplorarem ipsius absentiam, & amanter conquererer, quòd me deseruisset: quin imò timebam, nè ad me veniret, quamvis dolerem, ipsum abivisse, quia semper affectus propriæ cognitionis sunt instar graduum, ut magis exardescam amore DEI, quem priùs refugiebam.

Aliâ vice, cùm me profundè immergerem in meam vilitatem, deprehendi me tam laceram, & miserè vestitam, ut me videndo erubescerem, neque me præ pudore, quem sentiebam, auderem aspicere. Comparuit autem mihi Dominus, more consueto, & fui repleta multò majori pudore, atque confusione, donec Divina Majestas vices meas dolens propter id quod patiebar, dum me hoc modo videret constitutam, mandavisset duobus Angelis, ut me exuerent eâ veste: quod fecerunt, induerùntque me aliâ admirandi pretij & elegantiæ, quâ induta multò magis, quàm antea mirabar, eò quòd me viderem tam splendidè vestitam. Interea fui rapta in ecstasim, & Dominus me secum univit fortissimâ unione amoris, quâ solebat; & quando ad me redij, vidi me ditatam meo Domino, & ejus donis.

Aliàs (& hoc est terribilius) se detinuit Christus Dominus apud me tanto tempore, ut mihi assederit, audiendo mea dubia, iisque respondendo. Deinde se erexit Divina ipsius Majestas, & postquam aliquantum fuisset progressus, ac recessisset, vocavit me, dixitque: Marina, accede; subindicans mihi, se velle mecum corporaliter deambulare per cubiculum; sed fuit tantus meus pudor, qui me idcirco occupavit, ut me non potuerim movere: quando verò potui loqui, mirata sum, & conquesta, quòd Divina Majestas dixisset ac voluisset talem rem facere, siquidem hoc me submersisset in mea abysso, & disrupisset mihi cor præ vehementia doloris. Tum Christus Dominus suaviter respondit: Quid ergo? nónne ego ità egi cum alijs? ut eum mea serva Catharina Senensi? & nónne ego dixi, quòd, quantò magis se quis humiliaverit, tantò magis sit exaltandus? Ità me reliquit; sed ego disputabam mecum ipsa dicens, DEUM facere mirabilia; & conquerens Sanctis Angelis, qui mihi semper assistebant, dixi illis: Quamvis Dominus hoc fecerit cum alijs, ex sua infinita bonitate, illi tamen erant sancti, & qui plurima ipsi præstabant obsequia, sed quòd mihi id faciat, tam indignæ & miserabili, ac ad omnia ineptæ, id me reddit impotem mentis. At Angeli responderunt: Verum est, quòd fuerint magni sancti, & majora præstiterint opera pro DEI gloria, quàm tu, qua in re te superaverunt, sed etiam tu superas alios, quemadmodum DEUS consuevit facere, ut ipsius servi emineant quapiam virtute præ cæteris, statimque, ut istud dictum possem sustinere, mihi suaviter explicuerunt, quo pacto alios superarem, nimirum, quòd me tam profundè cognoscerem ac despicerem.

Et certè erubescebat ac pudefiebat, quòd DEUS, vel homines, ullum ipsi honorem exhiberent: contrà verò gaudebat, quando ipsam despiciebant, & contemnebant: ac propterea tantopere sensit, quòd Christus Dominus attentaret ipsam eâ ratione honorare. Advertendum tamen est, sic illam consuevisse agere, quando sibi erat præsens, habebàmque locum veritates, quas fixas gerebat in anima, ità ut illis pro suo libitu uteretur: verùm quando erat rapta, & absorpta, solebat DEUS majora cum illa facere, ità ut ipsa eorum curâ non tangeretur, quia erat elevata à Divino Spiritu, & quasi immemor propriæ cognitionis de sua vilitate, atque amor purus, & castus, summopere tamen ardens, illam animabat, ut ijs favoribus frueretur.

§. V.

Sed juvat pondenre rem admirabilem, quæ relucebat in istis affectibus propriæ cognitionis, quòd admirando modo illos associaret affectibus amoris & confidentiæ.

Quadam vice, *inquit*, dum considerarem magnitudinem & potentiam Domini DEI, & quomodo ab illo universa dependeant, ipse verò à nulla re, sed omnia gubernet ac sustentet, absque defatigatione vel molestia, magno inde solatio perfusa, cœpi

cœpi mecum loqui, & mihi ipsi dicere: Creatura pauper, debilis, & miserabilis, gaude & exulta, quia tibi significo, Dominum tuum, ac Bonum tuum, & illum, quem super omnia amas, esse summè potentem, & maximum, posseque universa, quæ vult: quamvis autem sis pauperrima, & miserrima, ut videaris tibi demersa in abyssum, dum consideras tuas miserias, est eâ potentiâ ac bonitate præditus, ut te ex eadem abysso extrahat, salvétque ac resuscitet ad novam vitam, quæ illi placeat. Cùm ita mecum hæc & alia loquerer, incepi denuò considerare illas divinas perfectiones, atque ità mea anima replebatur gaudio, partim, quod viderem Dominum meum adeò abundantem suâ propriâ gloriâ & excellentiâ, partim verò propter confidentiam, quam sentiebam ex eo, quòd fruerer hoc summo Bono: fuitque ejusmodi id, quod sensi, ut mihi viderer degere in cœlesti Jerosolima, quasi contemplarer illud summum Bonum, in quo sunt omnia bona, & à quo procedit gloria Beatorum, atque oblita omnium rerum hujus mundi, dicebam illi cum magno gaudio: Mi Domine, & Bonum meum, ac lumen oculorum meorũ, si ita mihi places, dum te aspicio istis lippis oculis, & hac tam exiguâ consideratione contemplor, quando te videbo clarè, ablato velo mortalitatis, & expedita ab onere carnis mortalis, quàm mihi placebis! tunc satiabor amando te sinè impedimento, laudabóque te sinè defatigatione, & fruar te absque timore tui amittendi: tunc rogabo beatos Spiritus, ut laudent & glorificent tuum sanctum Nomen, propter magnitudinem tuæ Bonitatis & Misericordiæ, siquidem dignatus es præstare tantam gratiam creaturæ tam miserabili. Dicebam ipsi etiam: Bonum meum, & Vita animæ meæ, nolo aliud solatium, quàm ut sequar te, contemplando te facie ad faciem, ut videam, quid mihi imperes, quia gloria mea non est alia, quàm exequi tuam voluntatem, atque ut tu facias de me, quod volueris, tanquam de creatura tua: hoc enim erit solatium meum. *Istis confidentionibus, & colloquijs se confortabat famula DEI, ne ipsam propria cognitio exanimaret.*

Hoc tamen non erat maximè mirandum; sed quòd in eadem continuatione hujus cognitionis sui ipsius, & in affectibus, in quos erumpebat, simul ferverent affectus amoris & confidentiæ, ità ut illi non impedirent istos, imò se invicem excitarent, & redderent vivaciores. Istam mirabilem conjunctionem ipsa his verbis pondembat: Tanta est Sapientia & Potentia hujus nostri Magni Domini ac DEI, ut sciat & possit conjungere res contrarias, quin altera adversus alteram prævaleat. Eritne enim tam potens aliquis, ut conjungat duas res, quales sunt aqua & ignis, ità ut neutra illarum pereat? Noster autem magnus DEUS hoc potest, & facit nobiscum, dignatúrq; dare suis creaturis claram animæ cognitionem de istis suis veritatibus, déque sua Potentia ac Bonitate infinita, adeò ut id videatur contrectari posse manibus, & videri oculis. Atque hoc dico, ac possum dicere, tanquam testis oculata, & propter experientiam gratiarum, quas à DEO accipio, quia video in me duo, quæ sola DEI potest conjungere potentia. Quis enim potest conjungere cognitionem mei ipsius tam profundam, quæ pariat in mea anima affectus & motus prædictos, ut constituta coram DEO, me videam imbecillimam, & pauperrimã, quæ nequeam, nec sciã quidquam ex me facere, quod gratum sit ipsius Divinis oculis, videámq; me plenam defectibus ac miserijs, & quòd, quando Divina ejus Majestas in me magis profundit beneficia, & auxilia, ut progrediar, atque non hæream totâ vitâ immersa luto, sicuti hæreo, cùm deberem illud modicum præstare quod possum, me perdam, magisq; immergam, ut submergerer, nisi me potens DEI brachium sustineret. Et dum me video plenam tot malis coram DEO, videor mihi coram illo comparere, maculatam habens ac defœdatam imaginem & effigiem, quam Divina Majestas mihi dedit, & esse talis, ut, sic loquendo, nesciam an DEUS me sit agniturus, qualem ego me intueor, habito clarissimo animæ lumine: quod me videtur conficere, facitq;, ut summopere desiderem, sumere vindictam de me ipsa, eò quòd talia faciam, ac

tanta bona dissipem. Nihilominus omnibus istis diluvijs propriæ agnitionis anima non submergitur, neque perdit quidquam confidentiæ, quam habet, & DEUS ipsi dedit, pro sua Bonitate & Misericordia infinita, unde illum amat, ac flagrat, consumitúrque amore ipsius, & confidit in eo, quietè ac pacatè, quasi mereretur ipsum amare, fecissètque aliquid ad illius gloriam; idque non sine magno lumine, quod Divina Majestas ipsi ex sua Bonitate communicat, nec absq; pignore quodam amoris, quem reposuit in intimo recessu meæ animæ, & qui illam reddit fortem atque constantem, ut ipsam nihil possit à cœpta via abducere, & perturbare. Visis igitur istis perfectionibus nostri DEI, quas ab ipso illuminata cognovi, & experientiâ didici, dico: Quis erit tam potens, ut hæc faciat, nisi iste Dominus? ideóque dum id experior, mea anima exardescit tanto ipsius amore, ut videatur eo consumi.

§. IV.

PRo conclusione dicamus, ex hac propria cognitione processisse etiam dolorem, & pudorem, quem sentiebat, quando res admirandæ, quæ ipsi accidebant, spargebantur inter alios: & propterea experiebatur magnã difficultatem ac repugnantiam in prodendis ijs, quæ DEUS ipsi manifestabat, & illam jubebat alijs dicere, conabatúrque talia ità proferre, ut non intelligeretur, quòd eas sciret ex revelatione. Et cùm hæc difficultas indies augeretur, dixit aliquãdo ad DEUM: Quid est hoc, mi Domine? quòd antè octodecim annos faciliùs patefecerim, quod mihi dicebas, & modò sentiam tantam difficultatem, ac repugnantiam? *Respondítque ipsi DEUS, præsentem statum esse meliorem, & securiorem.*

Hinc etiam oriebatur, quòd extremè refugeret omnia exterior, quæ conciliant opinionem sanctitatis apud homines, ùt est, pati raptus publicè, suspendi elevato corpore in aëre, vivere absque omni cibo, habere visibilia signa vulnerum in manibus, pedibus, latere, & capite, atque alia hujusmodi, quibus non parvum subest periculum illusionũ. Quadam vice considerans ingentem molestiam, quam ipsi vel modicus cibus sumptus afferebat, quódque sancto quodam die Veneris transegisset jejuna plures quàm viginti horas, non sentiens famem aut debilitatem, dixit suo Angelo Custodi, quasi hoc jejunium vellet ulteriùs producere: Vide, mi Domine, quomodo transegerim hoc tempus bene absque cibo? *Respondítq; sanctus Angelus:* Putásne tuam sustentationem pendere ex eo, quod comedis? velim, intelligas, rem aliter se habere, & quòd non posses illo solo vitam conservare, nisi te sustentaret DEUS, & conservaret suâ potenti manu. Vult autem, ut modicum istud alimentum pro tua majore afflictione sumas, útque aliquid ita patiaris, quin etiam ad abolendas in sua Ecclesia singularitates, quarum est hostis, & prætereà, ut homines intelligant, quòd DEUS exhibeat magnas & extraordinarias gratias, ac favores ijs, quibus Divina ipsius Majestas illos exhibere decrevit, sive comedant, sive non, sive sint affixi lecto, sive extra illum, ideoque tecum facit, quod ipsi placet. *Has tres rationes dixit Angelus, ut declararet, quantùm placeat DEO, quámque securus sit modus vivendi, quoad exterior, ordinarius & communis; quoad interna verò, quæ sunt occulta, extraordinarius ac rarus, quódq; bene alter alterum compatiatur. Verùm, ut evitaret extrema, & acquiesceret omnibus, quæ DEUS faceret, contigit illi aliquid notabile, quando quodam die in perceptione cujusdam extraordinariæ gratiæ, se ipsius corpus, viribus spiritûs, valde altè elevavit, quin tamen ab ullo videretur, eò quòd esset sola. Tunc autem dixit ad Dominũ DEUM:* Mi DEUS, bene mihi posset tua Majestas conferre has gratias absque isto novo miraculo: *Respondit DEUS:* Hócne te consternat? Non est adeò magnum istud miraculum, quod sæpe sum operatus in meis antiquis Sanctis, unà cum alijs majoribus miraculis. Esto contenta, quòd non habeas publicas elevationes, & raptus, neque mihi velis ligare manus, ne faciam, quod voluero.

CAPVT

CAPVT VIII.

De ardenti igne Divini Amoris, quo æstuabat ipsius anima, vehementer desiderans placere DEO, seque cum illo unire.

Super tam profundum proprie agnitionis fundamentum, exædificavit DEUS altissimam fabricam excellentissimæ charitatis, & Sapientiæ cælestis, infundendo animæ famulæ suæ sublimissimam cognitionem suæ Divinitatis & magnitudinis, atque accendendo in ea vehementem ignem sui Divini Amoris, additis ardentibus desiderijs ipsi placendi, quærendi illum continuè, uniendique se magis ac magis huic summo Bono. Inter hæc desideria ipsi dicebat: (Sunt illius verba.) Ubi te reperiam Bonum meum, & Cor meum? ubi es? volo enim te quærere & invenire, etiamsi pro te essem igne concremanda: & hæc esset gloria, me pati amore tui. Respondit mihi Dominus: Hic me reperies in tuo corde, quia hic sum, & me habebis ac possidebis. Postquam hoc dixisset, quasi mihimet ipsi erepta, dixi: Eja, mi Domine, ego tecum volo inire pactum, si mihi id concedis, ut tibi dem meam vitá, & meam animam, ac meum cor, & quidquid sum, ac habeo; utque nihil pro me petam, sed omnia sint tua, quia Tua Majestas mihi omnia dedit; & ut tu sis meum bonú, & meus Dominus, nec velim quidquam, aut amem, aut quæram, aut videam, nisi te Bonum infinitum cordis mei. Postridie, dum adirem sacram Synaxim, illi dixi: Mi Domine, non recordor bene pacti, quod heri inivimus. Responditq; Divina Majestas: Nihil refert, ego enim bene ejus memini. Tum ipsi dixi: Videat ergo Tua Majestas, ut mihi det, quod ego dicebam. Cum hoc tam ardenti affectu, sæpe repetebam ista duo verba: Mi Domine, nihil pro me, & omnia pro te; desiderando omnem gloriam, honorem, laudes & thesauros cœli ac terræ cedere DEO, & ipsa nihil habere; optabam pariter hoc habere inscriptum cordi meo, & intimè ab illo penetrari. Tunc venerunt ad me duo ex meis Dominis Angelis, qui semper mecum morantur, dixeruntque mihi: Soror nostra, tu non potes scribere, cùm sis tam infirma, visne tibi id à nobis scribi? & cùm ipsis dixissem, me velle: scripserunt literis magnis, cæruleis, in membrana, quá mihi porrigebant; sed ego tergiversabar, more solito, ipsam accipere; illi verò tandem eam dederunt sancto Angelo meo Custodi, qui illam servavit, sicut similia solet asservare.

§. I.

CUm his ipsis desiderijs dixi ad DEUM aliâ vice: Mi Domine, quid faciam, ut tibi placeam? emorior enim præ desiderio tibi placendi, & darem mille vitas, si eas haberem, atque omnem sanguinem meum, pro eo, quod desidero: impera mihi aliquid, Bonum meum; adsum enim prompta ad omnia, quæ mihi volueris imperare, quamvis me jubeas sustinere maximos dolores, & corpus meum projici in grandem rogum, quo consumatur. Licèt autem hæc desideria procederent ex intimo corde, non tamen satisfaciebant mihi propter ingentem miseriam, quam in me cognosco, dicebámque mihi ipsi: Quid dicis? mentirisne, an non? Attende, puto enim te mentiri; & conversa ad DEUM, dixi illi: Domine mi, mentiórne, an dico veritatem? Respondit DEUS: Non mentiris, quia verum loqueris, & ego accepto hæc desideria pro ipso opere, eorundémque exequutione. Ità cor meum conquievit, quod quasi colliquescebat coram DEO. Aliàs tamen, dum essem taliter constituta, dixi illi: Domine, nonne mihi dabis, propter tuam misericordiam, modicum humilitatis, & charitatis, aliarúmq; virtutum, tibi præ cæteris placentium?

quia te quærendo vagabunda oberro, nec scio, an, dum cogito, quòd quæram te, non quæram me ipsam; & hoc fervore incitata, nesciens quid dicerem, etiam addidi: Mi Domine, si mihi dares, quod desidero, & à te peto, ego tibi darem, quidquid habeo. Sed Dominus, qui magis respicit cordis affectum, eundemq; approbat, respondit quàm amantissimè: Quæso, ubi habes omnia tua? nonne vides, omnia esse mea? Ego autem cum eodem ardore dixi: Sit ergo, Domine, sicut dicis, omnia tibi dabo & reddam, ut adimpleas meum desiderium, quod habeo placendi tibi.

Aliàs, cùm similiter Divino amore flagrarem, dixi DEO: Verè, Amor mi, ac Domine mi, diligo te sicut vitam meam, & cor meum; responditque Divina Majestas: Vide, ut me ampliùs ames. Et meritò mihi id Dominus dixit: quia licèt verum sit, quòd ipsum amem super omnia, imò, ut meliùs dicam, nihil velim, nec amem præter ipsum, atque ab illo dependeat anima mea, & cor meum: tamen hic ipse amor, quo anima mea in ipsum fertur, facit, ut videatur sibi illum non amare, neq; quærere, neq; possidere, quemadmodum illa vult: atq; ità quantò magis illum mea anima amat, tantò ampliùs ipsum desiderat amare; & quantò magis illum quærit, tantò ampliùs ipsum desiderat quærere, ac invenire; videt enim plus esse, & quidem multò plus sibi quærendum & inveniendum, ac amandum, séque non incepisse ipsum amare, & quærere: & quantumcunque illum amet, ac desideret, & quærat, videtur sibi nihil habere, propterea, quòd tam multum desideret; ideóque assiduè suspirat, ut quod non habet, & illud multum, quod ipsi deest, consequatur, sempérque esurit ac sitit, simúlque est saturata, & abundat solatio, quia quod desiderat, affert illi satietatem, & solatium. Atque hæ sunt vicissitudines Divinæ Sapientiæ, & Potentiæ, quòd, dum satiat animas, sciat illas conservare famelicas, ut ob satietatem sint contentæ, habeántq; solatium; propter famem autem multorum, quibus carent, sint solicitæ, ac desiderent retinere, quod habent. Inter hujusmodi desideria, dixi illi quodam die: Eja tandem, mi Domine, agè, & veni ad pauperculum tugurium tuæ ancillæ, ac reple illud te ipso, & fac in eo, quod vis, tanquam absolutus ipsius Dominus; veni jam, Dilecte meæ animæ, ecce enim affligitur & consumitur propter te, dum vult ac desiderat tantùm adimpleri tuam voluntatem, ac beneplacitum. Ecce amabilissime Domine, licèt verum sit, quòd ex pura tua bonitate, dum nihil in me reperis aliud, quàm solam meâ miseriam, univeris animam meam tecum tam forti complexu, quàm tu scis, adeò ut semper sis ipsi præsens, & illa sit prostrata in tuo conspectu; nihilominus te simulas, quasi longè ab anima abesse, ut crucietur, desiderando te obtinere, & possidere eo modo, quo tu vis: gloria namque mea est sola tua voluntas. *Hæc & alia dicebat ista DEI famula ad suum dilectum, Divino ipsius amore ebria.*

§ II.

QVi tamen non didicit experientiâ, quid sit amor DEI, non poterit intelligere cruciatum, quem adferunt hæc ardentia desideria ipsius magis magisque amandi, & sanctas stultitias, quas lingua profert, præ animæ ebrietate: quæ omnia ità invalescunt, ut anima non possit reperire quietem, donec illam DEUS abripiat, uniátq; secum intimo & tranquillissimo amore, qui tum est quædam species beatitudinis. Hoc ordinariè experiebatur ista famula DEI, sicut patebit ex eo, quod ipsa de se his verbis refert:

Dum aliquando agerem cum Domino DEO, cœpit mea anima tantopere exardescere, ut videretur consumi, & rapi extra se, atque deficere. Tunc DEUS uniebat secum meam animam, quæ sibi videbatur esse in cœlo, coram Divina Majestate, omnium oblita, ut non videret, neque intelligeret quidquam, nisi ingens illud Bonum, quo ibi fruebatur, & in quo conquiescebat, ac respirabat anima mea, adeò, ut aliâ vice eodem modo flagrans illo igne Divini Amoris, inceperim alloqui DEUM, ac dicere illi quædam, intérque alia dixerim,

rim: Domine, non abeat Tua Majestas, neque me deserat, quia nec uno momento vivam absque te. Respondit verò mihi Dominus, & dixit: Ne timeas, ut abeam, téque deseram: hìc incipit, quod semper durabit, quando me perfruêris. Cùm hoc audirem, inflammabatur cor meum magis amore DEI, ità ut non essem mei compos, neque scirem quid ipsi dicerem, considerans tantam bonitatem, unde illi dixi: Mi Domine, non loquatur mecum Tua Majestas, nec mihi ista dicat: ità namque sum constituta, ut timeam, ne respondeá aliquam stultitiam, sicut soleo, & ne inurbanè ac incircumspectè tecum agam, meú Bonum, ac Domine mi. Respondit mihi Divina Majestas: Dic, agè, quod volueris, nè timeas; quasi diceret: quod mihi cum tanto amore dicitur, non mihi displicet, imò placet. Tum ego habitâ illâ licentiâ à Domino DEO, ardens desiderio, quod ille ipsa in mea anima excitabat, exequendi ipsius sanctissimam voluntatem, quam etiam ab omnibus alijs impleri optabam, dixi: Quid ergo, mi Domine, daturus es mihi, & meis consanguineis? Divina Majestas mihi respondit: Pete quidquid volueris, ego enim tibi id dabo. Tunc incepi quàm celerrimè, quasi mihi elaberetur tempus, ab ipso petere, quod pro me & pro alijs desiderabam. Et cùm ità mea anima arderet amore istius Domini, iterum Divina Majestas illam secum uniebat, erátque denuò coram ipso in illa cœlesti Jerusalem, oblita omnium, etiam sui ipsius, quia quo tempore hæc unio durat, quod nunquam est longum animæ, nihil aliud videtur uspiam esse, præter DEUM & ipsam; atque ita respirat & conquiescit, sicut qui desideratum bonum obtinuit.

Aliâ vice, cùm esset tanta vis hujus Divini Amoris, ut me conficeret, privarétq; viribus corporis, non absque magno periculo perdendæ sanitatis & vitæ, ut propterea Confessarij mihi prohiberent conversationem & familiaritatem cum DEO, quamvis ego libenter tolerarem istam crucem, quæ mihi erat gravissima, eò quòd mihi illam ex sua benignitate imponeret ferendam DEUS, quem tantopere amabam, tamen propter vehementiam amoris videbar mihi quasi conqueri Divinæ Majestati, dicendo ipsi: Bonum meum, & Domine mi, quare mecum sic procedis? Consumor enim, & conficior amore tui, quod non possum te ità frui, sicut vellem? Inde mi Domine, me repellis à te, siquidem non das robur miserabili meo corpori, ut te possim amare omnibus viribus animæ meæ, & meritissimò me repellis; id quod agnosco & fateor: sed aliunde video, quòd illabaris in meam animam, ipsámque accendas, & inflammes tuo amore, ità ut illi videatur impossibile, separari à te, & à tuo sancto ac Divino amore. Vide, Domine, quid agas, propter tuam Bonitatem: quandoquidem meritò me repellis, non solicita usque adeò, neque accende meam animam, cùm mihi non suppetant vires, ut tantum sustineam: da mihi illas, ut te amem, & tibi placeam, exequárque in omnibus tuam sanctam voluntatem. Et durante adhuc istiusmodi cruce, dixi illi aliàs: Bonum meum, & Domine mi, maneo tecum, etiamsi me repellas à te, quia mihi non das vires corporis, ut possim ad te pervenire. Cui hoc placeret, mi Domine? Divina verò Majestas mihi respondit: Quid dicis? hócne tibi est dicendum? Egóne non te volo? An te velim, amica, bene intelligis, & scis: ac deinde conversus ad sanctos Angelos, qui ibi aderant, dixit illis, ut attentè considerarent ardentem & inflammatum amorem, quo flagraret anima illius suæ creaturæ. Tum Angeli conversis oculis ad meam pauperem animam, aliquamdiu attoniti ac admirabundi illam aspiciebant, & laudabant DEUM, propter opera, quæ dignatur facere, ex infinita sua bonitate, in suis creaturis. Deinde convertit Christus Dominus suos Divinos oculos ad me, & intuens me quàm amantissimè, univit secum meam animam, quæ tum conquievit, collocata jam quasi in brachijs sui dilecti, quia quando amor tam procul pertingit, non habet aliam quietem, quam hanc unioné, quâ anima quodammodo absorbetur, ac sopitur, redditúrque omnium rerum immemor, dum amat in pace & quiete suum

Domi-

Dominum, quasi jam nihil aliud haberet ad agendum, aut curandum. Et quando ex hoc raptu revertitur, quodammodo expergiscitur ex somno, propter sopitos priùs sensus externos.

Quemadmodum nunc Angeli, itù aliàs amorem hujus famulæ DEI obstupuit gloriosus Sanctus Dominicus, & noster Sanctus Pater Ignatius, cùm ipsam invisérent: quia dùm Sanctus Dominicus miraretur, quod in illa videbat, audivit ipsum dicentem nostro Sancto Patri: Ego in vita mea non inveni animam tantis affectibus, & tam ardenti amore æstuantem, tamque illuminatam ac liberam ab omni illusione; quamvis alij servi DEI peregerint alias majores exteriores pœnitentias. *Neque ullus obstupescat, fuisse à DEO & sanctis ipsius, eà præsente, talia verba prolata: nam, ùt jam dictum est, non subibat periculum evanescendi, imò hujusmodi dictis magis pudesiebat.*

§. III.

Sed non sunt minùs mirè & admirabiles visiones, concernentes hunc ardentem ipsius amorem, quas illi varijs modis Dominus exhibebat. Quadam vice, *inquit*, cùm in mea collectione DEUM omnibus meis viribus amarem, Divina Majestas mihi monstravit, illuminando me specialiter, meàmmet animam inflammatam amore sui Domini, ut videretur esse instar vehementer accensi carbonis, quàm flagrantissimi, quo viso terrefacta dicebam intra me ipsam: Si anima tantopere exardescit amore sui DEI, quale erit Sacratissimum cor Christi Domini nostri, quàmque ardens, & totum flagrans amore suarum creaturarum? cùm hoc dixissem, ostendit mihi Redemptor suum sacratissimum cor totum igneum, habens colorem elegantissimi & pretiosissimi rubini: deinde verò vidi ipsum Dominum, tanquam Solem Justitiæ, in quo parvo Sole erat totus Christus, integer, ac omnipotens, nec non tota ipsius virtus, tam sublimi ac eminenti modo, ut nequeat explicari: atque ex hoc Divino Sole Justitiæ prodibant quidam radij, qui suis cuspidibus feriebant meam animam, illámque ità incendebant, sicut erat accensa: & similiter vidi istos radios, se per totam terram diffundentes ac influentes, seque suo lumine insinuantes in animas, quocunque pertingebant. Et quamvis non assequeretur, ut videret quorsum pertingerent, & ad quas animas; tamen divinitus illuminata cognoscebat, esse illas animas, quas Divina Majestas inhabitat per gratiam. Cùm autem hoc viderem, magis exardescebam ipsius Divino amore, neque aliud sciebam dicere, quàm illud, quod dicit Ecclesia de Beatissima Virgine: QUIA EX TE ORTUS EST SOL JUSTITIÆ, CHRISTUS DEUS NOSTER: videbárq; mihi interdiu ante oculos animæ habere illum Divinum Solem, cum ingenti solatio: sicuti quando aliquis fixis oculis intuitus est Solem, semper obversantes suis oculis habet radios Solis, quem vidit. Conspexi autem bis terve Christum Dominũ, hac ratione in sacra Hostia.

Aliàs correpta eodem incendio amoris, vidi etiam meam propriam animam, quasi totam circumdatam quibusdam flammis Divini ignis, qui habebat hos omnes effectus: erat clarissimus, elegantissimus, suavissimus, fortissimus, & valdè ustivus, erámq; attonita, dum videre, quòd etiamsi anima arderet, non combureretur, neque consumeretur, imò experiretur magnam dulcedinem ac solatium; & animadverti eam hujus rei esse causam, quòd ibi Divina Majestas suâ Potentiâ & Sapientiâ infinitâ adesset, atque id efficeret ac operaretur illud Mysterium, dignum suâ infinitâ Bonitate, & igne, atque amore ardentissimo, quo flagrat ipsius Divinum pectus, & cor.

Aliâ vice, cùm quadam nocte vigil decumberem in lecto, venit quidam Angelus, qui abreptum meum spiritum videbatur sustulisse, abiens aliquot passibus à lecto, ubi illum collocavit in quodam loculo, pleno pulcherrimis & flagrantissimis floribus, qualibus solet adornari, dum in eo ad sepulchrum deferendus est quispiam infans: deinde vidi circa lectulum illum funebrem accendi ignem, suavem & fortem, atque adeò resplendentem, ut bene appareret, qualis esset; & Angelus cum alijs

lijs suis socijs obtulit spiritum, ibi existentem, instar holocausti ac victimæ in eo Divino igne, ità ut nescirem, nec intelligerem, quid fieret, quia id mihi tunc non fuit manifestatum, sicut aliàs: sed finito isto actu, me reperi in meo lecto, & interrogavi Dominum, quidnam mihi eâ re voluerit indicare? Respondit mihi: Amica, ille erat Angelus tuus Custos, qui cum alijs te obtulit meo Patri in illo igne. Ego verò subitò dixi: Ergóne, Domine, id non potuit facere in meo lecto, non auferendo me inde? Et Divina Majestas mihi respondit: Nónne vidisti, quòd quando alicui præsentatur elegans cimelium, etiamsi offerri possit inclusum scrinio, meliùs existimetur fieri, si inde exponatur, ut magis luceat, & appareat, quale sit? Ecce ità fecerunt Angeli. Sic mysterio acquievi, & ejus significationi. *Quia in istis eventibus ipsa nihil unquam quærebat ductæ curiositate, sed solummodo id, quod illi ipse DEUS inspirabat: libenter enim ipsi declamabat ea, quæ interrogabat. Atque in hoc eventu quamvis illi cætera non declamverit; bene tamen potest intelligi, illud stratum mortuale pulchris & fragrantibus floribus refertum, esse conscientiam adornatam heroicis & fragrantibus floribus refertum; esse conscientiam adornatam heroicis & exemplaribus virtutibus: quapropter dixit Sponsa:* Lectulus noster floridus, *ubi in somno contemplationis exardescit ignis Divini Amoris, in quo se offert anima in holocaustum, dum sibi ipsi perit, ut transformetur in DEUM: atq; hoc obtinet per Angelos (specialiter verò per Angelum Custodem) qui sunt ministri DEI, ut ipsam adjuvent in ejusmodi operibus.*

§. IV.

DEnique, quia amor exhibetur factis, quando illi aliquid erat peragendum, petebat subitò à DEO lumen, ut cognosceret, an ipsi placeret, & modum, quo id ab illa vellet fieri. Volens itaque tale quoddam opus peragere, dixit Divinæ Majestati: Mi Domine, tu scis desiderium, quod mea anima habet, placendi tibi, & satisfaciendi in omnibus, atque non aberrandi à Tua sanctissima voluntate: obsecro te, Bonum meum, per viscera misericordiæ tuæ, & infinitam Bonitatem, ut mihi des lumen, quo illustrata nunc infallibiliter faciam, quod tibi magis placeat, ac unde resultet major gloria, & obsequium tuum: hoc enim est, quod desidero toto meo corde, nec aliud volo facere, neque mihi placet, sed nec me delectare potest, quàm hoc solùm, quod tu vis, & quod cedit in tuum obsequium. *Tum illi dixit Dominus:* Hac in re age, quod volueris, quia cum ista dispositione, quidquid feceris, mihi placebit, & gratum erit. *Sed ipsa respondit:* Non, non, mi Domine! verùm quod Tua Majestas mandaverit, ac voluerit, ego volo, & non aliud. *Dixit illi quoque Dominus aliâ vice:* Fac quod volueris, hoc enim ego volo. *Ipsa autem fecit, quod intellexit esse gratius DEO, qui bene novit, cui fidat, quando Justo dicit, ut faciat, quod voluerit: propterea dictum est: Justo, non esse positam legem: siquidem, etiamsi non extaret lex, quæ illum posset adigere, ipsi tamen placet facere, quod placet DEO, & est consentaneum illius sanctæ legi.*

Confirmemus id facto, ac dono admodum exiguo, quod in suis initijs obtulit DEO, ex impulsu sui teneri amoris, sicut ipsa refert hunc in modum: Dum mea anima ageret cum DEO, amando ipsum toto corde meo, ac desiderando illi omnibus viribus meis placere, ac satisfacere in omnibus operibus meis, offerendo illi in hunc finem, omnia ardentia desideria cordis mei, quæ erant, ut tota consumerer, méq; offerrem ità liberam, ac denudatam ab omnibus rebus, in ipsius obsequium, dicebam Divinæ Majestati, quasi ignorans, quid dicerem: Quid faciam pro te, Bonum infinitum? quid tibi dabo ego, Bonum meum, quia sum pauper & miserabilis, ac imbecillis, & nihil habeo, nihil etiam valeo ac nihil sum, nihil possum pro te facere, neq; tibi quidquam possum dare; nónne ità est mea spes? unde nescio, quid tibi dem, aut quid tibi offeram, quia sum ipsa pauperies, & tu solus es dives, ac is, qui potes, & qui vales, & qui es; nam tuum esse est infinitum, & essentialiter tuum, atque à nemine depen-

det, à te verò omnes dependemus, accipimúsque esse, quod habemus: & propter hanc paupertatem meam, quid possum ego pro te facere? vel quid tibi possum dare? dic, Spes mea, quid tibi placeat, & gratum sit, quidque te delectet. Et cùm hoc frequenter repeterem, quid tibi dabo ego, meum Cor, & Anima mea? dixi Divinæ Majestati: Bonum meum, ac Domine mi, volo tibi dare illam cruculam meam, quæ mihi est donata, visne ipsam, meum Cor? ego illam tibi dabo quàm libentissimè, (erat quædam parvula crucula, quæ mihi fortè paulò antè fuerat data) hoc tamen dicto redij ad me, quasi expergiscerer ex somno, & dixi: JESU, Bonum meum animæ meæ, ego sum stulta, quòd talem insaniam protulerim, qualis ista est: nunquid tu forsitan es aliqua creatura humana hujus mundi, sicut ego, quòd tibi dem & offeram cruces devotionis, quas appendas Rosarijs? Crux, quàm tu Domine accipies & voles à me, erit mortificatio mearum passionum. Et reprehendebam me ipsam propter istam audaciam. Sed quis immensitatem Bonitatis nostri Domini poterit verbis exprimere, vel explicare? tanta siquidem est, ut, loco reprehensionis, mihi peramanter responderit: Itá, volo, da mihi illam, quia ego tibi ipsam restituã cum lucro. Quo audito à Domino, utpote indigna eâ gratiâ, quam mihi offerebat, illustrata tanto lumine, quo agnoscebam infinitam ipsius bonitatem, extimui, & recessi, siquidem ille favor nimius pro me miserabili esse videbatur, nec me movi, ut illam adferrem; non habebam enim ipsam apud me. Christus autem Dominus me urgebat dicendo: Adfer mihi illam. Ego miserabilis non audebam, neque videbar posse ullâ ratione animum inducere, ad eam ferendam. Videns ergo Dominus tantam meam verecundiam, tacuit, ac dissimulavit factum, neque mihi ampliùs dixit, ut ipsam adferrem. Cùm viderem illum conticuisse, valde eram confusa, neque sciebam, quid agerem. Tandem verò me determinavi, & cucurri allatura meam crucem, quam manu tenens, silui, & nec verbum loquuta sum; quia non audebam, ac bene intelligebam, quòd jam illam Christus Dominus non esset acceptur. Dum ità cor meum esset constitutum, Divina Majestas me aspexit vultu gravissimo, dixitque mihi: Quia fuisti nimiùm verecunda, ac timida, perdes minimùm hac vice præstans Reliquiariũ, quod haberes; dedissem enim tibi istam crucẽ, quam habes, meâ manu benedictam, quì potuisses repellere à te aliquando diabolum, volentem te invadere; sed tandem dissimulabitur tibi iste defectus, quem cõmisisti: quo dicto discessit Divina Majestas, ego verò remansi egregiè pudefacta, & afflicta toto illo die; quanquam propterea, quòd dixerit, dissimulandum mihi illum defectum, significans mihi se ipsum ignoscere, habui aliquid solatij, quia ista erat maxima mea afflictio, quando aliquid commisi ipsi displicens.

Post aliquot dies, qui non erant multi, cùm quodam tempore matutino essem collecta, more meo, vidi Christum Dominum, indutum suis sacris & venerandis vestibus, quas solet gestare, & sedentem quasi in quadã sella, pedibus collocatis super humeros quorundam Angelorum, qui aderant cum magna gloria & jucunditate. Ante Dominum erat posita mensa, cooperta panno instar altaris, & supra mensam erant nonnulli libelli chartæ conscripti, quos sacratissima ipsius Majestas aspiciebat, & acceptos suis manibus commiscebat, pervolvebátque, & uno sepósito accipiebat alium, quasi volens videre tam inferiores, quàm superiores, atque, essentne multi, an pauci? & subinde aliquem ex ijs apprehensum lustrabat, quasi vellet videre characterem, & quid in eo esset scriptum; cùmque ego intuerer chartas, agnovi illas, & vidi esse meas, quas tum conscribebam, dixiq; illi: Quid est, mi Domine, quod Tua Majestas aspicit in his chartis? aspicitne fortè, an in illis scripta sint aliqua mendacia, quia ego non intellexerim, quod mihi Tua Majestas dicit, meque docet? Hoc enim erat, quod ego mihi imaginabar. Verùm Dominus mihi respondit, se non hoc aspicere, neque contineri in illis mendacium, quale ego cogitabam, sed neq; ullum aliud.

Possu-

Possumus quoque intelligere, fuisse id factum à Domino, ut ostenderet, se approbare, quod continebatur in ijs scriptis: Postea vidi in ea mensa, seu altari illam meam cruculam, quam non fueram nuper ausa dare Christo Domino, qui ubi ipsam fuisset intuitus, Sacratissimâ suâ manu eam benedixit, & reposuit ad mensam. Ego eram attonita, dum illam aspicerem; ipse autem, postquam illum circumdedissent quàm reverentissimè multi Angeli, ascendit in cœlũ, & ego fui repleta solatio, ac obstupui gratiam, quam mihi Dominus præstiterat.

CAPUT IX.

De singulari cura, quâ studebat puritati animæ, fugiendo omnis generis peccata, déque multis rebus notatu dignis, quæ ipsi circa id evenerunt cum DEO.

EX ardenti amore DEI, quo hæc Virgo flagrabat, proveniebat aliud, non minùs fervens, desiderium, obtinendi in summo gradu, puritatem, & nitorem animæ, dum quàm diligentissimè cavebat qualecunque peccatum, quantumvis minimũ: quia intelligebat, hoc esse unicum medium conservandi, & augendi amoris Divini, id quod illi etiam DEUS hunc in modum declaravit:

Exhibuit mihi, *inquit*, quadam die luna clarissimam, nitidissimam, ac pulcherrimam, & juxta ipsam Solem, vehementer admirandis radijs collucentem, qui illi appropinquabat, & in eam ingrediebatur, reddebátque illam pulcherrimam, ut evaderet similis ipsimet soli; atque tunc mihi dixit Divina Majestas: Vides istam lucem? Ecce, talis debet esse anima, ut me ipsi uniam unione amoris, & arctæ familiaritatis. Fui valde afflicta, considerando turbationes, quas tam frequentes patiebar: tamen consolatus est me Dominus, dicendo mihi, quòd illæ non auferant claritatem, & pulchritudinem animæ, imò ipsam perficiant; sed peccata, & defectus commissi, contrà quàm DEO placeat.

§. I.

De fervore, quo petebat, nè unquam peccaret, & quid illi Dominus responderit.

HINC est, quòd ordinariè & continuè in sua oratione petiverit à DEO, ut ipsi opitularetur, nè illum unquam offenderet, idque cum tanta sollicitudine, ut præ ea videretur penitus confici. Quadam vice, *ait*, cùm vehementer ferverem, petivi à DEO, ex toto meo corde, mihi hanc magnam misericordiam exhiberi, ut ipsum per omnem vitam meam, nec leviter, neque graviter offenderem, facerémve quidquã, illi displicens: & hoc frequenter iterabam cum eo ardore amoris, quem DEUS infundebat meæ animæ. Conspexi autem illum subitò juxta me, & licèt converteret suos Divinos oculos, ut me quàm amantissimè intueretur, non dicebat mihi ullum verbum, propter quod confusa & afflicta idem repetebam. Tunc me alloquutus est Dominus, & dixit: Quid habes amica? quid est, quod vis? adverte bene, quid velis? considera bene, quid petas. Ego præ illo solicito desiderio, quo tenebar, ut illi placerem, respondi protinus: Bene id consideravi, Domine; da mihi per tuam Bonitatem, quod à te peto. Tacuit Dominus, & ego plena confusione, quia tum ampliùs non intelligebã, quàm quod cum eo affectu dicebam, etiam silui, aspiciendo meum Dominum, intimè optans ipsi placere. Dum hoc agerem, dixit mihi Divina Majestas: Amica, visne tu, quod ego volo? Respondi: ita, Domine mi, & Bonum meum: imò non volo, neque desidero aliud. Tace ergo, subjunxit Dominus, & bono esto animo, quia ego tibi hac

in re, quam à me tanto cum amore petis, dabo, quod tibi expedit, & ego à te requiro. Noveris autem, leves defectus meorum fidelium amicorum, propterea quod ego sim, qui sum, & propter ipsorum bonam dispositionem, solere id efficere in anima, quod facit aqua insperſa igni, quâ ille magis exardescit. Auditis his verbis Christi Domini, defixi quasi denuo oculos in ejus Majestatè, & vidi Divinum ipsius pectus apertum, instar fornacis ardentis inflammatum & accensum Divino amore, erántque in eo, ac ad illud veniebant plurimæ animæ sanctæ, unitæ charitate & amore Divino: quædam erant profundiùs immersæ illi sacro pectori, aliæ minùs, secundùm majus vel minus incendium Divini Amoris, qui illis communicabatur. Et erat res mira, in uno sacrosancto pectore, quod non erat capacius & amplius, quàm ordinariè soleat esse pectus humanum, locum habere plurimas animas ardentes, sicut est dictum, omnes admirabiliter coordinatas, & combinatas, ac abundantes magno gaudio, ita ut se invicem non impedirent, neque coarctarentur magis, quàm si ibi una sola existeret.

Hoc ipsi istâ occasione ostendit Dominus, ut animadverteret, illis levibus defectibus, in quos labuntur justi, non ex malitia, neq; ex consuetudine, sed ex ignorantia, & repentino impetu alicujus passiunculæ, quales in hac vita, sinè speciali privilegio, evitari nequeunt, non extingui incendium Divini Amoris, imò illos ab isto consumi, quemadmodum ipse Dominus ei dixit, cùm valde affligeretur ob quendam defectum, quem commisisset in sacra Communione: Isti tui minuti defectus, *ajebat*, cum magno amore, quo me amas, ac desideras facere id, quod mihi est gratius, pereunt & consumuntur coram me, sicut comburitur aliqua exigua palea applicata magno igni.

§. II.

Fructus, quos percipiebat ex suis defectibus.

ULteriùs processit Bonitas DEI erga suã famulam, quando eliciebat multa bona ex ejus defectibus. Aliquando, *inquit ipsa*, cùm instantissimè peterem à Domino, ut me liberaret à quadam miseria, quâ patiebar, respondit mihi Divina Majestas: Si tibi hoc sustulero, quid tibi manebit pro conservanda humilitate, & pro exercitio virtutis? Ego verò: Satis, *inquiebam*, mihi remanebit, Domine: Tua Majestas me tantùm liberet ab hac fragilitate. Dominus autem mihi dixit: Omnino faciam, liberabo te ab illa. Tum illi respondi: Et quando me Tua Majestas ab ipsa liberabit? Quando, *ajebat*, tibi expediet, liberabo te ab ea.

Aliâ vice, cùm viderer mihi non esse ità immunis à quadam parva passione, sicut existimabam, petivi à Domino, & quidem in somno, ut non sineret cor meum adhærere, præterquam sibi soli. Atque cùm sic somniarem, dixit mihi Divina Majestas: Dormísne, & oras? dabo tibi, quod à me petis. Et manè, cùm essem expergefacta, mihi dixit: Quid est, quod petis? & quid vis? Respondi: ut mihi tua Majestas auferat hoc, quod me gravat, ac inquietam reddit. Et Dominus revocans mihi in memoriam quendam defectum, qui me affligebat, dixit: Etiámne vis, ut à te istum auferam: Respondi: sicut Tuæ Majestati placuerit. Tacuit tamen, atque ut me doceret, procedere cautè, permisit, ut statim viderem dæmonem, cui ea res summè placebat, ac dicebat: Fortasse hàc potero habere aditum, ad ipsam perturbandam, istâ exiguâ passione, quæ illi aliquantùm adhæsit; & scrupulo, quo propter eam vexatur. Hoc audito, timui, & rogavi Dominum, nè permitteret obtinere dæmonem, quod habebat in animo. Tum Christus Dominus ipsi dixit: Nè tibi ità applaudas, quia non habes causam: neque enim tuæ est relicta potestati. Ità magis fui recreata, & egi magnas gratias Domino, pro favoribus, quos mihi præstat.

Aliàs, postquam commisissem quendã defectum, qui me vehementer angebat, fuissemque illum confessa, ac deflevissem, quamvis Dominus mihi bis terve dixerit, ne me affligerem, comparebam in ipsius Divino conspectu tam pudefacta & confusa,

ſa, ut cùm mihi diceret Dominus: Da mihi manum, reſponderim ipſi: Ignoſce, mi Domine, nullâ ratione tibi ſic agendum eſt, cum tam vili creatura; non volo hunc favorem, Domine, non. Erat tanta mea confuſio, ut ex lecto, in quo decumbebam, me invenerim projectam ad terram, ubi continuabam dolorem conceptum ob meum defectum, apud Divinos pedes: atque ex improviſo me reperi juxta pedes ſanctiſſimæ ipſius humanitatis, ac adverti, quòd me Dominus elevaret ex terra, mihique diceret: Agedum, quid habes? quid vis? Ego fui pudefacta, & erubui propter hunc favorem; clauſisque oculis animæ, præ confuſione dixi ipſi: Domine, neſcio, an te offenderim. Reſpondit Dominus: Nonne tibi jam ter dixi, quòd non? Amica, conquieſce: & dicendo alia delicioſa verba, replevit me ſolatio, ac recreavit. Quando ſe vertit, ut abiret, incepi dicere: Domine, Domine! Divina autem Majeſtas, quaſi me non audiret, accelerabat greſſum: quare intendi magis vocem, vocando ipſum, uſque dum dignaretur ſe convertere, & conſolari me denuò, dicendo mihi, me non lapſuram ampliùs in defectum ſimilem illi, quem timebam, à me commiſſum fuiſſe.

Anno 1617. alio die, quo commiſeram quosdam defectus, reperi me coram DEO miſerrimè veſtitam, & immundam, adeò ut erubeſcerem dum me intuerer, dixerimque pudefacta mei ipſius aſpectu: Domine, meritò debeo conqueri de me, videns me ità conſtitutam. Tum Dominus dixit Angelis, qui mihi aſſiſtunt: Auferte illi iſtam veſtem, & mundetur. Veſperi, vel poſtridie incidi in alium defectum, & vidi me coram Domino ſimiliter laceram, & abominabilem, quamvis non tantopere, dixique ipſi: Domine, videsne, qualis ſim? Et Divina Majeſtas quàm pacatiſſimè & amantiſſimè iterum idem dixit Angelis, qui utraque vice acceſſerunt, & fecerunt, quod juſſi erant. Mirata ſum me, ac dixi Domino: Quomodo, Domine, hoc dicis tam manſuetè, cùm me deberes caſtigare? Reſpondit Divina Majeſtas: Si ſcenties intra diem cecideris, teque cecidiſſe agnoveris, mundabo te, atque ſicut cœlum diſtat à terra, & Oriens ab Occidente, ità removebo à te omnia peccata; & ſicut Pater miſeretur filiorum, ità ego miſerebor tui.

Aliâ vice me illuminavit Dominus, ut me ipſam cognoſcerem, acſi radius lucis permearet immundum, fœdum & confuſum fimetum, plenum telis aranearum, & alijs ſordibus, omnesque diſcooperiret. Cùm me taliter viderem conſtitutam, indolui propterea, fuique vehementiſſimè commota, & flevi amarè; licèt tum non cogitarem de ullo ſpeciali peccato: ſi namque mihi eſſem ullius conſcia, quomodo poſſem comparere coram DEO? naturalis ergo tantùm miſeria humana tantopere me affligebat. Sed ſignificavit mihi Dominus, ſe hanc gratiam mihi præſtitiſſe, ut me ditaret omnibus bonis, neque mihi deeſſet donum contritionis, quam mihi dixit, eſſe inſtar pulcherrimæ cujusdam imaginis, quæ depingitur in rudi aliqua tabula, quam pictor priùs deturpat glutine, bitumine, ac lituris lineamentorum, ut illam deinde elegantiſſimè ſuis vivis coloribus efformet.

§. III.

Quomodo vitaverit internas tentationes, quæ provocant ad peccatum, & quid illi Dominus dixerit.

EX his anxijs deſiderijs evitandi omnis peccati, concipiebat timores internarum tentationum, incitantium ad peccandum, quâ de re habuit proficuum quoddam colloquium cum Chriſto Domino, hunc in modum: Dixerat mihi Divina Majeſtas, gloriam, quam eſſem in cœlo habitura, ſpectato meo præſenti ſtatu, futuram, qualem promeretur anima, quæ multùm amaverit DEUM, nec illum offenderit gravibus peccatis, neque etiam in hac vita habuerit graves infeſtationes, nec paſſa fuerit quidquam grave, aut magnas tentationes; & hac ratione mihi ſignificavit, multos eſſe in cœlo, qui propter magna certamina habita, & obtentas multas victorias, longè

majorem habeant gloriam. Per aliquot dies hoc ruminavi, considerans, quàm parum valerem, eò quòd non assequerer id, quod alij, fortè propter meam pigritiam & negligentiam, ideóque non essem tantum ac alij fruitura meo Domino. Cúmq; aliquando propterea essem turbata, dixit mihi Divina Majestas: Quare turbaris? Dicis, te nolle habere tentationes, quibus affligeris ac angeris, & omnia times. Si velles & haberes animum, nec tantopere timeres, ego tibi darem, quod alijs: sed cùm non velis, quid vis, ut tibi faciam? & iterum mihi dixit quàm amantissimè: Vellesne habere tentationes? ego verò dicebam aliquantùm perplexa: Non, Domine. Respondebat Divina Majestas: Quid ergo vis? Cùm videretur totum permittere meæ voluntati, eram confusa, nesciens quid responderem, & quia adeò metuo tentationes, dixi propter illam animi confusionem: Non, Domine. Eram tum, quando ista dicebam, quasi mei impos, audiendo meum Dominũ, & amando ipsum ex toto meo corde, & admirando tantam bonitatem, quæ se dignatur ita communicare creaturæ vilissimæ, & omnium, quæ in mundo reperiuntur, abjectissimæ. Post hoc denuò dixi ad Dominum: Si tua Majestas vellet, bene me posset confortare ad patiendum, & faciendum id, quod alij pro te fecerunt. Et Dominus respondit: Ità, verum est: sed ego te volo ducere conformiter talento, tibi à me dato; quod mihi vehementer placuit, siquidem Divina Majestas erat, quæ mihi id dixerat. Et cùm alijs vicibus, ità timendo, ipsi dicerem, quòd ij, quibus contulisset ejusmodi gratias, etiam multa ad ipsius obsequium præstitissent, fuissentque pro illo passi multas tribulationes & persecutiones, retulissentque magnas victorias; & quòd ego in vita mea non fecissem, nec passa essem magna, quódque hoc mihi incuteret metum, ac redderet dubiam, an bene procederem; Tunc adverti Dominum ægrè ferre, quod dicebam, adeò ut debuerim illi dicere: Domine, tacebo, nè indigneris, propter tuam bonitatem, quia ego hoc non dico, ut te offendam, cùm scias voluntatem meam esse, ut exequar tuam: Tum mihi Divina Majestas dixit: Veni huc, cùm prædita sis meâ gratiâ, nec habeas in tua anima, quod meritò tibi timorem incutiat, neque aliquid tale sentias; quare tot habes dubia ac timores? Hoc tibi sufficiat, nec velis omnia scrutari, atque disquirere. Permitte id mihi, quia ego facio, quod volo; & si tibi videris non fecisse, neque passa fuisse pro me magna, inde est, quòd tibi talium non dederim occasionem: tu verò desideravisti ex corde omnia propter me, & me solum quæris, ac desideras. Audiens hoc dici à Domino, perfusa fui solatio, atque, opinione meâ, non potui dubitare, quin esset Divina Majestas, quæ id mihi dixerat. In alia simili occasione mihi dixit aliàs: Permitte me agere, ego enim scio, quid mihi sit faciendum: an ignoras, quòd sim Dominus rerum omnium, & possim facere, ac faciam, quod volo? neque scis, quid ego dixerim de illo homine, qui exivit diversis horis diei, ut vocaret operarios ad laborandum in sua vinea, quòd posteà solverit tantum novissimis, quantum primis? tace ergo, & conquiesce.

Hæc illius revelatio de gloria, quam habitum esset, sicut ex ipsamet constat, intelligitur de statu vitæ, in quo tunc erat. Voluit autem Dominus illam ità animare ad tolerandà majora, quod factum est: quia posthac illam exercuit terribilibus doloribus, & persecutionibus dæmonum, præservando illam à peccatis, juxtà ejus desiderium, saltèm deliberatis, ut consequeretur sublimes gloriæ gradus, quemadmodum ipsi deinde fuit ostensum.

§. IV.

Ardentia desideria, quibus rogabat Dominum, ut puniret ipsius peccata.

VErùm, quantò magis illam DEUS solabatur in peccatis ac defectibus levibus, in quos labebatur (quia in hac vita mortali septies in die cadit justus) tantò ampliùs desiderabat, ut illam Divina Majestas puniret, ac affligeret, propter ipsius defectus.

Dum sic essem constituta, *inquit*, coram

ram DEO, dixi illi: Bonum meum, nonne mihi præstares tantam gratiam, ut mihi constringeres pedes ac manus, compedibus & manicis, injicerèsque collo catenam, ne à te possem recedere, Bonum infinitum cordis mei, útque ità constricta, acriter ab aliquo castigarer, unde quisque intelligeret, cui negotium facessam, qui est magnus Dominus, & potens, ad puniendos mihi similes, unde inposterum resipiscerem: quæ mihi ardentissimè dicenti, Divina Majestas peramanter respondit: Id ego nolo facere, non enim habeo causam; & plura, quàm hoc, patior. Propter istud responsum, mea anima magis amore ipsius exarsit, dixiq; illi; an, quando quinque plagarum millia ipsi pro me fuerunt inflicta flagellis, fuerit sui ipsius misertus, cùm illas tam libenter susceperit pro mea salute? Aliá vice illi dixi: Estne hoc, Domine, tolerabile, quòd omnes malè agentes debeant puniri, & tantùm ego debeam esse immunis à pœnis omnium mearum iniquitatum? Quando pro illis satisfaciá, Domine? puto me promereri supplicia, neque tamen mihi infliguntur; alij autem, qui non merentur tantopere puniri, flagellantur, & prostituuntur per publicas plateas. Vellem Domine, si mihi id per te liceret, prodire in ipsum forum, & ibi clamando publicare omnia mea scelera, ut omnes venirent ad vindictam sumendam de ea, quæ ità offendit Majestatem sui Domini. Aufer à me, Domine, per tuam Bonitatem, quod tibi displicet, & dic, ut me deserant peccata mea. Tunc mihi dixit Dominus: Fiet; ego id jubebo fieri. Quia plerumque accidit, ut, quando habeo talia desideria, Dominus me soletur aliquo simili responso.

Aliàs in quibusdam magnis anxietatibus, ac desolationibus internis, quas patiebar, dicebam ad me ipsam: Ità, ità solve aliquid eorum, quæ debes: non cogita, mera tibi expectanda esse solatia, & illustrationes Divinas: bene ego dicebam, te ali & vestiri alienis impensis, atque omnia esse tui Domini, & nihil tuum, id quod modò advertis, postquam tibi omnia sunt sublata, & remanes in tenebris. Hac ratione me totum conformavi DEI voluntati, ut paterer, quidquid ille vellet, dummodo ipsi placerem; & quodam die præbuit se spectandum oculis animæ Christus Dominus, tanta cum majestate, ut bene adverteretur, quis esset: aspiciebam illũ, quamvis non absque magna verecundia; demittebam oculos, nec ipsi audebam dicere verbum, iterúmque illum intuebar, & Divina Majestas mihi nihil dicebat, unde magis verecundabar. Dominus autem incepit suscitare in mea anima quædam desideria, & affectus Divini sui Amoris, atque ijs mihi abstulit illam meam pusillanimitatem: cúmq; ità ferverem, dixi illi: Ubi fuisti, Bonum animæ meæ, & Domine mi, tanto tempore? quare fecisti sic? bene scio, te propter mea peccata abfuisse: ideóque rogo, ut illa punias in me omnia, hoc enim volo, nec subterfugiam tuam manum; nolo enim aliud, quàm satisfacere tuæ Justitiæ, tibique placere. Hæc, & alia dicebam Domino meo, obstupescens majestatem, quam præseferebat.

Paucis abhinc diebus, dixi Divinæ Majestati magno fervore: Mi Domine; ego video, mea peccata & scelera esse, ac fuisse multa, & valde magna; ac desidero ex toto meo corde pro illis satisfacere tuæ Divinæ Majestati, & pro omnibus agere pœnitentiam: sed aliunde animadverto, exiguas esse meas vires ad perficiendum, quod tantopere desidero: quid me, Domine, vis facere? & quis solvet, quod debeo, si ego miserabilis non possum? cúmque ista & alia ferventer dicerem, conspexi Christum Dominum aperientem suum sacrum pectus, mihique ostendentem suum sanctissimum cor, accensum, ac totũ ardens, amore suarum creaturarum; & fui clarissimè illuminata, ut ibi viderem, quo nos amavit ac amat, quasi diceret: Aspice! hoc amore, & isto corde vos complector: & statim mihi communicavit unam scintillam illius sui amoris, quo meam animam longè magis accendit, quàm priùs Divino ipsius amore flagraverit; vidique expressiùs & clariùs Personam Christi Domini, atque ità illi dicebam: Mi Domine, qui te non novit, ignorat, quid sit bonum:

quia

quia me experientia docet, hunc Dominum esse magnum Magistrum, sapientissimum ac potentissimum, qui scit ac potest ex malis bona, ex tenebris elicere lucem; esse etiam liberalissimum, & magnificum in adimplendis suis promissis. Cùm enim dixerit, secundùm multitudinem dolorũ fore consolationes, ego video multò majora esse solatia, & bona, quæ mihi communicavit, quàm fuerit tribulatio, & afflictio, quàm, ipso permittente, sustinui.

CAPVT X.

Quomodo illam Dominus interdum reprehenderit & castigaverit, propter levissimos defectus, interponens monitis favores; & quid in hac re fecerunt ipsius Angeli.

ERat hæc famula DEI tam rigida erga se in redarguendis suis peccatis, ut potiùs necesse fuerit illam cohibere: sicut interdum faciebãt ipsius Angeli. Quadam vice, *inquit*, videbar mihi divertisse modicum in oratione ad res necessarias, concernentes negotia domestica; ità tamen, ut non perderem præsentiam DEI. Indignata sum mihi ipsi, dicendo mihi quædam verba aspera, ut: stulta, stolida, non te pudet, quòd ità distraharis? Venerunt autem ad me Domini mei Angeli, dixerúntque mihi quasi me reprehendendo: Soror, quare dicis talia? Respondi: Domini, sum tam mala, ut me non possum tolerare. Tum illi: Cùm te toleret DEUS, ne te vexes, neque affligas. Et ego dixi: DEUS est summè bonus, qui me propter suam bonitatem tolerat, ego autem sum tam mala, qualem me vident. Ipsi verò responderunt: Quandoquidem te tolerat DEUS, tolera te ipsam; quo dicto discesserunt, ac redierunt ad suum quisque locum, ubi ordinariè manent. Non semper tamen DEUS me solabatur in meis defectibus, sed etiam me illorum subinde arguebat quàm asperrimè, ità ut coram DEO magis pudefierem, quàm si infami pœnâ publicè afficerer: habent nihilominus aliquid peculiare istæ correptiones, in quo differunt ab ijs, quæ proveniunt à spiritu malo, quòd, licèt sint causa tam terribilis confusionis & verecundiæ, sicut dixi, quia imbuunt clarâ defectûs, & sui ipsius cognitione, simul tamen relinquant quandam tranquillitatẽ, & quietem in anima, non turbando ipsam, nec inquietando, neque movendo ad pusillanimitatem, aut diffidentiam: quin imò anima timendo confidit, ac tremens comparere, coram suo DEO, ingreditur ad ipsam per portas filialis amoris, & confidentiæ, quòd habeat tam benignum & misericordem Patrem, ut quamvis haberet, quà posset effugere ipsius præsentiam, id tamen non faceret, putétque se, licèt illam occideret, speraturam in ipsum. Quadam vice illi dixi: Certè, Domine, quamvis haberes in manu gladium ad me occidendam, non tamen cessarem te amare, & cõplecti. Divina Majestas mihi respondit: Itàne? vide autem, nè ab hoc amore deficias: quod quidem non facies; habeo enim te scriptam in meis manibus, & ego te protego, ac defendo.

§. I.

PRæterea DEUS, ut magis exerceret suam famulam, aliquando satisfaciebat ipsius desiderio, & jubebat illam puniri, propter levissimas culpas ac defectus, qui non erant nisi imperfectiones ac defectus à natura provenientes. Fuit autem castigata diversis temporibus, & varijs occasionibus, quæ deinceps recensebuntur: modò referemus nonnulla magis proficua, pro nostra instructione, quæ benè conveniunt cum eo, quod jam narratum est.

Quodam die, *ait*, post Communionem ità mihi evagata est imaginatio, ut quasi per quadrantem horæ non recordarer me com-

communicavisse. Quando ad me redivi, & hoc adverti, puduit me, pœnituitq; vehementer meæ culpæ, & optavi, ut me DEUS castigaret, sicut merebar. Converti oculos, ut aspicerem meos quatuor Angelos, ac vidi illos, quàm modestissimos, & adverti me subitò in spiritu humi prostratam, totam laceram, coopertam pulveribus, carbonibus, ac terrâ: quidam etiam, quos puto fuisse malos spiritus, me terribiliter verberabant, prosternentes me pronam. Dum perseverarem in dolore de meis peccatis, venit Angelus meus Custos, qui me aliquantùm recreavit: sed tamen dolor internus non cessavit, donec me Dominus visitaret, ac diceret: Marina, remissa tibi sunt peccata tua, ac tum statim me deprehendi pulcherrimè indutam veste quadam pretiosa cæruleâ; & elevata ex terra, fui restituta lecto. Hinc factum est, ut ultrà sesqui alteram diem paterer gravissimos dolores & cruciatus in toto meo corpore, unáque graves cordis angustias, nec permitterer quiescere in lecto, adeò, ut biduo non possem sumere sacram Evcharistiam propter vehementiam afflictionis, quæ duravit multis diebus. egerebam insuper ab eo tempore ex ore quotidie inter vehementes ructus, & molestias, cum cibo aliquid illius pulveris ac luti, quod me excruciabat; unde apparet, id non spiritualiter tantùm accidisse, sicut alijs vicibus, sed etiam corporaliter.

Postea mihi dixit Dominus, ut me solaretur, evasisse me puriorem, quàm fuerim priùs. Hac occasione illum interrogavi, quænam esset felicior anima: illáne, quæ nunquam peccavit graviter, an verò, quæ, postquam peccavit, resurgit cum præclaris actibus pœnitentiæ & fervoris? Dominus me tùnc divertit ab illa cogitatione, deinde tamen mihi dixit: Si videres duo pretiosa vasa, unum ex auro præstantissimo, & quàm optimè elaboratum, sed absque omni ornatu; aliud verò ex auro, non adeò puro, sed eleganter arte encausticâ exornatum, & gemmis refertum pretiosissimis, quódnam malles? tum ego dixi: Æstimabile est vas aureum tam splendidum: ego tamen mallem nunquam offendisse DEUM, quamvis haberem pauciores gloriæ gradus, quàm offendisse ipsum, & habere deinde plures gradus gloriæ. Dominus autem mihi nihil respondit, sed tacuit.

Hoc dicit Venerabilis Marina, & ego arbitror causam silentij Divini fuisse, quòd etiãsi Divina Majestas justè permittat istos lapsus, quatenus pro sua infinita bonitate elicit magna bona ex nostris parvis malis; nos tamen non possimus committere ullum peccatum, quantumvis parvum, cum spe reportandi ex eo majoris lucri.

§. II.

ALiâ vice sum modicùm evagata inter orandum ad aliquid, secundùm se indifferens, & quamvis me ipsam redarguerim propter hunc defectum, venit tamen ad me unus ex Dominis quatuor Angelis, & admonuit me, ut me præpararem: venturum meum Angelum Custodem, jussu DEI, ad me corripiendam. Venit ille, exhibens mihi vultum severum, & fui subitò passa ecstasim, deprehendíque me humi prostratam, & erubui, puduitque me summè mei ipsius, atque infra me terra scatebat scarabæis, & alijs reptilibus. Postquam ità aliquamdiu jacuissem, erecta fui ab Angelis, & cùm me ipsam aspicerem, vidi me indutam lacerâ veste obsoletissimâ, cui adhærebant illa reptilia: deinde me intuitus est Angelus meus Custos, & modo quodam gravissimo mihi dixit, quare es ità constituta? quis te induit tali veste? túne fuisti illa, quæ eras elevata ad thronũ magnæ gloriæ, & noluisti in illo considere? Hunc in modum me increpabat, revocando mihi in memoriam susceptas gratias, & ego erubescebam adeò, ut ipsum non auderem intueri. Demum adverti me exui illo vestitu: & quando ad me redij, reperi me in meo lecto.

Hæc repræsentatio fuit verè quoad modum terribilis, quia per illam repræsentatur damnum, quod exigua culpa potest adferre animæ, cui DEUS multas contulit gratias: nam hæc omnia, non tam significabant damnum præsens, quàm quod potest sequi ex

modicæ rei incuria, cùm propterea anima prosternatur humi, invadentibus ipsam scarabæis infernalibus, induatúrque vestibus obsoletis consuetudinum veteris hominis. In confirmationem hujus rei illi dixit aliquando Dominus, quasdam animas bonas vehementer exagitari à diabolo, datâ ab ipsis occasione: Quia si quis, *inquit*, audito tumultu in domo vicini, negligit suam, ac relinquit portam apertam, & illuc abit, quid est mirum, quòd intret fur, & ipsam expoliet? Ità me aliqui deserunt, dum illis loquor, & conferunt se ad percipiendos rumores mundi; ideóque ingreditur hostis, sibique illos subjugat.

Magìs se ostendit Zelantem Angelus Custos, ut non solùm tolleret culpam, verùm etiam illius periculum, & occasionem. Quia intellexerat, audiri quædã Vallisoleti de ejus sanctitate, & omnia dissimulabat, nihili ea faciendo. Quadam nocte, *ait*, sensi in spiritu vehementer inspirationem, instar acris reprehensionis, cùm mihi diceretur me in similibus occasionibus, etiamsi non tentarer à vana gloria, non debere esse absque cura, nec id quomodocunque dissimulare, sed agendum mihi esse cautè & circumspectè, acsi posset subesse periculũ. Deinde conspexi meum sanctum Angelum, vultu severo & gravi, à quo ista reprehensio procedebat. Is me in momento extraxit ex lecto, & projecit pronam ad terram, cui me adeò allisit, ut mihi esset malè: Circumdederunt me alij quatuor Angeli, & vidi Christum Dominum non nihil distantem, vultu gravi, quasi approbaret, quod Angelus fecerat. Aliquantò pòst, potui me erigere in genua, quamvis valde erubescerem coram Domino; Angelus autem mihi inspiravit ferventem actum contritionis ac doloris de commisso defectu, cum firmo proposito emendationis. Post hoc Dominus mandavit Angelo, ut me propiùs ad se adduceret, & quamvis ego reluctarer, propter meum magnum pudorem, Angelus tamen fecit, quod fuerat jussus, prostravitque me ad pedes Christi Domini, qui videns me confusam, & humiliatam, consolatus est me dicens, quòd sicut palea consumitur intra grandem ignem, ità consumantur mei parvi defectus, propter magnum amorem, quo erga illum ferebar, & propter multa, quæ patiebar.

§. III.

ALium majorem rigorem, valde tamen salutarem, demonstravit sanctus Angelus: quia cùm haberem quandam internam inquietudinem, propter supervacaneos timores cujusdam rei, quæ poterat evenire, reprehendit me Dominus acriter dicendo: Anima quid times? si me habes; quam ob causam affligeris? si perdis confidentiam, perdes omnia: non dico, quòd illam perdas, sed si illam perderes. Post unam deinde horam vidi, quòd præferret magnam indignationem; cùm autem adirem Dominum, modo ordinario, ut ab illo peterem lumen, videbatur se mihi exhibere affabiliorem, & mirata sum, quòd illum aliter constitutum viderem ex una, aliter verò, ex altera parte; dixitque mihi Dominus: Quid consternaris? nonne scis, me modò obire officium Patris, modò Medici, & Judicis. Postea sanctus Angelus meus Custos reprehendens severè istos meos timores, me abripuit in spiritu, & quasi indutam vili veste cinericeâ, me constituit coram Domino, ubi ab Angelo percussa in dorso, cecidi prostrata humi, & incepit me accusare dicendo: Ista creatura tua, Domine, cui præstitisti tantas gratias, est illarum immemor, & inquieta propter hos timores, neq; par est, culpam hanc permittere impunitam. Dominus respondit: Estne reprehensa, & pœnitétne illam? Dicente verò Angelo: Ità. Sufficit, reposuit Dominus. Sed Angelus vehementer instabat, dicens iterum: Domine, nihilominus illi oportet injungere aliquam pœnam, pro ista culpa, ut resipiscat. Tum Dominus: Duc ergo illam *ad lacum leonum*: & ego intellexi, hoc non esse aliud, quàm tradere me aliquibus diabolis, ut me excruciarent. Conversus autem ad me Dominus: Anima, ajebat, acceptásne istam pœnam? cui ego tremens: Ità, Domine, quia illam mereor. Dixitq; Dominus Angelo: Sufficit, si illi dentur

tres

tres ictus in dorso; & sanctus Angelus mihi subitò inflixit tres ictus, qui me non parùm afflixerunt, unde fuit orta quædam membrorum confractio, & cruciatus, qui duravit aliquot diebus. Deinde accesserunt ad me sancti mei Angeli, quibus dixit Dominus: Ferte illam ad lectum, ut quiescat: & collocaverunt me in lecto pulchrè adornato & florido, ubi aliquamdiu quievi. Postea ipsis dixit: Ferte illam ad reclinatorium, & inde ad locum, quem vobis designavi; tulerúntque me ad quosdã gradus, quasi summi altaris, ubi cum Domino iterum aliquamdiu quievi; ac deinde me eduxerunt per portam non primariam, sed aliam quandam parvam, & occultam, constituerúntque me in cœlesti Jerosolyma, quam ingressa, obviavi Beatissimæ Virgini, unà cum gloriosis Sanctis Dominico & Ignatio, qui me susceperunt peramanter, dicentes mihi: Bene veneris, Amica: cúmque me deduxissent ad conspectum DEI, & fruita aliquantum fuissem ejus præsentiâ, libera ab illis timoribus, retulerunt me ad meum angulum.

Post paucós abhinc dies, appropinquante mihi sancto Angelo, sensi quendam naturalem timorem, eò quòd recordarer præteritæ castigationis. Tum mihi dixit: Anima, ne timeas, ne me refugias; scis enim, quòd ego tibi omnia bona optem & solatia, téq; amem, ac desiderem tibi magna & extraordinaria, atque eximia bona: & hoc dicto, me apprehendit ac duxit ad Dominum, rogavitque ipsum, ut mihi præstaret aliquam gratiam ex ijs, quas solebat, perderémque illam timiditatem. Christus Dominus, cùm essem provoluta ad ipsius pedes, mihi dixit: Veni Anima, & ingredere viridarium ac paradisum mei Divini cordis. Ibi mihi manifestavit immensitatem suæ Divinæ Essentiæ, & Attributorum, videbárque mihi videre in illo horto quasdam quasi arbores refertas floribus, significantibus Divina Attributa, & decerpebam valdè ferventer unum ramusculum ex una, & reponebam illum ad sinum; deinde alium ex alia, quem similiter intrudebam ad sinum, atque ità videor mihi collegisse aliquos ramusculos Divinæ Sapientiæ, Misericordiæ, & reliquorum Attributorum. Postea mihi dixit Angelus: Quid est hoc, quod aufers ex Paradiso DEI? cui inde aliquid dabis? quia qui decerpserunt flores in aliquo viridario, solent donare aliquid suis amicis. Ego respondi: Hic habeo, quod decerpsi, ex Misericordia & Sapientia DEI: hactenus non cogitavi inde aliquid ulli dare.

Paulò pòst me duxit ad quandam solitudinem, desertum admirabile; ubi nihil mihi videbatur esse aliud, quàm mea anima ac DEUS; & tanta ibi cognoscebam, adeóq; mihi erat bene, ut rogarem meum sanctum Angelum, ne, postquam me perduxisset ad tam felicem locum, ex eo educeret. *Hoc oportet esse illud Prophetæ:* DUCAM EAM IN SOLITUDINEM, ET LOQVAR AD COR EIUS.

CAPUT XI.

De nimio timore, quo angebatur totâ vitâ, ne pateretur illusiones in suis extraordinarijs vijs; quámque solicitè petiverit à DEO illuminari, ac de admirandis rebus, quas ipsi Divina Majestas dixit, ut illam redderet securam.

ALiam crucem constantiorẽ & gravioremtoleravit Venerabilis Marina totâ vitâ, inter adeò insolitos favores, quæ fuit, terribilis timor, nè in illis deciperetur à diabolo, & à sua imaginatione, néve idcirco aliquid faceret, quo suum DEUM offenderet: & quamvis visitationes essent tam magnæ & proficuæ, abundantes tantis solatijs, hi tamen timores, qui illam invadebant, omnem istam attemperabant voluptatem,

tem, unde faciebat, quod poterat, ut illas evitaret; atque interdum valde lætabatur, quando ipsis carebat, adeò ut aliquando dixerit ad DEUM: Bonum meum, si aliqua anima eò deveniret, ut diceret, se nolle acceptare istas tuas gratias extraordinarias, propter suos timores, quid faceres? *Divina Majestas illi respondit:* Ego nemini confero has gratias contra ipsius voluntatem; quia licèt vos velim mihi esse subjectos, nolo tamen vos cogere. *Hoc responsò habito, veluti convicta, siluit. Inde fiebat, ut, cùm inciperent extraordinariæ visitationes, vel indicium aliquod illarum, aut signum notaret, subitò confugeret ad DEUM; adeò ut oculis fidei illum intueretur præsentem, in omni loco, iterarétque preces & obtestationes, postulando ab illo lumen ipsius cœleste, ad cognoscendas ejusdem veritates, & ne ulla in re deciperetur. Quia verò hoc DEO placebat, ipséq; illi inspirabat, nec Divina Majestas, nec Sancti, neque Angeli, qui veniebant ad illam invisendã, propterea offendebantur, nec abibant, imò illam expectabant, ut perageret suam solitam orationem, cui minimùm quadrantẽ horæ solebat impendere, vel semihoram, atq; aliquando unam, & duas horas, id quod ipsãmet declamvit loquendo de se in tertia persona gravissimis his verbis:* Quando anima illustrata Divino & vero lumine, sentit præsentiam sui cœlestis Sponsi ac Domini, qui illi significat, quòd illam velit visitare, & consolari extraordinariè, patefaciendo ipsi aliqua sua Divina Mysteria, vel secreta, timet ac tremit, & verecundatur, prostrata in conspectu sui magni DEI, quem omnibus suis viribus amat, & cui summè desiderat placere, & à quo humiliter atque magno ardore spiritûs, quem illi Dominus communicat, petit, ut ipsam edoceat de suis veritatibus, détque illi suum Divinum lumen: quando ità anima complectitur summum Bonum, & cum illo quasi luctatur, usque dum obtineat hanc benedictionem (quam Divina Majestas nunquam negat ei, qui illam humiliter postulat) invenit se quasi victam à Domino, qui ipsam suaviter inclinat ad acceptandã gratiam, & visitationem, quam illi vult exhibere: & postquam istam gratiam suscepit, relinquit illam ditatam Divinis donis, quæ nequeunt explicari, & adferunt ingentem pacem ac solatium, ut propterea absq; omni dubio credat, suum DEUM ac Dominum esse illius operis authorem.

Hoc scripsit Venerabilis Marina, quando jam erat provectæ ætatis, & ego mirabar, dũ mihi narraret illam luctam, quã certabat cum suo DEO, ut sibi impertiretur lumen, pro cognoscendis ipsius veritatibus: quia id faciebat accumulando tot preces, ac tot motiva & rationes allegando, ad eum modum, quo illas allegat Ecclesia in Litanijs Sanctorum, ut aliquando erubuerit, reprehenderitque se ipsam, dicendo ad DEUM, quòd sibi videretur id exigere, quasi debitum ex justitia. Divina autem Majestas illam est solata, dicendo ipsi: Est verum, quòd titulo justitiæ hoc à me petas: cùm enim ego promiserim me concessurum, quod à me peteretur, mansi quasi obligatus ad dandum, quod à me postulatur. *Implevit quoad hoc Divina Majestas istud promissum, tam integrè, ut multis annis, quibus ego illi fui à Confessionibus, & cum ipsa egi, semper adverterim, quòd illam præservaverit ab illusionibus. Hic timor partim fundabatur in ipsius natura, quæ erat meticulosissima, ut dictum est; partim sine dubio fuit speciale donum DEI, sicut ipse Dominus illi dixit quodam die hoc modo:* Esto certa, quòd nulli creaturæ ex omnibus, quas duxi per vias extraordinarias, dederim majus donum timoris, quàm tibi. *Causas verò, cur illud ipsi dederit, declamvit rationibus, quas illi dicebat, ut illam redderet securam, quòd non sit illusa, neque unquam esset illudenda.*

§. I.

QVadam vice, *ait ipsa*, dixi ad Dominum: Bonum meum, & Domine mi, quales sunt hi timores, qui me affligunt, mihiq; tremorem incutiunt? Quid me vis facere, ut tibi placeam, ac satisfaciam? Respondit Dominus: Nihil refert, quòd habeas istos timores, quia per illos te reddo securiorem, sicut es, & propterea non omittis facere, ac dicere, quod volo.

Dic

Dic mihi, si viveres absque istis timoribus in hoc mundo, & sinè ista cruce, quid tibi deesset? & quid scires pati? Cùmque me aliquando multùm angerent, dixi Divinæ Majestati: DEUS mi, & Domine mi, quomodo me relinquis in manibus meorum inimicorum? & respondit mihi quàm amantissimè? Quid dicis, Anima? ego te certè non relinquo nisi in brachijs crucis, cui ego affixi mea brachia; significans mihi istos timores, esse crucem, cui me ipse affixisset. Magno me affecerunt solatio hæc verba Domini; dixi tamen illi statim: DEUS mi, & Domine mi, optimè fit, quod dixisti, ideò sis benedictus: Dic mihi nihilominus Domine; nónne est meliùs, ut anima perveniat ad pacem, quæ reperitur in te, ac tantam tranquillitatem, ut ipsam nihil ampliùs audeat infestare, nec illius passiones, nec natura, neque diabolus, útque non ampliùs pugnet, ac tu solus cor possideas: nónne hoc esset meliùs, mi DEUS? Respondit Dominus: Adverte, quando ego ex mea bonitate, & ob alias justas causas, exhibeo eum favorem, & gratiam animæ, quæ illam meretur, ut ipsi dem istam pacem ac tranquillitatem, de qua tu loqueris, esse bonum, ac donum, & munus meum: tamen, quæ non est assecuta hæc specialia dona, si pro illis obtinendis impendit laborem manuum suarũ, adjuvante ipsam meâ gratiâ, ac decertat, & patitur, multò se excellentiùs gerit; quia ista laborat, pro consequendo thesauro, illi verò alteri confertur ex gratia: adverte præterea, in tali statu animæ, qualis est tuus, id, quod vocas passiones, ac defectus, esse opus meorum incomprehensibilium judiciorum; ut humilietur anima, & conservetur in subjectione, sitque dedita mortificationi, tum ut magis augeatur ipsius præmium, & mea gloria, tum etiam, ut præbeat exemplum utile, meis fidelibus amicis: hoc est, quod agitur in tua anima: Quid te vexas, & affligis? esto bono animo, & quiesce in me.

§. II.

DUm aliàs agerem cum Domino aliquantùm confusa meis timoribus, dixi illi, ea, quæ Divina ipsius Majestas mihi dicebat, & mysteria, quæ mihi revelabat, esse ejusmodi: ut, licèt credam absque omni dubio, quidquid mihi dicebatur, & videbam, tamen quodammodo timeam & metuam, quòd mihi Divina Majestas conferat tantas gratias, cùm ego sim, quæ sum. Respondit mihi Dominus: Anima, si credis meis verbis, & veneraris mea Mysteria, ità sicut dicis ac facis, quod ipsum ego volo, utcunq; timeas ac metuas, quare vis tibi à me auferri turrim & murum fortem, sancti timoris mei, ac circumspectionis, quæ custodit ac defendit animam ab omnibus telis ac fraudibus diaboli, & repræsentationibus phantasiæ, aliisq; hujusmodi rebus; quæ tela diaboli, dum illa vult jacere, ut animam decipiat per illusionem, resiliunt & revertuntur ad illum cum ingenti confusione, rubore, ac damno ipsius: & similiter, quare vis tibi à me auferri coronam crucis, quam pateris, vivendo cum timore, & tremore, ac sancta circumspectione, quandoquidem etiam vivis, certam habens & securam in me spem: noveris præterea, animam, quæ id non haberet in specialibus vijs, & extraordinarijs exercitijs, victuram in magno periculo, ne deciperetur à dæmone, & à sua propria imaginatione.

Aliâ vice, cùm mihi Dominus aliquid dixisset, angebar meis timoribus, considerans, essetne DEUS, qui mihi loquebatur, & dixit mihi Divina Majestas: Quid habes, Anima mea? quid sentis? Ego sum tuus DEUS; ego sum, qui loquor; quid times? Respondi illi: DEUS mi, & Domine mi, vivo cum timore ac tremore; quia denique sum in eo statu, ut decipiar, & non intelligam, atque cognoscam te, id quod ego, propter nullam rem creatam, nec propter cœlum, neq; propter terram, vellem contingere, ut te vel in minima re offenderem. Hæc est, Domine, mea anxietas, & mea cura, in qua vivo, sicut scis. Reposuit Dominus, modo quodam sublimissimo, suavissimo, & efficacissimo: Anima: non decipietur, qui non voluerit decipi, & ambulaverit in veritate coram me: quod cùm ità sit, non habes, cur timeas.

Hoc Dominus taliter dixit, ut mihi mirabiliter satisfecerit quoad istam veritatem, atque sic fui animata.

Dum aliàs magno affectu agerem cum Domino, dixi illi: DEUS mi, & Domine mi, unum S. & clavum pone in meo corde; quia desidero tota esse serva, & *sclava* Domini. Divina Majestas mihi respondit amabilissimè, & blandissimè: Anima, jam pridem hoc feci, & tota es mea. Tum ego reposui: Quomodo ergo, mi Domine, sum tam mala & miserabilis, ac tam parùm profeci in omnibus pertinentibus ad tuum servitium? Dominus autem mihi respondit valde affabiliter: Ne ideò soliciteris, Anima mea; quia verè tibi dico, quòd te habeam scriptam in libro vitæ, quòdque per mea auxilia & subsidia proficias ex favoribus, & gratijs, quas tibi præsto. Respondi denuò Domino, ac dixi: DEUS mi! cùm ità sit, quomodo vivo cum tantis timoribus, ne tibi displiceam, téque offendam? & sum adeò meticulosa, propter vias tam extraordinarias, per quas me ducis, ut vivam afflicta ac anxia? Sed Dominus mihi respondit: Bene sic fit: nónne tamen inter istos timores, in quibus vivis, has veritates agnoscis? Iste tuus timor est filialis, qui etiam in cœlo habetur, quia timor Domini manebit in æternum. Ego optimè scio condire, quæ in speciem sunt contraria, quamvis non sint; & conjungere istum sanctum timorem; quem habes, cum veritate, quam tibi manifestavi; quod tibi satis constat. Hoc me magno solatio affecit, & confortavit in Domino.

Aliâ vice agendo cum DEO, conquerens de me ipsa, dixi illi cum magno pudore: Domine mi, & DEUS mi; jam tot annis sum prædita usu rationis, & toto hoc tempore, cùm tu mihi contuleris tot ac tanta beneficia tam ordinaria, quàm extraordinaria, dederísque tot ac tanta auxilia pro meo profectu, debuisset meritò anima mea plurimùm profecisse, ac esse libera à passionibus, & excessibus naturæ, atq; à tot peccatis, quibus sum obnoxia. Divina mihi Majestas benignè respondit ac amanter: Quid facis peccatrix? quæ causa est tuarum querelarum, ac tui doloris? quia in bona & veraci voluntate, atque sano creaturæ corde non possunt habere locum talia mala, de quibus te, tanto cum dolore accusas: siquidem sicut non est signum, radicem arboris vel vitis esse malam vel putridam, propterea quod progerminet ramos, vel stolones supervacaneos & superfluos, procedentes ex alijs causis, quos suo tempore veniens putator diligenter recidet, ut fructus arboris sit uberior, & utilior; ità ex sano corde, & bona voluntate creaturæ erga suum DEUM, qui est fundamentum & radix arboris, vel vitis, proferentis veras virtutes, & bonum spiritum, atque perfectum amorem sui DEI, non potest provenire quidquam mali, aut noxij. Quòd si hæc arbor germinet ramos supervacaneos & superfluos in speciem, illi oriuntur ex alijs causis; putator autem, cultro mortificationis resecat solicitè istos ramos, & illos destruit, atque comburit, si opus sit, mortificando has superfluitates, quæ sunt passiones inordinatæ, & affectus naturales, in eóque multum laborat, ut ità fructus sit major, utilior, & uberior.

§. III.

IN duplici occasione vehementer augebantur istæ anxietates ac timores. Una fuit, quando ipsius Confessarius illam reprehendebat propterea, quòd esset in ijs nimia, permittendo se ductui naturæ; cùm enim ipsi plurimùm crederet, imaginabatur sibi, se ideò multos ex in re commisisse defectus, displicentes DEO, cui sic aliquando locuta est:

DEUS mi & Domine, mihi & Confessario meo videtur pessima esse mea natura, qualis ergo videtur esse tibi: nónne abominabilis? Respondit Dominus: Non videtur mihi, neque videri potest malum, quod ego facio; neque natura, quam ego do meis creaturis, quæ est accommodatissima, ad illarum bonum & commodum, atque ad id, quod ego ab ipsis volo; sed nec ea, quæ ego ipse denuò, & sine culpa naturæ ipsarum, ijs offero ac permitto illis evenire, pro earum exercitio & profectu, aliisque bonis, quæ inde eliciuntur:

Hoc

Hoc quidem, ajebam tum ego, bene credo, mi Domine, non posse videri malum: sed bene etiam mihi persuadeo, peccata ac defectus, quos in his occasionibus committo, non nisi summè tibi displicere: Bono esto animo, dixit Dominus, quia si in occasionibus, de quibus loqueris, committis aliquos defectus, ego ex illis multum pro te elicio utilitatis, propter tuam bonâ dispositionem, & ideò illos permitto; atque, sicut exiguæ paleæ in præsentia infiniti ignis; ità illi coram mea bonitate pereunt, ac disparent: & tua naturalis inclinatio summè mihi placet, éstque aptissima ad id, quod à te volo; sicut aliàs tibi dixi, pro tuo solatio, & propter tuam necessitatem, in qua eras constituta; ideóque non est, cur turberis, vel affligaris, quòd exercearis & reprehendaris à tuo Confessario: permitte illum exequi suum munus, habet enim bonam intentionem, ac adverte, ne concidas animo, quia tui defectus, si eos habueris, non possunt esse majores, neque minores propterea, quòd illos reprehendat Confessarius, vel omittat reprehendere: quales sunt coram me, tales erunt. Cùm tamen hæc omnia, propter occulta judicia DEI, qui id permittebat, non sufficerent, ad auferendam mihi crucem internam, & afflictiones, quas patiebar, dixit mihi Dominus, modo quodam Divino, & amabili: Anima mea, quid tibi est? quæ est causa tuæ afflictionis? amo enim te, neque me offendisti: veni mecum, & quiesces modicùm, docebo te quoddam secretum mei cordis, ob quod in me recreaberis: atque dum hoc diceret, univit me secum, invenique me in pectore Patris æterni, ubi mihi ostensum fuit clarissimè & manifestissimè, pro meo captu, mysterium Beatissimæ Trinitatis, ac æterna Processio Verbi Divini, quâ procedit à Patre, & quomodo ab istis duabus Personis Patre & Filio, per amorem quendam æternum ac infinitum, quo se amant, procedat Divina Persona Spiritûs sancti. Mansi satis diu in ista cognitione, cum extraordinaria admiratione: Magis tamen stupebam, quomodo Pater, intelligendo & comprehendendo se ipsum, produceret Verbum Divinum: & aliquantò post, per quendam raptum, fui unita DEO, unde factum est, ut magna ex parte cóquiesceret illa turbatio, non tamen integrè, permittente id Divinâ Majestate, pro meo majori exercitio, ità ut mihi non prodesset, quidquid ageret meus Confessarius, volens mihi satisfacere, ut me redderet quietam. Tunc mihi dixit Dominus: Ne te affligas, Anima, sed tolera istam crucem cum reliquis, quas tibi ex amore offero, quamvis hanc, quæ tibi denuò præbetur, non merearis; offer illam mihi, & ama in me, ac reverere tuum Confessarium & Patrem spiritualem, sicut facis; quia mihi in hoc places, & placebis.

Ex ista revelatione, est advertere, quomodo DEUS fuerit solitus permittere istas cruces & afflictiones, ut ex illis sumeret occasionem, præstandi suæ famulæ magnas gratias, nobisque præclaras daret instructiones, ne erraremus.

Altera occasio, in qua augebantur afflictiones ac timores, erat, quando ipsius Confessarius dubitabat de quibusdam rebus, quas illi recensebat, quia hoc illi sufficiebat, ut sibi imaginaretur se esse illusam, ideóque cum his dubijs recurrebat ad DEUM, qui pro infinita sua sapientia ad ea respondebat, adferendo illi motiva, ad eam placandam, & quia ipsa vehementer solicitabatur, ut illorum recordaretur, eo fine, ut eadem referret suo Confessario, ipsique satisfaceret, dixit illi Dominus quâdam vice: Ne te superfluè fatiges, ut velis omnia Confessario narrare, quæ tibi dico, reddendo illi rationem eorum, quæ tibi contingunt, quia noveris, quòd quantumcunque illi dicas, denique, tanquam homo, nequeat penetrare omnes veritates abditorum secretorum animæ, atque ità non possit, in aliqua re, non hæsitare: tu tolera istam crucem, amore mei, quia & aliæ animæ illam toleraverunt: quin imò te moneo, ne nimiùm soliciteris, ut velis tuo Confessario satisfacere in his rebus, putésque, quòd, nisi ipsi satisfiat, non possit mihi satisfieri; siquidem, ùt tibi dixi, cùm sit homo, non potest assequi semper veritatem harum rerú internarum, sicut ego illam scio, qui sum DEUS, potéstque sæpe dubitare, ubi non

est

est dubitandum, ac proinde, quin illi satisfiat, potest mihi satisfieri.

Hoc ipsi dixit Divina Majestas, ut reprimeret supervacaneam afflictionem, non verò congruam solicitudinẽ, de reddenda conscientiæ ratione Patri spirituali. Postremò, postquam illi DEUS dixisset quidpiam, ità illam reddendo internè certam, ut ei non potuerit remanere dubium, esse DEUM, qui illud dicebat, ad eum modum, quo dicit Sanctus Thomas, redditos fuisse ab ipso certos Prophetas, se esse eum, qui illis loquebatur, & talia revelabat, addidit: Ista tibi modò dico, cum tanta certitudine, ut sic tibi auferatur aliquid de nimio timore, ac dubio, quo subinde angeris, an ego sim, qui ordinariè tibi loquor, útque intelligas, quòd, qui tibi ista dicit, dicat etiam cætera, quâvis tibi non videaris habere tantam certitudinem. *Multa alia illi acciderunt non solùm cum Christo Domino, sed etiam cum ipsius Angelis, & Sanctis quoad hoc ipsum, quæ suis locis afferentur.*

CAPVT XII.

De ejus Puritate, & Castitate, déq; circumspectione, quâ agebat etiam cum Angelis, & Sanctis, & quomodo se illius voto obstrinxerit.

PUritas animæ, de qua dictũ est, magis elucescit per puritatem corporis, quam vocamus Castitatem, eóque ampliùs, si sit perpetua, quæ alio nomine dicitur Virginitas. DEUS Dominus noster dedit huic suæ Famulæ, jam inde ab ipsius infantia, singularem affectum ad illam perpetuò servandam, cum speciali quodam ac raro privilegio, ut caro, quoad hoc, non rebellaret spiritui, sed semper illi esset subjecta: quòd verò illam asperrimè tractaverit in sua juventute afflictationibus, non tam hoc faciebat, ut coërceret ipsius rebellionem, quàm ex suimet odio, quódq; id soleat inspirare DEUS pro conservando isto dono, utì apparuit in Sancto Joanne Baptista. Verùm aliam gratiam, non minùs magnam & singularem illi præstitit, præservando ipsam à molestijs, tentationibus, & persecutionibus, quas contra hanc virtutem suscitant dæmones, ità ut quamvis assumerent horrendas figuras bestiarum, & truculentorum hominum, ad illam terrefaciendam, & cruciandam, dicerẽntque ipsi enormes contumelias ac blasphemias, nunquam tamen illis dederit DEUS facultatem exercendæ fœdæ alicujus actionis, coram ipsa, vel proferendi verba turpia, quæ potuissent Virgineos ejus oculos & aures offendere, præservando illam ab ista molestia, licèt ipsam permitteret pati alias majores. Præterea dedit illi quandam modestiam naturalem, & insuetam circumspectionem, ità ut quando prodibat ex domo ad templa, vel alò, prout illi DEUS præcipiebat, vel inspirabat, semper ambularet intra cellam sui cordis, cum assidua collectione, atque tali modestia, gravitate, & quiete, ut nemo illi auderet dicere quidquam indecens, & omnes componeret.

§. I.

De ejus circumspectione, quâ agebat cum Angelis, & Sanctis.

QVod magis manifestat exactam hujus Virginis puritatem, est circumspectio, quâ agebat cum ipsis Angelis, qui illi semper aderant, quod etiam discebat ex eorundem exemplo. Non intuebatur ipsorum vultum, nisi rarissimè & obiter, observans in hoc non solùm reverentiam, quam illis debebat, verùm etiam cautelam, ad quam à sua Virginali puritate ferebatur. Diverso item modo aspiciebat Sanctos & Sanctas, atque eos, qui ipsi comparebant in specie infantili, vel ætate provecta, gerendo se cum omnibus eâ modestiâ, quâ decebat, ut se gereret cum talibus personis, adeò ut nunquam in istis visi-

visitationibus, quæ fuerunt innumerabiles, habuerit quidquam dedecens hanc eandem ipsius puritatem. Quando in lecto decumbebat tam debilis, ut se non posset erigere, nec vertere ex uno latere in aliud, accedebant, quotiescunque eorum operâ indigebat, ad illam juvandam sancti quatuor Angeli, & Angelus ejus Custos, summa cum honestate, ac decentia: quamvis enim illi inservirent in ea apparente forma, suis brachijs, juvabant tamen ipsam modo quodam spirituali, & Angelico, ità ut non sentiret contactum corporis humani, útque quàm verecundissimè averterent vultus: quòd si aliquando adessent ejus sociæ, præbituræ ipsi auxiliũ, quò se erigeret, illi statim recedebant, donec jam id animadvertens, ipsas dissimulanter moneret, ut se modicùm relinquerent; ac tum subitò revertebantur Angeli, quibus adjuvantibus quàm facillimè assurgebat.

Quadam vice, inter alias, accedens ad ad eam Angelus Custos, ut illam probaret, constituit se è regione ipsius, converso suo vultu ad vultum Marinæ, ità ut illam posset, præter morem, fixis oculis intueri: fuit idcirco turbata, obstupescens, quòd eo modo sibi tam vicinus staret, quasi dubitaret, essetne verus Angelus, qui id faceret: sed ille cognovit ipsius cogitationem, dixítque ipsi: Plurimùm mihi placuisti propter hanc tuâ verecundiam, & solicitudinem, quam ostendisti; ego enim hoc feci, ut te probarem, & viderem, quid ageres. Persevera semper in ista circumspectione.

Aliàs, cùm haberet brachia extra togam, vellétque illa in ipsam imponere, neq; id posset facere ob suam debilitatem, accessit Angelus minimus, qui præsefert speciem biennis pueruli, ut eam juvaret, ipsa verò retraxit brachia, & noluit juvari: dixítque illi Angelus: Quid times? ego enim non sum caro, sed spiritus, & licet essem præditus carne, ob ætatem tamen in qua me vides, tibi non esset timendum. *Idem illi evenit aliàs, quando ipsam visitaverunt tres sancti Patriarchæ, quibus erat addicta. Ingressus est primus sanctus Franciscus, postea Sanctus Pater Noster Ignatius, ac deinde Sanctus Dominicus.* Cùm, *inquit ipsa*, sanctus Franciscus processisset amantissimè, pervenisset-que ad me, extendit manum, quasi attrectaturus meam: fui vehementer turbata propter solum illum gestum, retraxiq; me celerrimè, acsi esset homo mortalis, qui id vellet facere. Ipse autem subrisit, ac dixit: Quare turbaris? An ignoras, hoc non esse verum meum corpus, sed umbram & figuram illius, quod habui, quam assumpsit meus spiritus? Ità recessit, ac appropinquavit sancto Ignatio, intuendo ipsum cum quodam risu, quasi illi diceret, ut consideraret, quid contigisset, & quàm bonum fuisset illud experimentum. Sanctus Pater Ignatius autem respondit: Admiranda est puritas hujus creaturæ, quoad istam materiam Castitatis. Propter hoc Sancti responsum, fui turbata, & magis afflicta, quasi me puderet illius dicti, quod audiveram. Sanctus Dominicus me animavit, & reliquit plenam solatio.

§. II.

Obstringit se voto Castitatis.

TAm firmiter decrevemt servare perpetuam Castitatem, ut ei non venerit in mentem, consecrare illam, & confirmare voto, donec ipsam DEUS post completos quadraginta annos ætatis illuminavisset, id esse melius, sibique magis placere: atque tum collato mecum consilio, hoc fecit in Festo Nativitatis Anno 1595. quod inscripsit his conceptis verbis: Ego Marina de Escobar, Filia Doctoris Jacobi de Escobar, & Margaritæ Montanæ, quæ fuit ejus Conjunx, promitto DEO omnipotenti, & JESU Christo Domino nostro, sanctissimo ipsius Filio, ac Redemptori Nostro, coram Sacratissima Virgine MARIA, Matre DEI, & Domina nostra, ac omnibus Sanctis Curiæ cœlestis, quos suscipio pro meis advocatis, & intercessoribus, nunquam agnoscere alium sponsum, & servare castitatem totâ vitâ meâ, id quod implebo & observabo, sanctissimâ ipsius gratiâ adjuvante. *Retuli hoc adeò minutatim, ut indè intelligatur, similia vota Virginum, quibus manendum est in sæculo, ubi majora reperiuntur pericula, inspirari à DEO, quando sunt maturæ ætatis, & experientiâ didicerant, quas habe-*

habeant vires ad vincendum tentatorem; idque postquam bene expenderunt, quid agant: quãvis hujus rei non possit dari certa regula. Placuit tantopere DEO hæc oblatio, ut, sicut ipsa promisit, se non assumpturam alium Sponsum, ità Divina Majestas paulò post illam mirabili quodam modo sibi desponsaverit, ùt brevi videbimus.

§. III.

Obtulit DEO tria dona, quæ repræsentabant Castitatem, Humilitatem, & Charitatem.

QVod mirabilissimum habuit Castitas hujus Virginis, fuit perpetuus comitatus, quem illi adjunxit, duarum præstantiũ virtutum, Humilitatis & Charitatis, quæ provenerunt, ut est dictum, ex profunda sui ipsius, & ex sublimissima cælestis Sponsi cognitione. Atque sinè his, utpote sibi proprijs, nunquam consueverunt vivere Virgines sapientes & prudentes, quibus non sufficit habere ea, quæ extrinsecus apparent; quòd nolint esse similes Virginibus fatuis, quibus non est cura de interiore statu animæ, tametsi illam habeant vacuam oleo, & igne cælestium virtutum. Taliter obtulit ista Famula DEI suam Castitatem Domino, qui à se acceptari istud munus ostendit gratiosè & plenè mysterijs visione, quam ità recenset:

Postquam DEUS commovisset ac suscitavisset in mea anima ingentes fluctus ac diluvia sui amoris, excitavit etiam in illa quosdam affectus, qui videbantur oriri & coalescere ex multis ac diversis causis, videlicet ex clara cognitione DEI, ipsiusque veritatum & attributorum, nec non miseriæ & indigentiæ humanæ, ac aliarum ejusmodi rerum. Propter istos affectus erumpebam in hæc tantùm verba exteriora, quæ sæpissimè repetebam, dicendo: Da mihi aliquid Domine, da mihi aliquid; & hoc egi multis septimanis; sed quodam tempore matutino, quasi non advertens quid loquerer, dixi: Ah! Domine mi, & Bonum infinitum meæ animæ! quid tibi dico, Domine, da mihi aliquid, quia hoc aliquid, quod à te peto, scis esse multum? nescio, an mihi id dederis, & tamen crede mihi, Domine, me tibi verum dicere, quòd, si tu à me aliquid peteres, & esset meum, quidcunque demum foret, statim tibi id darem, quàm promptissimè, & ex toto corde. Dum huic affectui essem intenta, haberémque oculos animæ defixos in DEO, Divina Majestas dignata est defigere suos sacratissimos, in ista sua ancilla, & gravi quodam, suavi ac benigno modo dixit, appellando me nomine meo: Marina, quandoquidem ità se res habet, sicut dicis, da mihi aliquid, & repetendo eadem verba iterum, dixit Dominus Majestatis: Marina, da mihi aliquid. Cui ego miserabilis, plena verecundiâ & confusione, respondi: Tu bene novisti, mi Domine, meam vilitatem, exiguitatem, & paupertatem, ut propterea non habeam nec sentiam in me quidquam, quod tibi possim dare & offerre, ut te possit delectare. Audivit Dominus meum miserũ responsum, dixítque denuò: Eja, Marina, excogita aliquid, quod mihi des, da mihi aliquid. Ego, considerata meâ paupertate, & amabili perseverantiâ Domini, me verti, ut aspicerem quatuor Angelos, qui mihi assistunt, quasi vellem ad illos confugere, & ipsos rogare, ut mihi succurrerent in ea occasione: ipsi verò dato mihi quodam gravi signo, dicebant: ut me ab illis avertérent, agerémque cum Domino. Quare conversa ad Divinam Majestatem, rursum dicebam: Domine, nihil habeo, quod tibi possim dare, quia sum pauper: hoc meum cor & animam, quam tu mihi dedisti, cum reliquis omnibus, quæ à te accepi, pridem tibi dedi, & obtuli, ac deposui ad tuos pedes, ut de omnibus disponeres juxta tuam sanctissimam voluntatem; tamen si ista nunc denuò vis, cum omnibus eorum miserijs, ac defectibus, omnia tibi denuò offero. Tunc mihi respondit Dominus: Bene loqueris, & acquiesco tuis dictis, quæ me plurimùm delectant; i...pone tamen nunc tuam manum dextram ad tuum pectus atque cor, & offer mihi, ac da, quod ibi inveneris. Posui itaque manum meam ad pectus, sicut eram jussa à Domino, & inveni in illo nummum tantæ magnitudinis, quantæ est parva vela ma-

là manûs, quem exemptum vidi esse ex purissimo auro, & splendidissimum, in quo erat exaratum atque expressum opere encaustico quàm elegantissimè quoddam symbolum lucis, ignis, & sanguinis. Attonita ego & obstupefacta, dum rem tam miram viderem, prosternénsque me humi, & mox consurgens, obtuli illam ac posui ad manum Domini, quam ipse extendit ad nummum suscipiendum, servavitq; illum in suo sacratissimo pectore, & subitò exorsus est iterum dicere: plus habes, quod mihi manu tuâ offeras, Marina, quære secundò ac tertiò in eodem loco, & offer mihi, quod ibi repereris. Posui denuò manum ad locum, ad quem illam priùs posueram, & exemi secundò alium nummum ejusdem quantitatis, & magnitudinis, aspiciénsque illum cum magna verecundia, & confusione mea, vidi esse similiter splendidissimum, & pulcherrimum, inauratũ, candidum & fuscum, materiæ, mixturæ, & coloris terrestris, atque in ejus medio conspexi signum & symbolum vilitatis, miseriæ, ac paupertatis. Obstupefacta verò ego, & quasi absorpta, dum viderem tanta opera DEI, humi prostrata eodem modo, quo priùs illum obtuli Domino; quem Divina Majestas suscepit, posuitq;, ubi posuerat priorem. Et cùm iterum imponerem manum ad pectus tertiò, sicut mihi Dominus mandaverat, inveni tertiũ nummum, qui erat ejusdem quantitatis, ac magnitudinis cum primo & secundo, splendidissimus ac pulcherrimus, purissimus & candidus instar nivis, ex metallo crystallino & inaurato, erátque in eo insigne & figura Puritatis, atque Castitatis. Hunc tertium obtuli Domino eodem modo, quo primum ac secundum, cum ijsdem animæ affectibus; & Dominus illum suscepit, posuitque in suo sacratissimo pectore, sicut duos priores, ostendens, propter suam bonitatem & clementiam, speciale sibi exhiberi obsequium, & singulariter gratum, oblatione illorum trium munerum; statímque his peractis fui abrepta in ecstasim, plurimúmque mirabar, præsente Majestate Christi JESU Domini Nostri, qui non discessit, neque abivit ex loco, in quo tunc erat Divina ejusdem Majestas: atq; ego nonnihil mihi reddita post illum raptum, animo revolvebam, & considerabam, quale & cujusmodi fuisset illud mysterium ac oblatio eorum nummorũ; qui eatenus non sciebam, nec intelligebam illos esse tam admirabiles. Sed Dominus qui aderat, cognoscens & intelligens, quid ageretur intrà meam animam, respondit meæ ignorantiæ ac difficultati, dixítque: Marina, tria munera mihi obtulisti in illis tribus nummis, quos ego tibi priùs dedi, & tu accepisti, custodivisti atque conservavisti in tuo corde & anima, quàm optimè potuisti. Nec sunt aliud, quàm tres illæ virtutes, quæ mihi summè placent, méque valde oblectant, Charitas, Humilitas, & Castitas, cum Puritate animæ quas repræsentabant, & significabant tres illi nummi aurei, primus, secundus, ac tertius, quos mihi dedisti, dedicando omnem tuam voluntatem & opera meo obiequio, & ego suscepi cum tanto affectu, atq; gustu, quéadmodum à me illuminata intellexisti. Ut autem tibi aliquid rependam, téque remunerer, quòd bene fueris usa primâ gratiâ & favore, quem tibi exhibui, donando tibi illos nummos, quódque illi responderis, restituam tibi ipsos, denuò te juvando ex mea bonitate & gratia, ut mihi illos reddas puriores, nitidiores, & gratiòres meis oculis, quàm eos anteà habueris: respicio enim nova desideria, quæ tibi ego dedi, & voluntatem, quâ etiam denuò respondisti: offerendo mihi non solùm quiquid es, & quidquid habes, ac à me accepisti, verùm etiam alia multò plura, si quæ haberes, & posses mihi offerre, sicut mihi dixisti, antequam offerres nummos: statímque postquam Dominus mihi hoc dixisset, ego indigna ipsius serva id audiens, cum magna admiratione & solatio meæ animæ, attollens oculos, inspirante DEO, vidi, ex pectore & corde Christi Domini, qui erat remotus à me circiter sex vel octo passibus, & aliquantum elevatus, prodeuntes quosdã Divinos, lucidos, suaviter ardentes & coruscantes radios, qui suis cuspidibus feriebant meum cor & pectus; quod admirabiliter, DEO disponente, suscipiebat, & colli-

colligebat in se virtutem illorum divinorum & admirabilium radiorum, usq; dum placuisset Domino, ut cessarent emanare, neque ampliùs prodirent ex ipsius sacratissimo pectore & corde, eo modo (ut ruditer loquar) quo infans suscipit radios lactis ex pectore suæ Matris. Finito isto mysterio Dominus abivit ex eo loco, & throno, in quo circumdatus ab innumerabilibus Angelis sederat, meâ opinione, spatio duarum circiter horarum, impertiens mihi suam sanctam benedictionem, & relinquens me plenam solatio, humiliatam & attonitam, quòd viderem talia miracula, ac tam magna opera DEI, quæ ex sua Bonitate, & incomprehensibilibus judicijs operatur in nobis pauperibus, & indignis creaturis suis.

Refertur similis visio Seraphici Patris Sancti Francisci, cujus sinui Dominus imposuit tres aureos nummos, qui repræsentabant tria vota, Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, *ut illos ipsi offerret. Circumstantiæ hujus præsentis oblationis illam reddunt verè prorsus mirabilem. Quis enim non miretur tam amabile certamen animæ ac DEI, dum petit ac dat DEUS animæ, quod sibi vult ab ea dari, suscipitq; ab ipsa, ut illi idem restituat cum lucro? cui non placeat significatio tam mirabilium nummorum? vivi colores, quibus depinguntur hæ tres virtutes, & locus, quem obtinent in pectore ipsiusmet Christi Domini, atque mdij, qui prodeunt ex intimo ipsius pectore, ubi illos reposuit, ut eosdem magis elaboraret ac perficeret? quæ omnia attestantur immensum DEI amorem erga animã, ut anima diligat suum DEUM dilectione tam forti, ut profundat pro ipso suum sanguinem, ac tam profundâ reverentiâ, ut se humiliet usque ad terram, nec non tantâ castitate & puritate corporis ac spiritûs, ut excedat candorem nivis, nitorem crystalli, & pretium auri. Verè, DEUS æterne, admirabilis es in tuis electis, ac admirabilis est amor, quo illos prosequeris, & ea, quæ in illis operaris. Felices illos, qui accipiunt à te id, quod tibi vis ab ipsis dari, atque tibi dant, quod à te acceperant, quia idem recipiunt cum tanto suo emolumento.*

CAPUT XIII.

De magna fame, quâ anhelabat ad communicandũ quotidie, déque illius causis, & quomodo DEUS interdum ipsius desiderio satisfecerit modis miraculosis.

INcredibilia erant ardentissima desideria, quæ DEUS communicavit suæ Famulæ, ut frequenter sumeret sanctissimũ Sacramentum Altaris, cum fame adeò insatiabili, ut non posset aliter expleri, quàm quotidie communicando, remanerétq; magis famelica, ut communicaret postridie. Processerunt hac in re ipsius Confessarij pedetentim, concedendo illi istum cœlestem panem inprimis quovis die octavo, vel bis intrà septimanam; deinde tertio quoque die, donec rationabilissimè judicarent, posse illi dari quotidie, hunc panem quotidianum, qui propter similes personas vocatur panis quotidianus: ideóque semper illum sumebat, quamdiu valebat pedibus, ut frequentaret templum: postquam autem ità invaluerunt morbi, ut multis annis continuè fuerit affixa lecto, non defuit illi Divina Providentia in suggerendo modo, quo, pro ipsa obtineretur Breve, ut liceret quotidie in Oratorio illius domestico dicere Missam, eique Divinum præbere epulum; quod quidem fiebat, omnibus ijs diebus, quibus illud poterat sumere, sæpe enim erat tam afflicta, ut dolores & corporis affectiones id non permitterent.

§. I.

CUm hæc fames indies magis augeretur: Quodam, *inquit*, die, dixi ad Dominum quàm confidentissimè: Mi Domine, quæ

quæ fames est ista tam magna, quàm semper mea anima sentit, ut te sumat, quia licèt te suscipiat quotidie, nunquam satiatur, & semper te desiderat? Bene ego scio, Domine mi, & Bonum meum, quòd ex magno amore, quê indidisti meæ animæ, oriatur hoc tui desiderium, quia ipsi videtur, & sic re vera est, non esse aliud melius mediũ, quo suum dilectum ad se attrahat, quàm ut ipsum accedat in hoc admirabili Sacramento, in quo es tu, meum summũ Bonum, & Dominus, ac DEUS, & homo verus, gloriosus, & omnipotens, plenus omni tua Majestate, & Bonitate. Sed quamvis ego id noverim, dic mihi, Domine, per tuam bonitatem infinitam, quænam sit alia causa, quòd mea anima te semper esuriat? Respondit mihi Divina Majestas: Præter causam, quam dixisti, & in te experiris, est alia, quam tu non ità advertis, quia dum me anima sumit in Venerabili Eucharistiæ Sacramento, & ego ad illam venio, communicatur ipsi quædam virtus, corroborans illam, & confortans contra omnes suos hostes, ac malas inclinationes, ipsámque sustentans & conservans, ac promovens in vita spirituali. Præterea ego illi hanc miseriam unà exhibeo, ut fiat particeps meorum meritorum, útque ibi ipsi applicetur virtus meæ Passionis, quæ est infiniti valoris. Atque ità tua anima, dum occultè sentit hæc bona, iisq; fruitur, quæ ibi illi communico, vivit etiam cum hac fame ac desiderio mei semper sumendi, quamvis tu non habeas nisi amorem, quo me amas ac desideras, & propter quem solum, non attendendo ad alia tua commoda, præterquam ea, quæ congruunt huic amori, quo me solum prosequeris, magis ac magis ad me venire desideras, ut sis mihi magis unita. Propter hæc verba obstupui, & fui attonita, atque exarsi amore Domini, qui tam suaviter mecum loquebatur.

His duabus dictis causis, tantæ famis communicandi frequenter, addamus aliam, utpote fidem tam vivam & illuminatam, quã habebat, quòd sub eo velo & accidentibus panis, existeret ipse Christus, qui illam miris illustrationibus instruebat, & indies magis animabat: atque cum illa fide crescebat reverentia, ac amor, & fames ipsius sumendi, nec non præparatio ad hanc sumptionem; qua in re illa confirmabatur experientiâ quasi continuâ singularium gratiarum, quas consequebatur inter communicandum, cum ardentissimis affectibus amoris, cum solatijs & jubilis ineffabilibus, & intimâ unione spiritûs, cum suo dilecto, quem complectebatur toto suo corde, qui per admirabiles apparitiones se ipsi in eo Sacramento ostendebat, sub varijs speciebus, & figuris, quæ illi rapiebant cor, eámque accendebant majori desiderio ejus honorandi, amandi, & sumendi intra sua viscera. Verumtamen ipsa multò magis innitebatur vivæ Fidei hujus Divini Sacramenti, quia sciebat illam plurimùm æstimari à DEO, eique placere, quod ipsi significavit in hoc admirabili colloquio.

Cùm considerarem, *ait ipsa*, immensitatem Divinæ Bonitatis, propter quam, unáque amorem, quo amavit & amat suas creaturas ab æterno, dignatus est pro earum salute, & majori bono animarum remanere in Divino Sacramento, ut ipsis cohabitaret, & conviveret, eásque illuminaret ac doceret, cibaret ac nutriret, in hac peregrinatione, juxta illud, quod dixerat: *Si illos dimisero jejunos, deficient in via, quia aliqui venerunt de longè*; cùm, *inquam*, id cogitarem, admirans ipsius Divinam Sapientiam, Potentiam, ac Bonitatem, quæ sunt tres principales perfectiones, quibus innititur opus hujus Mysterij, dixit mihi Dominus: suppositis tribus meis, quæ admirata es, attributis, & simul fide meorum fidelium ac amicorum, quâ firmissimè, absque omni dubio, credunt hoc sanctissimum Mysterium, quemadmodum dixi Thomæ: *Quia vidisti me, credidisti; beati, qui non viderunt, & crediderunt*; usque adeo mihi placet, méque delectat fides istorum meorum fidelium, ut propter illam, simúlque meam bonitatem & amorem, quo erga eos feror, sim prorsus contentus, & satisfiat mihi, juxta omnem meam voluntatem, pro ea misericordia, favore, & gratia, quam illis in hoc exhibeo. Et quamvis sit verum, multos inveniri Christianos, qui cum gravi detri-

mento ac damnatione ſuarum animarum, me malè tractant, ſumendo me in hoc Divino Sacramento in malo ſtatu, & peccato mortali, nihilominus ità me delectat, ac ità mihi placet, id quod dixi, quòd ibi peculiari modo exiſtam, ubi dico delicias meas eſſe cum filijs hominum; ut licèt eſſent quàm pauciſſimi hujusmodi mei fideles, & ſpeciales amici, atque etiam unicus, facerem pro illis, vel pro iſto, hac in re, quod facio pro quàm plurimis; non conſideratis, ut inducar ad id omittendum, ingratitudinibus & peccatis malorum Chriſtianorum, qui me ſumunt in lethali peccato.

§ II.

EST autem admirabilis lucta, quæ reperiebatur in corde hujus Servæ DEI, inter dictos affectus amoris Divini, & alios propriæ cognitionis, qui illam videbantur retrahere ab eo, quod amor tantopere deſiderabat; quia conſiderando ſe ipſam, quando adibat ſacram Communionem, dixit quâdam vice ad Dominum: Mi Domine, eſtne poſſibile, quòd ego tantùm audeam? Quomodo cogito, magne Domine ac potens, venire ad te, & collocare te in abominabile ſterquilinium meæ animæ? videor mihi, mi Domine, eſſe inſtar beſtiæ carentis ratione, quæ, dum videt, quod amat, quòdque illi placet, ſtatim ad illud procurrit, abſque alia conſideratione, & reſpectu. Forſitan te cogito decipere, ac tibi illudere, ſicut illudo creaturis hujus mundi, quæ habent oculos carneos, quibus parùm poteſt videri, id quod agitur in ſpiritu? non potero autem te decipere, quia tui oculi, & viſus tuus eſt clariſſimus ac puriſſimus, & penetrat animas, ac omnia quæ ſunt in illis occultiſſima. Atque ego ipſa tibi volo aperire mea ſcelera, ut illa videas, cures, ac punias, juxta tuam ſanctiſſimam voluntatem. Cùm id conſiderarem, ſpeciali illuſtrata lumine, quod mihi DEUS in hanc rem dabat, dixi illi: Domine, iſta quæ hìc adeſt, eo modo, quo vides, & quam optimè noviſti, nihilominus propter magnum amorem, & deſiderium tui, vult præſumere, ut accedat ad te ſuſcipiendum; quia non eſt illi poſſibile aliter facere, neque ſe poteſt continere: Nonne eſſet bonum, & conforme tuæ Juſtitiæ, atque etiam tuæ Miſericordiæ, ut illam juberes, propter iſtam audaciam, & ipſius ſcelera, terribiliter caſtigari, quò reſipiſceret, & aliquid lueret? cùm iſta dicerem ex intimo animo, ut viderer diſrumpenda, dixit mihi Divina Majeſtas peramanter: Hoc non eſſet bonum, quod tu vis, nec eſt, quare fieri deberet, neq; ego id volo facere. *Ità acquievit, & cognitio ſui ipſius, quæ præſtitemt ſuum officium, dedit locum amori, ut is cum tranquillitate exequeretur ſuum munus. Quia magis delectat DEUM, quemadmodum dixit Sanctus Bonaventura, ut tales perſonæ frequentent ſacram Synaxim cum amore, quàm ab ea abſtineant, propter timorem Divinæ Majeſtatis.*

Aliâ vice, reddens mihi rationem ſuæ conſcientiæ, ſcripſit hæc verba: Summè me pudet, ac erubeſco coram DEO, & coram omnibus creaturis cœli ac terræ; eſtque tantus meus pudor, ut ſi me in aſino circumducerent per plateas Valliſoletanas, non ſentirem majorem confuſionem: in templis me colloco ad angulos; & videor mihi ab omnibus aſpici, ac puto à me omnibus præberi malum exemplum; eo ad Communionem cum magna fame, ſed tamen confuſiſſima, quia mihi videor eſſe ſimilis cani famelico, qui ſurripit panem ex menſa Domini, & celeriter fugit, ne pro meritis tractetur: bene mihi eſt in iſto fimeto. Et ſi DEUS mihi vult offerre aliquid aliud, dico, me id nolle, quòd ſic mihi ſit bene. Cùm hodie irem ad ſumendum Chriſtum Dominum, timui ibi manere, quia vidi cœlos apertos, & magnam multitudinem beatorum ſpirituum me contemplantium, ac ſtupentium immenſitatem Divinæ Bonitatis, quòd ſe ità communicaret ſuis miſeris creaturis, & exiſtimabam me videri, & cognoſci ab illis meâ miſeriam, tam profundè, quàm mihi dabat Dominus, ut me cognoſcerem, atque in iſta confuſione fui ità afflicta, ſicut dixi. Hos eosdem affectus & luctas experiebar poſt Communionem, quia ſumma erat verecundia & pudor, quem ſentiebam, conſi-

considerando vilitatem loci, in quo reposueram Majestatem tanti Domini.

Aliàs me solatus est Dominus, postquâ communicavissem, vehementérque dolerem, quòd me non præparavissem debitè pro tanto Hospite. Vidi Christum Dominum in throno regio, indutum veste, & redimitum coronâ quasi Imperiali, qui arcano modo, & graviter scribebat sanguine, id quod ego fueram promerita per virtutem hujus sanguinis, illâ Communione, ad eum modum, quo Rex aliquis terrenus confirmaret privilegium, & gratiam præstitam cuipiam suorum subditorum, ex mera sua liberalitate: atque hoc facto mihi dixit Divina Majestas: Amicâ, quid tandem facis? quid cogitas? ideóne fortè, quòd aliquis filius, vel filia boni Patris dormiret absque ulla solicitudine, Patre vigilante, ut ipsi præstet aliquid boni, omitteret Pater id facere? *Quasi diceret: Certè non; significando illi in eo admirabili ac Divino arcano, quòd licèt ipsius præparatio non esset qualem sibi imaginabatur, esse debere; Bonitas tamen tanti Domini veniret ad illam remunerandam, acsi quàm optimè se disposuisset.*

§. III.

ALiam graviorem habuit luctam cum dæmone, propter frequentiam suæ Communionis, quæ quantò magis placebat DEO, tantò ampliùs displicebat dæmoni, qui ipsam conabatur ab illa avertere mille vijs, modò apertè, modò fraudulenter. Aliquando manè, *inquit*, cùm non posset tolerare rabiem, quæ illum propterea discruciabat, voluisset eam exerere, si ipsum DEUS permisisset, postquam apprehendisset meum guttur, utpote optans me suffocare, si posset: verùm quia hoc DEUS nolebat, non habebat plus viriù ad stringendum, quàm si esset parvulus puer, videbatur enim esse quasi ligatus, ne posset facere, quod desiderabat; sed tamen premebat non nihil, ità ut me affligeret. Ego attrectavi guttur, ut viderem, quid ibi haberem, quod mihi adferret illam molestiam, sed nihil adverti, nec mihi incidebat, hoc provenire à dæmone, donec circumspiciens illum vidissem prope lectum, qui statim paulatim accessit, apprehenditq; meum guttur adhuc bis, volens me suffocare. Tum ego nihil ipsum metuens, dixi illi: Quid te exagitat infelix? quid vis? apage hinc. Memor autem, quàm parùm DEO servirem, & meorum peccatorum ac defectuum; dixi ei intrà me: Verè non posses multùm de me conqueri, neque de bonis quæ facio, si propterea solùm ità fureres. Dæmon autem respondit cum ingenti furia: Vellem te suffocare, si possem. Quare tandem? ajebam ego: Quare communicas toties, reposuit ipse. Et incepit subitò conscendere quàm quietissimè lectum, instar catti, sed contempsi ipsum magno animo, dixíque illi, ut descenderet; quod fecit, & reliquit me. Quasi autem hoc non sufficeret, ingerebat mihi scrupulos & molestas imaginationes, ut me abduceret à frequenti Communione, & redderet inquietam, atque valde indignabundè mihi dicebat: Polliceor tibi, quòd, si toties communicaveris, te sim tentaturus & afflicturus varijs imaginationibus: neque aliter fecit, quàm dixerit, permittente id DEO, aliquot diebus. Videns tamen, me ideò non intermittere Communionem, aggressus est me fraudibus, volens me decipere specie virtutis, injiciendo mihi istam cogitationem: Adverte, quòd, ex quo toties communicas, patiaris tot ac tam graves tentationes diaboli, quas non patiebaris anteà, idque fortè in pœnam temeritatis, & irreverentiæ, quam committis tam sæpe communicando, cùm sis adeò indigna, ut id vel semel intrà septimanam facias. Ità mihi incutiebat summum timorem communicandi, quamvis propterea non desisterem à proposito, quia in me non inveniebam, per DEI misericordiam, quod me impediret, neque Confessarius, cui hæc omnia referebam, mihi id prohibebat. Nihilominus astutus deceptor, mihi volebat persuadere, eam cogitationem provenire à bono spiritu, siquidem me quodammodo illuminabat, sicut solet illuminare DEUS: quod tamen nesciebat imitari, neq; omnino similiter præstare, quia relinquebat sui quædam vestigia, ex quibus incepi

nescio

nescio quid suspicari de malo genio; licèt enim videretur esse verum, quod dicebat, veniebat tamen cum interno quodam tumultu, perturbando, inquietando, & contristando animam, contrà quàm faciant, lumen & reprehensiones Divinæ, quæ adveniunt cum pace & quiete interiori. Verùm tametsi haberem istam suspicionem, stringebant me rationes, quas mihi dæmon oggerebat, petitas ex mea indignitate. DEUS autem videns periculum, in quo versabar, nè succumberem ei illusioni, dixit mihi quodam die celerrimè: Dic, agè, quid facis? quid facis? adverte, esse diabolum, qui te vult decipere & abducere à sacra Communione, relinque illum, nè ipsi credas, nè ipsi credas. Tum ego agnovi vocem, & inspirationem mei DEI, ac plena gaudio & amore ardentissimo, illum laudabam, & glorificabam, propter specialem curam, quam habebat de me præservanda à fraudibus diaboli, non quidem in rebus gravibus, sed in ijs, quæ retrahunt ab eo, quod est utilius, & cum magna fiducia illi dicebam: Domine mi, & Bonum meum, si tam fidelis amicus es in protegendis ac defendendis nobis in eo, quod videtur exiguum, aut non tantum, quanta sunt alia graviora; quis dubitat, quin id sis facturus in re gravi, & nobis valde noxia? cùm ergo ità sit, ùt est, quis poterit tibi diffidere, qui es tam bonus Pater, Dominus, & fidelis amicus, ac securus protector te quærentium? Postquam Dominus protulisset prædicta verba, aufugit diabolus, & nunquam ampliùs de hac re est loquutus.

Procedente tempore, quia hæc Serva DEI erat multis annis affixa lecto, ità ut non posset adire templum, sed neque semper haberet commoditatem communicandi in Oratorio, placuit Divinæ Majestati famem ipsius explere modis prodigiosissimis. Primò, deducendo illam manibus Angelorum, ut à nemine videretur, ad templum, eo tempore, quo Sacerdos alijs Eucharistiam dispensabat, ut illam ibi & ipsa susciperet. Secundò, dando illi spiritualiter quandam parvam hostiã ejus formæ, cujus est, quam ordinariè sumunt seculares, quæ licèt non esset verum Sacramentum, sed ipsius figura ac repræsentatio, nihilominus postquam illa eam sumpsisset, excitabat interne eosdem affectus, quos experiebatur, quando solebat communicare sacramentaliter, & interdum majores. Postremò quandoq; ipse Christus Dominus comparens supra patenam in specie parvuli pueri, ingrediebatur os illius, sêque uniebat cum ejus anima, eadem operando, quæ operabatur, quando ipsum sumebat in Venerabili Sacramento. Hoc autem contingebat spiritualiter, & in imaginaria visione. Hujusmodi casus in hac Historia multos afferemus, atque admodum raros, qui hoc loco strictim erant insinuandi, quia quorundam sæpe meminisse oportebit.

CAPVT XIV.

De confidentia, quâ à DEO petebat remedium omnium necessitatum, ac de eo, quod ipsi Divina Majestas concessit, & quomodo illam docuerit, quid ei esset petendum.

Siquidem ea Divini erga se amoris habebat pignora, quæ intelleximus, recurrebat confidenter Venerabilis Marina ad DEUM, petitum remedium omnium necessitatum, tam propriarum, quàm alienarum, cui rei magnam suæ orationis partem impĕdebat. Et verò tantus erat affectus, quo ad istud faciendum ferebatur, ut dum propter suam magnam debilitatem non posset ex proposito agere cum DEO, maximè doleret, se ab illo non posse diu postulare remedia tantarum necessitatum, in quantis sciebat constitutum esse mundum, quia ipsa cum DEO familiaritas eam ad hoc impellebat, inge-

ingenerabátque illi magnam confidentiam, ut id postularet, innitendo infinitæ ipsius bonitati & misericordiæ, quam ob specialem illustrationem magis cognoscebat: atque etiã sæpe fuerat experta, illum propendere ad conferenda nobis, quàm promptissimè, magna bona, nósque liberandos à nostris malis: ac proinde DEUM rogabat, ut sibi daret vires, ad conferendum cum ipsius Majestate de istis necessitatibus, postulandúmque earundem remedium, dicendo illi; ut alioquin faceret, quidquid sibi placeret: & quia petebat cum tanto fervore atque fiducia, bene expediebat negotium. Cujus rei tot habebat experientias, ut sæpe illi diceret Dominus: Quid à me petivisti, quod tibi non dederim? pete, quidquid volueris, quia ego tibi id dabo. *Aliàs verò, dicit ipsa, sibi per aliquot dies omnia concessa à DEO fuisse, quæ voluerat, ac ab illo petierat; seq. etiam ab eo tunc interrogatam, quidnam vellet scire. Sed cùm esset adeò humilis, & verecunda, haberétque bene perspectum genium DEI, nihil ab illo unquam petebat, nisi quod ipsi placeret, & eà conditione, si illi placeret. Ut autem appareat, quousque progrediatur Bonitas Magni DEI nostri, & magnitudo favoris, quem exhibebat isti suæ servæ, afferam, quod illi aliquando contigit post expletos quadraginta tres ætatis annos; est enim aliquid rarum, plenum mysteriis, & admirabile, id quod ipsa ità descripsit.*

§. I.

ANno 1599. cùm quodam tempore matutino essem collecta, more solito, vidi ante me confidentem Majestatem Christi Domini, quasi in quadam sella, cum illa sua sanctissima gravitate, tam magna & sublimi, ut non suppetant verba ad ipsam exprimendam aut extollendam, neque reperiatur intellectus, qui illam possit cõprehendere; quia Divina Majestas, dum animæ ex sua infinita bonitate comparet, in sua sacratissima Persona, exhibet illi quoddam lumen & radios suæ Divinitatis, suæque infinitæ essentiæ, ac virtutis, & omnipotentiæ, ità ut reperiatur extra se, & obstupefiat propter id, quod videt & cognoscit, de Majestate ac amplitudine illius Domini, omnium rerum creatarum. Cùm ità Divina Majestas confideret, sicut dico, & ego miserabilis illum aspicerem cum omni ea reverentia, quâ poteram, atque etiam cum magno amore, quo mea anima illum prosequitur, vidi, quòd eadem Majestas acceperit chartam & calamum, atq; tenente quodam Angelo quàm reverentissimè atramentarium, cœperit scribere, ità ut non viderem intingi ab eo Domino calamum in illo atramentario: sed majestas, magnificentia & gravitas, quâ demittebat suos oculos ad scribendum, & movebat suum brachium, ac sacratissimam manum; est res tam sublimis, támque excelsa, ac ità apta ad exhibendam animæ magnitudinem & potentiam, atque essentiam infinitã ipsius Domini, ut eo modo ipsum cognoscat, clarissimèque illi appareat hæc veritas, quam credimus & confitemur, quòd Christus JESUS Dominus noster sit, non solùm verus Homo, sed unà verus DEUS ac Dominus noster. Sumptâ verò pennâ ad manum, incepit Divina Majestas scribere, & scripsit valdè parùm, statimque mihi monstravit, quod scripserat, & fuit quædam subscriptio in folio vacuo, cujus hæc erant verba: JESUS CHRISTUS DEUS & HOMO VERUS, scripta Divino charactere, utpote sacratissimo ipsius chirographo, quia nihil ampliùs, quàm hoc dici potest, ut intelligatur, qualis esse potuerit; ac tum mihi dixit Divina Majestas: Accipe modò istam subscriptionem, ac scribe hic, & pete, quod volueris, tibique placuerit, dabo enim tibi id quàm libentissimè. Ego autem miserabilis, tunc expendens, quod Divina Majestas dicebat, fui consternata, & mirata sum tantam bonitatem, támque eximiam misericordiam, quam mihi Divina Majestas volebat exhibere, ac statim respondi: Ut ego hic scribam, dicit Tua Majestas, meus Dominus? Non est, cur id faciam: sufficit mihi tuum verbum, ac tua bonitas, propter quam solam mihi dignaris hanc præstare gratiam tam magnam, & misericordiam, ut des mihi tuam sacratissimam gratiam ad serviendum tibi semper, placendúmque toto meo corde, & meâ animâ, ac viribus meis,

nè unquam te offendam, neque aliquid faciam, quod tibi minùs placeat, & non sit conforme tuæ sanctissimæ voluntati. Hoc est, quod à te peto, pro me & pro omnibus, quos præ cæteris amo, & quibus specialiter sum obstricta. Etiam te rogo, si id ad majorem tuam cedit gloriam, & obsequium, ut innotescat Sanctus Pater Ignatius. Postquam autem ista, atque alia in hunc modum petivissem (quæ audiebat peramanter ac libenter) recepit illam chartam, quá subscripserat, scripsitque in ea diutius, & plures lineas; quia visæ sunt mihi fuisse quasi duæ duodenæ, aut aliquantò plures, in quibus Divina Majestas asserebat, se mihi velle præstare gratiam, concedendo quàm libentissimè, quidquid petiveram: & absolutâ scriptione, efformavit juxta priorem subscriptionem, quoddam signú seu notam sibi peculiarem, arcano calami ductu designatam, monstravitque mihi rursum illud scriptum, ut viderem, quàm esset gratia omnibus absoluta numeris, quæ mihi conferebatur. Aspexi appositum signum, & cùm in eo defigerem oculos, intellexi, quid contineret, videlicet antè dicta. Aspexi deinde additum signum, seu specialem notam, & obstupui, nec potui ab illa divelli, quia in ea vidi, quanta sit Majestas illius Domini, qui ipsam ità efformaverat, ut in illa esset designata, & quasi delineata, atque expressa Sanctissima Trinitas. Et verò videbatur atque cognoscebatur in ipsa altissimum illud, & supereminens mysterium trium illarum distinctarum Personarum, & unius solius DEI ac Domini nostri, allucente mihi clarissimo lumine, quod Divina Majestas impertiebatur meæ animæ, ad cognoscendum idé sublimissimum mysteriú, de quo ibi ipsum edocebat, quódque illi manifestabat in ea figura & nota, quam exaravit Christus Dominus suâ manu, ac suo charactere: cùm enim illam efformaret, videbatur unà hoc faciendo, ipsam Sua Majestas quasi depingere, & manifestare suam magnitudinem, ac sublimissima mysteria. Hunc in modum, & in isto mentis excessu, contemplata sum parùm istud altissimum mysteriú, cum specialissimo solatio meæ animæ. Et elapso eo brevi tempore, vidi à Christo Domino complicari illud scriptum, quod nec mihi dedit, neque abstulit, sed dedit ac posuit ad manus unius, ex illis Beatis spiritibus, qui ibi adstabant, atque ego, quantum assequor, existimo fuisse procul dubio Angelum meum Custodem: Sanctus autem Angelus id suscepit, ex manu Divinæ Majestatis, cum maxima reverentia, præseferens magnam lætitiam, propter scriptum, sibi traditum, Omnibus deinde his peractis, me inveni abstractam à sensibus, quasi sopitam, & quando ad me redij, non vidi Christum Dominum, qui jam abiverat, neq; conspexi ullum eorum Sanctorum Angelorum, qui illic adfuerant, nec quidquam aliud, quod ibidem videram. Fui verò propter istam misericordiam, mihi à Domino præstitam, repleta solatio, atque ab eo tempore incepit mea anima fruipace, & quiete ac libertate, ut posset agere cum Domino. Benedicta sit Divina Majestas ubivis. Amen.

§ II.

Ista visio fuit tam sublimis, ac tam bene disposita, & plena mysterijs, adeò mirís, ut ipsi Angeli illam mirarentur, unde: Cùm aliquando manè, *inquit*, agerem cum Deo, amarémque ipsum, ac desiderarem omnibus meis viribus, & expenderem meas miserias, ac peterem ab eo illarum veniam ac remedium, unáque alienarum pro proximis, audiebat me Divina Majestas quàm amantissimè, & respondebat mihi ad ea quæ dicebam, consolabatúrque meam animam specialibus suis favoribus, & manifestabat mihi aliquid de suis Divinis ac supereminentibus arcanis. Interea verò conspexi adstantes quosdam sanctos Angelos, pulcherrimos, vehementer stupétes & admirabundos, quod demonstrabant & manifestabant in situ corporú, in quibus comparebant meæ animæ, nec non in divinis suis ac speciosis vultibus. Causam autem hujus admirationis intellexi esse, quòd viderent Majestatem illius magni DEI ac Domini sui, in cujus Divino conspectu prosternitur omnis creata natura, & eminentis-

nentissimi Seraphini se reputant quasi vermiculos, tanto amore prosequi suas creaturas, tantæque esse erga eas bonitatis, ut propter illam dignetur agere cum ijsdem suis miserabilibus creaturis, ac terrenis, plenisque corruptione naturæ humanæ, & se eo modo ipsis communicare. Ità attoniti illi Angeli se invicem intuebantur, semel ac iterum attollendo suos oculos ad Cœlum, & videbantur mihi non solùm mirari eam, quam tum contemplabantur, bonitatem DEI, sed etiam præteritam misericordiam, quando mihi dedit subscriptionem in charta vacua; ego verò miserabilis videns illos ità stupentes, & quidem rationabilissimè, mirata sum similiter, méque ipsis associavi in eo, quod faciebant, mihi ipsi erepta, propter idem, quod illi attoniti admirabantur.

Veritas hujus revelationis satis patet; quia non fuisset possibile, ut hæc DEI famula illam fingeret; neque alius quàm ipse DEUS eam potest imprimere animæ, ut illi tam miraculoso modo manifestaret veritatẽ promissionis, ijs expressis verbis: Quod petiveritis Patrem in nomine meo, dabitur vobis. *quæ non est aliud, quàm folium vacuum subscriptum nomine & meritis Christi Domini, DEI & Hominis veri, ac Mediatoris nostri, per quem æternus Pater concedit, quidquid ab illo petitur in tali nomine, confirmante id Sanctissimâ Trinitate, cujus opera erga homines sunt indivisa, & quod facit una, faciunt omnes tres Personæ, idque obsignant sigillo suæ Divinitatis, & Omnipotentiæ ac Sapientiæ infinitæ. Etiam animadvertendum est, ipsam, cùm tantopere amaret Societatem, & Sanctum Patrem Nostrum Ignatium, de cujus canonizatione tunc erat sermo, quod fuerit anno millesimo, quingentesimo, nonagesimo septimo, quando id contigit, statim animadversa, tam bonâ occasione, petivisse à DEO, quod usque adeò optabat, quódque illi fuit concessum, & jam videtur impletum.*

§. III.

SEd ut agnoscatur benignitas nostri magni DEI erga istam suam famulam, unáque modus, quo intelligendæ sunt ejusmodi promissiones de concedendo omni eo, quod ab ipso fuerit petitum, addemus aliquas revelationes gratiosissimas, quas hac de re habuit diversis temporibus, præsupposito eo, quòd de se testatur quodam tempore, quo erat aliquantùm afflicta.

Præstabat mihi, *ait*, Dominus illis diebus gratiam, ut mihi concederet, quidquid petebam; illuminabat meam animã, ut cognoscerem id, quod ipse volebat à se peti, ideóque ab illo postulabam ea, quæ mihi hoc lumen suggerebat; aliàs autem intelligens Divina Majestas meam voluntatem, volebat, mihíque indulgebat, ut peterem, quidquid ipsa vellem, atque sic se accommodabat mea anima suo Domino, ipse verò se accommodabat illi. Quadam vice ab eo petivi quidpiam, quod desiderabam: & ipse mihi respondit: Fiet, expecta, quia id tibi dabo suo tempore: aliàs quando ità expediebat, concedebat mihi Divina Majestas subitò, quod ab illa postulabam. Ità, cùm essem vehementer debilis, & haberem caput adeò malè affectũ, ut me non possem impendere orationi, rogavi ipsum, ut me liberaret à dolore capitis, à quo impediebar in oratione, útq; illum transferret ad aliam corporis partem, nolebam enim carere illâ cruce; quod Divina Majestas fecit, dando mihi gravem dolorem corporis, quo fui afflicta biduò, vel triduò. Sed etiamsi alijs vicibus non experirer præsentem hunc Domini favorem, ego tamen ex mea parte non cessabam illi esse opportuna, & illum instanter urgere. Anno 1622. ipsi aliquando dixi cum vehementibus affectibus: DEUS mi, desidero in omnibus facere, quod tibi placet, ac tu vis, & nè vel minimum defectum in hoc admittam, promitto tibi, mi Domine, quòd te sim tam fortiter constrictura meis brachijs, ut te non dimittam, donec mihi concedas gratiam, quam à te peto. Respondítque Dominus: Veni huc, Anima, nunquid ego sum adeò difficilis in concedendo tibi, quod à me petis, ut opus sit mihi tantam vim inferre? Ego verò respondi: Non, mi Domine; ex mea tamen parte, tam exigua adest dispositio, ut putem hâc viâ mihi obtinendum esse, quod

peto. Concessitque mihi Dominus, quod tunc ab ipso petebam. *Hoc magis declamatur in sequentibus revelationibus, quæ ità se habent.*

Anno 1615. cùm expenderem, & in memoriam mihi revocarem quandam gratiã, quam mihi Divina Majestas biduò vel triduò antè præstiterat, vocando me extra cubiculum de nomine, ac ter, tono gravi, dicendo: Marina, Marina, Marina; vidi Dominum, qui mihi dixit: Ità est, vocavi te de nomine, Marina, considera, quid velis? quo indigeas? quidquid petiveris, modò sit è mea gloria & honore, ac bono animarum, dabo tibi, & concedam quàm libentissimè, ac promitto tibi, me id facturum. Respondi ipsi: Summas tibi ago gratias, téque benedico propter gratiam, quam nobis omnibus præstas, dando nobis quidquid à te petimus, modò sit è gloria & honore tuo, ac bono proximorũ, quod est ingens nostrum solatium, ac levamen. Ille subjunxit: Non est ità, sicut dicis: ego enim non de omnibus, quod à me petunt, quantumvis id, quod petunt, conducat ad meam gloriam, & bonum proximorum: quia multi hoc à me non petunt, sicut debent, neque promeruerunt, ut illis præstem illam gratiam. Quod ego tibi modò offero, & cujus rei tibi facio gratiã, est, quòd non solùm tibi sim daturus, quidquid à me petieris eo modo, quo dictum est, si à me petas, quod cedat ad meam gloriam, & honorem, ac bonum animarum, sed præterea, ut à me id petas, quemadmodum te petere oportet: dabo quoque tibi gratiam meam, & quidquid est necessarium, ut hoc ipsum à me obtinere merearis, atque istud est, quod tibi modò offero, quódque tibi gratiosè concedò. His auditis à Domino, egi ipsi, quas quàm minimè malè potui, gratias, pro favore mihi præstito, & dixi Divinæ Majestati, me nihil velle aliud, quàm meum Dominum ac DEUM, & implere in omnibus sanctam ejus voluntatem, atque satagere, ut illi placeam, & me id ipsum ab illo petere, ac postulare pro omnibus meis amicis in Domino, proque omnibus ijs, qui se commendant meis precibus: rogavi etiam illum, ut redderet sanitatem cuidam infirmo, & dixi ei: Mi Domine, reddésne illam ipsi? Summè optando, ut ea illi à Domino redderetur. qui mihi respondit: restitutum à se iri sanitati, si profuerit ipsius animæ. Non negavit mihi Dominus, redditurum se illi sanitatem, imò magnum habebam solatium, & confidebam, quòd eam ipsi esset concessurus, sed videor mihi habuisse certum desiderium id sciendi, & propterea mihi Dominus ità respondit.

Anno 1615. aliâ vice, dum peterem à Domino, ut mihi dignaretur aliquid concedere, eò quòd mihi videretur facere ad ipsius gloriam & honorem, ac bonum proximorum, respondit mihi, sicut aliàs solet: Quid habes? quid tibi deest? defuíne ego tibi in ulla occasione, quando mea gratiã indiguisti? numquid cognoscis & intelligis mea, quoad id incomprehensibilia judicia, meámque Divinam dispositionem? Tu petis, quod tibi videtur conveniens juxta tuam bonam opinioné, & bene facis: putásne tamen me non posse alio modo omnia ità disponere, ut indè mea gloria sumat incrementum? His à Domino intellectis, dixi illi ex intimo meo corde: Domine, nihil cupio, neque aliud à te volo petere, quàm ut per omnia in me fiat tua sanctissima voluntas, & in omnibus tuis creaturis, quod solum à te humiliter postulo. Dominus autem pro sua solita bonitate mihi respondit: Non sic oportet fieri, imò delectat me, dum mei servi à me petunt omne id, quod cederet, quódque illi videtur cessurum ad gloriam & honorem meũ, ac bonum proximorum; quando enim hoc à me petunt sicut debent, & cum debitis conditionibus, bene faciunt petendo, & nonnunquam, dum mei servi à me petunt ea, quæ non usque adeò conducunt ad meam gloriam, neque sunt undequaq; perfecta, sed nec multum prosunt proximis; tamen ut illis satisfaciam, ac dem solatium, exaudio ipsos, disponendo pro mea Divina Sapientia, & Omnipotentia, ut hæc eadem illis tantum utilitatis, & mihi tantundem, aut plus gloriæ adferant, quantum alia, quæ ego ipsis diversâ viâ concessissem, ad majorem meam gloriam,

riam, & eorum bonum. Quia hæc omnia conveniunt meæ Omnipotentiæ, & suavi ac Divinæ dispositioni, nec non meo desiderio, quod habeo, ut illorum preces audiam.

CAPUT XV.

De rabie, quâ ipsam dæmon incepit persequi transfigurando se propterea diversimodè, ac de gratijs quas ipsi DEUS & Angeli ejus præstabant, ut illam tuerentur.

QVando diabolus vidit magnas gratias, & solatia, quibus DEUS hanc suam famulam cumulabat, præsertim dando ipsi illam subscriptionem in vacua charta, ùt est invidus, & malitiosus, concepit adversùs ipsam ingentem rabiem, optando illam persequi, tentare, & excruciare omnibus modis, quibus, DEO permittente, posset. In initijs illi Divina Majestas quam minimùm permittebat, paulatim tamen indulgebat ampliùs, ac tandem tam amplam ipsi dedit facultatem, ut eam redigeret in terribiles angustias, quæ duraverunt multis annis. Specialiùs verò illam angebat, post susceptam quampiam extraordinariam gratiam à DEO, aut præstitum aliquid ab ipsa in bonum proximorum, vel in solennioribus Festis, tametsi illâ initio plerumq; aggrederetur tempore orationis, & collectionis, ut ipsâ turbaret, aut deciperet, vel efficeret nè conversarrtur, ageretque cum DEO familiariter, id quod illa maximè optabat, & cujus communicationis impedimentum præcipuè sentiebat: sed, per Divinam misericordiam, vincebat omnes tentationes, quia statim recurrebat ad DEUM, postulando ab illo lumen; unde postquam multa cum Divina Majestate contulisset de quodam negotio, quod ipsi committebat, vidit dæmonem intrà dentes loquentem, ità tamen, ut illum non intelligeret, sed Angelus ejus Custos illi aperuit, quòd diceret: Ista maledicta, quam in hoc toto negotio nunquam potui decipere, quia statim recurrit ad suum DEUM, sèque illi affigit. Horum omnium referentur suis locis diversa exempla, nunc tantùm commemorabimus varias technas, quas moliebatur ad illam excruciandam.

§. I.

PRimâ vice, *inquit*, mihi apparuit in specie Æthiopis, qui pedes habebat ferinos, & brachia subtilia instar asini, ac multa parva cornua in capite, & longam caudam, pertingentem usque ad terram: erat autem tanta ipsius feritas, ut convertendo me ad Dominum, cum magno illi timore dixerim: Fac mecum, per tuam bonitatem, quidquid volueris, tibique visum fuerit, modò me non videam, vel uno momento coram hoc hoste; & miserebat me illorum infelicium, qui propter aliquâ miserabilem delectationem fiunt mancipia & socij dæmonum, in tormentis totâ æternitate duraturis.

Aliàs illum vidi gesticulantem, atque contorquentem corpus & caput cornutum, quod transmittebat per pectus, & exercebat in dorso, ac deinde suo loco reponebat, rursùmque per dorsum unà cum medio corpore protrudebat, & exponebat iteratò per pectus, restituebátque omnia priori loco. Tum illud inflectebat ad unum latus, & exerebat in altero, unde etiam ad suum locum revertebatur. Hac ratione mille alios edebat fœdos gestus, sèque variè transformabat, & cùm ego vehementer obstupescerem, videns hæc ab illo fieri, dixit mihi: Sicut vides à me intorqueri istud corpus & caput, & transponi atque exeri in tot partibus, ut vix possis intelligere, aut scire, quid agant. Alio die mihi similiter comparuit, sed totus defœdatus nigris ac albis maculis, ex ore verò

ipsius prodibat quasi quædam nebula, quæ se interponebat inter me ac sanctum, cum quo tunc agebam, ità ut mihi impediret illius conspectum: conabatur enim efficere, ut non intelligerem, quod mihi dicebat, & per intervalla effutiebat, quasdam horrendas blasphemias, quibus me vehementer affligebat, propter quam afflictionem dixi ad Dominum: Mi Domine, vide istum infelicem, quem semper mihi puto adesse. Sed Divina Majestas ostendens se habere mei curam, mihi dixit: Non adest certè, quia quàm longissimè à te abest, nè te affligas; significando mihi, quòd licèt sit vicinus ad me affligendam, longè tamen absit ab inferendo damno meæ animæ.

Aliâ vice vidi dæmonem valde superbientem, continuè se moventem, totumque inquietum, absq; ulla intermissione, quasi esset plurimùm occupatus, & dixi illi: Quam inquietus es, miser, ut videaris aliquid facere, cùm tamen nihil agas. Ipse autem tunc respondit: Tibi videor nihil facere, scias autem, me multa peragere negotia in isto mundo, si hic nihil facio; quod audiens obstupui, & indolui. advertebam enim ipsum dicere verum, eò quòd seducat multos suâ industriâ. Aliàs tamen, vice versâ, illum vidi vehementer furentem & indignantem, ac simulantem otium, ut videretur nihil agere, atque tabescere dolore, & confici. Et in hac simulatione, quam fingebat, se gerebat instar alicujus petulantis pueri, qui dum non permittitur agere malè, & pro suo libitu dissimulanter exerit manum, & petit alium ex improviso lapillis, ità ut non possit advertere à quo projiciantur, ac licèt quàmprimùm vertat caput, ut videat, quis se molestet, videt illum petulantem, tam simulatè modestum, ut vix possit credere, ipsum esse, à quo impetatur. Ità mecum agebat dæmon, in tentationibus & molestijs, quibus me vexabat. Hinc deprehendebam duos modos, quos observat in tentandis Justis. Tentat inprimis manifestè, quando incitat ad ea, quæ apertè mala sunt, impellendo ingenti furiâ & impetu ad illa sectanda: deinde tentat occultè, quando incitat ad quædam quæ videntur bona, vel sub specie boni, desiderando, ut attribuantur bono spiritui, cùm tamen proveniant ab eo, qui est tam malus.

§. II.

Gravior ac diuturnior fuit assaltus, quo illam infestavit per aliquot dies hunc in modum: Postquam, *inquit*, mihi DEUS insignes gratias contulisset in Festis Pentecostalibus, quodam die eorundem Festorum, cùm essem in templo, me abripuit in spiritu diabolus, cum magna rabie & furia, maléque tractavit, raptando me, & exagitando, ità ut ipsum quoque corpus quasi defatigaretur, & cruciaretur ultra viginti quatuor horas. Obstupui id, quod nunquam fueram experta, non fui tamen propterea afflicta: quia pati solas molestias, absque timore peccatorum, non est difficile, sed valde suave animæ, quæ suum DEUM amat; ac proinde licèt sentirem crucem, affluebam magno solatio. Cùm hoc videret diabolus, conatus est superaddere cruci, quæ mihi videbatur tam facilis toleratu, aliud quoddã tormentum, quod mihi omnem prope auferebat quietem, insusurrando scilicet quàm sæpissime, & quasi continuè, in aures animæ, quædam abominabilia, atque ità animam affligebat durissimâ & gravissimâ cruce, neque mihi concedebat spatium quiescendi, vel agendi cum DEO, qui nihilominus non omittebat propterea me visitare & solari: maximum autem solatium erat, quòd me conscientia non redargueret ullius peccati, & ipse Dominus mihi imploranti suum auxilium dixerit: Nè te affligas, aut angas, quia ego te præservo & custodio ab ordinaria molestia, quam plerumque adferunt tentationes, quantumvis superentur, utpote à parvis quibusdam nævis, qui solent adhærescere animæ. Et, per DEI misericordiam, non erat difficile meo spiritui, neque meæ carni, cavere, & abominari illas nequitias diaboli, simúlque illi repugnare. Aliàs, cùm in eodem templo audirem

direm concionem, accessit ad me diabolus, & intorsit mihi, atq; reflexit medium corpus retrorsum, ut illud videretur confregisse. Sensi inde ingentes dolores, ità ut dum me moverem, mihi viderentur resonare ossa, quamvis id magis contigerit in spiritu, quàm in corpore. Post hoc, dum me aggrederetur secundò, ut me vexaret, prodijt in mei defensionem sanctus meus Angelus Custos, & sceptro, quod manu gerebat, bis terve percussit illius caput, corruitque ad ipsius pedes in specie crudelissimi ac alati serpentis, & videns, quòd ab eo non permitteretur ad me accedere, egessit ex ore quiddam instar densi fumi, quo afflavit unum latus mei corporis, ut indè pars illa inficeretur veneno, mihique doleret. Dicente autem mihi Domino quadam die: Visne te vindicare de isto diabolo, qui te ità exagitat? dixi: non Domine, nihil ego id curo. Nihilominus post hoc diuturnum certamen, intellexi ex Domini illuminatione, quod comprehendisset atque catenâ constrinxisset istum diabolum in abysso infernali. Durantibus verò his afflictionibus, propter nequitias, quas diabolus effutiebat, mihique oggerebat, dixit mihi Dominus: Bono esto animo, & gaude: significo enim tibi, quòd, quandocunque resistis alicui ex his abominabilibus dictis, quæ diabolus insusurrat in aures tuæ animæ, prodeat ex te elegans flos, unde tibi texitur illa corona & sertum, quod ibi vides. Tum sustuli oculos animæ, & vidi præsentes duos Angelos, qui conficiebant ac texebant quandam pretiosam coronâ, ex elegantissimis & gratiosissimis floribus, quam unus illorum tenebat, alter autem texebat, habebántque jam unam illius partem completam. Videns ego hanc benignitatè Domini, fui repleta magno ipsius amore, dixique illi: Fitne pro me ista corona, Bonum meum, & Domine mi? hoc ego non curo. Mea corona, & meum solatium, ac mea gloria est, si id obtineam, ut te amem, tibique placeam, & exequar tuam sanctam voluntatem; hæc est mea corona, & istam à te peto ac desidero omnibus viribus meis. Atque si multa pro te fecissem, & passa fuissem multas molestias, (id quod non feci) præmium, quod vellẽ, & quo mihi satisfieret, esset, obtigisse mihi eam fortunam, támque bonam sortem, assecutam me fuisse, ut tibi placerem, facerémque aliquando tantillum pro te. Postea cùm me diabolus adeò contudisset, ut passa fuerim fluxum sanguinis, vidi meos sanctos Angelos tenentes coronam, & meũ Custodem apponentem illi alium florem elegantissimum, quo superior ipsius pars complebatur, quamvis ex partibus corona necdum esset omnino perfecta. Et Sanctus Angelus mihi dixit: Huc usque non profuderas sanguinem pro tuo DEO, quod est instar martyrij: in præmium ergo tuæ patientiæ, apponitur ille flos coronæ. Aliâ vice mihi mihi terribiliter minabatur & insultabat. Quâdam nocte venerunt multi diaboli, in horribilibus formis, qui me adoriebantur, volentes mihi multùm nocere, & sic me redegerunt in magnas angustias. Sed gloriosus Sanctus Bonaventura, qui me illis diebus visitabat, me defendit & liberavit ex illo periculo. Fui tamen usque adeò perterrita, ut sequenti nocte tremerem timendo, nè redirent ad idem certamen; quo timore correpta, composui me ad orationem, & Dominus mihi dixit: Quid habes? nè timeas, nónne ego sum tecum, quid times? Quod me affecit solatio, abegitque à me illum timorem, quem habebam.

Aliàs, dum essem acclinata ad quandam fenestram, dixit mihi diabolus, cum magna rabie ac fremitu: Cave, quia te rapiã & auferam, ac relinquam in campis, ubi nec te possis juvare, neque scias, quid tibi sit agendum: ego tibi perturbabo phantasiam, & cogitationes, ità ut tibi omnia susque déque invertantur; quod mihi dixit cum tanta furia, ut mihi incusserit timorem, méque repulerit à fenestra. Postquam autem recurrissem ad DEUM, dixit mihi peramanter: Tace, tace, nè timeas, quia sum hic apud te, neque te tanget, aut abducet alius, quàm ego, nè te affligas. His verbis, omnis mihi absterfus fuit timor; quia non est angustia, nec afflictio, neque cruciatus, qui non evanescat, perdátque suas vires, præsente & loquente

hoc

hoc Domino, qui absolutâ est præditus potentiâ, ad faciendú ac destruendum quidvis, & abigendas omnes angustias, atq; afflictiones ex anima.

Aliâ vice venit ad me dæmon, ferens veru, quod ità vibravit, ut illo mihi visus fuerit totum corpus transfixisse, prominente super verticem illius cuspide, ultra altitudinem unius palmi, & quamvis sentirem quendam quasi dolorem corporis, tamen illi dixi: Discede hinc infelix cum istis tuis artibus, quibus ego nullam fidem adhibeo. Alio die manè, in mea collectione, vidi, quòd in quodam loco mei cubiculi, ut me molestaret, mihique illuderet, haberet in veru figuram corpoream formatam ex aëre, quæ nonnihil referebat, quantum mihi illam potuit reddere similem: gyrabat autem vehementer illud veru, quasi aliquid assaret, & quia brachia illius figuræ erant soluta, efformabant ingentem rotam in aëre, atq; infelix ille rotabat veru quàm celerrimè, ut fieret illa rota, effusè ridendo, acsi inde potuisset capere aliquam modicam delectationem. Videns hanc figuram, quæ mihi taliter apparebat, naturaliter illâ affligebar, dicebámque ipsi: Apage hinc maledicte simulator. Ipse tacebat, & non desistebat à gyrando veru. Convertens me ad Dominum, querebar de eo, quod dæmon faciebat, & stupebam, quòd licèt cognoscerem, esse puram illusionem, meum tamen corpus externè affligeretur. Dominus autem mihi ad omnia respondit, & solatus est me. *Summa eorum quæ dixit, erat: ea, figuram esse fictam, nihilque aliud, quàm fictionem, ideóque dolorem illũ exteriorem non procedere indè, quòd ipsam contingeret veru, sed quia dæmon, eo permittente, commovebat humores corporis, ità ut hinc oriretur ille dolor sensibilis.*

§. III.

TRanseamus ad alia, quæ idem hostis moliebatur, non jam ut ipsi intentaret minas, & incuteret terrorem, sed ut illam crudeliter cruciaret, quia hoc illi DEUS permittebat. quod quidem faciebat adeò fucatè, ut, quemadmodum dicitur fieri in raptibus, quòd interdum nesciatur, contingántne in corpore, an tantùm in spiritu, ità difficulter posset percipi, an ijs cruciatibus impeteret corpus, an verò tantùm vexaret vivâ illorum repræsentatione, excitatâ in imaginatione, perturbarétque humores, ità ut indè orirentur veri dolores, & convulsiones membrorum. Quâdam vice, *inquit*, venit ad me iste inimicus, cum multis alijs, intentans mihi furiosè minas, atque cùm ego illum non curarem, accessit ad me, & verberavit meum caput acriter, quasi de me vindictam sumeret: quod ego tunc non tantùm sensi, quantùm postea; dolebat enim mihi caput & oculi vehementissimè, ut non possem dormire, comedere, aut quiescere, neque (quod ipse maximè intendit) loqui cum ijs, quos ad me mittebat Confessarius, & propterea illos dimitterem absque alloquio. Redijt post triduum, dicens mihi: Ego tibi auferam cranium, ut nihil loquaris. Et quamvis ego hoc non crediderim, interrogavi meos sanctos Angelos, an id DEUS vellet. Responderunt mihi: DEUS id permittit pro tuo bono, ac fructu illorum, qui te audiunt, & non proficiunt. Diabolus igitur, & ipsius socij, derepente sciderunt circumquaque totum meum cranium, & ego revera vidi cerebrum. Postquam dæmones cranium undique recidissent, avulserunt illud ex una parte, ac deinde ex altera, cum ingenti meo dolore: sic autem penitus avulsum, cum quibusdam membranis, & cerebro, rapueruut ex ipsorum manibus mei sancti Angeli, quorum unus afflavit, eodémque flatu redintegravit caput & cerebrum, mèque magno replevit solatio & gloriâ, qualis potest hìc haberi, cùm enim fuissem afflata, repositum mihi ab ipsis est suo loco cranium, atque sanatum, & ego summo perfusa sum gaudio, propterea quòd DEUS ità mecum dignaretur agere, quamvis, quia tantus fuerat cruciatus, etiamnum sentiam illius effectus, ut mihi videar interire.

Post hoc, quâdam nocte, mihi sunt cóminati dæmones, more solito, & mei sancti Angeli mihi dixerunt, nè timerem, sed essem bono animo: unde intellexi, quòd me

me dæmones vellent affligere, quemadmodum fecerunt. Venerunt enim illorum quatuor in humana specie, induti albis subobscuris & sordidis vestibus, méque abreptam tulerunt ad pontem superstructum majori fluvio hujus urbis, & ex altissimo illius loco, cum magna furia præcipitaverunt ad maximam fluvij profunditatem, ubi, dum me adverterem ruere, cogitavi, quòd grave essem passura damnum, demersa infra aquam; sic fui raptata procul ultra pontem, & quando emersi ex aqua, reperi me in meorum Sanctorum Angelorum manibus, ex quibus ijdem quatuor diaboli me rursum abripuerunt, fecerúntque idem, quod priùs, secundò ac tertiò; semper autem quando prodivi ex aqua, me inveniebam in manibus Angelorum, qui ultimò me tulerunt ad meum lectum. Et quamvis id contigerit in visione imaginaria; fui tamen, acsi corpus sustinuisset incommodum ternæ illius projectionis intra aquam, mirum in modum alterata horrendis vomitibus, & confusione pessimi humoris, immixti sanguini, non absq; molesta febri, & convulsione totius corporis: intrà duos tamen, trésve dies, quibus duraverunt dolores, sum ab ipsis liberata, & cùm recordarer loci, in quo fueram præcipitata, atq; proponerem ire ad illum videndum, si convalescerem, dixit mihi dæmon: nè eas, quia te iterum præcipitabo ad flumen, cum corpore & anima. Hoc autem accidisse certior sum, quàm de eo, quod video oculis, ac tango manibus, quia sensus corporis possunt falli, minimè verò spiritus, quod longâ experientiâ didici.

Alijs vicibus mihi comparebat in specie tauri, qui corpus, caput, & cornua habebat plena albis ac nigris maculis, & simulabat mei invasionem, terrefaciendo me; atque interdum me cornibus ejecit valde procul ex lecto, quâ jactatione non aliter me concussit, quàm si ipsum corpus apprehendisset, & ejecisset.

Alium modum excogitavit ad me vexandam, implendo meum ventrem vivis vermibus, qui intrà illum reptabant; & videbam illos tam clarè oculis animæ, quàm si ipsos conspicerem oculis corporeis, atq; cùm dubitarem, an ità se res haberet? dixerunt mihi Angeli; id fieri à dæmone, indicantes mihi, non esse ibi re verâ tales vermes, quamvis cruciarer, acsi omnino forent.

Quâdam nocte, cùm non possem dormire, vidi dæmones circumfusos lecto, qui me omni adhibito studio inquietabát, ut evigilarem. Tunc mihi dixit Dominus: Permitte, quia illis illudes, ipsi enim putant te dormire, ideóque aguntur in rabiem. Et vidi subitò, quòd Divina Majestas ipsos jusserit elevare lectum, eundémque suaviter agitare, sicut agitari solent cunæ, ut in ijs obdormiat infans: quod inviti fecerunt, & ego ridebam, videns, quomodo illum agitarent, unáque murmurarent acti in magnam rabiem: pro majore verò meo solatio, revocavit mihi in memoriam Dominus aliam ludificationem, quâ dæmonem vexavit S. Bernardus, cui ille curru Romam proficiscenti confregit axem, ut ipsi illuderet: Sanctus autem illi nomine DEI præcepit, ut suppleret vicem axis in curru, quod fecit, donec ingrederetur Romam.

Aliàs me duo diaboli constituerunt in medio, multísque trusionibus exagitata, jactabar ab altero ad alterum, cum mea magna molestia, & afflictione, donec illis minati fuissent Angeli, ipsósque abegissent. Quâdam feriâ quartâ Cinerum audivi ingentem tumultum, quasi eminus, & vidi Christum Dominum, qui aderat, dato signo monentem, quatuor Angelos mihi assistentes, qui in momento circumdederunt meum lectum. Deinde conspexi venientem turmam quandam dæmonum cum tympanis, quasi festum agerent, ac tripudiarent, dicentium se venire lætissimos propter peccata Christianorum, quæ eo die committunt, violando jejunium Ecclesiasticum, quod totum confingebant, ac dicebant, ad me molestandam. Tum unus ex quatuor Angelis ivit ad illos, & comminatus est ipsis; quod suffecit ad eos fugandos, & sic me reliquerunt. *Unde apparet, quantopere affligeretur peccatis proximorum; cùm illa diaboli, ut ipsam cruciarent, ei in memoriam revocârint. Mo-*

liebantur & alia magis terribilia, præsertim ex odio, quo exardescebant, dum benefaceret proximis, cujus rei deinceps fiet mentio.

Postremò erat gravissima molestia, quâ ipsam dæmon vexabat inter dormiendum, ità ut illi somnus esset instar tormenti, quia tunc DEUS amplius indulgebat dæmoni, & ipse bene utebatur humoribus. Frequentissimè illam invadebat in specie tauri, à quo petebatur cornibus, vel in specie alicujus molossi, qui commordebat ipsius brachia, & manus: animadvertebat autem, illuminata à DEO, quando somnia non erant purè naturalia, sed provenientia à dæmone. Aliàs in somno ex illusione diaboli, sibi imaginabatur, quòd incidisset in grande aliquod malũ, vel subiret grave infortunium, quódq; se non posset conformare Divinæ voluntati, unde vehementissimè affligebatur, ità ut in illa impleretur, quod dicebat Job: Si dixero: Consolabitur me lectulus meus, terrebis me per somnia, & per visiones horrore concuties.

CAPUT XVI.

Quomodo DEUS specialiter providerit, nè diminueretur ejus vita nimijs fervoribus, vel ob defectum virium, rerúmve temporalium; aut per vehementia desideria patiendi.

Spectato ardore, quo Venerabilis Marina progrediebatur, certum videbatur fore, ut illam brevi vita deficeret, siquidem ipsam consumebant nimy fervores spiritûs, ingentes debilitates ac dolores capitis, & aliæ afflictiones, quas in dies patiebatur majores, defectus quoque rerum temporalium, quo laborabat propter suam paupertatem, præcipuè verò vehementia desideria, patiendi multùm pro DEO. Unde fiebat, ut nihil de se solicitaretur, seu de sublevandis suis necessitatibus. Propterea cùm esset quadraginta quinque annorum, illi dixit DEUS: quod fortè non esset diu scriptum, quæ tum conscribebat. Ego, *inquit ipsa*, suspicabar, quòd me brevi esset evocaturus ex hac vita, DEUS autem mihi dixit, id necdum futurum; & quia illis diebus eram quàm debillima, dicebam intrà me: (*quasi nihil ipsius interesset, ut ullam sui gereret curã*) non refert: oportet enim fieri, quòd Dominus dixit. Cùm sic essem constituta, dixit mihi Divina Majestas: Gere curam tuæ valetudinis, quia nisi id feceris, non pervenies eò, quò te dixi perventurã: quod mihi dixit tam seriò, ac eo modo, ut mihi non fuerit relictus locus cogitandi, hanc esse meam imaginationem; ideóque timui & respondi: Omnino faciam, Domine, quia tua Majestas ità vult. Non timebam tamen, nè non viverem paucis illis annis, sed nè, quantum in me est, impedimento essem, quò minùs in me impleretur, quod vellet DEUS, qui sua in hujusmodi occasionibus promissa vult cum hac tacita conditione intelligi, nè illis creatura abutatur, tentando DEUM, & non faciendo, quantum in ipsa, id quod debet, ut mandetur executioni.

§. I.

Quia tamen illa suis ebria favoribus, non advertebat tantopere ad ea, quæ faciebat, moderabatur illos DEUS magnâ providentiâ. Erat initio instar ollæ constitutæ apud magnum ignem, quæ adeò fervet, ut omni ex parte bulliat, sitque opus, vel aliquid ignis extinguere, vel illam modicum removere, ut non tota ebulliat, meliúsq; peragatur coctura ad lentum ignem. Ità hæc Virgo sentiebat quosdam tam vehementes & ardentes affectus, ut illos cor non caperet, essetque necesse, ut DEUS ipse, nè consumeretur, & jactuam pateretur virium naturalium, cohiberet eam vehementiam, illámque diver-

diverteret ad aliquid aliud, ùt ipsa refert his verbis:

Cùm quodam die nimiùm arderem istis affectibus, sensi DEUM nonnihil à me recedentem, seu me devolvi ad negotia, aliquantùm aliena ab eo, quod ego tunc voluissem, & conversa ad Dominum dixi illi: Domine mi, vidésne, quòd me avertant à te? hoc mihi aliquoties accidit intrà spatium duarum horarum, sempérque repetebam eadem verba, dicendo etiam: Non volo Domine, ut me abducant à te. Tum mihi respondit Dominus: Abi, quia nihil tibi deest: Ego enim sum, qui hoc facio. Recede modicùm, non enim potes tam multum sustinere. Ego distracta, non advertendo quid dicerem, respondi: Non, non, Domine, quia volo tecum mori; & nolo nec possum vivere te absente, Bonũ animæ meæ, & cordis mei.

Sed DEUS me nolebat mori, & re ipsâ faciebat quod volebat, auferebátque mihi interdum illũ vehementé fervorẽ, & consolationẽ sensibilem, sicut mihi aliquando manifestavit, dum scriberem literas cuipiã personæ constitutæ in necessitate, cum quadam spiritus ariditate. Postquam enim Divinam Majestatem ità fuissem alloquuta: certè, mi Domine, nescio, quid prodesse possit, quod facio, siquidem id ago cum tam exiguo spiritu, & cum tanta tepiditate. Respondit Dominus: Bene sic fit: Noveris verò, quòd, si semper in ijs, quæ agis pro meo honore, tibi darem spiritum & fervorem, quem tibi aliquando concedo, magnum indè caperet detrimentum tua naturalis imbecillitas, & quàm citissimè deficeret: atq; ob istam causam nunc, & aliàs te permitto facere aliqua bona, eo modo, quem tu vocas tepiditatem, & exiguum spiritum, tametsi operibus, quæ in nomine meo facis, non desit sua vis & efficacia, quoad finem, ad quem diriguntur, ideóque, nè te id reddat solicitam, sed prosequere tuum exercitium. *Hac ratione cœlestis Magister non solùm ducebat suam dilectam discipulam eâ viâ, in qua perseveraret, verùm etiam illi reddebat rationem eorum, quæ cum ipsa faciebat, quia omnia volebat prodesse alijs. Sed hoc totum non sufficiebat, quò minùs illam vehementia affectuum magnopere debilitaret, ità res DEO disponente, ut libem ab exterioribus occupationibus exciperet Divina ipsius verba. Et cùm Divinæ Majestati quodam die dixisset:* Mi Domine, si tibi placeret, vellem esse prædita maximis viribus, ut inservirem meis infirmis domesticis, meæ matri, & omnibus pauperibus, atque constitutis in necessitate, quoscunq; est reperire in mundo: sed ad nihil aliud mihi vires suppetunt, quàm ut hìc tecum maneã, & in tua verser præsentia; quid faciam mi Domine? quid me vis facere? *Deus verò ipsi respondit:* Noli te angere, vel affligere: quiesce, & age quod agis, quia hoc tibi est faciendum; alij autem faciunt aliud. *Fuit illi id solatio, usque dum advenit tempus, quo suum etiam locum tribuit occupationibus, concernentibus utilitatem animarum, quemadmodum inposterum videbimus.*

§. II.

EAdem providentiâ illi moderatus est DEUS affectus, quibus incitabatur ad tolerandam paupertatem, & penuriam rerum temporalium, ac derelictionem creaturarum in suis necessitatibus, nè jactura pateretur valetudinis & vitæ, prospiciendo ipsi diversis medijs de rebus necessarijs. Cùm, *inquit*, vehementer essem debilis, & magnam paterer penuriam ac defectum necessariorum, quamvis ego mihi nunquam potuerim persuadere, me aliquâ re opus habere, neq; id curaverim, sed nec memor fuerim, præterquàm mei DEI, in quo cor meum collocaveram, & confidentiam; providit mihi Divina Majestas per duas personas virtuosas, quibus nunquam fueram loquuta, neque illæ mihi, imò distabant multis leucis à loco, in quo vivebam. Sed ego, dum viderem, quomodo mecum DEUS ageret, hinc obstupescens talem bonitatem & providentiam; amánsque ipsum, & gratias illi agens pro operibus ejus, inde verò turbata atq; afflicta, eò quòd me DEUS non permitteret tolerare amore sui paupertatem & inopiam, timénsque mihi ipsi, converti me ad Divinam Majestatem,

ſtatem, cum lachrymis & magno dolore, dicendo ipſi: Bonum meum, ac Domine mi, quare ſic Tua Majeſtas mecum egit, ut propterea timeam & contremiſcam? qualia ſunt iſta opera tua? Meum Cor, quis à te hoc petivit? nunquid ego forſan id petij? Non, certè, Domine mi: quod ego ex toto corde meo à te petij, ac peto, es tu ipſe, & nisi te habeam, nolo acquieſcere; atque ità quidquid aliud mihi offeratur, timeo illud & averſor, neque volo, ſed te Bonum animæ meæ. Audivit Dominus, quod ipſi ego dicebam, & pro ſua infinita bonitate, quietam me reddendo, & replendo ingenti ſolatio, mihi dixit: Vade, accepta, quod tibi do, quia eo indiges, & nè te affligas, neque turberis, quia pro te nullum ampliùs hac in re eſt periculum. Nónne bene recordaris, quòd, poſtquam perdidiſti tuum antiquum Confeſſarium, qui ſolicitè ſubveniebat tuis neceſſitatibus, mihi dixeris, te nolle, ut alius habeat illam ſolicitudinem & moleſtiam, útque ego tibi ſuccurrerem, ſi vellem, alio modo, eó quòd nolles Confeſſarios habere ejus rei curam? Audivi, quod mihi Divina Majeſtas dixerat, & recordata ſum, ità factum fuiſſe; habuíque propterea ſolatium, & conquievi, atque acceptavi eleemoſynam, quam me Dominus juſſit ſuſcipere, etiam permittente meo Confeſſario, adeóque ex obedientia.

Procedente poſtea tempore illi DEUS providit, de liberalioribus eleemoſynis per devotas perſonas, qui illas ipſi prompte & ultro impertiebantur, etſi illæ eas ab ijs non poſtularet: ac licèt ipſius debilitates ac infirmitates fuerint graves & continuæ, propterq; illas multis rebus indigeret, pro earundem remedijs, ſemper illi proſpiciebat largâ manu. Nunquam tamen cor ipſius adhæſit ijs, quæ ſuperemnt, neque illa conſervabat pro ſe, verùm, ut haberet, quod liberaliter alijs elargiretur in neceſſitate conſtitutis, præſertim pauperibus neptibus, & alijs ſuis ſociabus, ut fierent Moniales, quemadmodum ſuo loco videbimus.

§. III.

Multò tamen admirabiliorem ſe demonſtravit Providentia DEI in conſervanda vita ſuæ famulæ, non ſolùm inter tam exuperantes fervores, ſed longè magis inter adeò terribiles cruciatus, quos paſſa eſt. Revelavit illi, quòd eſſet perventura uſque ad quinquaginta annos ætatis, videbatúrque ipſi ſignificare, quòd juxta naturalem rerum curſum, & providentiam ordinariam, illos non eſſet ſuperatura, ſicut iſtam revelationem intellexit ipſa, & ejus Confeſſarius; non intellexerunt tamen eam bene, quod illi ipſe DEUS declaravit, ùt videbimus inferiùs, cujus ſupernaturalis providentia, propter ſpeciales rationes decrevent, ut viveret pluribus annis inter tormenta, & martyria, tam diuturna, continua, varia ac terribilia, quæ potuiſſent eripere vitam cuivis alteri robuſtiori. Sed tamen poſtquam cruciatus præteribant, ſive modò paucis, ſive aliàs multis duravíſſent diebus, non ſecùs erat conſtituta, ac priùs, quaſi illi nihil accidiſſet; quia Divina Majeſtas ſingulari curâ attempembat tormenta, & multiplicabat ſolatia, tam prodigioſâ & admirabili varietate, ut ſatis manifeſtaret ſapientiam, omnipotentiam, & ſuavitatem ſuæ paternæ providentiæ. In ardoribus & ſiti, ſuccurrebat illi fontibus & aquis prodigioſis, in debilitatibus ac deliquijs; ipſam recreabat ſymphoſijs cœleſtibus; in deſolationibus ac derelictionibus, muſicâ Angelicâ; in reliquis moleſtijs, illam deducebat in ſpiritu frequentiſsimè ad cœleſtem Jeroſolymam, ut ibi videret aliquo modo gloriam beatorum, ſeque cum ipſis exhilararet, ac particeps fieret gaudiorum, quibus illi perfruuntur. Aliàs ipſi exhibebat ſpectanda nemora, hortos, & viridaria peramœna, licèt illa, quantum quidem poſſet, refugeret ſimilia ſolatia corporalia. Denique Divina Providentia unâ manu ipſam ſtringebat, tam horrendis cruciatibus, ut illi videretur velle tollere vitam; & ſubitò alterâ manu, replebat talibus ſolatijs & favoribus, ut ſufficerent ad eandem reſtaurandam; in quo ſe tam liberalem exhibuit, ut ei aliquando dixerit, ſe illi in quolibet tormento, ab ipſa tolerando (erant autem innumerabilia) adfuturum ſpeciali aliquo auxilio & ſolatio. Elucet magis hæc providentia in eo, quòd illam non ſolùm per ſe ipſum, ſed etiam per ſuos

suos Angelos, & multos sanctos, quos illi dederat, pro specialibus Advocatis, & Patronis exercuerit, injungendo ipsis, quàm tenerrimis verbis, ut gererent specialem illius curam. Ex omnibus his experientijs concepit Venerabilis Marina maximam confidentiã erga Divinam Providentiam, unãq; heroicam resignationem in voluntatem sui DEI ac Domini, ità tamen, ut nullatenus possent diminuere profundas ejus cognitiones propriarum miseriarum, aut persecutiones dæmonum, vel præsentis vitæ necessitates, aut derelictiones & probationes Divinas; sicut apparebit in decursu hujus Historiæ; quæ, quoad hoc, est deliciosissima, esset q; legenda eo spiritu, ut indè capiatur simile solatium, ac fructus, qui non erit exiguus.

CAPVT XVII.

Quomodo Beatissima Virgo illam inceperit jam indè ab ejus initijs visitare, succurrendo ipsi in omnibus ejus necessitatibus, & exhibendo illi inusitatos favores.

§. I.

PRimaria Patrona ac Adjutrix Venerabilis Marinæ, jam indè ab ejus initijs, fuit Sacratissima Virgo Domina Nostra, quæ illam persæpe invisebat in omnibus ipsius angustijs & necessitatibus, exhibendo illi semper favores prorsus extraordinarios. Veniebat, *inquit*, inusitatà pulchritudine prædita & affabilitate; oculi ejus erant formosissimi, & similes oculis sui filij Christi JESU Domini Nostri, non solùm quoad magnitudinem & colorem, sed etiam modum aspiciendi, & gravitatem ac majestatem, quæ illis inerat; adeò ut DEUS videretur inesse oculis, & illi ipsius aspectui. Capillorum ejus color erat purissimi auri cœlestis, & erant in medio discriminati, projecti ad utramque sanctissimi capitis partem, in quo gestabat quoddam delicatum & elegans velum; supercilia erant cujusdam mirabilis coloris, nec prorsus nigri, neque rufi, sed ex utroque mixti; collum illius & guttur erat candidum instar nivis, speciosissimum & honestissimum. Cum magna porrò mihi liberalitate ac benignitate dicebat, ut à se peterem quidquid vellem, exhibens se mihi promptam ad agendum de eo, cum suo pretioso filio. Atque dum quâdam occasione ab ipsa petivissem remedium quarundam necessitatum, non absque magna tamen verecundia & confusione, propter exigua obsequia ei à me præstita, illa mihi dixit: Noli esse tam verecunda; pete quidquid volueris. Dum itaque hujus dicti memor, ab illa peterem, ut oraret pro me DEUM, quò me efficeret humilem, obtulit se oculis animæ spectandam, præseferendo cœlestem pulchritudinem; manus habebat nitidissimas, ac decussatim invicem superpositas, atque in Divino ipsius vultu resplendebant eximiæ ejus virtutes, ipsius Castitas & Humilitas, Charitas, & Mansuetudo, Modestia, & Affabilitas: quamvis autem mihi citò disparuerit, intelligebam tamen ipsam adesse, & cœpi illam rogare, ut oraret DEUM, quò mihi daret unam micam Humilitatis & Charitatis, quæ repleverat sanctissimam illius animam. & dum nonnihil essem cogitabunda, timens, an ista non esset aliqua imaginatio, dixit mihi Dominus: Non est imaginatio: sed ego tibi huc adduxi meam Matrem, ut illam videres.

§. II.

QVâdam vice, cùm paterer graves dolores, & vexarer febribus, quæ me impediebant, nè possem agere cum DEO, meque resignare in ipsius manus, dicebam illi sæpe ea verba, quæ Beatissima Virgo dixit ad sanctum *Gabrielem: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum:*

proferebam illa tamen magna cum verecundia & confusione, quia recordabar puritatis, humilitatis & obedientiæ, quâ fuerant prolata à Beatissima Virgine, & videbatur mihi esse audacia, quòd ea proferrem ore adeò repleto superbiâ & inobedientiâ; ideòque aliquando illis pronunciatis cum majore, quàm aliàs, confusione, converti me ad Beatissimam Virginem, petens ab ipsa veniam temeritatis, quâ protuleram ore meo immundo verba, quæ illa pronunciaverat suo purissimo, & pleno abundantissimâ gratiâ. Cùm hoc dixissem, comparuit mihi ista magna Domina, dixitque mihi peramanter: Noli verecundari, neque ex pusillanimitate id omittas dicere; dic agè, dic licet: & hoc dicto, sejunxit modicè brachium, exporrexitque manum ad me, dicens mihi: Quid habes? quid tibi dolet? sentiebam verò tunc vehementem dolorem, atque intelligens, quòd me Domina nostra vellet curare, applicatâ manu ad locum doloris, dixi: Hic, Domina, sentio dolorem: fuique in eodem momento adjuta & curata, nec parùm obstupui tam repentinam sanitatem, pro qua magnas agebam gratias illius authori. Advenit diabolus actus in rabiem, ob id, quod evenerat, ut me inquietaret, persuasurus mihi, illam visitationem non fuisse Beatissimæ Virginis. Eram quodammodo perplexa, quia nec audebam credere talem fuisse, nec, idque multò minùs, non fuisse, propter bonos effectus & affectus, qui ex ea visitatione mihi provenerant; recurri ad DEUM, quemadmodum in hujusmodi eventibus consuevi, cupiens ab illo hac de re illuminari, qui post unius horæ spatium, quo duravit tempestas, me reddidit quietam & securam: redivitque sacratissima Virgo ad me invisendam, placando me, majore mihi collato lumine, cum quo agnoscerem, ipsam fuisse, quæ me visitaverat, & sic mihi satisfecit.

Aliàs, cùm supplex à DEO peterem, nè vel in minimo recederem ab eo, quod esset conformius Divinæ voluntati, & intuerer sanctos Angelos, qui mihi semper assistunt, vidi illos solito elegantioribus vestibus indutos, dixique ipsis: Domini mei, quomodo sunt tam compti? celebratúrne aliquod festum in cœlo? Responderunt mihi: Non est ullum speciale festum, sed propter te ità sumus induti: tu enim futura es nostrum festum. Deinde dixit mihi sanctus meus Angelus Custos: Para te, vult enim tibi DEUS præstare quandam magnam gratiam, ut sacratissima ipsius Mater te invisat. Ego fui turbata, ac dixi: Non sum digna tali gratiâ, & quid possum dicere, nisi quod dixit sancta Elisabetha: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Vix hoc dixeram, cùm vidi multos Angelos venientes, Dominámque nostram formosissimam, more solito, quæ me incepit solari in meis molestijs, dicendo se futuram meam Matrem ac Advocatam; atque ut à se peterem, quidquid vellem. Quia verò eram turbata, eò quòd me puderet tantæ gratiæ, desiderabam recurrere more meo ad Christum Dominú, ab eóque postulare lumen ad cognoscendas ipsius veritates, ac nè me permitteret decipi. Sed non poteram avertere oculos animæ à Sanctissima Virgine, & prosequebar, ùt potui, meam orationem. Vidi autem subitò Christum Dominum juxta suâ sanctissimam Matrem, qui mihi infudit ingens lumen illius veritatis, ut quietè fruerer eâ gratiâ ac visitatione, & quasi me increpando, dixit: Nunc tibi possem dicere, quod dixi incredulo Apostolo: *Quia vidisti me, credidisti.* Mansit mecum aliquamdiu Celsissima Virgo, ac deinde disparuit, relinquens me plenam solatio.

§. III.

A*liâ vice, accommodando se conditioni muliebri, solata est illam hoc modo:* Dum, *inquit*, essem valde debilis, comparuit mihi Sacratissima Virgo, dixitque mihi: Quomodo vales? quid facis, Amica? & cùm ego illi exponerem meam debilitatem ac miseriam, respondit mihi: Nè te id affligat, quiesce & dormi, sumus enim hìc tecum. Quia verò non poteram quiescere, licèt conarer, dixi illi: Non possum, Domina, quamvis velim. Tace ergo

go (ait Sanctissima Virgo) nam ego te sopiam. Et postquam ad me accessisset, incepit altissimo ac Divinissimo spiritu quasi canendo (canebat autem re ipsâ & verè) sacratissima ipsius anima altè & sublimiter contemplari mysterium Incarnationis, sui pretiosissimi Filij. Atq; ista contemplatio & cantus Virginis, fuit tam vera musica, ut ego omnino possem referre sonú vocis ac tonum, & quædam verba Divinæ ipsius cantilenæ: sed cùm illam audirem, mea anima fuit abrepta, & meus spiritus elevatus atq; unitus cum spiritu sanctissimæ Virginis, ut nihil aliud sentirem, quàm illud tantum bonum. Videns autem me Celsissima illa Virgo ità constitutam, dixit mihi quàm amantissimè: Eja amica, etiam tu modò mecum cane istam melodiam & cantilenam. Et statim, postquam DEUS elevavisset meum spiritum, incepi cantare atque contemplari cum Sanctissima Virgine, proprio ipsius tono, & cantu, imitando ipsam, & quasi juvando in ejus contemplatione & musica, ac verbis ità Divinis, sicut me docebat Dominus: quæ contemplatio fuit sublimior & excellentior omnibus, quas unquam anima mea antè habuerit, vel fuerit experta. Hoc, meo judicio, diu duravit: deinde conticui, & meus spiritus mansit elevatus ultra duas horas. Quando verò cessavit iste raptus, non vidi sanctissimam Virginem (quæ jam abiverat) ac sensi me plurimùm sublevatam, & corroboratam in mea debilitate: fuique per multos dies memor illius cœlestis melodiæ, ac nonnullorum verborum cantilenæ, ità ut illa pronunciaret etiam mea lingua, & quotiescunque recordabar istius spectaculi, denuo elevabatur meus spiritus, ac mea debilitas confortabatur.

Aliàs, cùm essem intenta profundæ cuidam cognitioni mei ipsius, quæ me angebat, & quasi demergebat in altissimum puteum, unde non poteram egredi, ut mihi viderer submergi, alloqvuta me est sanctissima Virgo, dixitque mihi: Relinque jam id modicùm, noli ità animam meam affligere. Ego verò conabar facere, quod mihi imperabat, sed non poteram. Quod videns sanctissima Virgo, conata fuit me distrahere dicendo: Omitte hoc modò, & aspice. Elevavi oculos animæ, & aspexi, ac vidi, istam sacratissimam Dominam mirum in modum speciosam, quæ jam demittebat oculos, jam modicè attollebat, quàm modestissimè, ac affabilissimè, intuendo me peramanter. Vidi illam sedentè quàm modestissimè, & habentem in suo sinu pulvillum, cui hinc atque inde adhærebat strophium elegantissimum, artificiosissimè exornatum puro auro, & coruscantibus gemmis, quod elaborabat aureis filis quàm nitidissimis. Iste verò modus acu pingendi erat tam Divinus, ac mysterijs plenus, ut illum nemo possit explicare, quia ità videbatur laborare, ut adverterem eum laborem, non tunc peragi, sed jam antè fuisse peractum. Dum viderem cœlestem gratiam, quâ inducebat fila in suam acum, & efformabat gyros ac mæandros elegantissimos, opere Phrygio attexens aurum & gemmas, sui ipsius aspectu mihimet erepta, magno repleta solatio, & oblita mei, ac miseriarum, in quibus ante hæseram, quasi essem submersa.

Quod ad hanc visionem attinet, advertendum est, elaborationе hujus strophij significata fuisse, quantum quidem præsumi potest, Mysteria nostræ Redemptionis, quæ fuerunt peracta in Sanctissima Virgine. Paulò enim pòst iterum se illi Dominus spectandum præbuit hac ratione: Vidi, *inquit*, in spiritu altare, cum suis candelis accensis, in quo stabat quædam parva Eucharistica Hierotheca, continens sanctissimum Sacramentum, ad quod accedens quidam Sacerdos vestitus sacerdotaliter, habuit in suis manibus pretiosissimum illud strophium, in quo Domina nostra, quædam plenissima mysterijs, efformaverat; & hoc usus est accipiendo sacrum ferculum sanctissimi Sacramenti, quando se cum illo vertit, quemadmodum consueverunt Sacerdotes, dum id volunt occludere, postquam aliquamdiu fuit expositum in templo, & quidem lentè, sicut fieri solet, ut illud possint omnes adorare, ejusdémque aspectu reverenter frui. Interea Angeli, qui aderant, curvatis genibus inceperunt canere illam partem hymni: *Tantum ergo*

Sacra-

Sacramentum. Tum ego indigna vidi ipsummet Christum Dominum, quem reverentiâ, quàm potui maximâ, adoravi.

§. IV.

ALium mihi insigniorem favorem exhibuit hæc Domina circa festum Nascentis Christi, istâ occasione. Præstiterat mihi Dominus DEUS quandam gratiam, quam instanter & enixè ab illo petiveram, ut paterer aliquam necessitatem corporalem, carerémque aliquando ijs, quibus eget hoc miserabile corpus, quod nè terram quidem meretur, quam calcat. Dum autem me in hujusmodi constitutâ necessitate magno cum solatio animadverterem, fui quadam vice, tempore matutino, tam debilis, ut mihi re verâ videretur esse impossibile surgere ex lecto, absque speciali auxilio DEI. Oravi, sicut soleo, & ecce visitavit me sacratissima Virgo, cóparens mihi, exhibénsque illum speciosum ac Divinum vultum lætissimum, & ostendens se dolere meas vices, peramanter mihi dixit hæc verba: Quomodo vales Amica? Dic, age, quis rerum tuarum sit status? Ego miserabilis id audiens, respondi ipsi cum magno gaudio: Optimè equidé Domina sum comparata, quia mihi DEUS dedit, quod tantopere desiderabam, ut nempe taliter amore ipsius quidpiam paterer: quâ ratione celebravi, & celebrabo feliciora festa, quàm unquam in vita mea celebraverim. Bene est (dixit Sanctissima Virgo) ego tamen modò pro te venio, & volo te mecum ducere. Considerans ego, quomodo essem constituta, respondi illi: Quò, Domina, me vis ducere? Respondit Regina cœlorum: Volo te ducere ad meâ domum Nazarethanam, ubi ego vivebam his diebus proximis meo partui, veni mecum, nè tibi id accidat molestum, neque timeas, nè deficias in via, quia pane, quem ego comedam, tu quoque vescéris. Hoc audito, admirans tantam bonitatem, & plena magno, quo erga illam ferebar, amore, dixi ipsi: Fiat, per me licet, Domina, cùm hæc sit tua voluntas. Sed unde mihi tantum boni & favoris, ut, cùm ego sim ea, quæ sum, tam miserabilis ac indigna, comedam de Divino Pane, quem tu comedis? duxit me subitò in spiritu ad suam sanctam Domum Nazarethanam; & postquam ad illam pervenissem, sensi peculiarem defatigationem, quasi ipsum corpus iter illud confecisset, etsi ego nesciverim, quomodo res fuerit acta, nisi fuisse me ductam à sanctissima Virgine, quæ me solata est, & valde exhilaravit, atque positâ quâdam parvâ mensulâ, aperuit etiam parvam delicatissimam & elegantissimam peram, quæ super illam jacebat, ex eâque extraxit partes panis, non adeò parvas, scissas ex candidissima spira. Primam, quam exemerat, dedit mihi dicendo: Quiesce, Filia, & comede ex hoc Divino atque cœlesti pane, qui tibi conferet robur ac vires. Ego illum accepi cum magna admiratione, & consolatione meæ animæ, comedíque ex eo, ac sensi in ista comestione, cœlestem ac Divinum gustum, & confortationem tantam in corpore (quod jam erat quasi destitutum vigore ac viribus) ut mihi illud viderer habere quasi resuscitatum. Elapsis horis meæ collectionis, reperi me in meo cubicello, affluentem solatio, & corroboratam meam debilitatem, ut mihi duraret ille vigor, & corroboratio multis diebus, ac pluribus admiratio, & solatium spirituale, cum memoria hujus Divini convivij, quod mihi instruxerat sacratissima Virgo.

Post aliquot abhinc dies, mihi præstitit Beatissima Virgo alium similem favorem, in mea debilitate; quia cùm essem rursum in ejusmodi necessitate constituta, dixi quodam die sacratissimæ Virgini, etsi cum ingenti verecundia, ut mihi dignaretur, attentâ meâ indigentiâ ac debilitate, dare tantillum de illo suo Divino pane, quem mihi priùs dederat, eò quòd aliàs putarem me defecturam. Respondit mihi sacratissima Virgo, daturam se illum mihi libenter, suo tempore. Solata me est hæc spes, & elapso modico tempore, comparuit mihi, accessítque ad me, quasi festinanter, & non se detinens, suo more; dedit mihi duas partes illius sancti Panis, unâ candi-

candidiorem alterâ, dixítque peramanter: Accipe Amica, accipe Filia; comede, quiesce, ac recupera vires, & vale: quia ego veniam (acsi diceret, diutius apud te mansura) & curabo te. Ego miserabilis accepi illum sanctum Panem, & comedi spiritualiter, recuperavique denuò vires, sicut primâ vice: atque licèt refectio fuerit spiritualis, possum verè dicere, qualis, non solùm color, sed etiam sapor fuerit panis, qui erat suavis ac delicatus, & habebat quandam certam dulcedinem, ut differret à pane nostrate, videretúrque allatus ex alia regione.

§. V.

Isti gratiæ, quòd ducta fuerit à Beatissima Virgine ad suam domum Nazarethanã, quæ nunc est Laureti, adjungemus aliam; quâ illam deduxit ad Sacellum Lauretanũ, quod est in Domo Professâ hujus Civitatis Vallisoletanæ. Dum quodam die vehementer affligeretur à suis doloribus, visitavit ipsam, more solito, sacratissima Virgo, stipata multis Angelis, & miraculosè, pro ejus solatio, illam duxit, non solùm in spiritu, sed unà cum ipsiusmet corpore ad hoc sacrum sacellum, quod nomen habet à Beatissima Virgine Lauretana, atque postquam ipsam ibi collocavisset, dixit ei, ut oraret, seque illi commendaret, & memoriæ ejus sanctæ Domûs, pro obtinenda magna virtute, & viribus contra dæmones, à quibus eo tempore matutino fuerat afflicta, quod illa fecit cum magno solatio, & Beatissima Virgo ei comparuit, modo quodam valde sublimi, præferendo specialem Majestatem; est q; probabile adfuisse ibi Virginem, cum corpore simul & anima, quia comparentibus ibidem Nostro Sancto Patre Ignatio, & glorioso Patre Sancto Francisco Xaverio, ubi se inclinavissent coram Regina cœli, dixit Sanctus Pater Noster Ignatius: O felicem terram, & sacellum, ubi hæc magna Domina fixit suos sacratos pedes! Postquam autem illic aliquamdiu mansisset, fruita hac felici visione, & dulci conversatione, cum duobus Sanctis, egressi sunt omnes simul ad portam usque templi, & remanentibus ibi duobus Sanctis, Sacratissima Virgo, à qua fuerat eò deducta, secum ipsam abduxit, ità ut non per terram, nec admodùm altè, supra domos, sed per plateam procederet, nonnihil elevata à terra, quin videretur, donec illam reponeret in ipsius cubiculo, & nihilominus erat ex via aliquantùm fatigata, sed tamen affluebat solatio, propter præstitum ipsi gratiam.

§. VI.

A Liâ vice, *ait*, dum vehementer debilitata vacarem orationi, vidi Christum Dominum, qui dolens meas vices, incepit sacratissimis suis manibus solvere ac discingere à suo sancto corpore quoddã cingulum intortum, sed carens nodis, contextum ex purissimo auro cœlesti, in cujus extremitate erat quoddam ornamentum, etiam aureum pretiosissimum: & accedens ad me, imposuit illud meo collo, decussando ipsius extremitates. Dum autem me viderem sic ornatam, fui abrepta, & stupui hujusmodi opera, convertensque oculos animæ ad alteram partem, vidi sacratissimam Virginem, Dominam nostram, quæ habebat in suis manibus quoddam elegans velum, aureum ac argenteum; & accedens ad me, peramanter illud imposuit meo capiti, relinquendo me eo tectam. Ego id admirans cogitabam intrà me, quid esset? ac tum Christus Dominus mihi aperuit mysterium, dicendo mihi: Scias, quòd Ego & Mater mea tibi imposuerimus istũ funem & velum, ut te recrearemus, novásque tibi conferremus vires ac sanitatem capitis, eò quòd sis vehementer desolata & infirma. Nam sicut ad sanandum ægrotum, imponunt ejus capiti aliquod sacrum lipsanum, vel vestem cujuspiam piæ imaginis meæ Matris, atque sic sæpe convalescit, respirat ac recreatur, ità ego nunc, & mea Sancta Mater, ut tibi conferremus sanitatem & vires, voluimus tibi præstare istam gratiam & favorem, ut tibi imponeremus hoc cingulum, quod tetigit meum corpus; & hoc velum meæ Sanctæ Matris, quod fuit in ipsius sacris manibus, quibus est impositum tuo capiti, ideóque habe solatium, & gaude. Fui magno solatio & gaudio repleta, & post hoc statim mihi est ablatum cingulum ac velum, manibus

quorundam sanctorum Angelorum, paulóque pòst abivit Christus Dominus, ac sanctissima ejus Mater, relinquentes me ingenti perfusam solatio, & refocillatam meam debilitatem, sanatámque à gravissimo dolore capitis, quem tunc eram passa; quæ confortatio duravit multis diebus, & sanitas capitis longè diutiùs.

Deniq; quodam die Sancti Ildephonsi, conspexi, *inquit*, in mea collectione Dominam nostram, indutam veste & pallio coloris cœrulei, similis colori cœlesti, ac redimitam coronâ aureâ. Atque dum illam intuerer, vidi impositam fuisse ejus manibus quandam pretiosissimam vestem Sacerdotalem (quam appellamus casulam) coloris, qui nec omnino videbatur esse albus, neque prorsus cæruleus, sed ex utroque colore mixtus, erátque ornatus gratiâ gemmis referta. Ostendit mihi illam, ut ipsam aspicerem, dicendo: Ecce hæc est vestis Sacerdotalis, quam ego dedi meo dilecto Ildephonso, sic enim honoro meos amicos, & clientes. Deinde illam dimisit ex manu, posuitque ità extensam super humeros & caput unius Angeli ex adstantibus. Cùm autem illam audiverim dicentem, quòd ità honoret suos servos, exhibeátque se peccatoribus Matrem misericordiæ, incepi ipsam rogare, ut oraret DEUM, pro nonnullis animabus, quæ se mihi commendaverint. Sanctissima Virgo mihi respondit; se oraturam, ac facturam quidquid posset, juxta illarum dispositionem: & quia tunc patiebar vehementem dolorem capitis, posuit super illud, eadem Beatissima Virgo, extremitatem sui pallij, quo erat cooperta, statímque habui meliùs, & reliquit me plenam solatio, magísque confortatam in suo servitio. *Alia innumeræ visiones referentur suis locis.*

CAPVT XVIII.

Quomodo Sanctus Noster Pater Ignatius illam inceperit persæpe invisere, manifestando ipsi amorem, quo prosequitur omnes suos filios, & curam, quam illorum gerit, eámque juvando in omnibus suis afflictionibus, & quid ipsi contigerit, quoad Sancti canonizationem.

QVamvis Venerabilis Marina à sua infantia egerit cum Societate, fueritque speciali devotione prosequuta ejus Fundatorem Sanctum Patrem Nostrũ Ignatium, noluit tamen ipsi DEUS illum spectandum exhibere usque ad quadragesimum circiter annum ætatis, quo tempore hic Sanctus Patriarcha illam incepit visitare, ac agere cum illa tanquam filia, familiaritate prorsus singulari. Occasio ejus rei fuit, quòd cùm propè quotidie adiret templum nostræ Domûs Professæ Vallisoletanæ (quæ est mutata in Collegium, & nunc appellatur Collegium Sancti Ignatij, diffunderétque tantos virtutis splendores; à gravibus Patribus, qui illam incolebant, & Superioribus, fuerit rogata, ut DEO commendaret quædam negotia magni momenti, quæ eo tempore agitabantur.

§. I.

Qualiter illam visitaverit, & quid cognoverit de ipsius canonizatione.

JUssit me, *inquit ipsa*, aliquando Pater Visitator Societatis, qui vocabatur Garcias de Alarcon, vir insignis virtutis ac prudentiæ, commendare DEO duos graves Religiosos & Lectores Theologiæ, qui concertabant de suis opinionibus; unde oriebatur nonnulla turbatio, & metuebatur quidpiam mali. Feci id per aliquot dies, & cùm mihi jam videretur esse Visitator suâ solutus curâ, audirémque dicentem ad populum Patrem quendam ex Societate con-

conſpexi juxta illum oculis animæ S. Patrem Ignatium, quàm modeſtiſſimum, oculis demiſſis, brachijs ac manibus antrorſum compoſitis, mente collectiſſimâ: & quia ipſum nunquam aliàs videram, aſpiciebam illum aſſiduè, ſtatimque demittebam oculos animæ, quibus illum intuebar; verecundabar enim propter iſtam novam viſionem. Subitò verò mihi revocavit in memoriam illos duos Patres ſui Ordinis, oſtendens ſe affligi ob iſtud diſſidium ſuorum filiorum: & cùm ex me quæreret, cur fuiſſem oblita cõmendare ipſos DEO, intellexi, Beatos, licèt non poſſint dolere, neque affligi, tamen ſe exhibere triſtes, & afflictos; ut indè intelligamus, quòd offendamus & moleſtemus, quantum eſt in nobis, illos, quos ſpecialiter tenemur amare, ac honorare. Ex eo ergo tempore incepi quàm inſtantiſſimè commendare DEO eos Patres, & poſt biduum agens cum Divina Majeſtate, interrogavi, an is, quem nudius tertius videram, fuerit ſanctus Fundator Societatis, & quid ex ſancta ipſius voluntate mihi eſſet agendum in eo negotio, de quo mihi fuerat loquutus. Et Dominus mihi reſpondit: Omnino, ipſe erat; petivit enim facultatem tui inviſendi, tibique revocandi in memoriam id, quod dixit; quam ego ipſi dedi. Quod autem modò tibi, ſinè excuſatione, faciendum incumbit, eſt, ut ſcribas Patri Viſitatori, de illis duobus Patribus Religioſis, inter ſe diſſidentibus; quò ipſis dicat, ut recordentur ſe debere eſſe ſal terræ, atque ſuo exemplo & circumſpectione, ac modo procedendi illuminare ignorantes, qui neſciunt, quænam ſit melior via ad beatitudinem, eosdemq; juvare in illorum tentationibus, & in laqueis, quos diabolus ac mundus conantur tendere ijs, qui ambiunt vanam gloriam, & æſtimationem hominum: ac proinde, nè velint, nec permittant, ut hi tales ſumant occaſionem ſcandali, & imitandi mali ipſorum exempli, rumpendiq; per gravia peccata capitis: ſiquidem debilibus, ſi illis præbeantur occaſiones, eſt facillimum in ea incidere. Poſtquam hoc à Domino audiviſſem, extimui, ac dixi: Egòne, Domine, hoc ſcripſero, cùm ſimplex & imbecillis, ac miſerabilis ſim mulier? Já aliàs mihi dixerat Dominus hoc ipſum, & excuſaveram me. Sed iſtâ vice mihi reſpondit: Itá te id oportet facere, quia par eſt, ut hanc monitionem ſequatur emendatio: quæ ſi non fuerit ſequuta, puniam illum, cujus culpâ id acciderit. Subitò dixi: Noli, noli, Domine, per miſericordiã tuam & bonitatem, noli id facere, mi Domine; & exhibui me promptam ad ſcribendum, quod Divina Majeſtas jubebat, ac volebat, utì feci, quia ſinè magno ſcrupulo jam non poteram aliter facere.

In hoc eodem colloquio, quod habuit cum DEO, poſtquam jam de facie agnoviſſet Noſtrum Sanctum Patrem Ignatium, cui tantopere emt addicta. Petebam, *inquit*, à Divina Majeſtate, eam mihi fieri gratiam, ut ante meam mortem viderem canonizatum hunc ſanctum Patrem, pro ipſius gloria, & ſolatio ejus filiorum, ac omnium noſtrũm, qui ſumus educati illius doctrinâ, & inſtructione. Divina Majeſtas nihil aliud dicebat, quàm: Bene eſt; ità ut nec abnueret, neque clarè annueret. Ego verò, quia hoc impenſè deſiderabam, mota ab eodem Domino, qui interdum dat licentiam miſerabili formiculæ ità loquendi, dixi illi animoſiſſimè: Mi Domine, non dicat Tua Majeſtas: Bene eſt, bene eſt; ſed dicat: Ità. Tunc dixit: omnino id futurum, ſed non mihi dixit, quando.

Ponderabam, *pergit*, ſanctam & profundam hac in re humilitatem glorioſi Patris Sancti Ignatij; quia dum quodam die cum illo agerem, ex eo affectu, quem in meo corde ſentiebam, dixi illi: Quando te videbo adſcriptum numero Sanctorũ? Tunc Sanctus Pater appoſuit digitum ſuis labijs, dixitque mihi admodùm ſeriò, & quàm humillimè: Tace, nè mihi de iſtare vel verbum loquaris. Ego fui territa, & volui me quodammodo excuſare, quòd non alia de cauſa hoc dicerem, quàm ut id peterem à DEO: ſed Sanctus mihi dixit; ſe nolle, ut cum DEO de hoc negotio agatur. Atque idem contigit alijs duabus vicibus, poſtquam inadvertenter incepiſſem aliquid de eo inſinuare: quia Sancti, exiſtentes in cœlo, qui jam noſcun-

rum illorum filiorum, conscripsi eos, quemadmodum vidisti.

Aliàs, cùm audirem Sacrum in templo Domûs Societatis, vidi Sanctum Patrem Ignatium, qui stabat juxta summum altare, capite aperto, ac tenens pileum clericalem in manu: aspiciebat sursum versùs, & habebat defixos oculos in Hierotheca Eucharistica, quæ erat nova, & pulcherrima. Visa mihi fuit res mira, videre ipsum ibi, & nescio, an non modicùm dubitaverim, dicendo tacitè: Bone DEUS, itáne modò Sanctus Pater est in templo? statim me intellexit, ac dixit: Ità hîc sum, & non primâ vice; nam & aliàs hîc fui, ac visitavi istud templum, ac meos filios in eo. Ego enim impensè amo meos Filios, ac visito ipsorum templum, unáque eos, qui in illo sunt; cujus rei erat indicium, quòd illum viderim demittentem oculos, quos elevatos habebat aliquoties ad summum altare, ac illos defigentem in Patre, celebrante Sacrum, atque sibi in ipsius aspectu complacentem. Aliâ vice, cùm obijsset quidam Frater Societatis, posuerunt illius corpus in summo Sacello, in quo convenerunt omnes Patres & Fratres ad persolvendum Officium Defunctorum, antequam ipsum traderent sepulturæ, ùt fieri consuevit in Societate. Dum ibi essem, aspexi summum altare, & vidi juxta unum altaris latus è regione defuncti, & Patrum ac Fratrum, stantem Nostrum Sanctum Patrem Ignatium, eo modo vestitum, quo Patres alios, cum suo pallio & bireto, tam sanctâ conspicuum gravitate ac modestiâ, ut illum nemo videret, qui se coram eo non prosterneret, ipsúmque non amaret, & illi non desideraret ex toto suo corde servire. Semper stetit capite aperto, & clericalem pileum manu tenens, ac vultu converso ad defunctum; post ipsum autem, stabant tres quatuórve Fratres induti superpelliceis, capitibus detectis, magnâ cum demissione atque attentione. Sanctus Pater stabat tacitus ac attentus, quasi auscultaret Officium, quod dicebatur, atque ità significabat se nolle loqui. Ego eram tam attonita, tantóque solatio affluebam, quòd illum viderem, ut vix mei essem compos, vel scirem, ubi essem. Absque locutione mihi tamen significavit, nè discederem, donec ferretur corpus Fratris ad sepulchrum, quòd ipsi in ingressu daturus esset benedictionem. Ego hoc intellecto eram valde solicita, ut viderem ab eo dari benedictionem, tamen quando erat auferendus defunctus, nescio, quomodo fuerim distracta, ut aspicerem Patres, vel aliquid aliud, & quando me verti, jam non vidi Sanctum Patrem Ignatium, neque Fratres ipsius Socios, qui discesserant, ideóque illum non vidi benedicentem. Unde vehementer fui confusa, & afflicta, quòd hoc meâ culpâ accidisset.

§. III.

Visitat illam, ac defendit in omnibus illius afflictionibus.

DEinceps illam multò sæpiùs invisebat Sanctus Pater Noster Ignatius, qui eã adibat, præbiturus ipsi solatium, & auxilium in omnibus afflictionibus, dirigendo illam in universis dubijs, ac perplexitatibus: & ipsa ei exponebat omnes suas miserias, ad eum modum, quo illas posset exponere suo Confessario, vel Patri spirituali, alloquendo ipsum magna cum familiaritate, ortu ex frequentibus visitationibus, quamvis idcirco nunquam minùs, imò eò magis illum suspiceret ac revereretur: cùm enim hæc omnia non corporaliter fierent, sed spiritualiter, & eo modo, quo animæ ac Spiritus Beati invicem conversantur, non alio quàm Divino in omnibus dirigebatur lumine. Licèt autem hujus rei multa fuerint oblata exempla, apponemus plura alia, non minùs mirabilia, quàm sint cætera illustriora, quæ imposterum videbimus: inprimis enim illam in ipsius infirmitatibus & languoribus visitabat ac solabatur eum in modũ, quo amicus solet ijs temporibus invisere alium amicum; quanquam ipsa habuerit cor adeò DEI amore flagrans, ac desiderio eidẽ serviendi, ut ab illo solicitissimè ac instantissimè perpetuò peteret, se commendari DEO, exoratque sibi omnium Divinarum gratiarum continuationem. Sanctus autem illi aliquando dixit, ità futurum, ut proinde sileret, & quiesceret, eò quòd illam vehe-

tur in illa Ecclesia triumphante, ubi habent verum ac æternum honorem coram DEO & Angelis ipsius, cæterisque Beatis spiritibus, non sunt solicíti, neque se volunt ostendere solicitos de eo honore, qui illis deferri potest per canonizationem, in Ecclesia militante, permittentes se Providentiæ DEI, qui omnia dirigit ad suam gloriam, & bonum suorum fidelium. *Sed jam patuit veritas istius revelationis, quia anno millesimo, sexcentesimo, vigesimo secundo, duodecimâ Martij, illũ summus Pontifex Gregorius XV. Sanctorum Fastis adscripsit, atque unà Sanctum Franciscum Xaverium, fidelissimum ipsius, & excellentissimum Filium, ac socium.*

§. II.

Cura, quam Sanctus Pater Noster Ignatius habet de suis Religiosis, manifestata isti Famulæ DEI.

POst hanc primam visitationem, incepit Sanctus Pater Noster Ignatius illam sæpiùs invisere, exponendo ipsi amorem, quo fertur erga suos Religiosos, & suam de ijsdem curam in vita ac morte; quam in rem adferemus tres memorabiles casus. Cùm, *inquit*, aliquando essem afflicta quadam cruce, quam Dominus mihi immiserat, dignatus est me Sanctus Pater Noster Ignatius invisere, adducens secum duos Fratres ex Societate, & postquam consedisset, vidi, quòd inceperit scribere, scripseritque satis diu, sublimissimè, & admirabilissimè, ac tam spiritualiter, ut me mihi eriperet, dum ipsum intuerer, nec ab eo possem avertere oculos animæ. Non intellexi tum, quid scriberet, sed quemadmodum mihi videbatur, erant res concernentes Societatem. Intereà vidi diabolum juxta meum lectum, quasi in specie fœdissimæ simiæ, qui simulabat se velle conscendere lectum, ut me calcaret ac affligeret. Ego illum non curabam, sed dum ipse perseveraret in hoc sæpiùs attentando, petivi à Nostro Sancto Patre Ignatio, ut à me abigeret illum infelicem. Sanctus interruptâ scriptione annuit mihi capite, dicendo, nè id molestè ferrem, neque metuerem, & subitò est prosequutus scriptionem. Atque ego iterum aspiciebam, quomodo scriberet: paulò autem pòst conspexi ad meum latus sanctum meum Angelum Custodem, qui mihi dixit, nè timerem, eò quòd ipse me custodiret. Dum ista omnia fierent, adstabat diabolus quietus, ità ut se non moveret: si tamen se movit, unus ex illis Fratribus percutiebat pede terram, sicut fieri solet, ad terrefaciendum aliquem canem, statímque diabolus terrebatur, & se componebat, ac attollebat suos maledictos & fœdos oculos, intuens Fratrem, à quo terrefiebat. Et intellexi, quòd illum sanctum Fratrem timuerint diaboli, dum viveret. Aliquantò pòst fugit diabolus, & ego pergebã contemplari Sanctum Patrem Ignatium scribentem, ac Fratres, qui post illum stabant, detectis capitibus, cum magna humilitate. Posteà Sanctus cessavit scribere, & mansit apud me aliquamdiu, consolando me quàm amantissimè, conciliavítque mihi quendam somnum, seu abstractionem à sensibus: & quando fui expergefacta, non vidi illum, quia abiverat, non manifestato mihi secreto suæ scriptionis. Aliâ tamen vice me visitavit, ut me solaretur in mea afflictione & cruce, narrando mihi nonnulla, quæ fiunt in Cœlo, de communicatione mutua Beatorum, longè alia, quàm sit ea, quæ hìc habetur, dicendóque mihi aliquid de modo, quo peragitur, id quod ego non scirem declarare, præterquam, quòd mea anima cœperit inde magnum solatium, fuerímque attonita, audiendo, quæ mihi ab illo dicebantur. Et quia intellexit desiderium, quo tenebar, resciendi, quid præteritâ vice scripsisset, dixit mihi, fuisse numerum bonorum filiorum Societatis, ut specialem eorum curam gereret. Tum ego illi dixi: Ergóne Sancte Pater ideò opus erat, ut ipsorum inires numerum, & illorum hac ratione recordareris, cùm in cœlo Beati obtineant, & sciant à DEO, quidquid volunt? Respondit mihi gloriosus Sanctus: Verum est hoc: sed ut ego tibi id ipsum ostenderem, à me sciri, cognosci in DEO, quódque specialem curam geram meorum

vehementia, cum qua loquebatur, vehementer esset debilitatum. Et postquam ipsa illi dixisset, quânam ratione esset tolerabile, si eo præsente, dum ipsam tam gratiosè dignatur invisere, esset usque adeò improvida, ut taceret, neque ex ea gratia fructum caperet, aut ipsâ bene uteretur, petendo nimirum, ut se DEO commendaret; Respondit illi Sanctus: Nunquámne vidisti ullum Religiosum, qui ut solatium adferat infirmo, invisit ipsum, & ob illius debilitatem ac indispositionem, non multum cum eo loquitur, neque illum loqui permittit, sed tamen apud ipsum manet, ut ei adsit, & illum soletur. Existima igitur me ità tecum agere. *Fuit recreata, dum sibi talia audiret dici, & Sanctus Pater diu apud illam mansit.*

Solabatur ipsam etiam in afflictionibus provenientibus à diabolo, qui interdum volebat simulare Sanctos, séq; illi spectandum exhibebat, quando cum ijs loquebatur. Cùm quâdam vice dedisset cuipiam spirituali personæ certum consilium de obedientia, quod illa ab ea petiverat, dixit ipsi Sanctus Noster Pater Ignatius: Bene apparet, te esse filiam Societatis; optimè dixisti illi personæ. *(Quod quidem ei idcirco dixerit, quia semper magni fecit, voluitque magni fieri ab ijs, qui degunt in societate, istam præclarissimam virtutem.) Ac dum hoc illi diceret, diabolus se continuè ante ipsam collocabat, instar nebulæ, nè illum posset videre, vel alloqui, & protulit subitò unam ex solitis blasphemys, quâ eam notabiliter afflixit ac molestavit: Sanctus Pater verò est ipsam alloquutus, dixitque illi:* Quid habes, nè te affligas, quiesce, quia ego sum tecum. *Ex quibus verbis cœpit solatium, & videns diabolum adhuc adesse in specie Æthiopis ac Satyri, capite referto cornibus, totúmque repletum albis & nigris maculis, rogavit gloriosum Sanctum, nè discederet, seque relinqueret solam; qui ipsi adfuit, usque ad abitum diaboli, ac reliquit illam plenam solatio, & quietam.*

Similiter illi subveniebat solatij gratiâ in turbationibus, quas pati solebat, occasione sui Confessarij, propter nonnulla verba, quæ ipsi ab eo dicebantur, & quibus illa, utpote timida, affligebatur. Quâdam vice, *ait*, vidi illum sedentem quasi in sella, & tres, vel quatuor fratres post illum stantes, discoopertis capitibus, cum magna humilitate. Conspecto autem ipso, fui gavisa, & dixi illi: Bene veneris, sancte Pater; quia te multis diebus nec vidi, neque sum alloquuta. Sanctus respondit, quàm amantissimè: Jam ecce me vides adesse, dic, age, quid velis, & refer mihi, quis tuarum rerum sit status. Tunc illi incepi narrare meas miserias, & quomodo subinde turbarer ijs, quæ mihi dicit meus Confessarius, caperémque indè occasionem nimij timoris. Sanctus Pater mihi dedit quædam in eam rem monita, pro meo solatio. Aliàs verò in alia tanta turbatione, ut existimarem eam à me non posse tolerari, mihi dixit: Nè te affligas, quia ego te visitabo & consolabor, accede ad me. Et quia sæpe, pro solatio turbatorum, juvat divertere sermonem ad alia, ità fecit gloriosus sanctus, dum me distraheret, narrando mihi quædam de Patribus Societatis, quos ego noveram, & respondendo ad omnia, quæ ex ipso quærebam: cúmque ipsum interrogarem de nescio quali scrupulo, quo angebar illis diebus, dixit mihi: Plus habebis quietis & solatij, magísq; tibi satisfiet, si id contuleris cum Patribus Confessarijs, viventibus in mundo; illos enim ità intelliges, ut suo modo, tibi integrè satisfiat; Nam Cœlites se nolunt immiscere rebus, concernentibus Confessionem, quæ pertinet ad Sacerdotes, degentes in terra. Hæc visitatio & communicatio diu duravit, cúmque modicùm evagata fuisset mea phantasia, & ego me idcirco reprehenderem, dixit mihi Sanctus Pater Noster Ignatius: Noli id mirari, quia dum vivitur in hac mortali carne, non potest aliquid tale evitari; & postquam iterum fuisset prosequutus suum sermonem, ultra unius horæ spatium, quo duravit communicatio, nunquam ampliùs fui distracta, nec recordabar ullius alterius rei, suspensa & absorpta, dum audirem, quod mihi à Sancto dicebatur. Eo tempore mihi comparuit Christus Dominus, dixítque mihi: ésne modò contenta? Ego eo viso, accensa ipsius amore,

more, illum sequebar, sed Dominus mihi dixit: Mane, mane; & discessit, relinquens me cum Sancto Patre, eò quòd ipsius communicatio mihi fuerit proficua, attulerítque solatium.

Aliàs postquam longo tempore apud me fuisset, consolando me, assurrexi, & provoluta in genua, osculata sum ejus vestem supra brachium, ac denuò consedi ad ipsius pedes, sicut sederam priùs, cúmque ità sederem, ingressa est quædam mea soror vocatura me, ut iremus ad templum: & quamvis illi responderim, me jam jam ire, non poteram me adigere, ut abirem à Sancto Patre, permolestum namque mihi erat, ipsum deserere: sed sanctus id agnoscens, quàm amantissimè mihi dixit: Vade & abi, quia me propterea non perdes, nè id ægrè feras. Tunc surrexi, & digressa sum ab ipso, atque exivi ex cubiculo, ut comitarer meam sororem: quamvis autem iverim, atque pervenerim usque ad plateam, cor meum remanebat apud gloriosum Sanctum, quem sciebam manere in cubiculo, quod mihi fuit admodum grave, & quia mihi videbatur magna inurbanitas, quòd non satìs decenter ab illo abivissem, constitui repetere meum cubiculum, ut ipsi valedicerem, & inveni illum ibi, eóque viso, me demisi ad ejus pedes, ac dixi illi; ut mihi ignosceret, quòd ipsum deseruissem, accidisse id enim prorsus contra meam voluntatem. Neque poteram ab illo divelli. at Sanctus advertens me taliter esse constitutam, expectavit, ut inclinarem caput: & quando post modicam distractionem illum denuò volui aspicere, non vidi ipsum ampliùs; & remansi aliquamdiu quasi abrepta, ac deinde me contuli ad templum. Deinde mihi significavit, se tanti facere Obedientiam, ut ideo, quòd exequuta fuerim voluntatem meæ sororis, neglexerímque implere meam, remanserit in cubiculo. Hoc tempore visitabar adeò ordinariè à sancto Patre, prope quotidie, vel plerisque diebus, ut mihi magna visitationum frequentia adderet animum ac audaciam, aspiciendi illum attentiùs, quàm alios Sanctos; etsi id semper facerem, more meo, timidè. Intuita sum ipsum quadam vice, & vidi tam clarè ejus oculos, quàm illos videre possem oculis corporeis: quòd si illum interdum propter modum sedendi, vel situm non possem bene videre, dicebam id ipsi, quia perfundebar ingenti solatio, quando videbam tantam gravitatem & modestiam, ac mansuetudinem, & reliquas admirabiles virtutes, quæ in eo resplendebant. Atque hac ratione mihi tantopere impressum reliquit suum vultum, ut inter multas sancti imagines, quæ fuerant pictæ, dum hìc moraretur Aula, plurimùm fuerim uni earum addicta, eò quòd mihi videretur esse illi admodum similis; quod ipsum affirmavit gravis & senex persona in Aula, quæ illum noverat, & cum eo egerat in vita. Atque aliquando, cùm me Sanctus visitavisset, volui illum aspicere accuratiùs, ut meliùs viderem, an illa imago ipsum referret, tantúmque intuebar ejus vultum, & statim demittebam oculos; Sanctus autem, qui cognovit meas cogitationes, & quem ob finem cuperem ipsum contemplari, deposuit pileum quadratum, quo habebat coopertum caput, dixítque mihi: Aspice me bene, an me mea imago repræsentet? Quâ facultate habitâ id feci, & animadverti, ipsam esse quoad oculos, illi aliquantùm similem.

§. IV.

Adducit illi quatuor Angelos, qui ipsi assistant.

DEnique singularis ille favor quatuor Angelorum, qui illi semper assistebant, habuit originem ab intercessione Nostri Sancti Patris Ignatij: Qui dum me visitaret, *inquit*, quadam vice, uti consueverat, ægrotante meo Confessario, mihi dixit: Expecta modicùm, & videbis, quid tibi adducam, quod te magno afficiet solatio, ac plurimùm exhilarabit. Et postquam mihi recensuisset amantissimè quædam de cœlo, dum ego expectarem, ut viderem, quid adduceret, vidi venientes quatuor parvulos puellulos, comptissimos, & mirum in modum gratiosos, indutos nitidis vestibus, quas singuli gerebant diversi coloris:

loris: unus vestem habebat coloris cærulei, cujus aspectu recreabatur anima; alter coloris viridis, qui adferebat ingens solatium; alius punicei pretiosissimi; & alius violacei pulcherrimi. Fui adeò attonita, ut non possem ab illis avertere oculos, cogitans, utrùm fortè non essent aliquæ animæ parvulorum, quos assumpserit ad se DEUS in tenera eorum ætate. Tunc mihi dixit Noster Sanctus Pater Ignatius: Non sunt; sed sancti Angeli, quos ego nunc primùm à DEO tibi dari petivi, ut te custodiant, ac adjuvent, eò quòd modò careas Patre spirituali. Hoc audito fui repleta solatio, egique magnas gratias DEO, nostróque Patri, propter illam tantam gratiam, quæ mihi præstabatur. *Et fortè ex eo tempore perduravit ea assistentia, quà illi semper adeunt prædicti quatuor Angeli.*

CAPUT XIX.

Quomodo ex DEI instructione magni fecerit Obedientiam, petiverítque à Nostro Sancto Patre Ignatio sacultatem, se obstringendi voto Obedientiæ præstandæ Confessario Societatis, quídque ipsi quoad hoc evenerit.

Venerabilis Marina de Escobar magni fecit Obedientiam, quam exhibebat Confessarijs, à quibus regebatur, nec attentabat quidpiam agere contra illorum judicium, sed neque, quod à DEO jubebatur, facere vel dicere, audebat exequi, absque prævio Confessarij consensu: intelligebat enim hanc esse voluntatem DEI, ex cujus communicatione scivit, quòd, si existimaret à Christo Domino sibi dictum esse, ut adiret sacram Communionem, Confessarius autem diceret contrarium, sequendum sibi esset judicium Confessarij. Et quidam Sanctus hanc ipsi ejus rei reddidit rationē: quòd prius subsit periculo illusionis, sit ne Christus, qui id jubet? non autem posterius.

§. I.

HOc, *inquit ipsa*, mihi declaravit Dominus, cùm illum interrogarem: Mi Domine, ego persevero in eo proposito ac decreto, quod Tua Majestas meæ indidit animæ, & est, quòd tanti faciam obedientiam, quam me jussisti exhibere illi, quem mihi dedisti Magistrum ac Ducem, qui me doceat ac ducat per viam tuæ voluntatis, ut etiamsi tuo illustrata lumine noverim absque ullo dubio quædam esse tuæ conformia voluntati, propterea que illa facerem, possemque peragere cum magno solatio; nihilominus, si meus Confessarius mihi præciperet contrarium, subjicerem meum intellectum & voluntatem ipsius judicio ac voluntati; quia existimo, me tibi magis ità placituram, & sic me esse à te instructam: quæ est tua hac super re sententia, mi Domine? Respondit mihi Divina Majestas: Mea sententia est, te optimè procedere, neque mihi id displicet, quod dicis: quando enim subjeceris tuum intellectum ac voluntatem illi, cui teneris obedire, & qui te debet docere, tibiq; præcipere, non habebit locum diabolus, ut te possit decipere falsitatibus, erisque hoc modo securior. Æqvum præterea est, ut hæc obedientia exhibeatur ideo, quòd ego in mea Ecclesia reliquerim hunc ordinem, & hoc remedium ac solatium pro omnibus fidelibus, quo habeant Magistros ejusdem secum naturalis ac visibilis naturæ, ut possitis ipsos intelligere, ac vicissim intelligi ab illis: qui Magistri, si sequantur directionem Scripturæ sacræ, non errabunt; ac proinde quilibet potest esse securus, & acquiescere ipsorum judicio in suis dubijs. Officium autem ejusmodi Magistrorum est, bene dispicere & expendere statum illorum, quos instruunt, quídque à me habeant & acceperint, atq; hoc spectato ipsos diri-

dirigere: illos verò, quos intelligunt à me regi ac doceri, permittere, ut sequantur meam instructionem ac directioné. Post multos deinde annos, cùm graviter ægrotarem, dixi Domino, reticendáne mihi essent, & non aperiendæ Confessario res extraordinariæ, quæ mihi eveniebant, nè me fatigarem, & occuparem Confessariũ, quandoquidem nihil haberent ambigui. Respondit mihi Dominus, id non fore bonum, ob quatuor causas. Prima est, quia sicut aurum purificatur in catino, & gemmarum valor cognoscitur, si probentur affrictu, ità anima purificatur, exhibétque suum valorem, quando illam probat Minister DEI. Secunda, quia expedit ad vitandos errores, ut omnia eo ordine regantur, quem Divina Majestas designavit in sua Ecclesia, & in sua sacra Scriptura, ac Sanctis. Tertia, ut non occultentur, sed manifestentur ejus Ecclesiæ gratiæ, quas Divina Majestas præstat suis servis, & animabus puris, ut sic animentur fideles ad serviendum suo DEO, & ipse glorificetur in illis. Quarta, propter fructum & instructionem, quam ex ista communicatione capit pius, Sanctus, ac devotus Confessarius, nec non solatium spirituale & gaudium, quod anima cupiens se conformare voluntati sui DEI, indè potest habere.

§. II.

IN confirmationem hujus veritatis, cùm meus Confessarius incidisset in morbũ, mihíque præcepisset, ut illi, cui intereà confitebatur, non omnia dicerem, quæ mihi eveniebant, sed aliqua solùm, facerémque id prudenter, fui conquesta Domino, quòd non haberem, quo cum res meas conferrem; & respondit mihi Divina Majestas: Jam habes, qui supplet absentiam tui Confessarij, dic illi omnia, quæ tibi contingunt. Respondi verò statim: Non, Domine, hoc non, Domine. Quare verò? dixit Dominus: quia, ajebam egó, Confessarius mihi mandavit, ut illi non dicerem omnia, & debeo ipsi obedire. Tum subjecit Divina Majestas: Placuit mihi hoc responsum, quod ut à te audirem, dixi tibi id quod audivisti: Ità fac: potes tamen bene illi quædam referre, quemadmodum tibi ab eo dictum est.

Aliâ vice, cùm ferventer orarem pro præcipua quadam persona, quæ se commendaverat meis precibus, vidi venientes Sanctos duos Angelos, magnæ majestatis, quibus demandata erat cura unius ex Regijs Consiliarijs Aulæ, quæ tunc morabatur Vallisoleti, qui mihi dixerunt, cedere ad gloriam DEI, & esse ex bono ejus Consilij, ut illi personæ, pro qua orabam, conferretur ibi certum Officium, eò quòd pro illo præclaris esset prædita dotibus, útque id ipsum proponerem, atque ità collaborarem, quò mandaretur executioni. Retuli hoc priùs meo Confessario, qui judicavit, non expedire, ut aperiatur aditus ad procuranda similia officia per revelationes, propter multas causas, quas, nè id fieret, habebat efficacissimas. Sancti Angeli institerunt denuò, certam me reddentes, non sequutura ea inconvenientia, quæ timebat Confessarius, qui nihilominus mihi dixit: se juxta regulas Christianas non posse assentiri, nisi DEUS declararet id sibi placere, eò quòd diversæ consueverint esse Angelorum Custodum sententiæ.

§. III.

ANimata hac Domini instructione, magno tenebatur desiderio nuncupandi votum obedientiæ præstandæ suo Confessario, qui tamen illi ea in re contradixit: siquidem Confessarij Societatis expressum habent regulam, quâ jubentur non admittere ejusmodi vota eorum, quibus peccata confitentibus præbent aures, præsertim fœminarum, tum ob multas alias rationes, tum ut evitentur incommoda, quæ ista minimè necessaria subjectio posset adferre personis ignaris, ac habentibus timidas conscientias; ipsa tamen non destitit à suo desiderio, imò perseverávit ultra unum annum in petenda facultate à suo Confessario, emittendi sui voti, & rogando DEO, ut sibi id concederetur, quandoquidem hoc vellet facere, ad abnegandam suam propriam voluntatem, ac ad magis illi placendum, atque exhibendum aliquod hac in re

re obsequium. Cùm his desiderijs aliquando inter orandum elevavi, *ait*, oculos animæ, & vidi adesse Nostrum Sanctum Patrem Ignatium, sicut aliàs eram solita, qui mihi dixit, quasi ad me probandam: Quid tibi videtur de eo, quod petis? Itáne vis, ut mei faciant, quod illis prohibui in mea regula? quomodo à tuo Confessario petis tibi permitti, ac dari facultatem, ut emittas votum ipsi obediendi? Ego propterea fui vehementer confusa, & respondi illi: Verè ego sancte Pater, nolo à meo Confessario fieri, quod tu ipsi prohibuisti, & reliquis Religiosis Societatis: sed quod vellem, est, si peragi potest annuentibus Superioribus, sinè violatione Regulæ, ut, cùm ego sim quodammodo filia Societatis, quamvis indigna, cúmque ipsa me educaverit suâ doctrinâ, & instructione, mihi præstaretur ista charitas, & hoc beneficium, quo admitterer ad ejus obedientiam. Tum mihi dixit Noster Sanctus Pater Ignatius: Unde, nec enim es ità domestica, sicut tibi esse videris; statímque disparuit, & ego magis mansi confusa, eò quòd nescirem, dixissétne id ad me mortificandam, an ob alium finem: eram namque mihi conscia, quòd amarem Societatem, sicut me ipsam, optarémque illi idem bonum, quod mihi. Cùm autem hærerem dubitans, quid mihi esset agendum, confugi ad DEUM, dicendo illi: Mi Domine, vúltne Tua Majestas, ut me obstringam hoc voto? Respondítque mihi Divina Majestas, ut convenirem Ignatium, & rem istam cum ipso transigerem, esse enim ipsius negocium. Quo respóso aliquantùm fui afflicta, quòd recordarer, me non fuisse à Sancto Patre Nostro Ignatio exauditam.

Advenit festum Sancti Bonaventuræ, cui sum plurimùm addicta, atque ab eodé visitata, postquam cum eo de alijs rebus egissem, aperui illi hoc desiderium, quo tenebar, rogans ipsum humiliter, ut mihi gratificaretur, petendo à Sancto Patre Ignatio facultatem, quâ ab eo habitâ emitterem illud votum. Sanctus Doctor mihi dixit, se id facturum, statímque ipsum vidi in spiritu loquentem in cœlo cum Nostro glorioso Patre, & allegantem illi quasdam rationes, propter quas non violaretur Regula, tametsi mihi concederetur licentia, quam petebam à glorioso Patre. Summè ipsi placebant illæ rationes, sed significabat id à se procrastinari, etiam ob aliam causam, quæ concerneret meum profectum, ut discerem esse patiens, evaderémque robustior.

Ego verò addo, causam, propter quam ipsi illa gratia à Sancto Patre negabatur, fortè fuisse, quia habebat perspectam naturam istius famulæ DEI, quæ de se erat timida & scrupulosa, ac facilè qualibet re turbabatur, quam illi Confessarius dicebat, de pertinentibus ad animam, adeò ut contremisceret, si qua in re DEO displiceret. Atque illis ipsis diebus inceperat præter morem turbari, agendo cum suo Confessario, & semper cum ipsius alloquio recedebat turbatior, plena imaginationibus ac scrupulis, quæ illam excruciabant, etsi ignoraret, unde talis anxietas oriretur: quæ sanè non erat idonea dispositio, ut se ejusmodi voto obstringeret. Tandem post istam tempestatem, cum facultate & benedictione Nostri Sancti Patris Ignatij emisit suum votum, non perpetuum, sed ad vitam præsentis Confessarij, atque designatâ materiâ obligationis, quæ erat solius paupertatis, in qua non angebatur scrupulis. Promitto, *inquit*, obedire meo Confessario, qui nunc est Pater Petrus de Leon; me nolle habere domum, nec vineam, neque censum, aut ullum bonum, quod vocant stabile, ex mea solummodo voluntate, ac judicio, sed ex voluntate ac judicio dicti Patris. Præterea me obligo, nè possim de dicto bono stabili, quod mihi DEUS dedit, vel daturus est, disponere, aut illo me expoliare absque ipsius voluntate & judicio: quódque nolim inhabitare ullam domum, neque convivere cuicunque ex meo tantùm beneplacito, sed ex beneplacito ejusdem Patris Petri de Leon. *Hoc votum, Patre pro eo tempore Provinciali permittente, dictus Pater acceptavit: quo tamen vitâ functo, ego, qui ei successi, non consensi, ut illud renovaret, neque ut ageret de emittendis votis, propter suprà dictas causas.*

CAPUT

CAPUT XX.

Quomodo illam sibi Christus Dominus desponsaverit, dando illi pretiosissima cimelia, & postea compleverit desponsationem annulo admodum mystico, coram Sanctissima Virgine, & Sancto Josepho, ac multis Angelis: nec non de admirandis rebus, quæ tunc evenerunt.

§. I.

INter insignes gratias, quas DEUS confert animabus, dum justificantur, una est præstantissima, quòd ipsas assumat in suas Sponsas, desponsando illas (quemadmodum ajunt Prophetæ) sibi per suam misericordiam, unione charitatis ac amoris. Et quamvis hoc præstet spiritualiter ac invisibiliter omnibus illis, quæ fruuntur ipsius gratiâ & amicitiâ; tamen quibusdam magis electis, & quæ magis profecerunt in sanctitate, ità id ipsum concedit, ut ab ijs lumine cœlesti collustratis, agnoscatur modo admirabili & arcano, qui repleat cor delicijs, permovétque ad agendas infinitas gratias bonitati & charitati DEI, quòd talia agat cum suis creaturis: cui quidem placuit demonstrare manifestiùs immēsitatem suæ bonitatis in ijs, quæ fecit Marinæ de Escobar, ùt patebit ex eo, quod sequitur, & contigit anno 1598. cùm numeraret quadraginta quatuor annos suæ ætatis.

Dum, *inquit*, aliquando manè orarem, amando DEUM omnibus meis viribus, vidi oculis animæ adesse sanctos quosdam speciosissimos Angelos, qui veluti negotiosi colligebant & componebant multa cimelia pretiosissima. Angelus autem meus Custos, majorem præseferens solicitudinē & lætitiam colligebat, & accipiebat ab alijs sanctis Angelis, quæ ipsi collegerant. Ego obstupescebam aspiciendo hæc omnia, neque intelligendo, qualia essent illa cimelia, vel quem in finem colligerentur. Tum mihi dixerunt Angeli, ea colligi pro die desponsationis meæ animæ. Extimui, & mirata sum, quod audiveram, de eóq; cogitans transegi biduum, quo elapso, manè mihi in mea collectione dixit Dominus: Hodie est dies, quo mihi desponsabo tuam animam, quæ desponsatio nunc peragetur, quando ad me venies, méque sumes in Venerabili Sacramento: atque ab hodierno die, quo tua anima à me susceperit istā gratiam, & favorem, diabolus te non audebit, sicut erat solitus, vexare in spiritu, quod fecit præteritis diebus. Audivi, quod mihi à Divina Majestate dicebatur, plena stupore, ignorans, quid illi responderem, & statim me contuli ad templū, ubi, postquam me aliquamdiu more consueto collegissem, ivi ad sumendum Christum Dominum, atque cùm procubuissem in genua super gradus altaris, venit Sanctus meus Angelus Custos, cum alijs sanctis Angelis, valde hilaris, & adstantibus nonnullis sanctis Cœlitibus, injecit in meum collum omnia illa elegantia ac pretiosa monilia, quæ anteà me videnté collegerat, & acceperat ab alijs Angelis. Dum autem essem ità exornata, venit Christus JESUS Dominus noster in Sacra Hostia, cúmque ipsum susciperé ex manu Sacerdotis, mea anima sensit, quandam Divinam ac insolitam unionem, cum suo dulcissimo Sponso & Domino, adeò ut mihi visa fuerim ab illo immutata, penitúsque transformata ex ea hora, ac idcirco non agnoscerem me ipsam, id quod sæpe dicebam meo Confessario. Retinui illas pretiosas gemmas & monilia toto eo die, cum magno meæ animæ solatio; deinde verò mihi fuerunt ablata, & observata, me non videntē, neque advertente aliud, quàm quòd ea possideret meus sanctus Angelus Custos: illa tamen mirabilis mutatio semper perseveravit, quia per hanc spiritualem, Divinam & mysticam desponsationem, obtinui quadantenus verecundum quoddam & humile dominium, ad eum modum, quo posset eva-

evadere in Dominam quæpiam fæminæ vilis conditionis, quæ nupsisset magno Principi vel Regi. Hæc si esset mulier prudens, agnosceret animo demississimo magnam gratiam, sibi ab illo Rege præstitam: alioquin tamen unà necessariò, & magno cum solatio potiretur dominio, quod ipsi ideo, quia illam sibi desponsavisset tantus Dominus, fuisset collatum. Unde ex eo tempore deinceps mirum erat, quod me ingenti perfundebam rubore, & pudefaciebat videre sanctos Angelos, quando me dignabantur invisere, jubente Domino, mihique assistebant alicujus obsequij causâ, sibi ab illo injuncti, quomodo mihi assisterent & gratificarentur: quia id præstabant cum magna solicitudine, & quadam quasi reverentia, ut me ipsam puderet, & magnopere verecundarer; videbantur enim non coram vili ac tam abjecta & miserabili versari creatura, quàm sum ego, sed qualiter se gerere possent coram quapiam aliâ, quæ aliquâ posset ratione mereri nomen Dominæ ac Sponsæ JESU Christi.

Consequuta sum similiter ex hac tanta gratia, magnam animæ libertatem, ut non metuerem diabolum, ac molestiam, quâ me in spiritu solitus erat afficere. Nam etsi me semper fuerit persequutus, non tamen illis timoribus, ac terriculamentis spiritûs, uti consueverat; imò videbatur ab eo tempore diabolus me timere, ac revereri: unde intellexi promissum Domini, quo mihi id fuerat pollicitus. Obtinui præterea quandam humilem securitatem, ut nihil meticulosè reformidarem; sed videretur mihi Dilectus meus Sponsus ac Dominus, sicut potest, ità facturus omnia, ad eum modum, quo magis expedirent, cederéntque ad majorem ipsius gloriam & obsequium. *Hactenus sunt verba istius Famulæ DEI, ex quibus dignoscuntur boni effectus hujus singularis Divinæ visitationis, qui certa præbent indicia, eam esse veram. Quia gratiæ DEI non sunt vacuæ, neque vanæ, sed plenæ veritate, ac majestate, quas requirebat nomen Sponsæ, tam speciali modo electæ, & repræsentabant meo judicio illa pretiosa monilia, quæ ipsius collo fuerant imposita.* Atque ità, *inquit illa*, post paucos deinde dies mihi versanti in mea collectione, dixit Dominus: Manè te conferes ad Beatissimam Virginem Antiquam (est una ex Parochijs Vallisoleti, vicina domui, quam inhabitabat) ubi tibi exhibebo insignem favorem & gratiam, quæ cedet ad tuum magnum solatium & commodum, quia ibidem per me, ac meam Matrem præsentaberis, & offereris æterno Patri. Hoc audito, fui summè exhilarata, atque exarsi amore Divinæ Majestatis, & quasi non adverterem quid dicerem, sæpe iterabam: unde mihi hoc? postridie deinde manè mota à Domino, & prorsus immemor, quid contigisset, quódque mihi fuisset dictum, ut me conferrem ad Antiquam, adivi illam: ubi post exactum aliquod tempus in oratione, accessi ad sumendũ Christum Dominum, & cùm flexissem genua in gradibus altaris, vidi Christum Dominum, ipsiúsque sanctissimam Matrem, stipatam Angelis, quæ Domina attollens ad cœlum oculos, & alloquens æternum Patrem, protulit hæc verba, aut his similia, ejusdem sensus: Pater æterne, ac Domine noster, offero tibi nunc denuò hanc famulam & creaturam tuam, oróque te suppliciter, ut illam abhinc de novo suscipias ad tuum obsequium, ipsámque posthac respicias, & protegas, ac defendas ab ejus hostibus specialissimâ curâ, & auxilio tuæ gratiæ. Hanc oblationem Pater ætetnus suscepit quàm promptissimè, ac deinde discessit Beatissima Virgo, valedicendo mihi peramanter, relicto mihi propter eum favorem & misericordiam solatio.

§ II.

A*Nno 1611. in ætate quinquaginta septem annorũ, aliquot post annis, quando jam ægrotabat, ac penè semper affixa erat lecto, voluit Dominus perficere istam desponsationem, & celebrare quodammodo nuptias spirituales cum nim & admirabili magnificentia, id quod referam ipsiusmet verbis nonnihil contractis.* Quodam die, *ait*, Stigmatum gloriosi Sancti Francisci, aliquid intellexi ex communicatione quatuor sanctorum Angelorum, qui semper mecũ moran-

morantur, quòd mihi Dominus magnam quandam gratiam, & extraordinariam misericordiam esset præstiturus: dicebant enim mihi: Eja, soror, dispone tuum animum, & præpara te pro eo, quod Dominus decernet, ac volet de te facere. Et ecce eundum tibi est nobiscum ad locum, quò à Domino jussi sumus te ducere. Ego dixi: Ecce ancilla Domini, compleatur in me ipsius amabilissima voluntas. Hoc dicto, mea anima est rapta in ecstasim, in qua sum ducta ab illis quatuor sanctis Angelis, valde procul, ut mihi videbatur, à loco in quo fueram. Postquam pervenissemus ad locum à DEO decretum, Angeli me constituerunt in eleganti & pulcherrimo templo, cujus laqueare erat ex auro purissimo, parietes & pavimentum pretiosissimum, & jucundum oculis animæ, atque in quodam quasi sacello primario erat altare, & in eo sedes adeò mirabilis, ut nunquam potuerim intelligere, qualis fuerit, quidve in illa viderim. E regione istius altaris erant tres sedes perquàm conspicuæ, in prima & tertia sedebant duæ personæ gravissimæ, quidam vir valde venerabilis, & quædam Regina ac Domina magnæ Majestatis, quæ, cùm primùm ego ingressa essem per portam templi, surrexerunt ex suis sedibus, iverúntque mihi obviàm, atque dum se inciperent movere, resonuit in toto templo musica vocum, & instrumentorum, tam stupenda, suavis ac Divina, ut illam nulla lingua verbis possit exprimere. Ego timens, & quasi turbata, propter tantam magnificentiam, quam videbam, me intermiscebam, & adhærebam sanctis Angelis, à quibus ducebar. Cùm autem sursum per illos aspicerem, & lustrarem circumquaque templum, vidi innumerabiles Angelos pulcherrimos, qui canebant ac tractabant instrumenta, edebántque illam Divinam musicam, de qua sum loquuta. Iidem quatuor Angeli subitò apprehenderunt mea brachia, duxerúntque me ad eos duos Dominos, qui, ùt dixi, mihi occurrebant, & cùm essent propè ipsos, prostraverunt se coram illis; ego quoque turbata ac attonita, eò quòd viderem tantam majestatem, me prostravi. Illa verò Regina, ac Domina, me statim in brachijs apprehensam erexit quàm amantissimè. Tunc sustuli oculos, ut viderem, quænam esset ea Domina tantæ Majestatis, & à qua tantam gratiam acceperam, quia illam hactenus non agnoveram; & agnovi esse Sacratissimam Virginem Dominam nostram, quam sum reverita cum summo amore & solatio meæ animæ: intuita deinde illum Venerabilem ac Sanctú Virum, qui cum ea Regina veniebat, animadverti illuminata à DEO, esse gloriosum Sanctum Josephum, Sponsum illius Sacratissimæ Dominæ. Duxerunt me eò, ubi erant positæ tres sedes, & antequam ipsi considerent, intulerunt mihi quandá quasi vim amabilem, ut me collocarent in secunda sede: quod ego humi prostrata vehementer detrectabam, neque volebam admittere, dicendo, me non esse dignam, & esse me ancillam Domini; donec venirent sancti mei Angeli Custodes, unáque cum Beatissima Virgine ac Sancto Josepho mihi persuaderent ac mandarent, ut præberem assensum ei honori, qui mihi exhibebatur, volente ità & jubente DEO, cui me oportuit obtemperare. Postquam consedissem in illa sede, cooperuerunt me velo splendidissimo, coloris cærulei & aurei, quod pertingebat usq; ad pedes. Cùm ità essem ornata, sempérque duraret illa cœlestis musica, aspexi altare, & sedem ac thronum admirabilem, de quo dixi, me nescire qualis fuisset, & quid in illo vidissem, ac vidi ex eo descendentem & venientem ad me Christum Dominum, cum magno comitatu Angelorum, ac Beatorum Spirituum, atque ideirco turbata & obstupefacta converti modicè oculos, ut aspicerem Sanctissimam Virginem, ac deinde Sanctum Josephum, & vidi surgentes ex suis sedibus, positísque humi genibus adorantes Dominum illum Majestatis: idem & ego procumbens cum speciali agnitione meæ vilitatis, feci. Dominus accessit ad me, cùm ità essem provoluta, adeóq; turbata, ut vix viderem, vel adverterem, quid ageretur: & Beatissima Virgo me modicum elevavit, arrepto meo brachio sinistro, extenditque meam manum; Dominus

nus autem Majestatis inseruit digito meo minimo annulum pretiosissimum, & in eodem momento abripuit meam animam in magnam ecstasim, adeò ut cùm incumberem genibus, & corpore essem nonnihil inclinato, caput mihi deciderit ad genu illius magni Domini, qui statim, apponens suo ori sanctissimum suum digitum, sublatis oculis, dixit quædam verba latina, ex quibus ego hoc intellexi, quòd præceperit omnibus creaturis, ut essent quietæ ac attentæ, nec me expergefacerent, néve suscitarent meam animam ex illo somno mystico. In hoc raptu intellexi tam sublimia mysteria de attributis & perfectionibus, ac essentia DEI, déque mysterijs vitæ, ac Passionis Christi JESU Domini Nostri, ut non reperiatur lingua, à qua possint ullâ ratione explicari, eò quòd excedant omnè nostrum captum. Taliter mansi constituta aliquo tempore, quod quantum fuerit, ignoro; solùm scio dicere, totum hoc mysterium duravisse sex, vel septem horis. Postquam autem redijssem ad me ex hoc raptu, summè ardebat mea anima amore istius Domini, & habebam singularem cognitionem de bonitate ipsius ac amplitudine, atque incomprehensibilibus judicijs, nec non de mea maxima vilitate, & exiguitate, ideóque iteratò ac sæpe dicebam intrà animam meam: *Quis es tu Domine, & quis sum ego?* quis es tu Domine Majestatis, potens ac admirabilis in operibus tuis, & altissimis judicijs, sapiens ac infinitè bonus, & quæ sum ego pauperrima, debilis & indigna ancilla tua? quod nomen ancillæ ità mansit infixum meo cordi, eò quòd mihi Dominus exhibuisset hunc tam magnum & singularem honorem, ut præ mera verecundia ac pudore, non potuerim ex meo corde evellere hæc verba: *Ancilla sum Domini.*

Finito raptu, Dominus Majestatis surrexit ex regio throno, in quo ante me sederat, & obvertens dorsum dicto altari, mihíque impertiens suam sanctissimam benedictionem, dicendo ad me: Soror, & Amica, vale; positâ suâ sacratissimâ manu dextrâ super humerum meum sinistrum, quemadmodum etiam fecerat, priusquàm meo digito insereret illum annulum mysticum, redijt cum magna majestate & comitatu Beatorum Spirituum ad locum ac thronum, unde descenderat, quando venit ad peragendum hoc opus: & ego, quamvis ab initio, quando mihi sancti Angeli dixerunt, præstandam mihi à Domino magnam misericordiam, vehementer restiterim, nihílque non egerim pro ea amolienda, modò videns abeuntem ac discedentem hunc Dominum, dicebam illi cum ingenti afflictione ac dolore: Quò abis Domine Majestatis, & Bonum meum infinitum? nè me derelinquas, nec me deseras in hoc exilio; revertere ad me. Dum hoc Dominus audiret, videretque afflictionem meæ animæ, vertens se modicùm ad me, intuensque suis sacratissimis oculis, dixit mihi: Non abeo, nec discedo à te, Amica: tecum enim sum, ac maneo. Ex quibus verbis mea anima cepit non nihil solatij; statim autem quidam sancti Angeli occupaverunt locum, qui inter me & Dominum intercedebat, neque tunc ampliùs conspexi Divinam Majestatem. Deinde Sanctissima Virgo & Sanctus Joseph me erexerunt è loco, in quo eram prostrata, & Sanctissima Virgo me est amplexata, ostendens, se singulariter gaudere, propter illam misericordiam, & gratiam, quam mihi Dominus præstiterat, & congratulans mihi unà cum suo cœlesti Sponso Sancto Josepho, meisque sanctis Angelis, dixit mihi: Eja, Amica, tempus est, ut abeamus, & reducamus te domum: ego & Sanctus Josephus, ac sancti Angeli, qui adsunt, te debemus ducere, & comitari. Exosculata sum eorum pedes, propter gratiam, quâ me dignabantur, & fui subitò occupata à quodam somno & ecstasi; quando verò ad me redij, inveni ac adverti me esse in meo angulo ac lecto, adesséque mihi Sanctissimam Virginem, ac Sanctum Josephum, & sanctos Angelos. Tum discessit à me Sanctissima Virgo, & Sanctus Josephus, ac abiverunt cum comitatu multorum sanctorum Angelorum, ego autem in meo loco vehementer stupebam, méque humiliabam, agens cum DEO de hac misericordia, quam mihi denuò exhibuerat, dice-

dicebámque illi: quomodo & quare id ità fecisset, cùm ego sim ipsius ancilla, ac usq; indigna tali gratiâ: & quòd jam sciret Divina Majestas, se aliàs mihi aliâ occasione præstitisse aliam huic similem gratiam. Et Dominus respondit: Primum, quod ais, bene subsistit: ad secundum autè respondeo; gratiam, tibi tunc à me collatam fuisse diversam ab ista, quam tibi modò confero. Quia prior fuit quasi dispositio, & præparatio pro hac, quam tibi nunc præstiti. Dum ità loquerer cum Domino, verti oculos animæ ex Divina ipsius inspiratione, ac vidi quàm clarissimè ac singularissimè ab ipso illuminata, in meo digito illum mysticum annulum, quem ei Divina Majestas inseruerat, quia ipsum hactenus specialiter non videram. Erat combinatus ex particulis purissimi auri, quibus interserebantur aliæ coloris crystallini, & in his erant mysticè expressa præcipua mysteria Passionis Christi JESU Domini Nostri, cum mysterio Sanctissimæ ipsius Incarnationis, omnia verò sculpta cœlesti vivacitate, ut illuminarent animam, ac deducerent in eorum cognitionem, atque ad specialem erga illa excitarent affectum. Visio istius annuli in ea forma, duravit multis diebus, fuitque perfrequens, ac tam clara, ut quodámodo erubescerem, quòd potita essem tantâ gratiâ; adeóque metuerem, nè illum viderem oculis corporeis (quia nollem, si id DEO placeret, similes visiones, eò quòd non sint admodum securæ) ut propterea habuerim aliquot diebus manum coopertam strophio. Hic mysticus annulus quasi penetrabat & ingrediebatur intrà digitum intortus, ac infixus, palmam versùs, magis tamen eminebat in superiore digiti parte. Videbam illum multis diebus propè semper, deinde non nisi interdum, per intervalla.

§. III.

HOc est arcanum opus, quod Divina Majestas in sua famula peregit, dignum admiratione. Quis non miretur illud iter ad tam remotum locum, quo significabatur, quàm esset remota à mundo? elegantissimum illud templum & altare, ubi celebrandæ erunt istæ nuptiæ, resonante tam Divinâ musicâ coram testibus adeò omni exceptione majoribus, cùm adfuerit etiam Regina Angelorum, Mater Sponsi, & Sanctus Josephus, ejus Sponsus? Eum honorem ipsi ab illis exhibitum dum illi occurrerunt, & ipsam collocaverunt in sede, stipantes illam utrinque tanquam Sponsam sui Filij? Illum adventum ipsiusmet Christi JESU DEI & Hominis, cum tam illustri comitatu, ad celebrandum hunc actum; & quòd ille ipse inseruerit ejus digito annulum? Somnum illum tam admirandum dormientis inclinato capite super genu sui dilecti, adjurantis creaturas, nè illam suscitarent, illis verbis Canticorum: Adjuro vos Filiæ Jerusalem, nè suscitetis, neque evigilare faciatis dilectum, quoadusque ipsa velit? *Visionem illam tantarum rerum in mptu, ità ut dum eo somno dormiret, cor ipsius vigilaret? illum mysticum annulũ, cum sua tam cœlesti sculptum, plena tam Divinis mysteryis? Ego tamen non minùs obstupesco profundam animi demissionem, quam ipsa in his omnibus exhibebat, eò quòd eam quasi puduerit acceptare tantum favorem, quódq; dum dulcis ipsius Sponsus illam compellaret tam admirabili titulo Sponsæ, ei firmissimè inhæserit nomen ancillæ, quod mox commemorabimus.*

CAPUT XXI.

Quàm ipsi firmiter inhæserit affectus Ancillæ Domini, ac de admirandis rebus, quæ evenerunt, concernentes quendam annulum, quem fecit cum hoc titulo Ancillæ, déque nonnullis pœnis, quas subivit, ob leves tum admissas culpas.

Post-

POstquam in anima Marinæ de Escobar impressus fuisset ille affectus Ancillæ Domini, quemadmodum aperuit in præcedenti capite, perseverabat semper cum ingenti ardore in ipsius corde, adeò ut conciperet desiderium efformandi cujusdam annuli, ejusdémque gestandi in digito, insculptis in illo istis verbis: Ancilla JESU Christi, mei Domini; *quod tamen ipsa parvi faciebat, eò quòd vehementer fuerit aversa à singularitatibus, dicebátque sibi ipsi, ut scriberet has literas in corde, hoc enim esse perfectius. Interea fuit quodam die aliquomodo à DEO illuminata, ut id faceret; & quia nihilominus adhuc reluctabatur, interrogavit me, essetne sibi id faciendum, & ego annui, eò quòd illa verba essent excitatura affectum cordis, neque ullus hoc esset visurus, cùm semper sit affixa lecto. Fussit ergo fieri annulum referentem dicta verba, & inseruit illum digito, in quo erat mysticus annulus, ità ut se invicem non impedirent, quia iste latebat quasi intrà digitum, ille verò ipsum circumdabat extimè. Atque istâ occasione illi acciderunt quædam prorsus admiranda.*

§. I.

DUm agerem, *inquit illa*, quodam die cum Domino, nihil penitus cogitans de gratia, quam mihi erat præstiturus, converti ex ipsius inspiratione oculos animæ ad unam partem, ac vidi Christum JESUM Dominum Nostrum, sedentem in splendido throno, adstantibus ipsi multis Beatis spiritibus, & postquam illum fuissem intuita, cum eo affectu, quem mea anima conceperat, Ancillæ Domini, obtentâ nuperâ illâ misericordiâ, dixi illi statim: Bonum meum, ac Domine mi, ego sum tua Ancilla, suscipe me, & habe me pro tali, quia id mihi sufficit, & quidem abundè. Hæc & alia in hunc modum illi dicebam. Quia tamen mihi videbatur, servos à suis Dominis parùm amari, & minùs curari, maximè quando sunt malæ indolis, fures, & fugitivi, qualem ego me esse existimabam, quamvis Dominus, quem ego habebam, non esset instar Dominorum, qui habent tales servos, ideò mea anima secretissimè optabat, ut illi Dominus responderet, quòd sit ipsius amica, vel aliquid tale. Nihilominus repetebam prædictum titulum Ancillæ, tametsi cum dolore & confusione, quòd tenerer desiderio audiendi vel aliud responsum. Sed Dominus qui utrúque intelligebat, respondit quodammodo ænigmaticè, & quasi nollet clarè explicare suam voluntatem: *Ego accepto quod dicis, & habeo te eo loco, quo haberi desideras.* Interea conspexi illos sanctos Angelos, qui stabant corâ Domino, ponentes in præparato loco admirabiliter quandam elegantem & pretiosam pelvim, seu scutellâ grandem crystallinam splendidissimam, & vidi, quòd unus sanctus Angelus ex duobus majoribus meis Custodibus, teneret inter extremitates duorum digitorum suæ manûs annulum, quem feceram ac inseueram meo digito, cum inscriptione: *Ancilla JESU Christi, mei Domini.* Hic autem Sanctus Angelus illum tradidit alteri, qui erat vicinior Divinæ Majestati, & iste ipsú apprehendit eodem modo, quo illum tenuerat prior, dedítque Angelo Majori, stanti juxta Christum Dominum, atque ille annulum ereptum extremitatibus suorum digitorum posuit in medio istius admirandæ pelvis. Ego obstupefacta, & quasi confusa, quòd spectarem tale mysterium, siquidem mihi videbatur esse res valde extraordinaria, videre ibi annulum, quem ego advertebam in meo digito, dicebam in secreto meæ animæ: DEUS mi, & Domine mi, quid hoc erit? Cùm iste annulus sit hic in meo digito, quomodo est ibi in illa pelvi? & incitata ab hoc affectu, tetigi extremitate alterius digiti locum ac digitum, ubi ego posueram illum annulum. Non assignarem certa indicia, fuerítne ibi, an non, quamvis multò magis propendeam in id, quòd fuerit. Videns Dominus quod feceram, ostendit sibi id displicere, neque se probavisse, quòd voluerim explorare & scire, atque hoc modo experiri, essetne verum, an non, dictú mysterium. Unde quasi me graviter reprehendens, mihi dixit: Virtus illius, substan-

ſtantia, & valor hic eſt: ſi verò aliquid modò habes in tuo digito, eſt inſtar umbræ, & accidentium ipſius. Fui valde afflicta, anxia, & confuſa, dum hoc audirem: Divina autem Majeſtas dedit ſubitò tres benedictiones illi annulo, qui erat in pelvi, & acceptum ſuâ ſacratiſſimâ manu tradidit Angelo, à quo ibi fuerat poſitus, & hic illum porrexit alteri Minori, iſte verò Angelo meo Cuſtodi eo modo, quo ipſum tulerat ad Dominum: atque Angelus meus Cuſtos illũ inſeruit meo digito, ſicut priùs inſertum habueram. Hoc peracto, poſtquam Angeli indè abſtuliſſent eum apparatum, & dictam pelvim, dixerunt mihi ſancti Angeli mei Cuſtodes: Agedum ſoror, diſpone te & præpara pro aliqua miſericordia, quam acceptura es à Domino. Ego hoc audiendo fui turbata, quia ob ea, quæ acciderant, timebam; videns tamen id velle Dominum, conſenſi, ac dixi ipſis; ut adimpleretur in me DEI voluntas; hæc enim erat diſpoſitio, quam à me petebant ſancti Angeli: à quibus ſtatim mea anima, quæ erat in eceſtaſi, fuit ducta ad quendam altiſſimum & cœleſtem locum, ad conſpectum Divinæ Majeſtatis, ubi intellexi, ex Divina ejusdem diſpoſitione, magna & mirabilia de ipſius omnipotentia, & natura Divina. Vidi etiam ſanctiſſimam Virginem Dominam noſtram, & innumerabiles Angelos, aſſiſtentes Divinæ Majeſtati, etſi illius conſpectu non potuerim frui, neque Virginis ſacratiſſimæ, eò quòd mihi parùm pro eo concederetur ſpatij; tamen cùm eos intuerer, vidi prope me, ad meam ſiniſtram manum, ſtantem Chriſtum Dominum, conſpicuum magnâ & ſupremâ majeſtate, qualiter illum hactenus nunquam videram: aſpexi ipſum reverenter, & Divina Majeſtas non me intuebatur, ſed ſanctos Angelos, qui me illuc perduxerant, & optimè illum intellexerant, ideóque me mulctaverunt pœnâ, quæ mihi ſatis bonam afflictionem ac dolorem attulit, ac deinde repoſuerunt in meo loco, ubi mihi reddita, me reperi fatigatam, laſſam, & confractam. Poſtquam diu quieviſſem, ſolatus eſt me Dominus, mitigavitque eum dolorem, atque confractionem, quam ſenſerunt membra corporis, dicens mihi, & ſignificans modo quodam, aliquantùm ſuavi, & blando, ſibi diſplicuiſſe defectum, quem commiſeram, dum volui eo modo habere indicium, ut ſcirem & explorarem, eſſentne veræ, an non, miſericordiæ, quas Divina Majeſtas mihi exhibebat, & hanc fuiſſe culpam, quâ promerita fuerim pœnam, quæ mihi erat inflicta. Hinc cepi plus ſolatij, etiamſi verè non recorder, me fuiſſe à Domino reprehenſam ob alios ſpeciales defectus, propter quos cognoverim in ejus Majeſtate tale genus diſplicentiæ & averſionis. Ipſe ſit benedictus in æternum, qui me tolerat.

In hac viſione bene advertendum eſt, quòd volens Dominus caſtigare iſtum exiguum defectum ſuæ famulæ, tanquam benignus Pater, aſſumpſerit pro exequutoribus, non dæmones, ſed ipſosmet illius ſanctos Angelos; qui cùm agnoſcerent, omnia cedere in bonum hujus ſuæ ſororis, quando illi dixerunt, ut ſe præpararet pro magna miſericordia, quam DEUS ipſi eſſet exhibiturus, intellexerunt nomine miſericordiæ, non tantùm viſionem rerum cœleſtium, ſed etiam dolorem iſtius punitionis, juxta illud dictum Davidis, quòd DEUS Dominus noſter propitium ſe exhibuerit Moyſi, & Aaroni, ulciſcendo eorum peccata.

§. II.

ADmirabilius tamen eſt, magisque ſtupendum, quod illi, quoad hoc, evenit aliquantò poſt. Quodam die, *ait*, Angeli à me petiverunt iſtum annulum, quem habebam in meo digito. Ego, ut ſum timida in his rebus extraordinarijs, recuſavi illum dare: poſt paucos abhinc dies iterum à me poſtulaverunt, & ſimiliter abnui. Dixerunt verò mihi, id velle Dominum DEUM, & jubere; atque tunc ego, neſciens quomodo, depoſui annulum ex digito, & tenui illum in mea manu, unde ipſum ſuſtulerunt ſancti Angeli, inceperuntque fabricare alium illi ſimilem perelegantem, & ex metallo quodam pretioſiſſimo: quod ego videns, converti me ad Chriſtum Dominum, qui aderat, & incepi illum quàm inſtantiſſimè obſecrare mo-

re meo, per ipsius bonitatem, per ejus pretiosissimum sanguinem, perque multos alios titulos, quos allegabam, ut me illuminaret, ne deciperer, utque cognoscerem ipsius veritates, & illum amarem, omnibus meis viribus. Angeli, postquam perfecissent suum annulum, tulerunt illum ad Christum Dominum, cui ipse bene precatus est, & illi eum statim voluerunt inserere digito, in quo solebat esse alter. Quamvis autem ego multùm resisterem, Angeli ipso facto id præstiterunt, & meo illum digito inseruerunt. Post aliquantum deinde temporis mihi ipsum abstulerunt, dicentes se eum velle servare in thesauro, ubi erant alia deposita; & restituerunt mihi meum annulum visibilem, quem priùs habueram. Hæc omnia me vehementer angebant, & Angelus me reprehendebat ob istum adeò anxium timorem, quem habebam. Sed ego non cessabam recurrere ad Christum Dominum, petendo ab ipso instantissimè lumen, uti consueveram, donec mihi Divina Majestas dixisset. Quare turbaris, & affligeris propter ista miracula? Animadverte esse mea, sicut vides. Et verò non est aliter; non obstantibus enim his timoribus, qui oriuntur ex mea natura, usque adeò meticulosa, & verecunda, tam clarè video, ista fieri à DEO, ut non possim hac de re dubitare, absque magno scrupulo.

Octiduo pòst, ipso festo Sancti Michaëlis Archangeli, cùm infirma decumberem in lecto, & vigilarem in DEI præsentia, audivi in cœlo celebrari magnum festum ac solennitatem; & vidi cives cœli, splendentes instar ardentissimorum ignium. Extimui propterea, & simulavi me id non audire. Sed Angeli, qui mihi adstabant, animadvertentes istum timorem, abripuerunt me in spiritu, tulerúntq; ad cœlum, ubi agebatur illud solenne festum. Eram ibi valde verecunda atque confusa, & circumspiciens, vidi quendam sumptuosum maximum thronum, ac in eo coronam pretiosissimam, quæ ante paucos dies mihi fuerat ostensa, super coronam autem erat annulus, quem fabricaverunt Angeli, cum suo titulo, qui erat iste: *Ancillæ JESU Christi, mei Domini.* Deinde statim fuit instituta supplicatio, in qua procedebat gloriosus Princeps Sanctus Michaël, mirum in modum speciosus, cinctus innumerabilibus Angelis, & in sua manu tenebat baculum, cui erant inscripta hæc verba grandibus literis: QVIS, UT DEUS? Tum accepit quidam Angelus illum annulum, deditque ipsum gloriosissimo Principi, qui eum posuit in extremitate sui digiti, intuitúsque me, ità, cæteris Angelis audientibus, dixit: Hoc est insigne istius creaturæ: postquam enim illi DEUS Dominus Noster talem gratiam præstitisset, ut celebraret eum ipsa desponsationè tam gratiosam, pervasit intimè illius animam spiritus Ancillæ Domini, séque talem reputavit. Ego id audiens erubescebam, & confundebar vehementer. Processio obivit illam supernam aulam, donec revertererur ad locum, ubi fuit cœpta; & eâ finitâ, restituit Sanctus Archangelus annulum Angelo, à quo illi fuerat datus, cæteri verò me reduxerunt ad meum locum. *Hoc modò DEUS honorat humiles, assumens pro instrumento istius honoris Principem suæ Ecclesiæ Sanctum Michaëlem, cujus nomen significat titulus inscriptus ejusdem baculo:* QVIS UT DEUS? *Cujus veritatem experiuntur illi, qui in spiritu humilitatis se reputant esse ipsius mancipia, atque, ut sunt fideles, gloriantur, se esse illi subditos, ac subjectos in omnibus.*

§. III.

ALiàs mihi accidit, ut dum haberem in meis digitis aliquos annulos cum inscriptione: *Ancillæ JESU Christi, Domini Nostri*; Divina Majestas mihi cum imperio dixerit: Aufer istos annulos ex digitis, & pone illos hìc supra lectum; quod ego feci in momento, absque tergiversatione, & statim venerunt quidam Angeli, qui eos impositos, in quandam quasi arculam clausam, tulerunt ad Christum Dominum, qui accipiens annulos, inseruit illos suis digitis, eosdémque detractos benedixit, ac reposuit in dicta arcula. Tum vidi, quomodo Angeli portaverint arculam ad cœlestem Jerosolymam, colocaverint-

que

que ipsam ante sacratissimam Virginem, quæ apprehensos à se annulos, ex reverentia erga Dominum, à quo fuerant attacti, est venerata, & applicuit suis oculis, ac deinde reposuit, ubi priùs fuerant, redeuntibus Angelis ad priorem locum, in quo erat Christus Dominus. Fui passa statim ecstasim, & quando ad me redij, reperi tres annulos supra lectum, ubi illos collocaveram, quos accepi ac inserui meis digitis, sicut anteà, admirans Divinum agendi modum.

Aliàs in Februario Anni 1618. dum agerem cum Domino, valde oppressa doloribus, dixit mihi: Surge, Marina, & cùm non possem, appropinquavit mihi, ac dixit: Apprehende istam vestem, & surge; surrexi, & prostravi me coram illo; ipse verò mihi denuò dixit: surge; & confestim vidi, quòd haberet in suis manibus duos annulos, quos ego gesto in digitis, cum illa inscriptione: *Ancilla JESU Christi Domini nostri;* statimque ipsos Divina Majestas inseruit meis digitis, dicendo: Plurimùm mihi placet iste affectus Ancillæ meæ; ego te assumo pro tali, ideóque tibi ipsemet insero istos annulos, ex eo enim, quòd attigerint meas manus, ampliùs illos æstimabis.

CAPVT XXII.

Quomodo illi Christus Dominus, ac Sanctissima ipsius Mater, monstraverint sanctitatem gloriosi S. Dominici, cùm adhuc esset puer, ut ei bene afficeretur: & Sanctus illam deinceps inceperit invisere, procurando, ut esset addicta ipsius Religiosis.

VOlebat Christus Dominus, & Sanctissima ipsius Mater, ut famula ipsius magis esset addicta glorioso Sancto Dominico, propter ingens bonum, quod indè esset proventurum illi, & alijs; utque eam redderent ipsi bene posthàc affectam, ostenderunt ipsum illi in ætate puerili, eâ conspicuum sanctitate, quâ tunc erat præditus, quemadmodum ei etiam fuit manifestata Sanctorum Joannis Baptistæ & Bonaventuræ sanctitas, quâ in teneris annis emnuerunt, qualem non semper est reperire in alijs sanctis. sic igitur ipsa ait:

§. I.

DUm quodam die cum DEO agerem, amando illum omnibus viribus meis, & aliunde affligerer ac angerer quibusdam rebus, quæ suscitabat diabolus; vidi Christum JESUM Dominum nostrum, qui mihi comparens tenebat manu quendam parvum puerum, circiter bimulum. Videbatur mihi id mirabile, & ambigebam, quidnam esse posset; nec volebam aspicere puerum, sed Christum Dominum; qui animadversâ meâ hæsitatione, dissimulavit aliquamdiu meum factum, & paulò pòst iterum præbuit illum puerum intuendum oculis animæ, adeò ut non possem satiari ipsius aspectu. Vidi autem, esse puerum sanctum, & speciosissimum, indutum vesticulis candidissimis, instar nivis, quarum tela cilicina erat delicatissima & pretiosissima. Plurimùm mihi gratulabar, quòd ipsum viderem, nec ab illo poteram avertere oculos: sed nesciebam, quis esset. Paulò post mihi dixit Dominus: Noveris, hunc parvulum, quê, ùt vides, teneo manu, esse Dominicum, qualis fuit puer in ea ætate, ut cognoscas in isto puero magnam sanctitatem & puritatem, quæ animæ ipsius inerat, & quàm propterea meritò illum amaverim, bene illi voluerim, ipsumque protexerim. Et subitò, singulariter à Divina Majestate illu-

illuminata, cognovi in eo pupulo insigné sanctitatem, & puritatem animæ ejus, adeò, ut sicut vidi sanctum illud corpusculum tam gratiosum, ipsiusque vultum tam speciosum, ità viderem internum ejusdem statum, & animam purissimam ac sanctissimam, ut idcirco mihi visum fuerit id, quod etiam in illo cognovi, ipsum jam indè ab illa sua tenellula ætate, ex speciali DEI providentia, fecisse opera summè meritoria. Atque dum hanc puelluli agnoscerem sanctitatem, fuit mea anima repleta magno ipsius amore, ut illum proinde continuè aspicerem, ac amarem, tenereque ac blandè alloquerer. Sanctus autem puer me intuebatur peramanter, ac deinde respiciebat Christum Dominum, & arridebat ejus Majestatem, eò quòd ipsũ antea noluissem intueri, modò autem aspicerem, ac amarem tantopere, ut illum amore impellente taliter alloquerer. Hoc duravit aliquamdiu, & postea Christus Dominus abivit, abducens secum Sanctũ puerum, relinquensque me lætissimam ac flagrantissimam amore Sancti, ità ut triduo vel quatriduo identidem repeterem illa tenera verba. Post hoc quâdam nocte agens cum Domino, elevavi oculos animæ, & conspexi sacratissimam Virginem speciosissimam, & pereleganter vestitam, cà majestate præditam & honestate, cum qua mihi se spectandam consuevit exhibere, & vidi juxta illam eundem puellum, quem mihi Christus Dominus nuper ostenderat, ijsdem indutum vesticulis, super quas defluentem è collo habebat torquem ex auro, & gemmis pretiosissimis; dicebatque mihi tum Beatissima Virgo: Vide, vide, quàm sit elegans, & formosus, ac sanctus iste puerulus; & componebat ipsius monilia, quæ gestabat in collo: mulcebat etiam suâ sanctâ manu ejus caput, blandéque contrectabat vultum, & speciosum capillum. Hæc omnia agebat sanctissima Virgo sedens, parvulo stante, & exporrigens brachia, volebat illum attollere ad suum sinum, sed sanctus puellus, humiliando se quàm reverentissimè, abnuebat. Ego vehementer eram attenta, & stupebam, videns id fieri: jam considerabam Celsissimam Virginem, & magnitudinem gratiarum ac donorum, quæ ex Divino ipsius vultu & corpore emicabant, jam autem intuebar sanctũ puerum, tam elegantem, & gratiosum corpore ac vultu, tamque sanctum, purum ac nitidum in anima. Et cùm non possem ferre vehementiam amoris, quo cor meum ardebat, sæpiùs illum sum amplexata, repetendo verba, quibus ipsum compellaverâ, quando mihi fuit ostensus à Christo Domino. Sanctus puer præbebat indicia magnâ mansuetudine, & benignitate, sibi placere id, quod faciebam, ut mea anima recrearetur in suis afflictionibus, significando mihi, se propterea ad me venisse: & Sanctissima Virgo mihi dixit, se ideo, quòd plurimùm fuerit, addicta isti glorioso Sancto in ipsius pueritia, amaveritque ipsum specialiter, & singulari curâ protexerit, voluisse mihi præstare eam gratiam, ut ipsum ad me adduceret, pro meo solatio. Detinuit se apud me aliquamdiu, & postea abivit, abducens secum sanctum puerum, cujus memoriam & amorem retinui tam ardentem in meo corde, ut mihi ipsum semper viderer meâ animâ complecti; atque devotio erga eundem gloriosum sanctum in me perduravit hactenus, & cum gratia DEI durabit, quoad duraverit vita.

Ex his duabus revelationibus est animadvertere magna initia, hujus magni Patriarchæ, fundata in talibus duabus prærogativis, quòd illum videlicet adeò specialiter amaverit Christus Dominus, & ipsius Sanctissima Mater, jam indè ab ejus pueritia, accelerando ipsi usum rationis, ut statim (quemadmodum ait Marina) inchoaret sua heroica opera.

§. II.

POst hoc Sanctus Patriarcha, in sua propria ætate, & constitutione, illam sæpe invisit, atque in primis visitationibus id spectavit, ut ipsam inclinaret, ex DEI voluntate, ad agendum etiam cum sacis Religiosis, sicut agebat cum ijs, qui sunt ex Societate. Quadam vice, *inquit*, mihi ægrotanti, dixit Dominus: Vide, ut obedias tuo Confessario (erat is Pater Petrus de Leon) qui tibi

tibi dixit, ut ipsum moneres, si quâ re indigeres, & quia modò es constituta in necessitate, manifesta id illi. Quia tamen ego exiguam mei ipsius gerebam curam, videbaturque mihi mea necessitas non esse tanta, & sentiebam solatium in ea toleranda, respondi: Domine, dicat hoc illi Tua Majestas, si voluerit, vel cui visum fuerit, quia ego enim nollem dicere. Dominus verò mihi secundò dixit: Dic tu id illi: Tunc tacui, & statui ità facere, eò quòd Dominus vellet, quando venturus esset ad me invisendam. Dignata est tamen Divina Majestas respicere meum desiderium, mihique aliâ vice prospicere: quia postridie cùm vacarem meæ collectioni, me visitavit gloriosus Sanctus Dominicus, exhibens mihi vultum plenum cœlesti lætitiâ, & compatiens meæ necessitati ac debilitati, mihi dixit amantissimè: Vehementer tibi condoleo ob necessitatem ac debilitatem, quam pateris: quare non vis adire meos, quos tibi obtuli, quia & ipsi te adjuvabunt, ac subvenient tuæ indigentiæ quàm libentissimè? Noveris autem, quòd ego tibi modò cogitem succurrere, quia te video in necessitate constitutam. Audivi, quod mihi fuerat à Sancto dictum, & gratias ipsi egi pro favore, quem mihi præstabat, visitando me, & consolando: ad illud verò, quod mihi dixit, se subventurum meæ necessitati, nullum ei respondi verbum. Postquam aliquamdiu apud me mansisset, disparuit, & postridie manè venerunt ad me, visitationis gratiâ, duo Religiosi ex ipsius Ordine, qui me nunquam viderant, atque unus ex illis me rogavit instantissimè, ut vellem suscipere amore Christi, & sanguinis ejus pretiosi, id quod pro meæ indigentiæ subsidio mihi offerebat. Ego diu reluctabar, nolens donum suscipere, quod tamen servus DEI non est passus à me non acceptari. Eo ipso die me invisit meus Confessarius, sicut consueverat me in meis adire morbis, cui totum recensui, quod mihi contigerat. Ipse magnas idcirco gratias DEO egit, atque etiam mihi aliquid attulit, quo sublevaretur mea necessitas. Hoc, *ait*, refero, ut appareat providentia, quâ DEUS pro sua infinita Bonitate prospicit suis pauperibus creaturis, útque omnes ipsum ament, illique obediant, quòd sit, qui est; reponántque in eo omnem suam spem. *Quæ gloriosus Sanctus Dominicus constituerat, prosequutus est impensiùs, quoadusque assequeretur propositum sibi finem, ùt apparebit in sequenti capite.*

CAPUT XXIII.

Quomodo DEUS, postulante glorioso S. Dominico, fecerit, ut egrederetur ex sua solitudine, ad conversandum etiam cum ipsius Religiosis, & cum proximis.

ANno 1599. quo attigerat quadragesimum quintum annum ætatis, DEUS volens, ut Venerabilis Marina de Escobar pervinceret natumlem repugnantiam, ac verecundiam, quâ retrahebatur ab agendo cum proximis, útque pro sua charitate ipsis aliquo modo prodesset, usus est operâ gloriosi Sancti Dominici, qui tanto arsit animarum zelo, & quem speciali jam prosequebatur devotionis cultu, ùt ex dictis præcedenti capite constat. Progrediebatur autem hac in re sensim, & quàm suavissimè, accommodando se imbecillitati ac naturæ, quâ ab illo fuerat prædita. Erat jam abundè amore erga proximos instructa, licèt is non tantus ipsi esse videretur, quantum habere voluisset. sed Dominus illi dixit: Cùm cor tuum eâ flagret charitate erga proximum, ut libenter vitæ tuæ pati velles jacturam, pro ipsius anima servanda, quare metuis, amésne illum, an non? Hoc verò est illum amare. *Præterea jam provectæ erat ætatis, cùm quinque supra quadraginta numeraret annos, quæ ætas erat aptior inchoando isti operi, quod*

quidem eo est aggressa modo, quem ipsa his refert verbis:

§. I.

POstquam me gloriosus Sanctus Dominicus aliquando suo more fuisset dignatus invisere, advertissetq; me ità Societati esse affixam, eò quòd ipsius doctrinâ essem educata, ut putarem, à me in nulla Religione inventum iri Magistrum & Confessarium, qui meæ satisfaceret indigentiæ, volens idem gloriosus Sanctus mihi significare, omninò aveniendum, ut etiam cum ipsius agerem Religiosis, dixit mihi: Si quempiam velles inter meos, non deesset tibi Confessarius ac Magister spiritualis idoneus, pro tua necessitate, & consolatione. Noli cogitare talem defuturum. Magno mihi fuit solatio, videre ardentem istius sancti charitatem, ac desiderium, quo tenebatur, ut adirem ipsius Religiosos, quasi ego miserabilis quidquam illis essem profutura. Post triduum deinde vel quatriduum, dum aliquando manè pro more agerem cum DEO, dixit mihi Divina Majestas, esse suam voluntatem, ut aliquot diebus agam & conversèr cum quibusdam ex Ordine Sancti Dominici, pro aliquo ipsorum spirituali emolumento; id quod ego existimo factum esse, petente ac urgente glorioso Sancto Dominico. Et quia DEUS se initio solet insinuare suaviter, quando ejus Majestas similia animæ inspirat, non inferendo illi propterea magnam vim, ego id dissimulabam. Sed cùm mihi iteratò diceret, se hoc velle, retuli illo die meo Confessario (is erat Pater Petrus de Leon) quod acciderat; qui mihi dixit, ut rem DEO commendarem, & videremus, quomodo ea inspiratio ulteriùs progrederetur. Præterierant aliquot exinde dies, & DEUS semper meæ animæ inspirabat, quod mihi dixerat, vehementérque me ad id impellebat, quamvis ego semper desiderabam, si esset voluntas DEI, non egredi ex meo angulo, & ibi sola agere cum Divina Majestate, sicut consueveram; ideóq; continuè conquerebar Divinæ Majestati, & sæpe illi dicebam cum lacrymis: Mi Domine, & Bonum meum, quò me vis ire? quid est hoc, quod me jubes facere? adverte per bonitatem tuâ, me esse mulierculam simplicem, imbecillem, & inhabilé ac destitutâ viribus, atq; ità meticulosam, & pusillanimem ex mea naturali propensione, sicut tu, Bonum meum ac Domine scis, quódque nunquam sola egerim nisi tecum, & cum meo Confessario, ut me instrueret, ac duceret per viam tuæ sanctæ voluntatis? Quid ergo modò me vis facere, si est verum, ùt est, quod tibi dixi? Respondit mihi Divina Majestas & Bonitas peramanter, affabiliter, & suaviter: Perge filia, fac, quod tibi dico; esto bono animo, & noli angi: ego enim te juvabo, ac docebo. Sed quasi id non sufficeret ad abigendam meam pusillanimitatem, dixit mihi præterea quodam die oranti Dominus: Ut majore libertate & animo, ac solatio possis exequi quod desidero, volo tibi dare meam epistolam, quam includas ac observes in tuo corde, ut illud corroboret, donétque libertate, ac sit instar epistolæ assertoriæ, quâ habitâ possis absque metu & erubescentia transire quacunque volueris, ac loqui, & conversari cum ijs omnibus, quibus cum tibi hunc in finem opus fuerit loqui, & conversari. Quo dicto, ostendit mihi membranam longam, propè duarum spithamarum, latam autem sex circiter digitis, in qua erant grandes quædam literæ, scriptæ auro purissimo, ac admirabiliter efformaræ, in duabus illius membranæ lineis; & postquam mihi monstravisset, accessit ad me, intromisitque illas in meum pectus. Ego verò miserabilis videns tantum mysterium, & opus potentis manùs Divinæ, fui consternata & obstupui; agnoscénsque me indignissimâ tantâ misericordiâ, eram quasi turbata, eò quòd mihi talis honor exhiberetur, ut vix adverterim, quomodo Dominus sanctum illud scriptum imposuerit in pectus: unde conversa ad Divinam Majestatem dixi illi: Mi Domine, quid mihi dedisti, & posuisti intrà meam animam, quod non bene vidi? resume id, Bonum meum, & Domine mi, & da mihi denuò; volo enim videre & intelligere, quomodo mihi illud des, ponásque intrà meam animam. Tum Dominus

nus recepit ſcriptum, quod impoſuerat meo pectori, denuóque mihi id exhibendo dixit: Aſpice: atque ſubitò coram meæ animæ oculis, qui talia vident quàm clariſſimè, illud repoſuit in meo pectore. Quo facto, mea anima fuit repleta ipſius amore, & prædita novâ quadam libertate ac animoſitate, ità ut non ſentirem illam tantâ difficultatem, tametſi natura mea verecunda ac timida, adhuc quadantenus faceret, quod ipſius erat partium, méque nonnihil poſt ſe traheret.

§. II.

SUb hæc, meus Confeſſarius, cui omnia recenſui, advertens me eſſe tam verecundam, ac tantam ſentire eo in opere difficultatem, animavit & ſolatus eſt me, ac dixit mihi ſemel iterumque, ut cum benedictione DEI & ſua exequerer, quod mihi Divina Majeſtas inſpirabat, neque enim illi accidebat mirum, aut multùm abludebat ab ipſius cogitatione, quòd me DEUS ad ſimilia incitaret. Tum ego ſuſcepi illius benedictionem, & ipſe poſt biduum infirmatus incidit in graves febres, quas illi DEUS eſt dignatus immittere: quo tempore manſi quaſi ſola, ac deſtituta ſolatio Patris ſpiritualis ſeu Magiſtri, qui me in ejusmodi poſſet juvare occaſione, quia ità DEUS diſpoſuerat, ac permiſerat, ob cauſam Suæ Majeſtati perſpectam. Tunc Divina Majeſtas incepit vehementer urgere meam animam, dicendo mihi, ut egrederer ex meo angulo, méque conferrem ad Ædem Sancti Dominici, ubi ego nunquâ de ejusmodi rebus fueram loquuta, vel egeram, necdum mihi indicando, quocum mihi eſſet loquendum, neque cauſas, quas me oporteret adferre, injuncti mihi ab ejus Majeſtate muneris. Egreſſa ſum ſtatim, nullibi ſubſiſtendo, magis à ſpiritus, quàm humanæ naturæ ducta impetu. Ibam hinc quidem cum ingenti animo, ac firmo decreto exequendi, quod mihi DEUS inſpirabat, & mandabat, indè verò magnam inferendo vim naturali meæ propenſioni, ac proinde licèt irem affluens ſolatio & animata, pergebam tamen etiam modò gemens, modò quaſi DEO conquerens, quòd ità mecum ageret: atque unà optabam ex omnibus meis viribus, & orabam DEUM ex toto meo corde, & anima, ut mihi impertiretur ſuum ſanctũ Spiritum, & gratiam, quò omnia mea opera, cogitationes ac verba, cederent ad majorem ipſi gloriam & obſequium, nec non ad emolumentum & fructum earum animarum, cum quibus eſſem actura & loquutura. Præterea mea anima ſummè flagrabat amore DEI, tenebatúrque maximo quodam & extraordinario deſiderio incumbendi in commodum, & profectum animarum. Ità perveni ad Sanctum Paulum, ubi me Dominus docuit, & illuminavit oſtendendo mihi, quid me facere, & quæ dicere oporteret: ideóque advocavi, & alloquuta ſum illo tempore matutino Priorem ejus monaſterij, & aperui illi inſpirationem DEI, cujus inſtinctu venirem, rogatura ipſum quàm inſtantiſſimè, ut ſi cuperet Divinum aſſequi beneplacitum in omnibus operibus, quæ perageret, vellétque ſe abſtrahere, & expeditum videre ab omnibus rebus terrenis, atque amare, & ſuâ animâ complecti tantummodo DEUM, frequenter conveniret Divinam Majeſtatem, orando mentaliter, & conaretur illum ſemper habere præſentem, in omnibus actionibus, atque id ipſum intimaret ac diceret univerſis, quos vellet progreſſum facere in virtute, & ſpiritu, ac perfectione vitæ. Idem dicebam omnibus, quos alloquebar, ijs verbis, & eâ efficaciâ, quam Dominus dabat meæ animæ, ut Divina Majeſtas videretur per illa ſuſcitare & incendere ignem ſui ſancti amoris animabus. Audivit Prior verba, quæ ex Divina inſpiratione ipſi dicebam, & acceptavit cum magna charitate, & gratiarum actione, tantáque humilitate, ut bene adverteretur opus illud eſſe DEI, & non alicujus mulierculæ ſimplicis ac miſerabilis, & ad omnia ineptæ, qualis ego ſum; ſtatímque vocavit alium Religioſum gravem, & ſervum DEI, ut exciperet meam confeſſionem, ſi quando eò venirem, quia id ego ab ipſo petiveram, habitâ facultate à meo Confeſſario, qui infirmabatur, ſinè qua id non

non fecissem. Cum hoc Religioso mihi idem accidit, quod cum primo; acceptavit enim eodem modo verba, quæ illi dixi DEO inspirante; quia Divina Majestas ità rem disponebat. Iste Religiosus se mihi peramanter quàm promptissimum exhibuit ad excipiendas meas confessiones, quandocunque vellem, & venirem ad illud monasterium: quia enim eo tempore carebam meo Confessario, & ego tunc non habebam alium, debebámque illuc nolens volens ire, ut satisfacerem illi officio, quod mihi DEUS inspirabat, hic Religiosus mihi confitenti aures accommodabat eâ promptitudine, ut me nullo modo pateretur à se abire ad alium. Quin etiam deinde, cùm jam non esset opus, me eò pergere explendi illius muneris gratiâ, conversabatur mecum, exquirebat meum judiciũ, quidnam expediret, magisque prodesset animabus in concionibus ad populũ, quas habebat: & interdum mihi pro meo solatio asseverabat, à me ipsi, & reliquis Religiosis dicta, singulariter profuisse. Aliquot diebus continuabam, quod mihi DEUS inspirabat, erátque ut exponerem Religiosis, quibuscum agebam, quædam puncta rerum spiritualium: siquidem hæc magni Theologi non bene intelligunt, nisi eorũ habeant usum, síntque DEO familiares. Dicebam illis, exempli causâ, quid sit unio animæ cum DEO, & quos in ea motus & effectus operetur hoc tantum bonum; aliàs autem, quid sit cognitio sui ipsius, quando illam DEUS per speciale lumen infundit animæ, non absque magna vehementia & efficacia, & quos adeò admirandos ac utiles producunt effectus in anima; aliàs, quid sit spiritus, quid agere & conversari cum DEO, qualisve modus, quo Divina Majestas aperit animæ, cui se eâ ratione communicat, suam voluntatem, non in rebus duntaxat ordinarijs, verùm etiam in extraordinarijs.

§. III.

HOc idem officiũ, quod mihi DEUS inspirabat, cum magno suæ Majestatis amore, & ardenti desiderio, procurandi bonum animarum, prosequebar per illos omnes dies eo modo, ut propterea sæpe, cùm nihil aliud possem agere, præ illa fame, quâ exoptabam bonum animarum, prosequebar per illos omnes dies eo modo, ut propterea sæpe, cùm nihil aliud possem agere, præ illa fame, quâ exoptabam bonum animarum, accederem eos, quibus fiebam obvia, & quasi ex proposito illis occurrerem, captando occasionem ex re quapiam, quam ipsis volebam dicere, vel ex ijs quærere, si illos nossem, atque aliàs, etiamsi mihi essent ignoti, rogando ipsos; ut impensè DEUM amarent, dicerémq; illis, optimum modum amandi DEUM esse, adire Divinam Majestatem vacando orationi: id quod per DEI gratiam inhærebat animabus omnium, quos alloquebar, tum Religiosorum, tum secularium, ità ut manifestè viderem esse permotos & accensos Amore Divino, ac ingenti desiderio, ut plura semper ac plura ipsis dissererem de Amore DEI, déque ejus Divina Bonitate. Et interdum eveniebat, ut perambulando plateam, inciderem in parvos pueros, atque non mihi possem temperare, quin ducta à spiritu illius desiderij, ipsos accederem, & aliquem interrogarem dicendo: Parvule, callésne Salutationem Angelicam, ac Orationem Dominicam? & quando respondebant, se eas preces scire, dicebã illis: Orate sic mei pupuli quotidie, & rogate Beatissimam Virginem ac DEUM, ut vos faciat suos servos, détque vobis magnum sui amorem. Aspiciebant me, quando ipsis id inculcabam, ac dicebant: Ità faciemus, Domina. Et cùm mea anima plena esset istis ferventibus desiderijs, ut animabus prodessem, contigit mihi aliquando, ut expectarem multis horis ac diebus, & quærere tempus ac locũ indicandi cuidã personæ id, quod mihi propterea DEUS inspirabat; atq; postquam fuissem illam alloquuta, & assecuta, quod desideraveram, fecissémque, quod mihi à DEO fuerat inspiratum, tanto replerer solatio, adeóq; gauderem, ut ipsum etiam miserabile corpus videretur instaurari novis viribus, ac refocillari. Et verò ille unicus meus videbatur esse cibus, quasi eo satisfacerem meæ indigentiæ, ac debilitati, quod

quòd re verâ fiebat. Accidit autem mihi quâdam vice, ut cùm idcirco expectavissem, nescio quot diebus quandam Religiosam personam, tandem ipsam expectaverim aliquando manè aliquot horis. Dum autem me sentirem fatigatam ac debilem, converti me ad DEUM, dixíque illi: Mi Domine, quantò mihi constat, ut alloquar istam personam, & attraham illam ad te? Dixit verò mihi tunc Divina Majestas: Viderísne tibi expectavisse diu? Diutiùs ego expectabam, & ampliùs laborabam, quàm tu, pro animarum conversione. Dic age, an non recorderis Samaritanæ? Audivi, quod mihi Divina Majestas dixit, ac tacui, atque expectavi, & vehementer fui pudefacta, videndo id mihi meritò fuisse dictú à Domino. Postquam autem fuissem alloquuta eam personam, & complevissem inspirationem Divinam, cepi inde ingens solatium, & fui plurimùm recreata, sicut aliàs. Inspirabat mihi quoque Dominus, & imperabat, vehementérque me impellebat, ad redarguendos defectus, oblatis mihi ab ipsius Majestate occasionibus, adeò, ut si incedens per plateam, audirem aliqua verba, quibus DEUS offenderetur, vel proximi, non possem præterire, quin talia proferentes accederem, ipsísque exponerem malum, quod perpetrarent; & quantùm infinitam DEI Bonitatem, ejusmodi offenderent peccatis. Quòd si aliquando id prætermittebam, eò quòd essem muliercula, quia tamen intimè dolebam, videns offendi DEUM, cogebar redire, nisi vellem angi ingenti scrupulo. Tanta verò fuit DEI erga me clementia, ut semper specialem referrem ex tali opere fructum. Dum quadam vice essem in templo, ingressa est nobilis Domina, & voluit considere in loco, occupato à paupere fæmina, quam, vehementer indignata, jussit indè quamprimùm facessere: incepit quoque increpare ancillas, eò quòd illam non quantocyùs abigerent. Ea enim erat ipsius natura cholerica, & inveterata consuetudo. Tunc mihi dixit Dominus: Surge, ac adi illam Dominam, & dic ipsi, ut meminerit nihili, ex quo facta est: atque idcirco, quàm tibi videbitur optimè, ipsam mone, ut se humiliet; i, perge. Audivi, quod mihi dictum fuerat à Domino, & fui modicùm turbata, videns mihi ab illo præcipi, quod usque adeò alienum erat à mea naturali inclinatione, & à mea vilitate. Sed tandem, quia mihi mandabatur à Domino magnâ efficaciâ ac determinatione, non erat mihi possibile aliud agere, nisi illum vellem offendere, ac repugnare ipsius voluntati, méque ei exhibere inobedientem. Unde surrexi, & accedens ad illam Dominam dixi ipsi, quàm amantissimè & suavissimè potui, atque sicut fueram edocta à Domino, verba, quæ à Divina Majestate jussa eram dicere, & ipsa meam monitionem acceptavit cum insigni animi demissione, amplexando me, gratiásque mihi magnas agendo, pro exhibita sibi charitate, ac me quàm enixissimè rogando, neque dimittere volendo ex manibus, ut se commendarem DEO, & filium, qué habebat ægrotum, sibíque dicerem, quænam essem, & ubi commorarer. Ego illi respondi me nihil esse, & nullius frugis, atque gratiam mihi ab illa præstandam esse eam, quam ab ipso petiveram. In hunc modum tunc eveniebant alia, pro quibus omnibus magnas agebam DEO gratias, & mea anima replebatur ingenti solatio, quòd viderem à Divina Majestate tantopere incendi animas Divino ipsius amore, hoc medio, & isto instrumento adhibito, quod est usque adeò infirmum, ac miserabile.

CAPUT XXIV.

Quomodo diabolus multis technis fuerit conatus hoc opus impedire.

ACtus in rabiem diabolus, & ægrè ferens bonum, quod DEUS istâ viâ operabatur in animabus, conatus est id operis impedire, & interturbare, quàm potuit solertissimè: & eo, quem illa refert, modo incepit.

§. I.

CUm aliquando irem ex templo, adverti insistentem vestigijs meis dæmonem, qui mihi appropinquans protulit enormem blasphemiam, quâ auditâ circumspexi, vidi illum in specie crudelissimi lupi, latè diducto rictu hiantem, dixíque ipsi: Túne es infelix? prosequuta sum meú iter, donec pervenirem ad meam domum, & ipse me sequebatur ad portam usque; postea verò illum ampliùs non vidi, nisi postridie manè, dum essem, more meo, collecta: tum ipsum in eadem conspexi specie, qua antea, conantem ad me accedere, si ipsi concederetur, mihiq; suis faucibus nocere, quantùm posset: sed non potuit, nec id illi DEUS permisit. Nihil non egit, me sic persequendo, quod agere poterat, ac ipsi permittebatur. Interdum parùm curabam, quid faceret; aliàs verò mihi incutiebat quasi timorem ac metú, quando ambulabam per plateas; subinde etiam ridebam, videndo qualia moliretur ad me perturbandam suis terriculamentis, cùm non posset ampliùs efficere, siquidem illi non concedebatur à DEO. Et quando egrediebar domo, præsertim ad exequendum officium mihi à DEO demandatum, faciebat, ut bestiæ transeuntes plateam, in me incurrerent, quamvis procul à me incederent, & longè extra viam, méque præcipitarent, & præcipitatam calcarent pedibus, ità ut ij, qui id videbant, mirarentur, ac obstupescerent, quomodo me DEUS liberavisset, neque mihi nocuisset, aut quidquam damni intulisset bestia. Ego verò ità absque dolore, turbatione, & omni nocumento surgebam, acsi illa bestia fuisset avis, quæ super me volavisset.

Aliâ vice asinus, quo quidam vehebatur, valde procul à me, penitúsque diversâ viâ, eâ relictâ, absq; ulla occasione, tetendit rectà ad me. Is autem qui illi insidebat, animadvertens eam insolentiam bestiæ, & quòd contra me progrederetur, incepit ipsam acriter fustigare, ac magno labore illam conabatur detinere, nè me præcipitaret, mihique noceret; sed quidquid ageret, operam perdebat, quoad usque perveniret ad me, ità ut penè in me incurreret. Ego, utpote non ignara illius secreti, dum viderem malè haberi miseram bestiolam, culpæ expertem, magnopere dolebam, dicebámque intrà me: Relinque istam pauperem bestiolam, quæ est innocens; noli eam vexare. Aliàs, boves juncti currui, rectà ad me procurrerunt, dum pergerent per quandam plateam, & ego retrocessi ad ingens ac altum saxum, quod erat in ingressu plateæ, ut evitarem boves, ipsi verò nihilominus, frustrà conante aurigâ id impedire, me versùs festinaverunt, & nullo mihi illato damno, raptaverunt currum per saxum, quod erat altum instar grandis cujuspiam cistæ, atque in descensu fuit adeò concussus currus, ut videretur in frusta confractus. In hujusmodi occasionibus protegebar à Sancto meo Angelo Custode, qui me aliquando, id quod vidi oculis meæ animæ, eripuit ex pedibus equi ità currentis, ut illum non posset is, qui eò vehebatur, cohibere.

§. II.

SEd his minimè contentus dæmon, conatus est aliud suo desiderio convenientius & aptius reperire medium, utendo meâ meticulosâ ac miserabili naturâ. Diabolus enim semper nititur, dum potest, suo adaptare proposito cujusvis naturam, ad perficienda commodiùs sua perversa opera. Itaque ut sui fieret voti compos, is ipse dæmon (quod mihi postea fuit dictú) qui me sequutus fuerat per plateam, in specie & forma lupi, adivit aliquando illum Religiosum, quo tum conscientiæ arbitro utebar ad Sancti Dominici, & sub prætextu apparentis boni ac prudentiæ, ipsi ingessit apprehensionem, ut existimaret se quàm optimè & conformiter regulis rationis ac San-

Sanctorum doctrinæ facturum, si me probaret, mihique liberè loqueretur, ùt par est facere Confessarium & Magistrum spiritus, ac diceret, posse fraudem subesse illi operi, quod mihi videretur inspiratum à DEO, & hanc fraudem esse coopertam pallio rationis ac prudentiæ. Ille servus DEI id non poterat intelligere, neq; propterea erat culpandus. Certum enim est, nonnullos diaboli dolos difficillimè posse dignosci, & priusquam manifestè detegantur ac discernantur, non percipi. Isti Religioso tantùm referebam speciatim, quid in hoc negotio agerem: quia in reliquis semper procedebam eâ viâ, quam DEUS, & meus antiquus Pater Spiritualis me docuerat, cui omnia pandebam. Toto verò eo tempore, quo DEO placuit me ipso privare ob morbum, donec mihi dignatus esset dare alium, supplevit illum defectum Sua Majestas tam misericorditer, & ità me illustrando, securámque reddendo in eo, quod se mihi offerebat, ut ad conferendũ cum altero, me potiùs desiderium induceret alloquendi, & occupandi Religiosos, quàm necessitas. Dum igitur quodam die venissem peragendæ Confessionis causâ ad hunc Patrem, qui non habebat perspectâ meam naturam tam delicatam ac timidâ, neque sciebat quantùm possem sustinere, sed neque cognoscebat statum meæ animæ, quidve à DEO accepissem, incepit mihi dicere, volens uti suâ potestate, ac implere partes Magistri & Confessarij, ut adverterem ac attenderem, sæpe satanam se transfigurare in Angelum lucis, neq; adeo carere periculo, quod mihi videretur esse tantopere securum, útque considerarem, me esse fæminam, cui meliùs conveniat audire, quàm loqui. Audivi eam admonitionem Patris, ac tacui illâ vice, & acceptavi ejus dicta, cum quàm maxima potui humilitate: quia ego tum ignorabam stratagema, quo diabolus volebat eâ viâ impedire opus, quod DEUS ceperat, & continuabat. Et quamvis hoc scivissem, fecissem tamen idem, méque humiliavissem, & obtemperavissem illi in eo, quod mihi mandabat, observando datũ mihi à DEO hac de re documentum: sed quia sum hujus miserabilis ac timidæ naturæ, fui territa, & concidi animo; non quòd dubitarem, vel possem dubitare, quin ad opus illud & exercitium Divinâ moverer inspiratione, sed quòd, ùt sum mulier, & imbecillior alijs, natura mea suo fungeretur munere, magis quàm voluissem, & quàm par esset. Nihilominus post biduum, dum iterum alloquerer eundem Patrem, revocavi ei in memoriam, ea quæ mihi nudius tertius proposuerat, prætereáque illi dixi, scire jam ipsius Paternitatem, quomodo ab eo die, quo primùm cum illo egi, ipsum assumpserim in Confessarium, siquidem haberem infirmum Patrem, cui aliàs confitebar, adeóque me rogare, ut me instruat ac illuminet, quid in eo negotio illi videatur magis cedere in obsequium DEI, & esse conformius ejus voluntati, útque mihi id præcipiat; obedituram enim me ipsi ex toto meo corde, & quàm libentissimè, quod re ipsâ esset experturus: me namque tantùm desiderare, ut pro viribus faciam, quod DEUS mavult, illique magis placet, & quo majus ipsi exhibetur obsequium, quandoquidem, si quidquam aliud vellem aut desiderarem, non satisfacerem mihi ipsi, neque acquiescerem; me enim hac viâ obedientiæ, & judicij Superiorum à DEO edoceri. Audivit ille Pater mea dicta, quæ ipsi plurimùm satisfecerunt, ostenditque se ex ijs cepisse solatium, & illa sibi placuisse, ac respondit, sibi mgnopere arridere, quod dicebam, exequerer in nomine Domini officium meũ, se illud non improbare, nè quidem cogitatione; quin imò enixè rogare, ut alloquar quendam Religiosum gravem, & vehementer immersum suis studijs, cum aliquo excessu, ut hunc in modũ proficiat in amore DEI: desideraréq; etiam valde, ut meo alloquio in quibusdam Religiosis sui Ordinis, exsuscitem ignem Divini amoris: atque id mihi dicebat per multos dies. Ego illi ad hæc respondebam, me magno teneri desiderio, ut ipsi satisfaciam ac obediam; commendaret modò rem Domino DEO, & videremus, quale nobis lumen, quoad hoc, esset datura Divina Majestas.

§. III.

POst aliquot dies denuò Marina confitebatur Patribus Societatis, ubi rem contulisset cum Domino DEO, sed non propterea perdidit affectum, quo ferebatur erga Religionem Sancti Dominici, nec destitit conversari cum ejusdem Ordinis Religiosis, præsertim postquam affixa fuit lecto, quod brevi evenit. Sicut enim Sanctus iste Patriarcha adeò amanter ac familiariter illam invisebat, & cum ipsa agebat, quemadmodum apparebit in libro quarto, ità inspirabat suis filijs, ut eam invisserent, & cum illa conferrent de rebus pijs, concernentibus suum spiritum: atque progressu temporis, cùm ego propter meas continuas infirmitates ac debilitates illam non possem convenire, ut ipsam confitentem audirem tam frequenter, quàm illa desiderabat, ad supplendum hunc defectum, assumpsit secundum Confessarium ex dicto Ordine, qui fuit Pater Frater Andreas de Ponte Frater meus germanus, solitus ipsam adire ad excipiendam illius confessionem loco mei, ut est dictum in Introductione. Denique postquam ex Divina inspiratione redivit ad Societatem, non cessavit deinceps etiam agere cum proximis, & ad hoc ipsam animabat Noster Pater Sanctus Ignatius, dicendo illi: æquum esse, ut cùm glorietur, se esse Filiam Societatis, cujus institutum est juvare animas, se excitet ad illas juvandas, juxta donum sibi à DEO datum: quod fecit magno zelo toto eo tempore, quo valebat pedibus, atque etiam, quando ægrota decumbebat, ut videbitur in libro quinto. Tantùm advertendum est, illam fuisse magis propensam, habuisseque majorem gratiam, ad juvandas personas Religiosas, & rebus spiritualibus deditas, ut ipsas incitaret ad fervorem orationis. Libenter quoque adibat Moniales, præbitum illis ea in re auxilium: quod tanti fecit Beatissima Virgo, ut ipsi dici curaverit ea, quæ sunt relata capite quinto. Christus etiã Dominus dignatus est uti ipsius operâ, pro adducendis in Hispaniam Monialibus Sanctæ Birgitæ, instruendo illas, quomodo deberet moderari illarum Constitutiones, conferendóque ipsi mysticè earundem habitum.

Et quia charitas exorditur à suis, ac à domesticis, eam ipsa demonstravit, dum per illius industriam sunt Religionem ingressæ quinque neptes amitinæ teneræ ætatis, ac admodum inopes, præterea que aliæ quinque famulæ seu sociæ; & ex his fuêre véto, quibus illa procuravit eleemosynas sufficientes pro dote, vel obtinuit, ut susciperentur ex gratia. Hæc omnia isto loco insinuavi, quòd eorũ fiat subinde mentio in sequentibus libris.

CAPUT XXV.

Quomodo ipsi DEUS mysticè immutaverit cor, posuerítque in illo istam epigraphen: *Hic hospitatur JESUS*, déque alijs specialibus favoribus.

HOc eodem anno, quo Marina ætatis suæ attigerat quintum supra quadragesimum, DEUS illi contulit multas novas & insignes gratias, ut in suo perficeret servitio, quam sibi desponsaverat. Sic igitur ait:

§. I.

ARdebat aliquando mea anima vehementer Amore DEI, ac nihilominus habebat profundissimam cognitionem sui ipsius, dolendo summopere de suis miserijs, & existimando se in illis esse inveteratam. Cùm isto affectu repetebat sæpe illum versum Davidis: *Cor mundum crea in me DEUS, & spiritum rectum innova in visceribus meis.* Hoc per aliquot dies animo versans, agebam, *inquit*, quodam die manè collecta cum DEO, ac tum sensi miserabile corpus esse quasi derelictum à corde, neque posse præstare consueta opera, eò quòd pro ijs peragendis esset destitutum instru-

instrumento cordis, à quo illi communicatur vita. Stupens hanc novitatem, contrectavi manu sinistrum latus, ut experirer, an sentirem cor: quo non percepto, sicut solebam, magis fui mirata, & volens assumere animum, meque erigere vix poteram. Converti me ad DEUM, rogando ipsum, ut ab eo confortata surgerem, neque mihi Divina Majestas, pro sua clementia, defuit. Surrexi trahendo miserabile corpus, quasi vacuum ac derelictum à corde. Ità exegi biduum vel triduum, quo dicebam meo Confessario, cùm illi rem istam referrem: Pater, ego careo corde; unde mihi videbar vivere miraculosè. Post hos dies agens cum DEO, amansque ipsum ex tota anima mea, ac desiderans ipsi placere in omnibus meis operibus, vidi adesse Christum Dominum, qui conjecit suos Divinos oculos in me miserabilem, intuens me amanter & blandè, ac indicans, velle se mihi præstare aliquam gratiam. Hæc visio attulit meæ animæ ingens solatium, & specialem cognitionem Divinæ ac infinitæ Naturæ, illius Domini, non absque magna veneratione, quâ suspiciebam ipsius Majestatem. Et cùm illum ità intuerer ac venerarer, aspexi sacratissimas illius manus, ac vidi, quòd in ijs teneret quoddam cor, & illuminata à Domino, cognovi esse meum; quocirca attonita cum ardentissimo desiderio, ut Dominus me mihi ipsi eriperet, ac destrueret illud miserum cor, quod in suis sacratissimis manibus tenebat, incepi illi dicere, quod frequenter cum magno fervore iterabam: Annihila, mi Domine, per tuam Bonitatem istud miserabile cor, quod est adeò plenum vitijs ac miserijs; destrue illud, & fac, ut sit conforme tuæ sanctæ voluntati & beneplacito. Dominus autem me aspiciens, & audiens quid dicerem, versabat idem cor sacratis suis manibus, in iisque movebat. Et quando hoc vidi à Divina Majestate fieri, instabam ac dicebam illi: Ah, ah, mi Domine, & Bonum meum, hic in medio procul dubio latet malum, aufer illud Domine, ac destrue, per tuam Bonitatem. Hunc in modum Divina Majestas aliquamdiu versavit dictum cor intrà suas manus, dixitq; mihi: Esne modò contenta? & accedens ad me miserabilem, imposuit mihi illud in meum pectus, in conspectu oculorum meæ animæ, quæ tunc admirabilem patiebatur ecstasim: atque in eo ipso momento, quo id Dominus fecit, corpus sensit effectus cordis, resumpto vigore ac viribus, & Divina Majestas desijt videri, confortato meo spiritu, ac abundè confoto eo igne, quem in illo succenderat, ut absumerer ipsius amore, qui tantus erat, ut pro illo restinguendo opus fuerit hac tantâ & tam speciali gratiâ.

§. II.

SEd eadem gratia est progressa ulteriùs; quia postquam mundata fuit domus cordis, opus erat, ex sententia Sancti Augustini, aliquo hospite, qui illam novo modo inhabitaret, ut ipsam ditaret, ac perficeret: Post aliquod deinde tempus, dum quodam die, *inquit*, in mea collectione, peteré à DEO quàm instantissimè, & ex intimo meæ animæ, ut in illa nihil reperiretur displicens Divinis ipsius oculis, neque in corde meo remaneret quidquam aliud, imò nè vestigium ullius alterius rei, quàm Divina Majestas, & ejus beneplacitum, ità ut illi verissimè possent inscribi hæc verba: Hic non est pro ullo alio locus, quàm pro DEO, & pro ipsius sancta voluntate. Vel: hìc non hospitatur alius, neq; alius imperat, quàm DEUS, & ipsius sanctissima Voluntas: quibus & alijs ejusmodi verbis declarabam desiderium, quod habebam, dedicandi me totam DEO. Postridie vidi Christum Dominum, adstante etiam Angelo meo Custode, & præseferente ingens gaudium. Aspexit me Divina Majestas cum sua solita charitate, penetrando intimum cordis mei, cùmque viderem, quòd facto initio, in superiore illius parte, ac tum per latitudinem deorsum progrediendo, & ad ejusdem usque extremitatem exararet in ipso epigraphen, quæ erat hujusmodi: *Hic hospitatur JESUS:* sensi aliquem dolorem, tum subitò adfuit Sacratissima Virgo Domina nostra, comitantibus ipsam Sanctis duobus Patriarchis, Sancto Dominico, ac San-

Sancto Patre Nostro Ignatio: & præsente Domino, qui adhuc aderat, me sigillatim salutaverunt, mihique sunt gratulati hospitem, quem habebam in meo corde; sed Sanctus Pater Noster Ignatius, ut qui tantâ devotione coluit dulce nomen JESU, gloriatusque semper est, ipsum secum habitare, primas sibi in eo alloquio assumpsit, dicendo mihi quàm amœnissimè: Amica, & Filia mea, gratulor tibi hospitè; fruere illo nunc, & in æternum. Sanctus meus quoque Angelus Custos meritò fuit lætissimus, erat enim magna ipsius gloria, agere Custodem cordis, quod incoleret ipse JESUS. *Licèt namque maneat in justis per gratiam, in corde tamen hujus suæ famulæ manebat per gratiã specialem, quod insignivit tali inscriptione, quæ terrefaceret dæmones, ac impediret, nè in illud ingrederetur quidquam indignum tam præcelso Hospite.*

§. III.

Sed quia Hospes usque adeò liberalis, dives ac potens non potest non ditare cor, quod incolit; audiamus, quid egerit in isto, quod in suam habitationem elegerat, post multos dies à præstita illi ea gratia, quæ est exposita, quemadmodum ipsa his refert verbis: Senserat mea anima multis mensibus nova quædam & præter morem ardentia desideria, ut quantùm posset, DEUM suum ac Dominum possideret, expedita ac libera ab omnibus creaturis, & passionibus suis ac defectibus. Diligebam illum etiam ex intimo corde meo & medullitus, quæ dilectio erat fortis ut mors, ex quo interno igne se diffundebat ac propagabat ad omnia corporis membra calor quidã, & ignis ejusmodi, ut viderentur conflagrare, & consumi. Habebam pariter in illa meæ animæ abysso cognitionem mei ipsius, ut mihi continuò viderer esse affixa cruci, propter memoriam ac repræsentationem ità vivacem, sicut illam DEUS novit, ac potest in ea depingere, omnium meæ animæ miseriarum ac defectuum, non absq; extraordinaria afflictione ac dolore, quòd sit tam exosa Divinæ Majestati, dum non servit tanto Domino, neque ipsum amat, sicut ille meretur, & miserabilis creatura debet ac obligatur. Optabam quoque summè, & postulabam à DEO ex intimo corde gratiam ipsius & opem, ad eum amandum, serviendumque illi, propterea solùm quòd sit is, qui est, & id mereatur, sitque omni dignus gloriâ & laude: atque hoc modo illi supplex commendabam cõmune bonum Ecclesiæ Catholicæ, Animas Purgatorij, & necessitates omnium fidelium, atque specialiter conservationem & incrementum omnium Religionum in majore DEI obsequio. Cùm autem anima mea sic esset constituta, & interessem Sacrificio Missæ, dixi ad DEUM cum ardentissimo affectu: DEUS mi, ac bonũ meum, miserere mei, & concede mihi, ut te solum amem, præbe Domine, per temetipsum, eleemosynam huic pauperi ac miserabili; da mihi Domine, vel unicum tuum teruntiolum, quia & isto ero contenta, ac dilatabor quàm maximè. Hoc dicto, vidi Dominum juxta me, qui mihi cum tenerrimo amore dixit: Quid petis, Amica? dabo tibi, quod postulas; sed noveris, meum modicum esse multum, esse infinitum, esse totum, quod ego sum. Visne hoc? Ità, hoc vis; ego scio, & hoc petis. Extendensque suam sacratissimam manum dixit: Accipe, Amica mea, quod petis. Et cùm aspicerem sacratissimam manum Domini, vidi quòd in illa teneret pretiosissimum ac elegantissimum nummum aureum; quem ubi fuissem cum attentione, stupore, ac reverentiâ intuita, vidi designata Divinè ac mysticè in ipso esse & expressa merita Christi Domini, quorum ea moneta & sculptura omnem repræsentabat virtutem ac valorem. Quod ego non parùm admirata, tergiversabar acceptare tantum donum. Sed Dominus iterum dixit: Accipe, Amica, hoc donum ex mea manu, & custodi illud in archivo tui cordis. Tum ego considerans, quis in meo corde foret ille locus, qui à Domino appellaretur archivum, vidi intrà me ipsam amplam quandam viam, quæ tendebat ad cor, in eóque desinebat, & erat tecta quasi quibusdam glebis terræ, ac fruticetis, quibus cor videbatur quodammodo cooperi-

ri.

ri. Obstupefacta & confusissima propter hanc visionem, dixi Domino: Quid est hoc, Bonum meum, ac Domine mi? Sùntne fortè istimet mei defectus, & iniquitates mei cordis? Nequaquam, respondit mihi tunc Divina Majestas: sed vidi admirandũ in modum paulatim patefieri, & aperiri à summitate usque deorsum meum cor: cúmque aspicerem, jubente Domino, quid esset intus, vidi illud esse pulcherrimum, & habere colorem vivacissimi rubini, atq; intus in ipsius medio efformatam & expressam literis purissimè aureis, illam arcanam epigraphen, tribus descriptam lineolis (cujus jam facta est mentio) videlicet: *Hic hospitatur JESUS:* unáque admiranda dona, quibus in decursu meæ vitæ gratiosè fueram cumulata à DEO. Cùm deinde id considerans essem mihimet erepta, denuò mihi dixit Dominus: Accipe, Amica mea, ex mea manu hoc donum, quod tibi ego do; oblatúmque ità meæ animæ, & cordi, ibidem reliquit, ac posuit. Tum anima acceptavit illud Divinum donum, jubente Domino, cum quàm maxima reverentia; atque per hanc misericordiam est repleta solatio, & confortata, ac unita cum suo DEO, qui respondens meæ cogitationi, quam habueram de illa via, quæ plena erat terrâ, mihi dixit: Dic Amicæ, ubi nascitur, custoditur, & conservatur aurum purissimum, quod est omniũ præstantissimum, & gemmæ pretiosæ, nisi in mineris terræ, & conchis marinis? Ecce ità conservatur & custoditur perfectus amor DEI, & virtutes, in cineribus & glebis defectuum, ac fragilitatum naturaliũ, id quod ego providè dispono, meâ potentiâ, quæ hoc ità efficere potest: & ista est via, quam vidisti. Quo dicto, ponens super me suam sacratissimam manum, dixit: Amica mea, vale. Ego tunc provoluta ad ipsius sacratissimos pedes, dixi: Non, non, Domine, hoc non: quia re verâ te non patiar abire; mecum te oportet manere, & me tecum, per tuam gratiam, in æternum. Dominus autem mihi respondit: non, quemadmodum merebatur mea temeritas, sed secundùm suam infinitam bonitatem: sit ità, sicut dicis; & fui statim rapta in ecstasim. *Tota hæc visio abundat præclaris monitis, quæ brevitatis causâ omitto, & facilè erit ex ea elicere.*

CAPUT XXVI.

Quomodo illam DEUS corroboraverit tribus gradibus perfectæ patientiæ, pro terribilibus cruciatibus ac tormentis, quæ per reliquam vitam sustinuit.

PEr idem tempus inchoavit novo modo continuum statum admirandæ patiẽtiæ, exercitæ in tolerandis horrendis afflictionibus ac doloribus, quæ appresso quodammodo sigillo confirmat sanctitatem. Habet hæc virtus tres gradus, quorum alius est alio excellentior. Primus est, sustinere molestias æquo animo, sinè querelis vel murmurationibus, cohibito mœrore, qui propter illas naturaliter oboritur. Secundus est, optare ex animo afflictiones, quemadmodum alij exoptant consolationes, ob magnam illarum æstimationem. Sed quia ipsis ingruentibus solent intepescere desideria, & crescere timores ac tædia, tertius est, gaudere in ærumnis, & exultare gloriando (sicut ait Apostolus) in cruce Christi, & in tribulationibus, amore illius tolerãtis. In his tribus patientiæ gradibus excelluit Marina de Escobar, inter omnis generis afflictiones, quas sustinuit, ascendendo ex uno ad alium, sed non semper pari ratione. Quandoquidem tener ac suavis, & fervens DEI amor, illi interdum eam injiciebat avidiratem tolerandarum afflictionũ, ut quidquid pateretur, ipsi videretur modicum, aut nihil, tametsi re verâ esset multum, dicerétque quàm cupidissimè ad DEUM: Nemóne reperietur, qui castiget hanc bestiam?

ſtiam? *Et:* Oportet me habere manus ligatas, nè faciam, quod vellem. *Atq; aliùs illi dixit:* Mi Domine, & meum Bonum, éſtne poſſibile, quòd mihi nihil ſit pro te patiendum? *Verùm Dominus mihi reſpondit:* Ità, pateris, ſed non ſentis. *Illa verò nihilominus replicabat inquiens:* Aliquando mihi Tua Majeſtas dixit: Quid à me petiviſti, quod tibi non conceſſerim? quomodo ergo mihi non das, quod à te peto, dum tantopere deſidero, pro te pati? *Et aliâ vice illi dixit, petens ab eo afflictiones: quòd, ſi ipſe aliquid ab ea peteret, datum illi eſſet ſtatim, quàm promptiſsimè, etiam univerſa, quæ exiſtunt in cœlo & terra, ſi eſſent ipſius. Dominus autem illi reſpondit:* Nunquid ego tibi jam non concedo, quod à me petis? *Et cùm ei inſignem contuliſſet gratiam, ut eſſet illi quàm conjunctiſsima, neſciens quomodo ſe ipſi poſſet exhibere gratam, rogavit illum, ut ſibi aliquem daret, qui ſe excruciaret, tametſi eſſet diabolus. Hunc in modum manifeſtabat ſua ardentia deſideria patiendi, quámque id illi eſſet gratum, ùt conſtat ex ſuprà dictis.*

§. I.

SEd quia fervor iſte ſenſibilis, quando eſt uſque adeò vehemens, facit, ut non ſentiantur afflictiones, ſolet illum DEUS ſubtrahere ſuis electis, cujus loco ipſi dabat magnum ac heroicum deſiderium patiendi, ut ſuperiore parte ſpiritùs vinceret omnes carnis difficultates. Et hic modus deſidemndi adfert gaudium quoddam ac ſolatium internum, nec non magnam tranquillitatem animæ, ſicut experta eſt hæc famula DEI, quæ de ſe dicit: Tanta eſt, ac tam immenſa miſericordia, bonitas & ſapientia hujus magni DEI ac Domini noſtri, ut ignorem, quomodo explicem, vel eloquar id, quod agit cum mea anima: *quia licèt permitteret, ut affligeretur, & continuè ac plurimùm pateretur, adeò ut nè momento careret afflictione, tamen etiam ità illam confortabat, ac tranquillabat, & quaſi ſolabatur, reddebátque contentiſsimam omni eo, quod ipſius Majeſtas faciebat, & permittebat in illa fieri, ut in una eadémque anima invenirentur duæ res in ſpeciem oppoſitæ, quas ſolus DEUS ſuâ potentiâ, ſapientiâ & bonitate poteſt efficere & componere, videlicet turbatio, & timor, afflictio, ac dolor maximus, & aliunde ſolatiũ, ac ſumma confidentia erga DEUM, ſummúmque deſiderium patiendi, quidquid ille vellet, eique placeret, nec non magna conformitas cum ſancta ipſius voluntate. Præterea vis hujus deſiderij innititur æſtimationi patientiæ ac bonorum, quæ adfert, quã DEUS ingenerat: unde, quantum ipſa experiebatur, dicebat, per crucem operari DEUM in anima bene diſpoſita mirabiles effectus, humilitatis & cognitionis propriæ, ac Amoris DEI, nec non Divini luminis, ut cognoſcatur magnus amor, quo nos amat, & ſolicitudo ac providentia, quam habet, ut dirigat omnia noſtra opera ad majus bonum, ac profectum animarum noſtrarum, ità ut nos poſſimus excitare ad patiendum eo, quod dixit Sanctus Paulus:* Nos oportet gloriari in Cruce Domini Noſtri JESU Chriſti. *Quia ingentia bona, quæ Sanctus Apoſtolus in illa reperit, ac tam diverſimodè eſt expertus, fecerunt, ut ſic loqueretur, & quaſi fieret ſui impos, ut invitaret omnes ad iſtam gloriam, & bona Crucis. Tandem ait:* Cùm aliquando dixiſſem, non eſſe, cur manifeſtentur Confeſſario afflictiones, dolores, ac infirmitates, quas patiebar; reſpondit mihi Dominus; neſcire me, quid dicerem: finem enim ſuarum gratiarum, mihi à ſe præſtitarum, eſſe, ut paterer, quod patiebar, & omnibus abſolutas numeris gratias ac favores, eſſe, multum pati, ideóq; hoc eſſe præcipuum, quod deberem manifeſtare.

§ II.

ITà habebat diſpoſitam Dominus Marinam, quando illi ſe ſpectandum præbuit, anno milleſimo ſexcenteſimo tertio, quo attigerat quadragesimum nonum ſuæ ætatis, cùm inciperent majores ipſius cruciatus, ut illam bene pro ijs præpararet. Obierat illius Confeſſarius, Pater Petrus de Leon, vir verè Sanctus, & qui illius curam gerebat amore ſanè paterno, non tantùm quoad ſpiritualia, ſed præterea etiam quoad temporalia, quorum patiebatur penuriam. Senſit ejus mortem

tem tenerè, & magis quàm sentire potuisset jacturam cujuscunque rei in mundo: tulit illã tamen cum magna suæ voluntatis transfusione in voluntatem DEI, qui ipsam eodẽ die est plurimùm solatus: intellecto namque ejus obitu, eò quòd audivisset repetito, per intervalla, pulsu sonantem campanam Domûs Professæ, ibat ad Collegium Sancti Ambrosij, ubi ego mombar: vixdum autem egressa è sua domo, vidit Angelos ferentes animam Sancti Patris ad cœlum: quo spectaculo fuit vehementer exhilarata, ac paulò post illi est ostensus locus, quem ibi obtineret. Viditque ipsius animam tam candidam & puram, quàm si nullo unquam fuisset lethali peccato contaminata: gloria verò, quâ perfruebatur, erat ea, quam fuerat assecutus suis bonis operibus, & laude dignis laboribus, tolerantis absque repugnantia, & impedimentis, cum quibus illam alij Sancti promeruerunt, vincendo difficultates, ac decertando cum hostibus: fuerat enim præditus naturali quadam mansuetudine, affabilitate, ac suavitate, ut videretur omnino carere passionibus.

Postquam redijsset domum, accidit illi, ut inter orandum videret id, quod sequitur: Dum die Commemorationis omnium fidelium defunctorum manè, mea anima agens cum DEO, majorem in modum lætaretur, quòd Divina Majestas mihi dignata fuisset præbere occasionem, ut ipsi offerrem libenter & fortiter summum, quod illi poteram offerre, & susceperam ex ejus manu, utpote meum Confessarium, & Patrem Spiritualem Patrẽ Petrum de Leon, qui eo die ex hac vita migraverat, anno 1603 (Cæterùm enim mihi DEUS eam ex mera sua bonitate & clementia præstiterat gratiam, ut quidquid non est Divina Majestas, conculcarem pedibus) ità, gaudens dicebam DEO, quantùm boni mihi Divina Majestas contulisset, quantásque ipsi agerem gratias, pro tanto beneficio, eò quòd mihi fidisset, ac obtulisset illam non exiguam crucem, relinquendo me quasi solam, dependentẽ tantùm ab ipso. Interea conspexi Christum Dominum, stipatum sanctis Angelis, cum magna majestate ac pompa. Ferebat verò, tum ipse, tum quisq; Sanctorum, crucem ex collo pendulam, quæ erat ex purissimo auro, ità ut videretur agi Festum Crucis. Statim autem ac mihi Dominus exhibuit hoc mysterium, relicto ipso, confugi ad DEUM, postulando ab eo (sicut semper soleo) sanctum ipsius lumen, ut nè aberrarem ab illius veritatibus, ac sancta voluntate. Post hoc mihi dixit Dominus cum tenerrimo amore: Quid est, Amica? quasi diceret: Unde venis? Deinde addidit Divina Majestas: Dic, agè, visne hodie apud me agere hospitem? visne mecum cibum sumere? Ego indigna tantâ gratiâ, hoc audito, erubui quàm maximè, ac silui. Sed Majestas gravissimi illius Domini, animadversâ meâ verecundiâ, applicuit suam sanctam manum suo sacro pectori, dixitque quàm amantissimè: Mecum, mecum, te volo cibum sumere, Amica. Tum videns esse eam voluntatem DEI, dixi me libenter velle; & fuit subitò, jubente Domino, crux meo collo appensa, à duobus sanctis Angelis; alios autem vidi magnâ diligentiâ præparantes in loco, ubi postea communicavi, in templo Societatis, opiparam mensam, præsente Domino. Semper autem assistebant cum magna reverentia Sancti Angeli Crucigeri, quos vidi combinantes ac texentes floridissimam & elegantissimam coronam, quam intellexi parari pro me, quæ non eram promerita istam gratiam. Mea igitur anima videns hæc mysteria & miracula, erat abrepta, & stupebat nesciens, neque intelligens, quid ageretur. Tum mihi id manifestavit Dominus, dixitque: Pervenisti jam, Amica, ad promerendam coronam Crucis, quam tibi obtuli: quia postquam superavisti duos perfectæ patientiæ gradus, qui sunt, ferre patienter tribulationes & crucem, atque etiam illam desiderare amore mei, conscendisti tertium, qui est, gaudere in illis: ideóque tibi dabitur, & imponetur hæc pretiosa corona, quæ pro te facta est, & hîc mysticè efformata. Quia verò principium & causa valoris, quem illa crux habebat, unáque omnium bonorum, quæ obtingunt quibuslibet creaturis, fuerant merita meæ Crucis, per quam, & in qua habent valorem,

valorem, ac pretium cæteræ propter me toleratæ, idcirco meritò hoc festum potest appellari Festum Crucis: ad quod significandum volui, ut ego, ac tu, unàque mei Angeli in hoc Festo assumeremus insigne ac tesseram Crucis. Deinde præcepit Angelis, qui ordinariè opem ferunt meæ debilitati, ut me erigerent; quod ipsi subitò præstiterunt, modicùm me adlaborante, sicut aliàs, ut poteram. Tum me contuli ad templum, ubi paulò antè, quàm adesset tempus sumendi Christi Domini, vidi sacram mensam, de qua sum loquuta, cui assistebant reverenter Angeli. Verùm ego peccatrix, propter ecstasim, quam mea anima patiebatur in ea visione, quando mihi erat eundũ ad suscipiendum Dominum, me non potui movere, ideóque venerunt Sancti Angeli ad me juvandam, & accessi ad altare; ubi dum Sacerdos cum sanctissima hostia conversus ad populum diceret: ECCE AGNUS DEI, conspexi Christum Dominum assidentem illi opiparæ mensæ, cum quibusdam ex illis Angelis, qui erant instar convivarum, alijs reverenter assistentibus ac ministrantibus supremo illi Domino; quos ipse etiam invitavit ad mensam, deditque illis cibum tam mysticum ac Divinum, ut nulla lingua possit eloqui, vel explicare ipsius præstantiam ac bona, quæ in eo reperiebantur, siquidem ipsemet DEUS se in illa mensa præbebat sumendum, quod ego stupebam. Interea verò quando Sacerdos venit ad me cum sanctissima Hostia, quod ego vix potui advertere, cùm essem adeò abrepta, extendit Christus Dominus suam sacratissimam manum, deditque mihi illum Divinum cibum ac bolum, quem mysticè sumebam, & quo alebat ac sustentabat illos beatos spiritus, quibus ipsum porrigebat, & communicabat; ac tum Dominus circumdatus ab ijs Angelis, qui illũ honorabant, ac adorabant, conjectis in me oculis, surrexit: & sic fuit finitum illud mysterium.

§. III.

Sed juvat ponderare præcipuum mysteriũ ac secretum, quod convivium usque adeò beatum significabat, per insignia crucis: hæc enim ipsi insuper indicabant conjunctionem eximiarum gratiarum, cum magnis doloribus, quos tunc novo modo incipiebat tolerare. Siquidem postquam esset jam armata hâc patientiâ, incepit DEUS satisfacere illius desideryis, exercendo ipsam diversimodis doloribus, cruciatibus ac tormentis, partim per se ipsum, & per suos sanctos Angelos, partim per dæmones effematos ipsius hostes, concessa ys idcirco majori facultate, adeò ut illius cubicellum, quod propè continuè infirma ac lecto affixa inhabitavit ultra viginti annos, etiamsi indè quidem esset quasi paradisus deliciarum cœlestium, & adumbrata quædam beatitudo instar cœli empyrei, eò quòd in eo semper reperirentur Angeli vel Sancti, qui veniebant ad illam invisendam, cum supremo Rege vel Regina Universorum; aliunde tamen fuerit instar angusti & luctuosi carceris, ac velut theatrum, & locus supplicij, ubi nunquam deerant cruces, unci, sagittæ, ignes, bestiæ, & alia instrumenta, pro ipsa excarnificanda. Quamvis autem id fieret per species & repræsentationes, quas Angeli boni & mali spiritualiter imprimebant ipsius animæ: tamen adeò altembant, & perturbabant humores, ut gravissimis afficerent corpus doloribus. Propterea sancti Angeli sæpe illam appellaverunt martyrem Domini: cui appellationi conforme est, quod ipsa narrat in hæc verba:

Dum quadam die ità essem doloribus oppressa, ut mihi videretur dolere cor, haberéque me putarem intrà corpus quodpiam vivens, à quo exederetur: apparuit mihi Sanctissima Virgo, & cum magna commiseratione mihi dixit: Soror, quid habes, quòd sis adeò afflicta? Domina mea animæ meæ, ajebam ego, videor mihi habere intrà corpus aliquod vivens, quod mihi cor exedit; si tibi placet, exime illud indè. Sanctissima Virgo respondit: Non habes, soror, non est hoc: sed est gladius doloris, qui tuum cor penetrat. Cui ego: Quomodo ergo, Domina mea, si habeo in corde meo Dominum, & hospitatur in illo JESUS, sicut mihi fuit dictum:

dictum; & ego scio, potest in ipso esse gladius, qui illud pertranseat? Ità soror (dixit sanctissima Virgo) hoc minimè repugnat, imò ubi hospitatur JESUS, ibi quoque est Crux; & filius meus illam habuit toto tempore, quo vixit in mundo: atque ego similiter, ex quo eum genui, illâ nunquam carui: quæ fuit tanta, ut vos non possitis scire, aut cognoscere ipsius gravitatem. *Veritas hujus responsi apparebit ex ijs, quæ incipiemus referre in sequentibus capitibus.*

CAPUT XXVII.

Quomodo DEUS cordi ipsius inseruerit internam crucem, & capiti coronam spineam, similitérque vulneraverit illius manus, pedes, ac latus.

Sub finem ejusdem anni, quo quadragesimum quintum suæ ætatis numerabat, in festis Nativitatis, & Circumcisionis, anno 1599. & millesimo, sexcentesimo, Dominus jecit fundamenta pro continuis exercitijs sustinendorum ingentium dolorũ, ac terribilium afflictionum, quibus ipsam decrevent probare ac perficere, imprimendo illi internè, ità ut non adverterentur exteriùs insignia suæ passionis, cum magno dolore, & modo admirabilissimo, quem, utpote extraordinarium, descripsit fusiùs, aperiendo se Confessarijs, hac ratione.

§. I.

TAntus est amor, quo DEUS prosequitur suas creaturas, ac tam sublimia sunt opera, & incomprehensibilia judicia ipsius Sapientiæ, quæ in illis operatur, ut me reddant attonitam, ac obstupefaciant, neque illa possim intellectu percipere, vel verbis explicare; adeóque ex magnitudine ipsius operum, quæ peragit in ista sua vilissima creatura, & contemptibilissima omnium, quas habet Divina ejus Majestas, id solum mihi remanet, quod ipse mihi relinquit, atque etiam liberaliter donat; & est clarissima cognitio magnæ meæ miseriæ, quámque nihil valeam ac possim; siquidem per talia opera & gratias non proficio, neque scio mandare executioni, vehementia placendi ipsi ac serviendi desideria, quæ Divina Majestas indidit meæ animæ. Ut omnes videant quàm id mihi meritò esset faciendum, & quàm simus omnes obligati idcirco honorare ac amare hunc Dominum nostrum, qui talia in nobis operatur, illique servire omnibus viribus nostris, referam, quod mihi his diebus accidit. Quia etiamsi hæc opera sint in singulis diversa, adeò tamen bene cuiq; conveniunt, sùntq; ità accommodata, ac proportionata cujuslibet indigentiæ ac genio, ut nulla alia possint cuiquam meliùs congruere, atque adaptari singulorum necessitati, ac aptitudini. Atque ità, ea quæ Divina Majestas operatur in quolibet, sunt ejusmodi, quæ unusquisque debet velle & desiderare, ac æstimare, & quibuscum tenetur amare, honorare, ac revereri hunc Dominum; eadem siquidem bona vult hac viâ ipsius animæ, quæ aliâ viâ alteri.

Postquam igitur mihi DEUS indidisset ingens desiderium amore sui aliquid patiendi, ex doloribus, quos ipse pertulit in Cruce; aliquando manè collecta more solito, vidi Christum Dominum, cujus aspectu mea anima fuit vehementer recreata, & aspiciebam illum cum omni reverentia, quâ poteram. Intereà mihi dixit Divina Majestas: Volo tibi aliquid dare, quod te plurimùm consolabitur, ac recreabit. Expectavi modicùm, ut viderem, quid mihi Divina Majestas vellet dare; & paulò pòst conspexi in sacratissima manu Christi JESU Domini Nostri crucem elegantissimã ac pretiosissimam, cujus magnitudo & longitudo adæquabat spithamam. Et monstrando mihi ipsam Divina Majestas, dixit

ad me: Visne hanc tam elegantem crucem? Tum ego illam sum contemplata diutissimè, & placuit mihi summopere, dixique quàm promptissimè & cupidissimè, ut eam mihi Divina Majestas daret: Ità, Domine. Divina verò Majestas subjunxit: Sit ità, licet, dabo illam isti tuo Angelo Custodi, ut tibi ipsam asservet. At ego dixi: Hoc non, Domine. Nolo, si tu id jubes, ut illam des, aut tradas ulli alteri, quàm mihi. Et Dominus: Dic ergo, ajebat, ubi tibi eam velis poni? Respondi: Hic Domine, suprà meum cor. Accessitque Divina ipsius Majestas, & posuit mihi illam supra cor, ibique reliquit. Et quando mihi ipsam imposuit, sensi dolorem, qui adeò penetrabat animam, ut præ illius vehementia diu gemerem ac suspirarem: percipiebam verò supra cor eum dolorem & molestiam ex Cruce, quam in ipso gerebam, ut illud frequenter manu attrectarè, quia mihi videbatur non posse fieri, quin illam sentirem exteriùs. Nesciebam, utrùm cum eo dolore ac obstaculo crucis me possem vestire, & induere togam. Post hoc Dominus ostendens se mihi compati, discessit: & ego semper sentiebam crucem in corde, cum eadem afflictione ac dolore, licèt quibusdam diebus ampliùs, quàm alijs. Alio die placuit DEO, ut meam animam occuparet summus dolor, & cruciatus, unà cum profundissima cognitione mei ipsius; quæ me ità affligebat & angebat, ut vix mihi viderer habere vires pro toleranda ea cruce, & sic magna ex parte fuerunt debilitatæ vires mei corporis.

§. II.

E Lapsis aliquot diebus, atque biduo post Festũ Circumcisionis, aliquando manè agens cum DEO, vidi Sanctissimum puerum JESUM, in brachijs suæ Sacratissimæ Matris, qui amplexabatur quandam elegantissimam & inauratã Crucem, quæ circiter ulnæ habebat longitudinem. Dum autem illum cum ea cruce contemplarer, cœpi tenerescere, & lacrymari, dicendo ipsi: Meum Bonum, & mi Domine, video, quòd ex hoc tempore amplectaris Crucem, quia cùm esses infans octo dierum, incepisti profundere tuum pretiosum sanguinem pro nobis. Divina autem Majestas mihi dixit: Si ex eo tempore incepi profundere sanguinem, quid tibi videtur? Aspiciebam diu Sanctissimũ Puerum, & Sanctissimam ejus Matrem, cum tanto meæ animæ solatio, ut non possem ab illo avertere oculos; & timebã nè abiret, me non animadvertente. Cùm me Sanctissimus infans videret ità aspicientem, dixit mihi: Noli timere, ut tam citò abeam; volo enim hîc tecum manere, usque ad horam septimam; erat autem tunc quarta. Unâ horâ pòst, prorsus ex improviso, & me non cogitante, quid Divina Majestas esset factura, vidi derepente, nullo mihi à quoquam dicto verbo (quemadmodum DEUS solet in similibus agere) fuisse impositam meo capiti coronam spineam, quæ mihi attulit dolorem ac afflictionem internam penitus insolitam, adeò redundantem in ipsum caput corporeum, ut illud non possem movere, nec vertere, neque inclinare, præ ingenti dolore, quem propter illas spinas sentiebam; & aliunde ità fui consternata his Divinæ Sapientiæ ac Bonitatis operibus, ut vix possem ad me redire. Paulò pòst mihi dixit Christus Dominus: Dic mihi, visne, ut etiam in tuis manibus imprimam vulnera? Dum hoc audirem dici à Divina Majestate, subitò respondi quàm determinatissimè, ac dixi: Non Domine, non Domine: nullâ ratione volo, ut sic mecum agas, vel ut in me aliquid simile opereris, aut me in hoc similem reddas illis sanctis animabus, quæ excellentes præclarissimis virtutibus, tibi serviverunt, cum tanta vitæ perfectione. Idcirco destitit Divina Majestas, videns me ità repugnantem, nec mihi tunc voluit vim inferre; dixit mihi tamen: Propterea tibi nihil fuit dictum, quando tibi est imposita corona spinea, nè illius impositioni eodem modo resisteres. Hoc dicto, sanctissimus Puer JESUS mansit apud me satis diu, complectens suam Crucem, solo brachio sinistro, & in capite Crucis erat corona spinea coloris viridis. Tenebat illum sanctissima ipsius Mater in suis bra-

brachijs cum magna reverentia, & quando illum intuebatur suis sacratissimis & speciosis oculis, faciebat id quàm amabilissimè ac reverentissimè, & cum quadam cœlesti modestia. Ego non poteram abstrahere oculos ab illo, & eram solicita, ut viderem, quando esset abiturus. Sed ipse mihi dixit: Nè sis solicita, neque te affligas, quia non abibo tam citò; necdum enim est executioni mandatum, quod mihi tecum est conficiendum. Atque paulò pòst Dominus in dicta specie parvuli, sed absque Cruce, quam priùs habuerat, ad me accessit quàm amantissimè, strinxitque me brachijs stantem cum omni mihi possibili reverentia, vestitam & coopertam velo, atq; capite redimito coronâ spineâ, & vultu vehementer inflammato, nec non cum Cruce, quam mihi Dominus dederat, ac posuerat supra cor. Ex quibus omnibus fiebat, ut sentirem afflictionem & dolorem internum, quem novit Dominus, adeò ut mihi viderer quasi crucifixa; nec enim me poteram movere; videbámque me ipsam tam clarè, quàm si me intuerer in speculo clarissimo, & nitidissimo; & consternabar, videns me tam insolito modo cóstitutam.

§. III.

COmpleto hoc opere Dominus mihi valedicens desijt videri, & ego toto illo die ac nocte sensi afflictionem ac dolorem internum, de quo dixi. Interdum autem contrectabam caput manu, ut animadverterem, an aliquid fortè notaretur exteriùs de eo, quod sentiebam internè: contremiscebam enim ad ea, quæ comparent extrinsecus. Postea horâ septimâ noctis, cùm essem more solito in mea collectione, postquam comparuissem coram Domino, dixit mihi Divina Majestas hæc verba: (quamvis me vehementer pudeat illa scribere) Filia mea, & Amica mea, plurimùm mihi ità places, cum isto vestitu, & novis insignibus, quæ ego tibi dedi. Tum conjeci oculos in Divinam Majestatem, & mea anima, nullo à me ipsi dicto verbo incepit exardescere amore sui dulcissimi ac dilecti Domini, qui ipsam tam amanter, talibus verbis fuerat alloquutus; cùm sim indignissima, & miserabilissima omnium creaturarum. Postridie manè eâdem horâ, quâ mihi pridie fuerat apposita illa corona, cùm essem collecta, quemadmodum soleo, vidi eandem coronam, quam tanto cum dolore gestabam in capite, floruisse, ac produxisse quosdam flores elegantissimos, & gratiosissimos. Terrefacta, ac attonita illo prodigio, movi caput, ut experirer an sentirem illum dolorem, quem priùs; & adverti non esse tantum, nec talem, sed multò minorem, ac deinde me convertens ad Dominum, dixi illi: Mi Domine, quid est hoc? quales flores sunt isti, qui effloruerunt in ista corona spinea? Respondit mihi Divina Majestas: Isti sunt flores meritorum, quæ tibi doloribus, quos propter spinas hujus coronæ es passa, comparavisti; adeò ut, sicut ex corona spinea, quæ fuit imposita meo capiti, enati sunt tot ac tam Divini flores meritorum universo humano generi, & mihi; ità ex eo, quod pro te es merita, per dolorem & afflictionem, quam tibi corona hæc attulit, orti sunt hi flores, quos vides. Iidem tibi etiam multùm proderunt, téque recreabunt, ut non sentias tantum dolorem, ità enim ego statui, ut possis hac ratione durare, & conservare tuas modicas vires. Post tempus meæ collectionis, sensi magis sublevatum caput, & retinui in ipso illam floridam coronam spineam, nec non meâ Crucem infixam cordi. Placuit nihilominus Domino, suscitare in mea anima aliam internam crucem, quæ duravit biduo vel triduo, ortam per infinitam ipsius Sapientiam, ex profunda mei ipsius cognitione, quæ me vehementer affligebat. *De ista cruce jam actũ est in capite quinto & sexto.*

§. IV.

ELapso uno, alteróve die ab eo, quod evenisse dictum est, dum manè agerem cum Domino, rursum mihi dixit: Vísne consentire in id, quod tibi dixi nuper? vísne, ut tuæ manus vulnerentur? Ego subitò respondi, sicut primâ vice, valde definitè ac seriò: Non, Domine, nullo

modo, nequaquam Domine; nec minima hujus rei facienda est mentio. Audivit Dominus, quod à me dicebatur cum illo firmo proposito, & siluit, neque mihi tum quidquam dixit: paulò post mihi denuò, cum quadam determinatione, quasi in me facturus, quod ipse vellet, dixit: Veni huc, visne, quod tibi dixi? atque tunc ego reposui: Non vellem Domine ullâ ratione; sed quia animadvertebam decrevisse Dominum id facere, dixi illi teneriùs, & submissiùs, ac plurimùm dolens de eo, quod sua Majestas volebat peragere in isto miserabili & fragili limo: Quomodo verò Domine, debeo in rem hujusmodi consentire? Non, Domine, si ità jubes. Quo pacto enim, mi Domine, vis me miserabilem parem facere Sancto Francisco? Quis hoc toleret? dum id dicerem, timebam aliquantùm, nè propter tantam pertinaciâ mihi responderet, ut sancto Petro, quando nolebat permittere lavari sibi pedes. Verùm non ità mihi respondit, ex sua bonitate; & quia cognoscebat meam miseriam; sed demittendo suos sacratissimos oculos cum summa gravitate dixit: Tace modò, quia non intelligis, quid agam. Dum hoc Divina Majestas diceret, incipiebam sentire cruciatum ac dolorem internum in manibus: atque tunc incepi timere, advertendo & sentiendo illud tam singulare & extraordinarium opus DEI, & conquerebar Divinæ Majestati, dicendo ipsi: Quid facis, mi Domine? miserere mei miserabilis & maximæ peccatricis, doce me amare te, & quærere omnibus meis viribus, ac totâ animâ meâ: quia hoc unicum est, quod volo, & quæro. Post istam collectionem habui manus jam intrinsecùs vulneratas, tametsi necdum esset completum illud opus, & fui usque adeò consternata ac attonita, propter illam tantam novitatem, ut mihi viderer non esse præsens. Optabam autem unicè dependere à Domino, invocando ipsum, & implorando semper ejus gratiam, ac auxilium, ut in omnibus illi placerem.

Postquam istud eo die accidisset, dum sequenti manè agerem cum DEO, more solito complevit ejusdem Majestas vulnerum impressionem, in istis miserabilibus manibus: quo tempore sentiebam ingentem in illis molestiam ac dolorem internũ, & conquerebar vehementer Divinæ Majestati; ac timendo meam magnam miseriam, dicebam ut consideraret, me esse indignissimam tali opere, talique misericordiâ, & me esse limum, ac vas fragile, non continens fideliter liquorem illi infusum; atq; reponere ipsum dona sua in meis manibus, esse idem, ac vas aliquod vitreum valde elegans & pretiosum committere manibus parvi infantis, ideóque me juvaret Divina Majestas, méque respiceret oculis suæ misericordiæ, ut illi ità complacerem, redderérque securior. Absoluto opere, quod Dominus peregit in meis miserabilibus manibus, retinui in medio illarũ interna vulnera, quia in ea parte specialiùs sentiebantur, & sensi in ipsis prorsus singularem dolorem, & cruciatum, non solùm internum, sed etiam externum; adeò ut ipsa caro præberet verum testimonium ejus, quod fiebat internè, & pellis ac volæ manuum evaderent, essentque tam sensitivæ ac delicatæ, ut interdum in quibusdam partibus tantopere prurirent, ut videretur indè erupturus sanguis, quod me multò magis consternabat, & obstupefaciebat, quàm primâ vice. Gratias interim agebam DEO pro omnibus ipsius admirandis operibus, eò quòd Divinæ Majestati placuisset, pro meo solatio facere, ut per signa adeò manifesta doloris, agnoscerem id, quod Divina Majestas in me internè operabatur.

§. V.

ALio die, tempore matutino, dum, sicut soleo, agerem cum DEO, incepi derepente sentire in pedibus illam molestiam ac dolorem, quem senseram in manibus, quando in illis Dominus impressit vulnera; & statim vidi, ac sensi, quod à Divina Majestate, jam in ipsis essent impressa vulnera, sicut in manibus, relictis ibi internis eorum signis. Postridie manè, dum similiter agerem cum Domino, complevit impressionem vulnerum in pedibus, in quibus habebam quædam interna

na foramina, quæ utrinq; transibant pedes. Et quamvis statim exterior dolor non fuerit tantus, neque signa exteriora, qualia erant manuum; fuerunt tamen postea, erántque plantæ pedum tam sensitivæ, & pellis illarum tam tenera, ut non potuerim ipsis insistere sinè molestia; quod semper durat, sicut in manibus. Post hoc subitò incepi sentire dolorem in corde, & in latere sinistro, dixitque mihi Dominus quàm amantissimè: Quomodo tecum agitur? quomodo vales? Quando id audivi dici à Divina Majestate, fuit mea anima repleta quàm maximo ipsius amore, cum quo illi respondi: Quomodo valeam, dicis, meum Bonum, ac mi Domine? ut tibi obediam, faciásque de me, quidquid volueris, tibiq; visum fuerit. Paulò pòst circumspiciens oculis animæ, vidi utrumque meum latus stipari à quibusdam sanctis Angelis, mirum in modum speciosis, qui elevantes, ut mihi videbatur, hoc miserabile corpus, dicebant altâ voce, & cantando hæc verba (quæ cum magna mea mortificatione scribo, ac tantùm refero, ut obediam DEO, & in hoc exequar ipsius voluntatem, atque ut cognoscantur opera Bonitatis ejus, & Sapientiæ) ostendentes mirari se vehemèter, & specialiter amare, ac honorare istam miserabilem creaturam, propter suum illum Dominum, qui ipsam ex infinita sua Bonitate & Sapientia suis manibus signaverat; dicebant, inquam: Hæc est serva, & sponsa magni Domini, hæc est illa, cui Divina Majestas contulit tesseras & insignia sua: contemplemur illam, ut talem. Ego miserabilis hoc audito fui consternata, & obstupui, tacens, neque sciens, quid mihi esset dicendum. Alioquin enim ignoro, quid respondissem illo aucta honore, qui exhibebatur isti miserabili fimeto, quod eo erat prorsus indignum: siquidem nunc, dum illum describo, & cognosco meam miseriam ac indignitatem, lachrymor, & ex animo doleo.

Postridie manè, dum agerem cum Domino, est absoluta impressio vulneris in corde, & sinistro latere, quæ pridie fuerat inchoata, remanente ibidem ipsius signo impresso, sicut in reliquis partibus. Atque ista impressio non attulit tantùm exteriorem dolorem, quantum sensi in alijs, quia ità constituerat, & providerat misericordia DEI, eò quòd illa pars cordis sit adeò delicata, & sensitiva, in hac miserabili creatura, ex quo ipsi fuit manu Divinæ Majestatis inserta illa Crux. Experta sum tamen deinceps majorem dolorem ac molestiam in ea parte, quàm anteà. Sequenti die manè agens cum DEO, more consueto, vidi & sensi, quòd ex vulneribus manuum fluxerit, quasi ex totidem canalibus, sanguis, qui descendens per brachia, ac afficiens speciali molestiâ & dolore eadem brachia, se cum eadem afflictione & dolore diffundebat per totum corpus, quod usquequaque erat tanquam vulneratum & concisum. Post hoc mihi dixit Dominus, acsi me vellet consolari, & satisfacere præteritis meis timoribus: Jam est consummatum opus, quomodo vales? Jámne es contenta eo, quod tantopere timebas? Audivi, quod mihi à Divina Majestate erat dictum, & ingens indè percepi solatium: atque ità fuit finitum tempus meæ collectionis.

CAPUT XXVIII.

De colloquijs, quæ Christus Dominus cum illa instituit, de impressione istorum vulnerum, & quomodo ipsi donaverit pretiosa cimelia, propter dolores, quos in ijs sustinuerat.

His

HIs peractis, dum alio die conversarer cum Domino, & cognoscerem, atque expenderem extraordinaria opera, quæ Sua Majestas in ista miserabili creatura sua peregerat, quæsivi ex illo, quare id fecisset; non ex curiositate, vel desiderio sciendi fines infinitæ ipsius sapientiæ, sed quia Divina Majestas mihi facit potestatem similia sciscitandi. Respondit mihi Divina Majestas, ac dixit: Causa facti, de quo interrogas, fuit mea voluntas, quod tibi nunc scire sufficiat.

§. I.

ALio die, similiter agens cum DEO, fui recordata, me non vidisse, quomodo peregerit illud opus, præterquàm quòd mihi certò constet esse peractum, ac senserim quod scripsi, & incessit me desiderium id sciendi. Interrogavi itaq; Divinam Majestatem, ut mihi diceret, pro sua bonitate, modum, quo illud fecerit: Dicebat enim, eum mihi tunc à se non fuisse manifestatum, quòd ità fieri oportuerit, propter meum timorem, ac imbecillitatem, quemadmodum consuevit facere bonus Medicus, vel Chirurgus, dum occultat instrumentum, quo constituit curare infirmum. Audivit Divina Majestas, quod ego miserabilis illum percunctabar, & respondit mihi statim quàm affabilissimè: Dicam tibi id, de quo quæris, quàm libentissimè. Petis enim hoc meritò. Ecce, ex vulneribus mearum manuum; & ex virtute eorum dolorum, quos in illis sum perpessus, prodiverunt radij, qui contingendo suis cuspidibus illas partes, in quibus tibi obtigit ea impressio, inflixerunt & impresserunt illa vulnera, quæ in ipsis habes. Atque hoc dicendo, exhibebat mihi Divina Majestas sacratissima sua vulnera, & radios, qui ex ijs prodierunt, quando peregit illud opus, acsi tunc fieret, erántq; illi Divini radij, tanquam radij cujusdam Divini Solis, inaurati obrizo auro cœlesti, & suavissimo igne flagrantis, qui erat magnæ virtutis, & vehementer splendebat, coruscabátque luce clarissimâ, divinissimâ, ac fulgidissimâ, quæ recreabat, & consolabatur vehementer visum intuentis ipsâ animæ.

§. II.

POst hoc mihi etiam dixit: Pro remunerandis doloribus, & molestia, quam es perpessa in eo opere, quod in te peregi, volo tibi dare cimelium elegantissimum, & pretiosissimum, allaturum tibi multum boni, gaudij ac solatij. Quamvis autem mihi non dixerit clarè, quale cimelium ac donum esset; intellexi tamen optimè, esse elegantem quandam vestem interiorem ab ipso confectam: ideóque illi statim respondi, cùm mea anima arderet, ac tota ejus amore flagraret: Quid dicis, meum Bonum, & Domine mi? quid mihi vis dare in compensationem dolorum, quos pro te toleravi? Ego nihil volo, Bonum meú, & Domine mi, ac Spes mea. Quod à te vellem, quódque meum cor & anima diu noctúque suspirans desiderat, ac enixissimè exoptat, est, ut si quid minimi obsequij tibi exhibui per annos vitæ meæ, concedas mihi pro tua bonitate, ut te verè amem, & quæram, ac possideam, quantumcunque possum. Hoc est, quod ego à te volo, atque ista est gratia, quam cupio obtinere à tua clementia, & nihil aliud: neq; est quidquam, quod me satiet, mihíque satisfaciat, vel expleat sinum mei desiderij. Ac proinde, Domine, cogito, tuâ gratiâ adjuvante, nunquam separari à te, sed perseverare in pulsandis foribus tuæ misericordiæ, quia promisisti tuam gratiam, & auxilium omnibus, qui te invocaverint, & in te speraverint. Postquam cessavissem hæc & alia hujusmodi dicere Divinæ Majestati, adeò animitus flagrans Divino ejus amore, ut vix mihi viderer intelligere, vel scire, quid dicerem, respondit mihi Sua Majestas, pro illa infinita bonitate: sit igitur ità, mane hîc, & pete, quidquid volueris, qùia omnia tibi promptè dabuntur. Audivi hoc dictum Divinæ Majestatis, ob quod mea anima longè magis exarsit Divino ipsius amore, unde quasi impos mei, cum illa vehementia amoris respondi subitò: Ego simili-

militer quidquid habeo, tibi do, & offero quàm libentissimè, tua est mea anima, & mea vita, omnésque motus illius tibi dono, & offero, nec non meam voluntatem ac vires meas, & cor meum. Deinde reddita mihi ipsi, dicebam ad me: Scisne, quid dicas? quid habes, quod des tuo Domino, fimetum sordidum & abominabile? quid habes, quod ipsi des, ut illi sit gratum, & non moveat ipsi nauseam? habésne fortè aliquid, quod ab illo non acceperis? atque si hoc ipsi vis reddere, ità illud defœdavisti, & replevisti sordibus, ac miserijs, ut illi non possit esse gratum, & placere. Dum ità hinc flagrarem amore DEI, inde verò immersa essem isti cognitioni, meæ miseriæ ac vilitatis, respondit Divina Majestas ac dixit: sit ità; sum contentus, da mihi quod habes: quia licèt, ùt tu dicis, des tanquam pauper, parùm, si comparetur cum eo, quod ego tibi do, ac dabo, das tamen quidquid habes, & nihil à te ampliùs exigo. Ego verò tanquam dives ac potens tibi volo dare, & do ideò, ac propter meam bonitatem, quidquid habeo, quia tibi do me ipsum; nam quisque debet dare se talem, qualis est, & quidquid habet. Audivi, quod mihi Divina Majestas dixit; & hoc erat injicere accensas prunas in ignem ardentem, eo namque modo incendebant, & inflammabant ampliùs meam animam omnia illa dicta, ac Divina cum ipsa conversatio. Finito isto colloquio, & conversatione animæ cum suo DEO, contuli me ad templum, ubi suscepi Divinam Majestatem in sanctissimo Sacramento, & post sumptam sacram Hostiam sensi, quòd sanctissimus Puer JESUS, speciosior omnibus creaturis cœli ac terræ, complexus fuerit meam animam, qui sacratissimus Dominus mansit taliter in me per mediæ horæ spatium, cum magno meo solatio, quod ego vehementer obstupui. Post biduum, ùt mihi videtur, dum manè agerem cum DEO, revocavit mihi in memoriam Divina Majestas suum promissum de cimelio, atque tunc vidi derepentè ex illa corona spinea, quæ fuerat imposita meo capiti, profluentem & manantem sanguinem, qui dispersus per dorsum & humeros, perveniebat usque ad medietatem corporis, defluebátque etiam aliquid per frontem. Fui consternata, ac obstupui talia opera DEI, & cùm viderem illum sanguinem defluentem per frontem, timens nè allquo modo perderem usum oculorum, rogavi Dominum, ut, si ei placeret, non perveniret ad ipsos ille sanguis; nè impedirer, quò minùs possem exequi pertinentia ad ipsius obsequium. Et sic fecit Divina Majestas propter suam infinitam bonitatem, nè ad illos pertingeret. Eram attonita, dum aspicerem illum sanguinem, qui ex meo capite fluebat, ac dicebam intrà me: Quid est hoc, Bonum meum, & Domine mi? Hócne fortè est cimelium, de quo mihi es loquutus? Dum isti considerationi insisterem, vidi illum sanguinem, qui se diffuderat per meum dorsum & humeros, sicut dixi, conversum esse in velum Attalicæ pretiosissimæ, & contextæ ex splendidissimo ac purissimo auro, quod exhilarabat animam: ac deinde etiam vidi dorsum meú ac humeros coopertos elegantissimo ac pretiosissimo pallio, quod similiter ex elegantissima erat & pretiosissima Attalica, cõfecta, & contexta ex purissimo auro, intermixtis filis coloris cærulei, qui recreabat & solabatur visum animæ; prætereáq; totum erat exornatum ac distinctum multis & varijs gemmis pretiosis, multo splendore coruscantibus. Fuit etiam collo meo impositum præclarissimum monile, ex grandi & pretiosissimo lapide ejus quantitatis & magnitudinis, cujus est vola manûs. Deinde mihi dixit Christus Dominus: Contemplare te modò, quid tibi videtur de isto vestitu, & monili, quod tibi dedi? tum ego miserabilis & indigna tantis favoribus, contemplabar & considerabam me à pedibus ad caput ità ornatam, sicut me Dominus vestiverat, & exornaverat, acsi me intuerer in lucidissimo aliquo & purissimo speculo, erámque absorpta ac attonita, quòd me taliter viderem constitutam; & mea anima tota ardebat amore illius Domini, qui operabatur tam mirabilia in ista miserabili creatura, atq; hoc modo mansi ornata, donec manè refecta fuissem epulo Eucharistico, quem ornatum etiamnum

 possi-

possideo, & habeo depositum apud meum Angelum Custodem.

§. III.

POst triduum deinde, vel quatriduú, cùm manè essem collecta, more solito, elevavi oculos animæ, & vidi adesse Sacratissimam Virginem Dominam Nostrã, quæ mihi dixit: Ego etiam tibi debeo, sicut meus filius, dare aliquod cimelium, ac munus pro præmio dolorum, & molestiæ, quam toleravisti his diebus. Fuerunt mihi hæc verba magno solatio, & cùm ipsam amarem, atque illi magnas gratias agerem pro eo favore, quem mihi exhibebat, disparuit, relinquens me plenam solatio; biduo tamen pòst me secundò invisit illa Sacratissima Domina, tam speciosa, ut me obstupefaceret ac abalienaret à sensibus, contemplantem Divina ipsius ac speciosa lineamenta, & sacratissimos illius oculos coloris cœsij ac Divini, quorum supercilia erant longa, & nigra, propter quæ apparebant stupendè grandes & gratiosissimi; cilia verò erant cujusdam divini coloris, quasi aurei vel castanei; sacratissimi ipsius capilli colorem habebant cœlestis purissimi auri. Dum illam ità attonita contemplarer, vidi tenentem in suo sacratissimo sinu nonnulla cimelia, quæ aspiciebat & versabat manibus; subitò autem se erexit in pedes, & expandit illum thesaurum, quem habebat in sinu, ac adverti esse pretiosam quandam & elegantem catenam ex purissimo cœlesti auro, imbutam & ornatam Divinis quibusdam coloribus, tam diversis & gratiosis, aspectúque jucundis, ut vix scirem dicere, quales fuerint, ostendensq; mihi illam, dixit: Ecce, ista catena est pro te. Et imposuit ipsam sacratissima Domina suo collo, statimque asservavit, nec mihi tunc eam dedit, nescio, quam ob causam. Ego mihi sum imaginata, id accidisse propter aliquem meum defectum, quem tum temporis commisissem; deinde tamen postridie mihi illam dedit, & imposuit collo.

§. IV.

BIduo pòst, ùt mihi videtur, dum manè essem ex more collecta, amans DEUM ex toto meo corde, & mea anima, vidi derepentè ex vulneribus & impressione, quã Dominus peregerat in ista sua miserabili creatura, prodeuntes quosdam radios lucidissimos & splendidissimos, qui videbantur facti & efformati ex suavi ac lucidissimo igne, atque ex quadam maxima ac fulgidissima luce, nec non purissimo ac Divino auro, quæ omnia conficiebant simul mixturam talem, & ejusmodi, ut solus illius operis Magister possit explicare elegantiam, quæ ex illa mixtura in ijs radijs oriebatur. Incepi attonita ipsam attentè considerare, ut viderem unde prodirent, & quò collimarent, vel pertingerent radiorum cuspides. quod tamen, quantumcunque aspexerim, vix poteram discernere, vel intelligere, sed, ùt mihi videbatur, feriebant me ipsam intrinsecùs: postea nihilominus vidi manifestè, & agnovi ità re verã esse; me intrà meam animam, & meum cor habere sacratissimũ Puerum JESUM speciosissimum, resplendentem instar ignis, & cuspides eorundem radiorum pertingere ad sacratissimas ipsius manus, ac pedes, & latus. Deinde vidi tam clarè, quàm si me intuerer in lucidissimo ac purissimo speculo, in ea corona spinea, quæ fuerat imposita meo capiti, & in ejusdem vulneribus, elegantissimos lapides pretiosos ac resplendentes, qui erant aspectu jucundissimi. Ego verò miserabilis, videns me ità ornatam, confusa & pudefacta, quòd viderem istud fimetum ità exornatum, & expolitum manu sui boni, potentis ac sapientis Domini (nec enim est qui possit impedire opera, quæ Divina Majestas vult in suis creaturis peragere) averti subitò oculos à me ipsa, ac dixi: Quid est hoc? Quis te ità adornavit, sordidum & abominabile fimetum? sed postquam id dixissem, avertissémque taliter à me oculos, noluit hoc Divina Majestas admittere, vel dissimulare: imò fecit, ut me viderem, méque contemplarer eo modo, quo Divina Majestas me ornaverat, ideóque me vidi, & vehementer obstupui, ac fui mirata talia DEI opera, digna ejus bonitate & potentiâ, ac Sapientiâ; atque mea anima magno-

magnopere exarsit ipsius Divino amore. Divina Majestas dignetur mihi per suam infinitam clementiam ac bonitatem dare suam Divinam gratiam, ut desideria tam ardentia, quæ excitavit in mea anima per has gratias & favores, quos mihi præstitit, amandi ipsum, eique serviendi, & illum semper in omnibus rebus quærendi, mandem executioni, ignoscátque mihi mea grandia peccata ac defectus, & negligentias, quas continuè in ejus obsequio committo, neque propterea me, dum ipsius opera, & gratias, quas Divina ejusdem Majestas exhibet in hac sua miserabili creatura, conscribo, ut illi obediam, útque cognoscatur infinita ejus bonitas, patiatur permanere aridam, ac destitutam virtute.

§. V.

HÆc fuit prima vulnerum expreßio, quæ suscepit ista serva DEI: ubi adjungamus, quòd, etiamsi Dominus ipsi non dixerit causam, quare illi præstiterit istam gratiam, primâ vice, quâ id ex ipso quæsivit; post aliquot tamen deinde annos ei dixerit, se ipsi contulisse eam gratiam, reddendo illam participem suorum vulnerum, propter commiserationem, quâ compatiebatur pauperibus ulcerosis, ac propterea, quòd fuisset exosculata ipsorum ulcera. Et sic se res habebat: quia quando ibat ad templum, ut interesset Sacro, deserebat quandoque suam sociam, & sola obibat alia templa, ad quorum januas eunt pauperes ulcerosi, quibus, procumbens in genua, impertiebatur aliquã eleemosynam, & suspiciens in ipsis Christum Dominum, osculabatur illorum ulcera, quæ habebant in pedibus exesis à cancro, & nauseam moventibus.

CAPUT XXIX.

Quo pacto Christus Dominus sequentibus annis innovaverit ista vulnera, modis non minùs admirandis, quàm dolorificis, ut experiretur dolores suæ Passionis, consolans illam medicamentis mysticis, & ingentibus promissis.

POst hanc primam vulnerum impreßionem, renovabat illa sequẽtibus annis Dominus, modis non minùs admirandis, quàm dolorificis. Aliquando in ijsdem Festis Nativitatis & Circumcisionis, quasi ipsi apprecaretur felicia Festa, & initium anni, per dolores similes ijs, quos ipse fuerat perpessus in sua sacratißima Paßione; aliàs verò, diversis anni temporibus, ex occasione aliorum mysteriorum. Ex his nunc narrabimus, quæ primis annis acciderunt, cætera referemus alibi. Ità igitur ait:

§. I.

SEquenti anno, in Festis Nativitatis & Circumcisionis, dum aliquando manè vacarem orationi, vidi Christum Dominum eâ conspicuum gravitate ac majestate, quâ ipsum solco præditum videre; juxta illum erant, aliquantùm elevati, duo sancti Angeli, quorum unus tenebat quàm reverentissimè coronam spineam in suis manibus, alter autem habebat tres clavos ante suum pectus, quod non attingebant, quasi in aëre, sejunctis ab invicem manibus, magnâ cum attentione, & veneratione. Ego miserabilis modò aspiciebam istos sanctos Angelos, modò Christum Dominum, sed super omnia me vehementer animus impellebat ad contemplandos attentè illos clavos, quamvis ipsos vehementer timerem, quia suspicabar, quid esset futurum, quódque mihi essent exasperaturi vulnera, quæ jam habebam in manibus. Erant isti clavi optimè formati, & elaborati, capita illorum erant rotunda, & inaurata, longitudo eorundem adæquabat spithamam, & quatuor circiter digitis, magis infra caput, habebant aliud veluti caput,

& ornamentum, similiter inauratum, atque tum infernè longas & angulares cuspides, tanquam ex chalybe lucidissimo, quæ desinebant in subtilissimum acumen. Dú illos sic attonita contemplarer, tetigerunt me illæ cuspides clavorum, in vulneribus mearum manuum, cum ingenti interno dolore, quem in illis percepi. Ingemui exteriùs, propter illum vehementem doloré, & afflictionem, quam sensi: cúmque iterum vellem intueri clavos, non vidi illos, sed conspexi Christum Dominú, qui paulò antè abiverat: ipse me est consolatus. Fui majorem in modum afflicta, sed tamen etiam repleta solatio, propter gratiam, quam mihi Dominus præstiterat. Post hoc fui passa multis diebus magnum dolorem in manibus, etiam externè; ut mihi in volis, & supra illas, viderentur esse perforatæ aciculis, præsertim in manu sinistra. Et cùm interrogarem, quare majorem dolorem sentirem in ista manu, quàm in altera, dixit mihi Divina Majestas, se etiam sustinuisse majorem dolorem in manu sinistra, quàm in dextra.

§. II.

SEquenti die expergiscens horâ secundâ noctis, adverti animam meam adeò flagrare amore DEI, ut videretur mihi eo confici, atque ità hoc amoris igne accensa, incepi dicere Divinæ Majestati, acsi à multis diebus vel horis illi non fuissem loquuta: Bonum animæ meæ, ac Domine mi, & lux mea, atque solatium cordis mei, ubi es? quid tecum agitur, quàm diu te non video, neq; alloquor; multùm sanè temporis mihi effluxisse videtur, & quodvis momentum, quo te non alloquor, aut te non video, est mihi instar multorum annorum. Dum ista & alia hujusmodi dicerem Domino, peterémque etiam ab ipso remedium pro nonnullis proximorum necessitatibus, sensi per vulnerum foramina, quæ sunt in meis pedibus, transmitti clavum nonnihil crassum, quo superimpositi sibi invicem pedes acclavabantur simul ad lignum crucis, attrahebantúrq;, ut possent adduci ad foramina, cum aliqua violentia, adeò ut genua ac tibiæ senserint specialem dolorem. Attollens autem oculos animæ, vidi Christum Dominum adstantem, quo conspecto absque ulla reflexione, acsi non haberem conclavatos & afflictos pedes, mea anima se ad ipsum proripuit anhela & famelica, atque cupida sui Domini, ac sui Boni: & collocata ad ipsius pedes contemplabar illum, amabámque magis eundem Dominum & Bonum meú, qui statim ac me vidit, aperuit vulnus sui sacratissimi lateris, dixitque mihi cum magno amore & charitate: Surge amica, & accede, ac applica os tuum isti vulneri mei lateris. Ego verò miserabilis id audiens, respondi: Non, mi Domine, quia esset ingens temeritas, si hoc facerem. Respondit Divina Majestas: Accede, & esto bono animo. Tum accessi, & applicui os sacratissimo vulneri lateris ipsius, cum magno meæ animæ solatio. Subitò sensit anima altissimam quandam ac suavissimam unionem cum suo dulcissimo Domino, adeò ut sibi videretur, & re verâ ità erat, amplecti cor Christi Domini, ubi omnium rerum oblita experiebatur ingentia bona. Post hunc raptum consternata, & admirabunda, dixi Divinæ Majestati: Quomodo ergo mi Domine, & unde mihi tantum boni, ut mea anima fuerit amplexata, tuum sacratissimum cor? quænam ista adeò magna fuit misericordia? Respondítque mihi peramanter: Nè ideo consterneris. cùm enim ingrediar in tuam animam & cor, quando me sumis, quid est speciale, si aliàs adducam ad me tuam animam, mecúmque illam uniam, & ipsa amplectatur meum cor? hoc non est multum, Filia. Postea adverti pedes mihi fuisse conclavatos, quia hactenus eorum non fueram recordata magis, quàm si mihi nihil tale contigisset; & vidi illos non ampliùs esse confixos, sed sentiebam in ipsis specialem afflictionem ac dolorem, cùm interno profluvio sanguinis, ut existimarem, si modicè pellis fricaretur, eruptúrum indè copiosum sanguinem. Et videbam illos internè ità vulneratos, atque cum tanto exteriore dolore, ut timerem, nè non possem surgere ad suscipiendam sacram Synaxim:

ob quod

ob quod dolens redij ad Christum Dominum, ut ipsi id dicerem; non vidi autem illum, jam enim abiverat. Et incepi dolenter conqueri Domino, dicendo: Cùm habeam Domine pedes meos recenter vulneratos, & fluat ex ipsis sanguis, quomodo surgam, ad te sumendum? quid faciam, mi Domine, & Bonum meum? Dum hoc dicerem, venit ad me Sacratissima Virgo Domina nostra, quâ visâ, fuit cor meum exhilaratum, dixítque mihi peramanter: Amica, quid habes? Et ego tum incepi illi narrare omnia, quæ mihi acciderant, quódque hoc me solùm affligeret, quia nescirem, an possem surgere ad sumendum Christum Dominum; Sacratissima Virgo me solabatur, & jubebat me bene sperare, futurum enim, ut possem. Cúmque illi referrem, quomodo mihi fuissent conclavati pedes, & nescirem à quo, ipsa mihi dicebat: Tace, quia id rescies, & dicebam ei: Domina, quando mihi acclavabantur, nónne aderat meus Dominus JESUS Christus? hoc dixi; quia ego illum tunc non videram. Dixit mihi Sanctissima Virgo: Erat præsens, etiamsi ipsum non videris, & attendebat, ut videret, quomodo tibi pedes configerentur, & quando illos attrahebant, dixit: Sufficit; quia non debebant trahi vel ad pilú ampliùs, quàm posses sustinere, hæc enim erat ipsius voluntas; deinde mihi dixit Sanctissima Virgo: Vellésne sumere aliquem bolum, quo recreeris, & conforteris? Ego dixi: Modò non, Domina, si ità jubes, quia vellem suscipere Christum Dominum. Respondit autem mihi ista Domina: Cibus, quem ego tibi dabo, non erit corporeus, sed spiritualis, ac Divinus, ideóque non impedit sacram Communionem: sed cùm ità velis, differatur ad vesperum: nunc autem quiesce, & respira, ac dormi: Mansítque mecum aliquamdiu, consolans me, & ego obdormivi. Manè verò evigilavi corroborata, & confortata, quamvis cum magno dolore ac sensu in pedibus, ut eorum pellis videretur disrumpi, quando ipsos humi defigebam.

§. III.

PAulò pòst, alio tempore matutino, dum agerem cum Domino, amando ipsum ex toto meo corde, elevavi oculos animæ, ac vidi ad latus Divinæ Majestatis, quasi in aëre, quendam gladium, quia mihi sic apparebat aspicienti ipsum obiter, quamvis postquam illum bene fuissem intuita, viderim esse tantùm cuspidem magnæ lanceæ, quæ me nihil minùs cogitantem, quàm ut ab ea vulnerarer, & absorptam in amando Christo Domino, tetigit, sauciavítque in latere & parte sinistra, ubi jam habebam vulnus, quod Dominus ibidem impresserat. Hic autem contactus, etsi non senserim meo judicio tantum dolorem, quantum sensi in manibus, quando illas tetigerunt clavi, me tantopere vulneravit, & excruciavit, ut indè, ex Domini voluntate, major pars corporis fuerit afflicta, fuerímque consternata, videndo, me taliter esse constitutam, quia mihi videbar esse quodammodo leprosa. Accidit mihi id nonnihil molestum, quòd existimarem, me non posse surgere ex lecto, ut me conferrem ad templum; misertus tamen est mei Dominus, deditq; mihi vires ad eundum, quamvis tunc non sanaverit mea vulnera, differens id in aliud tempus, quo hoc Beatissima Virgo præstitit taliter.

Dum aliquando manè essem collecta, vidi venientem & accedentem ad me sacratissimá Virginem, comitantibus ipsam multis Angelis, & Sancto Patre Nostro Ignatio, quem sequebantur nonnulli Fratres, ex ipsius Ordine. Portabat in suis manibus Sanctus Pater duas quasi magnas ampullas argenteas conjunctas, quæ habebant parva, angusta ac brevia colla, atque in qualibet erat delicatissima plumula. Dum meas dolerent vices, Virgo & Sanctus, dixit mihi Domina Nostra: Ego venio, ut curem ac sanem tua vulnera: Esto bono animo, & conquiesce. Ac tum sedens, seu semi innitens genibus, unà cum Sancto, assistentibus duobus Angelis, qui duabus candelis accensis lucebant, Sanctissima Virgo exemit plumulam, ex una illarum

rum duarum ampullarum, quas tenebat Sanctus Pater, intinctam in Divinũ quendam liquorem, purissimi coloris aurei, & formavit illo crucem in meo pectore, quæ in eo mansit designata, acsi esset ex purissimo auro. Deinde exemit alteram plumulam, ex altera ampulla imbutam eodem liquore, quo efformavit alteram crucem in dorso, quæ similiter ibi mansit expressa, sicut in pectore. Cùm enim id factum fuerit spiritualiter, oculi animæ viderunt etiam, quod fiebat in dorso. Post hoc Sanctus Pater Ignatius erexit se in pedes unà cum sacratissima Virgine, indutus veste lineâ sacerdotali, talari candidissimâ, ac gestans stolam. Et postquam dedisset illas ampullas uni ex ijs sanctis Fratribus, qui adstabant, incepit dicere cum magna devotione, & spiritu tam Divino, ut incitaret animam, quæ ipsum audiebat, ad sublimissimam contemplationem, quasdam devotissimas ac Divinissimas latinas preces ad Patrem æternum, quibus illi gratias egit pro beneficijs: & istæ preces, etiam valuerunt, multúmque profuerunt ad confirmandam magis sanitatem, quam mihi cõtulerat DEIpara, quæ attendebat quàm devotissimè, & quodammodo venerabundè Sanctum Patrem suspiciendo, ùt repræsentantem Sacerdotis officium, quod obibat, dicendo illas orationes & benedictiones; unde sumpsi singulare exemplum. Sanctus Pater, dictis orationibus, mihi impertitus est suam benedictionem, & postquam mihi valedixissent, simul disparuerunt, relinquentes me vehementer amore sui flagrantem, & vulnera mea curata.

§. IV.

S*Equenti anno 1602. decimâ Septembris*, comparuit mihi, *inquit*, Christus Dominus, in specie Seraphini, sicut Sancto Francisco, & ex quinque ipsius vulneribus prodibant quidam radij, qui suis cuspidibus feriebant meos pedes, & manus, ac latus. Unde mihi accessit dolor tam vehemens, ut propterea dolenter gemerem, donec advenissent Angeli, ad me curandam, quemadmodum consueverunt, ut me aliquantùm sublevarent, non autem occluderent vulnera, quia potiùs ostendebant, sibi placere, ut semper essent recentia, & aperta. Ideò aliquantò pòst, conspexi quodam die (anno 1613.) ista vulnera pedum & manuum, ac lateris, ad eum modum, quo solent apparere vulnera jam exsiccata, & subitò unà vidi oculis animæ, quòd Sanctus meus Angelus Custos apprehenderit manum meam sinistram, atque illam, acsi haberet aliquem stylum, totam transfixerit; unde sentiebam acrem dolorem. Deinde transivit ad alteram partem, petivitque à me manum dextram, & dum ego recusarem illam porrigere, propter naturalem timorem vulneris, dixit mihi, esse voluntatem DEI, ut sibi ipsam porrigerẽ. Porrexi illam, fecitque in ea idem. Posteà venerunt alij duo sancti Angeli, & præstiterunt tantundem in pedibus. Timui, nè quid simile vellent facere in latere, quia illud habebam afflictissimum, & vehementer reluctabar. Tunc mihi comparuit Christus Dominus, suáque præsentiâ me est solatus, & animavit. Interea verò Angeli id ipsum fecerunt in latere. Quia videbam ista signa esse interna, neque exteriùs apparere, incidit mihi cogitatio, omnes, quicunque id essent audituri, existimaturos, tantùm esse imaginationem. Sed Dominus respondit meæ cogitationi, dicendo, illa, quæ non comparent forinsecus, esse securiora. Tamen quia sum adeò timida, metuens, nè fortè isti rei subesset aliqua illusio, incepi dicere Divinæ Majestati: Domine, doce me tuas veritates, per temet ipsum, per tuam Passionem; discurrendo per mille titulos, quos fervor suggerebat meæ memoriæ, ut illos allegarem. Dominus autem mihi respondit: Propter hos omnes titulos ità feci, & facio; significans mihi, me posse securam esse, quòd non decipiar. *Denique per istam impressionem, toties iteratam, voluit Christus Dominus famulam suam experiri dolores suæ Passionis, & intueri intrà se ipsam ejusdem insignia, ut animaretur ad illum imitandum, ùt apparebit ex eo, quod accidit alijs annis.* Quodam die Dominico, *ait*, Quinquagesimæ (anno 1611) dum audirem illa verba Evan-

Evangelij, quæ canuntur in Missa: *Ecce ascendimus Jerosolymam, & Filius hominis tradetur, &c.* fuit mea anima vulnerata & confixa dolore, imprimentibus se ipsi, instar sigilli, doloribus, angustijs, & Passione, quam Salvator pro nobis sustinuit: quæ impressio duravit quatuor septimanis, eo modo, quo primâ die, quâ etiam mihi Dominus immisit extraordinarium capitis dolorem: & hic duravit duobus diebus, ac duabus noctibus, deinde verò se diffudit per partes & juncturas corporis, præsertim pedes ac manus, & potissimùm per pedem dextrum, ac sinistram manum, ubi Dominus dixerat se majorem percepisse dolorẽ. In istis partibus apparebant signa exteriora tumoris & inflammationis: Non erant autem vacuæ, sicut solent esse ordinariè, sed permeabat & replebat eam vacuitatem, præsertim pedis, quidam quasi nervus efformatus instar clavi, quem videbá oculis animæ, illuminatis luce, mihi à Domino communicatâ. Patiebar eo tempore, diuturna insomnia, & quasdam animæ cum suo DEO uniones, quæ subinde durabant duodecim horis, aliàs viginti quatuor, aliàs verò quadraginta, atque simul sentiebam totum corpus quodammodo contusum, ac dissolutum, præcipuè in juncturis brachiorum, ac pedum, quasi fuissem affixa, & acclavata trabi, seu cruci. Dolores, quos patior, sunt molestissimi: non enim sunt ità suaves ac mites, sicut anteà erant in ijs partibus, quando illas sentiebam, quasi inanes & vacuas, poterámque ipsis insistere; sed modò sunt vehementer exulceratæ, & inflammatæ.

Alio anno, præsente Christo Domino, mihi dixerunt mei Angeli: Soror nostra, præpara te, quia Dominus tibi vult conferre gratiam, communicando tibi partem dolorum, quos ejus Majestas sensit, ac sustinuit in sua Morte, & Passione, atque in ijsdem partibus, in quibus ipse illos toleravit; jam enim multis diebus nihil tale es passa. Ego propter solitos timores, quos habeo, non quòd nollem pati, sed præ verecundia rogavi Dominum, ut me illuminaret, præstarétque mihi gratiam, quâ possem assequi in omnibus sanctam ipsius voluntatem. Post duas horas mihi fuerunt acutissimo clavo renovata vulnera pedum ac manuum, & lateris, cum incredibilibus doloribus; deinde imposuerunt meo capiti coronam spineam, & dorso quoddam instrumentum acuminatum: quæ omnia mihi attulerunt summos cruciatus. Atque ità fui vehementer vexata & afflicta: tamen videbar mihi non ità malè fuisse habita, viribúsq; destituta, sicut aliàs, quando mihi fuerunt communicati per misericordiam DEI isti ijdem dolores. Dixerunt autem mihi sancti hi Angeli: Falleris, quòd existimes, te ità esse constitutam, sed es similis infirmo, qui non animadvertit suum morbum, atque cùm pessimè valeat, videtur sibi, dicítque se bene valere. Et verò ità se rem habere, est advertere ex eo, quod subitò unus ex istis Sanctis Angelis, fuitque *Minimus*, me inceperit curare, applicuerítque pedi sinistro quoddam quasi unguentum rubrum, in loco vulneris, & ligaverit illud celerrimè fasciâ, deinde unxerit pedem dextrum albo liquore, obligando illum, sicut sinistrum; quod ipsum fecit in manibus, & pectore. Posteà accepit sanctus Angelus plumam, quâ imbutâ liquore rubro, scripsit in ligaminibus quasdam literas. Ligamini pedis sinistri inscripsit: INSIGNIA DOMINI. & ligamini pedis dextri: STIGMATA DOMINI JESU. in ligamine verò unius manus scripsit: FORMA DOMINI. & in alterius: SIMILITUDO DOMINI. supra ligaturam lateris scripsit duabus lineis: FIGURA ET SIMILITUDO DOMINI JESU CHRISTI. Post hoc Dominus, qui aderat, me contemplatus est, tanquam suam, ùt quæ similis essem ipsius Majestati, quoad ejus insignia; & incepit mihi impertiri mille benedictiones, signando me cruce. Interea fui rapta in ecstasim, & quando ad me redij, jam erat completum hoc mysterium.

CAPUT

CAPVT XXX.

Quomodo sibi illam Christus Dominus similiorem reddiderit in cruce, crucifigendo ipsam spiritualiter per suos Angelos, & innovando ejus vulnera in varijs pretiosissimis crucibus, magna simul illi promittendo, eximiósque præstando favores.

NOn solùm voluit Christus Dominus famulam suam experiri dolores suæ Passionis, quemadmodum dictum est, verùm etiam dignatus est illam sibi reddere similem spiritualiter, in modo eos patiendi, affigendo eam acutis clavis ad varias mysteriis plenas cruces. Ipsa sic ait.

§. I.

BIduo ante Festum Exaltatæ Crucis, vidi derepentè intrantem ad meum cubiculum Dominũ, cum comitatu plurimorum Angelorum; præcedebat autem Divinam Majestatem quidã specialis Angelus, qui portabat quàm reverentissimè tantam Crucem, quanta erat, in qua mortuus est Servator Noster. Omnes Angeli adorabant Crucem cum magna demissione. Statim ac illam vidi, fui turbata, animadvertens mihi imminere aliquam crucem & afflictionem, siquidem natura propter suam debilitatem ac lassitudinem, videbatur abhorrere à cruce, quamvis superior pars animæ esset obsequẽs, & prompta ad faciendum, quidquid de me DEUS statuerat. Agnoscens Divina Majestas meam turbationem, dixit mihi: Nè timeas, non erit enim ità gravis tua crux, sicut existimas. Transiverunt me Angeli cum Cruce, quam adoraverunt etiam isti mei sancti Angeli, & collocaverunt illam in una parte mei cubiculi, quasi in aliquo horto, ubi ipsam circumdederunt multi Sancti, alij in terra, alij verò in aëre, cum magna reverentia. Postridie sensi acutissimos dolores in pedibus, manibus, ac latere, ubi sunt puncturæ vulnerum, & vidi in quovis eorundem loco modicum stupæ quasi ardentis, unde ille dolor proveniebat. Paulò pòst unus ex quatuor sanctis Angelis extinxit stupas: quod me non nihil sublevavit. Die sequenti, qui erat Sanctæ Crucis, sub diluculum, mei sancti Angeli, acceperunt Crucem, & imposuerunt illam, non humeris, sed corpori meo, quod ego habebam extensum. Erat admodum gravis, & habebat quasdam acutissimas cuspides, quibus affecit pedes meos & manus, ac latus magno dolore; & sic ipsam diu sustinui. Postea illam abstulerunt, & cùm à me auferretur, videbantur mihi discerpi præ dolore viscera. Retulerunt ipsam deinde ad eundem locum, in quo priùs fuerat. Disparuit autem mihi ex oculis ad aliquod tempus, ac tum eam denuò vidi portari ab Angelis, ritu supplicationis ad cœlum, usque dum effugeret meum conspectum. Dum mihi Crux imponeretur, eram abstracta à sensibus. Verum, ut appareret, Crucem etiam esse instrumentum solatij, sancti Angeli mihi in quodam terribili cruciatu dolorum, superimposuerunt Crucem valde pulchram & magnam, in cujus complexu sentiebam ingens solatiũ ac levamen, vidique, cœlitus illuminata, ista quatuor in illa: Crucem esse robur debilium, murum fortem contra assultus dæmonum, thesaurum absconditum ingentium bonorum, & ignem incendentem atque consumentem algores animæ. Postea eam à me abstulerunt, & cùm meus Angelus Custos illam vellet retinere, cæteri Angeli dixerunt, sibi non esse à Domino concessum, ut ipsam illi traderent. Dominus tùm dixit, ut referrent Crucem ad Cœlum, unde illam attulerunt; Angelo verò meo Custodi daretur virtus Crucis,

tis, quoad prædicta, ut mihi ea applicaret.

§. II.

POstquam habuissem quâdam nocte indicia à meis sanctis Angelis, eventurum mihi aliquid molestum; atq; id commendavissem DEO, accesserunt ad me, & dixerunt mihi: Soror, venimus jussu DEI, ut te hinc abducamus, & collocemus ibi. Cúmque ego aspicerem illum locum, quem designaverant, vidi prostratam in terra grandem Crucem, quasi inauratam, in cujus pede, & duobus brachijs, atque capite, erant acutæ clavorum cuspides, acsi fuissent incussi ex aversa Crucis parte. Ego naturaliter extimui, ac dixi: Fiat in me voluntas DEI, quamvis existimem mihi non suppetituras vires, ad sustinendum dolorem, quem tolerabo post istud martyrium. Respondit autem mihi Angelus meus Custos: Esto bono animo, quia ego curabo, quod facere sum jussus à Domino, nè postea patiaris dolorem, quem metuis. Subitò me adverti extensam supra illam Crucem, tectam quodam veluti pallio cæruleo, affixo ad pedes & brachia, adhærentibus pedibus ac manibus ad clavos; & sensi ingentem dolorem in anima, qui totus erat internus, ac spiritualis. Inter hæc vidi multos Angelos, qui me cõtemplabantur quasi stupentes, unáque se mihi spectandam exhibuit Divina Majestas, quæ me aspiciebat, atque etiam Christus Dominus in sua Humanitate. Tum mihi derepentè datus est ictus, quin viderem à quo, in pedibus ac manibus, ità ut acclavata fuerim Cruci, valdéque creverit internus dolor, absque ejusdem propagatione tamen ad exteriores corporis partes, sicut aliàs fiebat. Deinde fui elevata in altum, non absque magno dolore, quem sensi, quando me elevabant, & dixerunt ad Christum Dominum: Domine, Domine, aspice istam creaturam tuam, quomodo propter te sit constituta. Dominus autem dixit: Bene est: Collocate illam in terra, ut jaceat sicut antè. Post hoc sum passa aliam ecstasim, atque sensi Christum Dominum denuò mihi imprimentem ac renovantem mea vulnera. Et subitò me adverti esse refixam à Cruce, ac repositam ad priorem locum, atque Dominus accumulando suas gratias mihi dixit: *Omnes illi, pro quibus speciali affectu ombis, quem tibi ego dabo, salvi erunt.* Deinde sensi quendam prorsus singularem modum unionis cum DEO, acsi Eucharistico fuissem refecta epulo, quæ diu duravit, donec sensim sinè sensu ad me redijssem: non adverti autem ullam confractionem & dolorem corporalem, qui mihi solet remanere post ejusmodi martyria.

§. III.

ALio deinde anno, millesimo, sexcentesimo, decimo octavo, postquam nocte quadam adeò fuissem afflicta à meis doloribus, ut mihi videretur dissolvi totũ corpus, converti oculos ad me ipsam, vidíque me positam in Cruce, nescio an acclavatam, cum ingenti tamen cruciatu omnium membrorum corporis, & capitis. Crux non erat humi extensa, neque in lecto, sed elevata. Mirata sum, advertens me ità constitutam, & dixi meis sanctis Angelis: Domini, quid est hoc? Istánc fortè est causa meorum dolorum? Illi mihi dixerunt cum magna commiseratione: Ità, Soror, & multis jam diebus es affixa Cruci, quæ fuit causa dolorum, quos perpessa es, quamvis illam non videris. Fui consternata, & egi gratias DEO. Mansi in ea Cruce circiter quinque vel sex horis; ex qua deinde fui deposita, egregiè afflicta, & confracta. Tum incepi sentire odorem suavissimum, tanquam cujusdam pretiosissimi suffitûs, & vidi advenientes multos Angelos, qui habebant accensos cereos in suis manibus, cúmque his multos alios, portantes quàm reverentissimè in quodá pretiosissimo altari, sanctissimam Imaginem Beatæ Virginis Gvadalupensis, ornatam vestitu gravi, religioso, ac modesto; videbatur quoque cooperta esse pallio, habente quoddam capuciolum. Præseferebat admirabilé & jucundum aspectu vultum hæc sanctissima Imago, atq; summam & pulcherrimam vivacitatem. Sex An-

geli DEI illi adolebant thus, aureis thuribulis, quàm reverentissimè. Ingens fuit meú solatium, quod sensi in hac visitatione. Et cùm venerarer istam sanctissimam Imaginem, peterémque à Sacratissima Virgine MARIA Domina Nostra quasdam peculiares gratias, loquuta est mihi, & respondit in illa sua Icone, jubens me bene sperare de ijs rebus, quas ab ea postulaveram. Ità ibi mansi satìs diu. Postea Sancti Angeli abstulerunt pretiosam Imaginem, eodem modo, eadémque reverentiâ, quâ ipsam attuleraut. Ego magno fui delibuta solatio, ac stupui ejusmodi opera, & miserationes DEI. Post hoc, dum dicerem Sanctis Angelis: Mei Domini, quomodo, cùm ista contigerint in spiritu, sentio adeò confractum corpus, quasi re ipsâ fuissem affixa Cruci? Ipsi responderunt: Quomodo tu scis, hæc non contingere, nisì in spiritu? Respondi: quia id mihi dixit meus Confessarius. Illi verò dixerunt: Etiamsi quandoq; eveniant in spiritu, aliàs tamen fiunt re ipsâ, ac verè. Et refer tuo Confessario, quod dicimus. Ego ipsi id retuli, qui mihi respondit: DEUM hoc bene potuisse facere, ac dare licentiam diabolo, ut me corporaliter crucifigeret. Angeli autem mihi dixerunt: DEUS id potest facere, & nos videmus ab eo fieri.

Aliâ vice, *inquit*, fui aliquot diebus afflictissima, eò quòd essem posita ad crucé, non ligneam, sed confectam ex tela canabina durissima, quæ mihi penetrabat corpus: & sentiebam me illi affixam in juncturis manuum, ità ut me non possem movere, neque vertere in lecto, quod mihi attulit magnas molestias ac dolores.

§. IV.

ALio anno postea mihi dixit Dominus: Anima, visne venire mecum? Recusabam respondere Domino, propter meos consuetos timores, & Dominus id dissimulavit, atque postridie mihi dixit eadem verba. Ego verò similiter simulavi me, quasi non intelligerè, quæ diceret. Perendie mihi denuò Dominus dixit: Anima, visne venire mecum? Tertiò respondi: Ità, mi Domine. Tunc me Dominus secum univit fortiter, & suaviter, sensim sinè sensu, impertiens mihi lumen, & cognitionem magnam, tametsi obscuram Divinæ suæ Essentiæ: atque tum magis operabatur voluntas. Post istam unionem reliquit mihi Dominus impressos in meo corpore omnes suos dolores, & insignia suæ Passionis, cum vehementissimo meo sensu. Postea me DEUS secundò posuit in quadam Cruce, quasi crucifixam, ubi sensi vehementem dolorem in toto meo corpore, advertíque caput meum esse tanquam confixum spineâ coronâ. Sanctus autem quidam Angelus ijsdem clavis, quibus aliàs, me affixit ad Crucem cum magnis doloribus, & induerunt me albà togâ talari, habente manicas, quibus discooperuerunt vulnera pedum, & manuú, atque lateris.

§. V.

ALio anno, vidi quendam Sanctum Angelum, qui totus erat quasi circumdatus ab ipsomet DEO, & ferebat in sua manu, grandem Crucem, totam igneam. Conata sum, quantùm potui, animum aliò avertere, donec me Dominus coegisset videre mysterium. Accessit ad me Sanctus Angelus, dicens: Soror, etiamsi ista Crux sit ignea, est tamen suavis & amabilis, atq; jucunda; osculare illam ac adora; quod animata ad id à sancto meo Angelo Custode, feci, statímque me subduxi, ac deserui ipsos. Vidi poni grandem mensam coopertam tegumento quasi lineo, in quo fuit extensa Crux. Aderant ibi mei Domini quinque Angeli, quatuor tenebant totidé clavos, singuli singulos, eósque igneos, similes Cruci, quintus autè quandam quasi lanceolam. Adverti me superpositam Cruci, indutam decenter veste, quæ habebat prolixas manicas, & calceatam. Accessit sanctus meus Angelus Custos, & osculatus est manicam togæ, cúmque ego idcirco turbarer, dixit mihi: Noli consternari, quia istum honorem non exhibeo tibi, sed donis, quæ Dominus tibi contulit. Deinde arripiens manum unus ex quatuor sanctis Angelis, infixit clavum, quem habebat,

bebat, in signum vulneris, non absque aliquo dolore; postea meus Angelus Custos fecit idem in altera manu, & alius Angelus illi inflixit alium clavum, idémque fecerunt in pedibus, infigendo cuivis pedi suú clavum per foramen, patens in calceo è regione stigmatis, quod erat in pede; ac tandem per aliam aperturam, quam vestis habebat in latere, alius Angelus infixit lanceolam. Deinde vidi humi collocari pedem Crucis, quâ parte solet defigi, & elevantes me Angeli ità crucifixam, firmaverunt ibidem Crucem, infixâ terræ acutâ cuspide, quam habebat in extremitate, atque tunc sensi me totam intrare in Dominum DEUM, per quendam adeò mirabilem unionis modum, ut mihi viderer tota quanta esse diversa à me, ac transformata & conversa in ipsum DEUM. Taliter constituta mansi aliquamdiu, donec paulatim ad me redivissem; reperi me autem in meo angulo aliquantùm confortatam & corroboratam à Sancta Cruce, quamvis cum dolore pectoris.

Atque ut appareat, quid ista Crux ignea significaverit, apponemus, quod ipsa in huuc finem refert, ità dicendo: Tribus continuis diebus, post Communionem, me Dominus, apprehenso meo brachio, duxit per quasdam ardentes flammas, non admodum altas, quæ non contingebant Divinam Majestatem. Primo die sensi modicum dolorem, secundo majorem, tertio die adhuc majorem, & quâlibet vice tandem me ponebat Dominus in paradiso sui cordis, replens me ingenti solatio, postremâ verò vice in secreto suæ Divinitatis, ubi mihi manifestavit mirabilia de suis attributis & occultis judicijs. Cúmque ego postea cogitarem, an eo significaretur Purgatorium, quod me maneret, propter mea peccata, dixit mihi Dominus: Non est, quod cogitas, sed sunt tribulationes, & afflictiones, in quibus te constituo, & opera difficilia, quæ tibi injungo, in quibus ego tibi adsum, ut te adjuvem. Bene autem te ex illis eruam, & per hæc te magis introducam ad meum cor, ac meam Divinitatem. Aliàs mihi dixerunt mei sancti Angeli: Soror, Dominus vult, ut ingrediaris & transeas magnum ignem. Extimuit natura, dixique ipsis: Sum semi-consumpta à vehementibus internis ignibus, quos patior, sedsi id vult Dominus, fiat voluntas ipsius. Illi videntes meum timorẽ, dixerunt: si nos tecum fuerimus ingressi, nónne libenter ingredieris? Ego dixi: Ità, certè, Domini. Duxerunt me ergo ad quendam locum, ubi erat ingens rogus, vehementer ardens, quem sancti Angeli sunt ingressi, neque ignis illos tetigit, & dixerunt mihi, ut intrarem. Duxit me Sanctus meus Angelus Custos, & ingressa sum usque eò, ubi ipsi erant. quamvis senserim flammas involantes in faciem, exiguus tamen fuit dolor, quem sum passa. Cùm ibi aliquamdiu fuissem morata, educta sum ad extremitatem rogi, & vidi ex altera parte stantes duos dæmones irritantes ignem, quia cogitabant, me esse intrà illum. Dum autem circumirent, & me viderent extrà, pudefacti evanuerunt. Ego dixi sanctis Angelis, quòd parùm senserim illum ignem: qui mihi responderunt, id propterea accidisse, quòd Dominus fuerit mei misertus ob multa, quæ patior; voluerit tamen, ut sustinerem etiam hoc genus supplicij.

§. VI.

DEnique die gloriosi Sancti Apostoli Andreæ, mihi apparuit idem Sanctus, ut me solaretur ac animaret; sed dæmon mihi id invidens, collocavit se post illum, me non advertente, dixitque mihi quædam verba, quasi illa diceret Sanctus, quodammodo me acriter reprehendens. Experta verò sum tantam in anima turbationem, prorsus diversam ab ijs affectibus, quos verba DEI, & Sanctorum ipsius excitant, idque cum quodam tumultu, ut me statim ab illo averterim, & quasi consternata me converterim ad meos sanctos Angelos, qui me sunt consolati, & mihi manifestaverunt, quid fuerit. Quando me denuò verti, ut aspicerem Sanctum Apostolum, jam abiverat. Et significaverunt mihi Angeli, ipsum abivisse, eò quòd tunc non essem disposita ad illum audiendum; rediturum tamen post quatuor vel

quinque horas; atq; unà dixerunt: Bono animo esto soror, quia affigêris Cruci inverso capite. Exhorrui naturaliter, sed Angelus meus Custos me animavit dicens, nè timerem; se enim mihi adfuturum in Cruce. Ego illi dixi: Sancte Angele, cùm ipse non possit pati, nihil est speciale, quòd adsit mihi crucifixæ. Angelus autem mihi respondit: Etiamsi non possim pati, possum tamen te juvare, ut subleveris in tuis cruciatibus. Subitò me adverti esse affixam cruci, totam, à pedibus ad caput, quàm decentissimè coopertam pallio cæruleo, & capite deorsum converso, pedibus verò sursum, sicut fuerat crucifixus Sanctus Petrus. Postquam aliquamdiu mansissem in eo situ, Angelus meus Custos in momento invertit Crucem, & erexit, ità ut superiore sui parte spectaret Cœlum; sensique me ab illo deponi ex Cruce, & extrahi mihi manus, quasi ex quibusdâ ferreis annulis, quibus fuerant insertæ. Tum mihi imposuit coronam, quam ipse asservaverat, velut in deposito, cujus est superiùs facta mentio; ut significaret, quid fuissem promerita eo cruciatu. Quando ex isto raptu ad me redij, passa sum gravissimos dolores in toto corpore, capite, pedibus ac manibus, quasi re ipsâ, & verè sustinuissem illud tormentum; & gloriosus Apostolus Sanctus Andreas adfuit his omnibus, quem ego rogavi, ut ageret meũ Advocatum, ac Patronum, juvaretque etiam alios; ad quod ille, se mihi exhibens promptum, discessit à me, datâ mihi suâ benedictione.

CAPUT XXXI.

Quomodo illam dæmones, molestissima quæque machinando, alijs hujusmodi exercuerint tormentis, & DEVS ipsi declaraverit causam, ob quam esset exosa dæmonibus.

QVi instar tyrannorum, & carnificum justos excruciant, sunt dæmones, permittente id atque concedente DEO, ad magis exercendam, augendâmque ipsorũ virtutem. Quem in finem Divina Majestas ijsdem dedit facultatem, affligendi hanc ipsius famulam, terribilissimis & molestissimis machinationibus, quas referemus. Illa sic ait:

§. I.

ANno 1612. cùm fuissem vehementer afflicta à meis doloribus, vidi quodã die, præsentibus quibusdam meis sociabus, nonnihil à me remotum dæmonem, in specie valde proceri & atrocissimi, ac supra modum abominabilis Æthiopis, qui adveniebat, habens quasi semiarmatas corporis partes, media brachia, medium dorsum, ac pectus, similitérque reliquas: portabat in manu crassam & formidabilẽ lanceam, in cujus cuspide erat crudelissimum ferrum. Fui aliquantùm turbata, conspectâ istâ terribili ac abominabili specie, & recurri ad DEUM, petitura ab illo Divinum ejusdem favorem & auxilium, ut me in omnibus conformarem cum acceptissima ipsius voluntate. Dæmon me incepit aspicere, mihique minari, & vibrare suam lanceam, contra pectus, & cor meum: quod videntes sancti mei Angeli Custodes, constituerunt se ante me, ostendentes se velle impedire illum ictum dæmonis, comminantésque ipsi severè, & cum imperio. Quia tamen DEUS me volebat pati, hoc non obstante, dæmon ingentem præse tulit furiam, prorupitque per illos, ut exequeretur, quod ipsi Dominus permittebat, & infixit summo impetu illud ferrum meo pectori, quoadusque cuspis penetraret dorsum, adeò ut, quamvis id acciderit in spiritu, totum meum corpus contremuerit, & cohorruerit, fuerit-que mihi attendendum, nè erumperem in aliquos

aliquos clamores, vel exteriùs ederem signum, quod notarent sociæ præsentes, id quod vehementer aversor. Extraxit suam lanceam dæmon, & fugit celerrimè; ego verò remansi pessimè affecta, ac debilitata, licèt mihi sancti Angeli succurrerint in hac debilitate ac defectu virium, accedentes ad me, & me consolantes. Ex isto ictu dolor illarum partium est valde auctus ad sequentem usque diem, cum mea magna afflictione ac timore, nè haberem aliquod signum aut vulnus apparens, ùt reverà habui. In ea perturbatione mihi Dominus aliquoties dicebat, consolando me, quasi obscurè, nolens se magnopere declarare: Nè id metuas, permitte omnia meæ providentiæ. Quanquam aliàs ità se mihi subducebat, & occultabat, ut paterer absque ullo solatio, & levamine.

Dum essem taliter afflicta, & quasi à DEO deserta, biduì vel tridui spatio, conspexi Christum Dominum, qui me respiciebat suis Divinis oculis, paulatim ad me venientem cum magna majestate, & benignitate, stipatum innumeris Angelis. Obstupefacta ac attonita eâ misericordiâ, cùm jam intellexissem, quid Dominus esset facturus, incepi turbari ac timere. Verùm ipse nihilominus ad me venit, tangensque suâ sanctissimâ manu vulneratam partem pectoris, ac deinde dorsum, liberavit me ab illo dolore, integréque sanavit. Posteà mihi dixit Dominus: Vale, & requiesce nunc tantillùm, jam enim es à tuo maximo dolore & cruciatu curata.

§. II.

DUm ità quadam nocte agerem cum DEO, dixit mihi: Attende, & scribe, quod tibi modò eveniet. Subitò ab ipso illuminata intellexi, quid esset futurũ, excruciandam nempe me in quinque corporis partibus, quas habeo adeò afflictas. Unde statim constrinxi totum meum corpus, cooperui manus, & retraxi pedes ex naturali timore, quo eram correpta. Sed paulò pòst vidi quendam diabolum instar catelli, cujus caput & prægrandes fauces erant taurinæ, habebátque retorta cornua: Hic incepit pedes, in ijs partibus, quas habeo tumidas, vellicare rictu, & faucibus, atque penitus dilacerare cornibus, illa tubera pedum, præsertim in pede dextro, ità ut mea anima illos videret manifestissimè usquequaque vulneratos, & manantes sanguine. Deinde idem fecit in dorso, & in uno latere, convulsis ijs partibus, & cruentatis: tentavit tantundem efficere in manibus; quod ipsi tamen DEUS non concessit, ideóque illas solùm attigit. Hoc tormentum sustinui ultra quadrantẽ horæ, quod fuit peracerbum, ut me cogeret ad gemendum; quamvis id dissimularem, nè audirer à sociabus, quæ aderant. Postea discessit, & sancti Angeli suâ illâ specie manuum consolidaverunt ac sanaverunt illas partes vulneratas, quasi nihil mali fuissent perpessæ, tantúmque sentiebam quandam in ijs debilitatem. Ità transegi quatuor vel quinque dies, quibus elapsis, DEUS permisit, ut in mea anima naturaliter inciperem experiri timores istarum viarum, quibus ab eodem Domino ducor; cúmq; die quodam essem solito afflictior, dixit mihi Dominus: Dic Filia, quomodo sic es constituta, & quis te taliter debilitavit ac pessumdedit naturam, absque speciali dolore & infirmitate, ex qua id posset provenire? Respondi illi: Solatium animæ meæ, sola tua me sic sustentat potens manus, & tua sanctissima voluntas: sis benedictus in æternum. Tunc dixit Dominus: Tuæ molestiæ oriuntur ex vita interiore tuæ animæ, & ex eo, quod propterea toleras ac pateris. Unde volo, ut intelligas, & cognoscas esse verum, quod interne in anima tua sentis ac pateris.

§. III.

VIdeamus alias formidabiles hujus hostis inventiones, pro excrucianda illa, quam tantopere abominabatur. Quâdam vice (anno 1616.) *ait*, propè Quadragesimam, eram majorem in modum afflicta, & patiebar gravissimos dolores totius corporis ac stomachi, amaritudinem oris, & ingentem sitim, nec poteram comedere, vel etiam bibere, neque dormire. Nesciebam, quid mihi esset, præterquam quòd versa-

versarer in continua cruce, & sentirem magnam inquietudinem corporis, quamvis totus spiritus esset valde resignatus in manus DEI. Venerunt ad me Sancti mei Angeli, ut me consolarentur, ac animarent, & videbantur mihi aliquid agere manibus. Atque tum adverti me esse indutam quadam veste, confectâ ex durissimo corio, suffulta carduis, qualibus uti solent lanarij pro carminanda lana, quorum cuspides erant acutissimæ; pertingebat verò usque ad genua, & manicæ ejus erant latæ, protensæ ad cubitos. Iste vestitus me vehementer torquebat, afferebátque mihi prædictos dolores, & ingentes corporis ardores. Venerunt deinde Angeli, qui illum manibus modicùm dimovebant, nè me tantopere cruciaret. Quidam autem atrocissimus dæmon, in specie deformis viri, prodivit ex improviso, quem eatenus non videram; murmurans intrà dentes, dicebátq; sanctis Angelis, quare me sublevarent, cùm ipsi DEUS dederit facultatem, me induendi illâ veste, sicut fecerat. In hoc tormento exegi complures dies, qui erant tredecim, vel quatuordecim. Dum ità post præcedentem cibi nauseam essem afflicta, ut nè vel unum bolum possem deglutire, accesserunt ad meum lectum duo mei sancti Angeli, unus ad unum, alter ad alterum illius latus, posuerúntq; ante me quandam pretiosam patinam, plenam diversis fructibus, & dixerunt, mitti mihi illos à DEO, ut me ijs reficerem. Ego ipsos nullo modo volui attingere, quantúcunq; me rogarent, quoad quidam ex sanctis Angelis, qui vocatur FORTITUDO, accepisset unum fructum ex patina, apprehensum per petiolum, eundémq; applicuisset meo ori, quem ego re verâ comedi. Quando Angelus elevavit fructum ex patina, emisit fructus ille ex se magnum splendorem. Habebat autem colorem vivacissimæ purpuræ. Non masticavi illum, gustavi tamen, & sapiebat instar mali granati. Deglutivi ipsum, & recreavit me, multúmque confortavit. Tum alter Angelus fecit idem, dedítque mihi alium fructum. Deinde mihi porrexerunt potum in quadam veluti pelvi, quæ erat ex nitida transparente crystallo, ità ut bibendo viderem vas, unáque Angelum, qui mihi porrigebat aquam. Post paucos dies, quodam die antecinerali, manè, venerunt mei sancti Angeli, dicentes mihi, se jussu DEI venire, ad exuendam me istâ veste, & quamvis ego noluissem mihi ipsam ab illis auferri, re ipsâ me eâ quàm suavissimè exuerunt. Fui sublevata, utpote exonerata veste tam molestâ: remansit mihi tamen dolor, & retinui corpus totum afflictum. Angelus complicuit vestem, posuitque sub brachium, & cum cæteris quatuor adivit Christum Dominum, coram quo flexis genibus explicuit vestem, dicens: Domine, hìc adferimus vestem, quâ fuit excruciata illa, quæ tui amore patitur: Aspiciat ipsam Tua Majestas. Aspexit illam Dominus, ac dixit: Estne ista? Ità, ista est, dixit Angelus, videat Tua Majestas sanguinem, qué profudit in hoc martyrio. Erat enim cruentata sanguine, qué elicuerunt cuspides carduorum. Interrogaverunt quoque Angeli Dominum: Quid dicemus, Domine, nomine Tuæ Majestatis isti Famulæ tuæ, & cui committemus hanc vestem? Dominus respondit: Dicetis illi Famulæ & Animæ meæ, nomine meo, omnia quæ est passa, & patietur, ipsi profutura, ad augmentum majorum coronarum in mea gloria, quam me illi daturum polliceor, atque ex hoc momento illi concedo, quod à me toties petivit, videlicet, magnam conformitatem cum mea voluntate in patiendo pro me: vesté autem tradite Angelo ipsius Custodi, ut illam in die judicij ibi exhibeat, & appareat, quid pro me hæc mea creatura fuerit passa. His auditis sancti Angeli, post exhibitam magnam reverentiam Domino, convolventes suam vestem, redierunt ad meú cubiculum, quàm MINOR expandit coram meo Angelo Custode, inclinánsq; se coram eo usq; ad terram, tradidit illam ipsi Nomine DEI, qui eam accepit similiter, non tamen adeò profundè se inclinans, & asservavit cum alijs meis rebus, sibi commissis. Iidem Sancti Angeli mihi nomine DEI nunciaverunt, quod illis fuerat demandatum.

§. IV.

§. IV.

QVadam nocte fui quasi insomnis, à diabolo & alijs socijs incutientibus mihi vehementes timores, cum magna crudelitate, ac tumultu, rapta & suspensa per capillos, ut mihi videbatur, vel per collum, & collocata in quadam re altissima, ac posita in aëre, ubi mihi inflixerunt multos & acres ictus quodam fune, qui habebat crassissimos nodos. Sustinui illud supplicium valde diu, & diabolus mihi significabat, quòd me ità excruciaret propter devotionem, quam habebam, & ingenerabam alijs erga immaculatam Conceptionem Beatissimæ Virginis MARIÆ. Evigilavi ex illo somno afflictissima, tam internè in anima, quàm quoad molestiam, & cruciatum Naturæ. Et fuerunt tanti dolores, atque confractio miserabilis corporis, ut intra quatuor vel quinque dies vix me potuerim movere, vel vertere in lecto. Toleravi cum solatio meum martyrium amore DEI, & sanctissimæ ejus Matris.

Aliâ vice, dum vehementer opprimerer doloribus, vidi venientes quosdam diabolos, parvulos & crudeles, qui cum ingenti strepitu volvebant seu raptabant doliolum grandiusculum, quod, ingressi cubiculum, ubi ego eram, inverterunt, atque ibi evacuaverunt; unde exivit quædam pestiferè fætens putredo. Sic afflicta conabar avertere oculos interiores ab illa memphiti, licèt, volente Domino, ut illam graveolentiam tolerarem, non potuerim. Aspexi versus portâ cubiculi, & vidi illos meos sanctos Angelos DEI advenientes quasi forinsecùs, quibus conspectis apud portam cubiculi, incepi valdè seriò conqueri, ac dicere: Ah, mei sancti Angeli DEI, unde veniunt? ergóne jam non erant hic? Cùm enim illos plerumque videam, & experiar, seu agnoscam adesse, visa mihi fuit res nova, quæ me afflixit, quòd intelligerem ipsos abfuisse, & dicebam: Propterea etiam ausus est iste diabolus & alij, id, quod perpetraverunt in hoc cubiculo. Quid fiet modò? Quà ad me venient? cùm omnia sint plena sordibus, ut vident. Hæc dicebam cum illa molestia, quam sentiebam, quasi sancti Angeli possent aliquâ ratione inficì sordibus. Licèt autem ego id non ignorarem, apprehensio tamen ejus rei, quam videbam, me movebat ad sic loquendum. Ipsi verò responderunt meis ineptijs peramanter, ac benignè dicendo: Tace, soror, nè id molestè feras, neque te affligas, quia omnia bene fient. Unde autem veniamus, bene scimus; lætaberis & capies inde solatium. Quamvis mihi porrò eo modo communicationis & locutionis non dixerint ampliùs, alio tamen magìs spirituali ab ijsdem intellexi, quòd venirent à duabus infirmis personis magnæ authoritatis, quas visitaverant, & quibus ego plurimùm optabam sanitatem, quam pro ipsis postulaveram à DEO, atque, ut deinde intellexi, postquam misissem, ex quo rescirem, quomodo valerent, meliùs habebant. Subitò conspexi duas nonnihil à terra elevatas quasi lineas efformatas, seu radios splendidos à porta tendentes ad meum usque lectum, & aliquantum ab invicem disiunctos, per quos transiverunt quatuor Angeli DEI, ità ut bini per singulos incederent. Quidam autem parvus ac niger diabolus, qui erat apud portam cubiculi, illis transeuntibus incepit gesticulari instar petulantis, & malitiosi pueri, movendo ac agitando illas lineas seu radios, quos pertransibant, ut videretur illos velle dejicere ad terram. Hoc modo ad me pervenerunt, & solati sunt me, atque allocuti. Ille verò petulans & malitiosus diabolus continuò applicabat caput ad portam, quasi vellet videre ac audire, quid fieret, & derepente, vehementer timens ac turbatus, se abscondebat, & retrocedebat foràs. Angeli DEI videntes, quid dæmon faceret, dixerunt ipsi: Veni huc, proditor; qui constitit apud portam, totus tremens. Illi autem: In nomine, ajebant, Domini tibi præcipimus, ut statim huc intres, & expurges ac everras abominabiles sordes, quas in hoc loco sparsisti tu, & tui socij: Diabolus sine mora, audito hæc præcepto sanctorum Angelorum, cum magno dolore, cruciatu, & confusione intravit, & cœpit expurgare, & everrere illas sordes, egerendo illas per quendam hiatum patentè

intra

intrà pavimentum cubiculi; id quod faciebat tanta cum molestia ac dolore, miserabiliter conquerens, ut videretur vehementissimè torqueri & affligi. Et postquam expurgavisset, multóque mundius reddidisset cubiculum, quàm fuerit antehac, etiam ipse descendit per illud foramen vociferando: atq; tum fuit clausum pavimentum, sicut fuerat priùs, & sancti Angeli DEI manserunt mecum, utì antecedenter. *Alijs ipsam aliàs dæmones excruciaverunt molestissimis tormentis, afferentibus illi ingentes afflictiones, quorum etiam affectus sentiebat in doloribus, & corporis confractione, quæ illi remanebat: dolor insuper internus non erat alius, quàm si illũ pateretur exteriùs, ut propter hos effectus interdum dubitaverit, an non ipsam dæmones torquerent corporaliter.*

CAPUT XXXII.

Quomodo illi Dominus manifestaverit causas, propter quas ipsam dæmones odio habuerunt, ijsdémque postulantibus illam exercuerit derelictionibus, ac desertionibus internis, aliísque modis, & quàm se bene gesserit in omnibus.

Magno est solatio ijs, quos dæmon persequitur, scire causam, ob quam ipsos insectetur, quemadmodum erat solatium martyribus, scire, cur illos persequerentur tyranni. Hoc DEUS suæ famulæ revelavit pro solatio.

§. I.

POstquam, *inquit*, fuissem vehementer, quatuor continuis septimanis, pressa magnis doloribus, quos toleraverâ, ità ut mihi quandoque viderentur dissolvi ossa, & natura esset prorsus pessundata, apparuit mihi Dominus (videbatur enim Divina Majestas non posse ferre, ut me ità tractaret, neque mihi aperiret causam meorum dolorum) dixitque mihi: Anima, es afflicta, & vehementer molestaris, neque scis causam tuorum dolorum. Noveris igitur omnia provenire à diabolo, qui à me petit facultatem, te affligendi & excruciandi. Ego autem illam ipsi concessi limitatam, ut nè minimum quid possit facere, absque meo permissu & voluntate, quamvis te usque adeò oderit, ut si ego id ipsi permitterem, te perderet, ac annihilaret. Ego respondi: Re verâ, mi Domine, ignoro causam, ob quam mihi diabolus adeò malè sit affectus, quia nihil feci illi adversum, ut in tantam rabiem agatur; neque tibi ità servio, ut id merear, imò sum tepidissima & pigerrima, nec tibi servio tam seriò, quàm convenit, & ego teneor, quin potiùs sum valdè ingrata, nihilque tibi rependo pro tuis Divinis beneficijs. Dominus autem mihi respondit: Causa, cur tibi ità malè afficiatur diabolus, est, quia novit, quòd te magnopere amem, tibique bene velim, & præstem magnas gratias, ut præ invidia agatur in rabiem. Præterea scit occasiones, quas mihi tu præbes, ut ego tibi exhibeam ejusmodi favores, & quomodo te pro illis disponas. Hoc est, quod illum torquet ac affligit, & in rabiem agit, ut te vellet in nihilum redigere. Nihilominus tibi verè dico, id non futurum in ejus potestate, quia ego sum tecũ, & ero semper. Tum ego respondi: Adverto me, Domine, ità viribus destitutam, & omnes potentias, quarum est juvare animam, ità esse sopitas, ut neque ad te possim accedere, sicut desidero; videaturque Tua Majestas à me his diebus recessisse, & me deseruisse. Dominus mihi respondit: Noli idcirco solicitari, quia tibi nunquam fui vicinior: modò namque dum pateris, habes

habes me intra te. Et quomodo tu posses pati, quod fuisti his diebus passa, pro mea gloria & majori bono ac fructu tuo, si ego à te absfuissem? Certum tibi sit, quòd me nunquam habueris tibi viciniorem, quàm modò. His dictis me Dominus animavit, & solatus est in meis afflictionibus.

§. II.

Postquam ergo diabolus vidisset, quòd non posset vincere suam inimicam, existimabat ipsam, propterea quòd usque adeò amaret DEUM, nullâ re magis posse turbari, atq; confici, quàm si illum sibi esse adverteret offensum, & exhibentem signa vehementis iræ ac indignationis. Unde id petivit à DEO fieri, & Divinæ Majestati volenti annuere huic petitioni dæmonis (ut intelligeret se decipi, quemadmodum est in omnibus justus) placuit ejus rei sumere occasionem ex quodam levi defectu, quem commiserat, ità ut ea indignatio ipsi esset loco pœnæ, & probationis atque experimenti.

Quadam nocte, *ait*, sum passa magnam ecstasim, in qua me ipsam in spiritu vidi in angulo palatij cujusdâ præcipuæ Dominæ, cui eram plurimùm obligata: ubi etiam videbam Christum Dominum, præbentem indicia indignationis, qui mihi inflixit aliquot ictus, ad eum modum, quo vendentes & ementes flagello, ejiciebat ex templo. Fui propterea afflictissima, quòd ignorarem causam, nec dubitarem, eum, qui me castigabat, esse ipsummet Christum, etsi illum non fuerim ausa aspicere in facie. Angeli, qui me comitabantur, erant nonnihil remoti, condolentes mihi. Fui summè pudefacta. Redij ad me, & cogitans de eo, quod videram, petebam à DEO illuminari, ut cognoscerem ipsius veritates, neque deciperer. Dum sic essem constituta, dixit mihi Dominus: Vidistine, quid acciderit, & scisne cur? Duæ sunt causæ. Primò, quia diabolus dicebat, ut, si te seriò vellem probare, ipse ego te probarem aliquâ indignatione, tunc enim fore, ut appareret, an sis fidelis. Secundò volui, ut hæc probatio perageretur in eo palatio in pœnam negligentiæ, quam cõmisisti in orando, pro illa Domina, cui tantùm debes. Fideliter tamen te gessisti in experimento. Et cùm me videret adeò afflictam (quia talia etsi fiant in spiritu, affligunt nihilominus corpus) dixit mihi: Visne aliquod levamen? Ego respondi: Non, Domine, non volo levamina in ista vita. Sed hoc non obstante, mandavit Angelis, ut me recrearent, & ipsi me duxerunt ad quendam locum deliciosissimum, ubi aliquantùm quievi.

§. III.

DUm aliâ vice mea anima experiretur se quodammodo derelinqui ac deseri vehementer & notabiliter à suo DEO ac Domino, semper nihilominus invocabat DEUM, petens ab illo, quod semper petit, & eodem modo, misericordiam ac lumen pro se, & pro suis proximis. Quia enim ipsam Dominus semper dignatur habere præsentem, agit cum illo, atque conversatur, quomodòlibet à DEO habeatur, & in quocunque statu eam ponat, nec est unquam absque illo, neque ipsum deserit, & omnibus modis, illi bene est, quidquid Divina Majestas faciat ac statuat. Dum ergo à DEO prædicta peteret, dixit ipsi Dominus seriò, & quodam sublimiore modo, ac austero, quasi tantùm veniret ad redarguendam ipsius adeò pertinacem petitionem: Anima, quid est, quod modò petis? ut tantopere clames, sisque obfirmata in petendo? quid vis? dic, quomodo id audeas facere? vides, quòd me à te absentaverim, tibique occultaverim, & quòd te quasi solam velim relinquere in cruce? nonne hoc sufficiet, ut te contineas, ac taceas, méque relinquas? Tum se statim Dominus rursum subduxit. Audivit mea anima, quod illi à DEO ac Domino ipsius erat dictum, & nec ideò fuit contristata, sed, sicut priùs, perseveravit in suis clamoribus, dixitque Domino suo: Verè, mi DEUS, & Bonum meum, etiamsi plus facias, & plus dicas, magisque me asperneris, ac à te rejicias, semper me oportet clamare, & perseverare ad fores tuæ misericordiæ, ac pietatis, quamvis mihi nun-

quam respondeas: atque si unâ portâ me pelleres, intrarem aliâ. Hic enim mihi moriendum est, & vivendum, & semper manebo prostrata, ad pedes tuæ clementiæ. Dum hæc dicerem, fuit anima mea quodammodo fatigata vehementiâ affectûs, & passa est ecstasim, quasi dormitans, ac tum illam DEUS ipsius expergefecit allocutione quadam Divinâ & plenâ suavitatis, atque misericordiæ, dixitque illi: Quid facis, mea Anima? dormisne? Expergiscere Anima, in me namque manes, & ego te gesto in meis brachijs, nec omnino dubita, me tibi nunquam defuturum, meásq; aures semper fore attentas ad tuas voces, & clamores: postula à me, Anima, quidquid volueris, tibique placuerit, ac fuerit pro tuo solatio. Audiendo anima hæc Divina verba, fuit valdè recreata, glorificans suum DEUM, propter tantas misericordias.

§. IV.

HÆ interna dereliction ipsi frequenter contingebant, ut magis perficeretur in virtute. Quodam tempore, *ait*, me dæmon vehementer persequebatur, mihíq; minabatur, non ità tum futurum, sicut hactenus fuit, sed quòd me esset extracturus ex lecto & raptaturus, ac pessumdaturus. Ego parùm curabam ipsius minas, sed sentiebam angustias, & derelictiones interiores DEI, ipsiúsque Angelorum, ut mihi viderer pendere inter cœlum & terram, & quasi sola fuissem relicta meis tantummodo viribus, quamvis per DEI misericordiam mea anima semper esset unita cum Divina Majestate, dependerétque ab ipsius præsentia.

Sed magis miratur, quòd, dum in parte inferiore animæ pateretur has derelictiones, simul affluaret ingenti solatio & gaudio in superiore parte spiritûs, quod erat quodammodo conjungere protectionem ac derelictionem. Postquam mihi, *inquit ipsa*, DEUS præstitisset extraordinarias gratias, obtulit mihi etiam ejusdem Majestas res molestissimas, & vehementer mei afflictivas, adeò ùt quasi versarer inter saxa; ac miserabile meum corpus sentiret summos dolores & cruciatus, quoddámq; martyrium & crucem, quæ in mea apprehensione erat summa: nihilominus tamen anima mea non carebat tantis ijs bonis, quæ dixi, neque illa mihi vel hilum crucis meæ auferebant: sed gloria, bona, & consolationes, cruces, afflictiones & martyrium unà jungebantur, & pari passu procedebant, ità ut bilanx semper consisteret in æquilibrio. Fuit mirabilis hic modus, quo DEUS mecum egit per aliquot dies, quem hactenus taliter non fueram experta; quia præ vehementia dolorum, me sæpe relinquebat, quasi penitus pessumdatam, & proximam morti, ut natura & externæ potentiæ omnisuà destituerentur operatione, quoadusque DEUS post plures horas, & sæpe dies, rursum aliquantùm confortaret meas potentias, quemadmodum ejus Majestati placebat; deinde verò denuò redibat meú extraordinarium martyrium. Ità exegi aliquot septimanas, & interdùm me inveniebant insolito modò constitutam, ùt de me DEUS disponebat: quia cum ingenti interno solatio meæ animæ ardebam magno amore, sentiens magnam suavitatem ac delectationem, unà cum terribili cruce, quasi tamen illa crux non esset ex peracutis contexta spinis, sed recentissimis, suave-olentibus, ac fragrantibus rosis, & anima mea quiesceret in suavi ac florido lecto. Hoc rarò fiebat, neque ista solatia erant, sicuti ordinaria, quæ DEUS solet communicare, sed alia in intimo spiritûs recessu.

§. V.

ALius modus derelictionum erat, quando dabat licentiam diabolo, ut ipsam dumtibus favoribus & gratijs, quas ei exhibebat, abriperet, ac illas impediret, quamvis deinde omnia converteret in majus ipsius bonum ac solatium. Aliquando, *inquit*, DEUS volens me nonnihil recreare, ut possem progredi in meis afflictionibus, duxit me quodam die per meos Angelos ad cacumen cujusdá alti montis, unde comparebant delitiosa, & jucundissima visu prata, arboreta, fluvij ac fontes. Et postquam fruita fuissem aliquamdiu hoc aspectu,

ctu, atque aliquantùm respiravissem, permisit Divina Majestas, ut me dæmones arriperent ac præcipitarent ex illo monte, quin tamen confringerer, etsi caderem supina. Perveniens autem ad pedem montis, qui desinebat in crepidinem magni cujusdam fluminis, volvebar quasi per arenam, donec inciderem in flumen, & sic fui à profluente portata satìs procul, pertranseundo arcum cujusdam magni pontis, qui erat in flumine. Post pontem vidi fluvium ingredientem in mare, & fui lata impetu profluentis aquæ usque ad ipsum mare, unde me extraxerunt mei Angeli, duxerúntque ad quandam domum recreationis (erant enim multi horti in littore) ubi fui confortata, & gratias egi DEO pro beneficijs, quibus me cumulabat. Deinde me Angeli duxerunt ad cœlum, ubi sum fruita delicijs, ac solatijs, quibus aliàs: sensi tamen ingentem dolorem in corpore, qui provenit ex casu, quando fui præcipitata ex monte. *Per hanc visionem videtur illi DEUS voluisse indicare, post solatia sequi afflictiones: &, quando tribulationes vehementer torquentes, fiunt quasi quoddam mare, eripi ex illis animam à DEO, cum majori solatiorum abundantia.*

Aliàs, dum multas paterer afflictiones, dixit mihi Dominus quodam die: Es afflicta, Soror, visne venire mecum? Respondi statim: Ità, Domine. Venerunt Sancti Angeli ad me ducendam, & videbantur me non posse elevare. Vidi autem ex lecto cœlos apertos, & quidquid est ibi; atque advertebam, Dominum mihi veluti annuere, ut venirem. Optabam hoc valde, & non poteram. Incepi cogitare, quænam esset hujus rei causa, attribuens totum meis defectibus, jam his, jam illis, & meæ indignitati, petebámque à DEO omnium veniam. Dum ità essem anxia, vidi me detineri à quatuor vel quinque diabolis. Statim autem ac ipsos viderunt sancti Angeli, aggressi sunt illos, ut eos inde expellerent, licèt ipsis restiterint. Unus autem se proripuit, mihique appropinquavit, ac suo capite & genibus talem impegit ictum in dorso, ut fuerim vehementer contusa. Accessit Angelus Custos, & dixit mihi: Marina, nè te affligas, ego enim te curabo. Post unam deinde horam mihi comparuit iterum Christus Dominus, vidique in eo, non solùm, quòd esset Homo, sed etiam DEUS, totúsque circumdaretur à Divinitate; dixitque mihi: Quod accidit, non provenit ex causa, quam tu putas; sed ego id permisi pro te probanda, & quia mihi placebat tua diligentia, quam adhibebas, examinando causam tui impedimenti: Noli affligi.

Denique aliquando sub prætextu commisertionis ostendit Diabolus, quantopere cuperet videre istam suam inimicam, redactâ in nihilum. Dixit ipsi quodam die Divina Majestas: Anima, quid faciam, ut te sublevem in tuis molestys & afflictionibus? Respondit diabolus, qui adstabat: Domine, in quo potes sublevare istam animam, est, ut illam liberes ab afflictionibus, quia jam diu patitur. Ut ut sit, tu ipsam tamen assumes ad te, melius ergo est, ut id fiat statim. Dominus autem illi respondit, præferens magnam indignationem: O proditor, quis te constituit consiliarium Omnipotentis? Pluris ego facio unam horam, quâ hæc anima patitur, atque ut exequutioni mandentur omnia, quæ statui cum illa facere, quàm istos favores accelentos, de quibus loqueris. Usq; adeò invidebat diabolus isti famulæ DEI multa merita, quæ sibi accumulabat suâ patientiâ ac resignatione, & affligebatur, cò quòd non posset contra illam prævalere.

Sic imponimus finem primo libro, qui complectitur tria cõtenta in via extraordinaria, quâ fuit ducta à DEO, combinata ex admirandis favoribus, & gratijs, nec non tremendis cruciatibus ac tormentis, unáq; præclarissimis virtutibus, quandoquidem in ea relucet profunda animi demissio, cum cognitione propriæ vilitatis, obedientia punctualissima, quam exhibebat DEO, & ipsius Angelis, atque Confessarijs; ardens zelus, ut bene esset animabus; continua oratio & familiaritas cum DEO, à cujus præsentia nunquam recedebat; insignis patientia in proprijs necessitatibus, infirmitatibus, tormentis ac martyrijs, quæ de manu DEI per Angelos ac

diabolos, quorum operâ utebatur, sibi obvenientia patiebatur, præter magnas corporis vexationes, flagellationes rigidas, & frequentia cilicia asperrima, jejunia continua, ac alias afflictationes, quas, dum illi suppeterent vires, voluntariè usurpabat, conferendo de ijs cum Arbitris Conscientiæ, & exequendo, quantum illi permittebant, qui se accommodabant ardenti ipsius fervori, quãvis non absque prudentia Christiana. Atque hæc omnia declarabuntur, & magis patefient per ea, quæ sigillatim referentur in sequentibus libris.

A. M. D. G.

LIBER

LIBER II.

MIRABILIS VITÆ VENERABILIS VIRGINIS

MARINÆ DE ESCOBAR.

De admirandis Revelationibus, quas habuit de Mysterijs nostræ Redemptionis, & inusitatis gratijs, quas in illis est assequuta.

MAgno sunt fidelibus solatio peculiares revelationes, quibus DEUS confirmat ac declarat nostræ Fidei mysteria, revelata suæ Ecclesiæ, dum simul sufficientia præbet testimonia, se esse earum authorem. Hunc in modum illa revelavit Venembili Marinæ de Escobar, modis usq; adeò varijs, tum accommodis, ac admirandis, ut abundè ex ijs constet, esse revelata à DEO, volente (quod idemmet Dominus illi dixit) per simplicem fœminam sua manifestare magnalia Sapientibus mundi, ad majorem gloriam suam. Ex his revelationibus quasdam in secundo isto Libro recensebimus, servato ipsorum mysteriorum ordine, & adjunctis in quolibet mysterio ijs, quas diversis vitæ suæ habuit temporibus, omissis autem multis alijs, pertinentibus ad argumentum sequentium librorum, ubi referentur. Atq; licèt primum inter mysteria concernentia vitam sacrtissimæ Virginis, fuerit Purissima ipsius Conceptio, immunis à peccato originali, *ac de ea Venembilis Marina præclaras habuerit revelationes, anno millesimo, sexcentesimo, decimo sexto, post annum suæ ætatis sexagesimum, differemus tamen illas ad finem Libri quarti, eò quòd istud mysterium ipsi non fuerit ab initio datum pro argumento orationis & contemplationis, quemadmodum alia, tantúmq; ex illis pauca quædam desumemus spectantia ad mysteria deinceps enarranda.*

CAPUT I.

De Beatissimæ Virginis Nativitate, ac Infantia, cum purissimæ Conceptionis encomijs.

APpropinquante Festo Nascentis Sacratissimæ Virginis, vidi oculis animæ hanc Dominam, instar puellulæ recenter natæ, unde intellexi; mihi à DEO præstandam specialem quampiam gratiâ, ut consuevit, quòd & factum est. Die siquidem antecedente Vigiliam Festi, dum vacarem recollectioni, mihi ostendit cimelia aurea, & lapides pretiosos elegantiores, quàm dici possit, vel cogitari. In his erat pretiosissimus, quem fixiùs fui intuita, torques aureus elegantissimus, habens lapidem pretiosissimum in medio, qui magnitudine adæquabat parvulum ovum, ad cujus similitudinem erat efformatus, & referebat colore purissimum rubinum, atq; vibrabat tales radios, & splendores lucis, ut videretur multò magis coruscare quavis lucidissimâ stellâ. Quia verò mihi Dominus non manifestabat, quidnam id rei esset, stupebam contemplando illum & cogitando, quid significaret. Aliquantò pòst mihi dixit Divina Majestas: Ista cimelia spectant ad desponsatam, ac recenter genitam, & significant præclarissimas, sublimissimásque virtutes, quibus exornavi ac locupletavi animam, & purissimum cor meæ Matris eo die, quo fuit nata. Hoc audito, fui repleta solatio, & mirata sum, expendens excellentissimas virtutes hujus Dominæ, quæ repræsentabantur per illa pretiosa cimelia, præsertim charitatem, & amorem DEI, ac proximi, quo cor ipsius flagrabat, & quem significabat pretiosissimus rubinus, in medio aurei torquis collocatus.

§. I.

DUravit hic affectus usque ad ipsam Festi vigiliam, & subsequentem noctem; atque tum, postquam me dedissem orationi, vidi oculis animæ supereminentem Virginem instar puellulæ, modò genitæ, formosiorē & splendidiorem, quàm cogitari possit, cum corona aurea, quam gestabat in capite, radiantem ingenti splendore, & cimelijs ac torque ornatam, quæ præcedente nocte videram, & sacrum ipsius pectus exornabat cimelium, seu pretiosissimus lapis, qui erat in medio torquis, cujus mihi aspectus majora attulit dona, & gratias, quàm fuerint eatenus meæ animæ à DEO collatæ. Matutino deinde tempore posteræ diei, quæ erat ipsum Festum, rursum illam conspexi eodem modo, unde ipsius species fuit meæ memoriæ firmissimè impressa.

Alio Festo Nascentis ejusdem Virginis, vidi illam quasi infantulam modò genitâ, in brachijs Sanctæ Annæ, adstante Sancto Joachimo. Flebat pupula amarè, ut tota videretur diffluere in lachrymas, neque tametsi illi Mater præberet ubera, conticescebat. Accepit ipsam Sanctus Joachimus, & blandiebatur illi, quæ nihilominus eodem modo plorabat, quoadusque conquiesceret veluti obdormiscens, ac tum eam reddidit Sanctæ Annæ. Ego mirabar, videns ipsam die tantæ lætitiæ, tantopere plorantem, videbantúrque etiam sancti ejus Parentes ignorare, cur fleret. Aderant nonnulli Angeli ex ijs, qui sunt in Cœlo sublimiores, & unus illorum mihi manifestavit causam istius ploratûs, significando mihi hanc pupulam, jam inde ab ipsa sua nativitate fuisse præditam usu rationis, ac magnâ sapientiâ, & singulariter à DEO illuminatam, ab eadémque tunc illi clarissimè revelatum Verbum Divinú incarnandum (non tamen dictum, assumendam ab eo carnem in ipsa) & quàm multa passurum esset pro hominibus, eorundémque ingratitudinem, nec non multa peccata, quibus esset offendendus tantus Dominus: atque istam fuisse causam illius ploratûs. Post unam deinde hora,

horam, vel ultrà, conspexi rursum istam Dominam, in specie puellæ, sed adultiorem, quasi trimulam, mirum in modum speciosam, & stipatam multis Angelis, quæ me in meis afflictionibus solabatur tam sapientibus ac Divinis alloquijs, ut ostenderet se ampliùs esse, quàm puellam, accedénsque ad me, amplexata me est, quo amplexu fui quodammodo internè immutata.

§. II.

ALio anno 1623. die Nascentis Sanctissimæ Virginis, vidi ejusdem Majestatem recenter natam formosissimam, & pulcherrimam, circumdatam innumeris funiculis, contextis ex purissimo auro, ac mirum in modum refulgentibus, qui extendebantur per totum mundum, unáque stipatam plurimis sanctis Angelis. Proximè ipsius Majestatem erat infinitus numerus lapidum pretiosorum, aureorum elegantissimorum cimeliorum, ac gemmarum, ingentésque splendores luminis, & claritatis, multi soles lucidissimi, nec non alij copiosi thesauri, qui omnes significabant maximas recenter natæ pupulæ virtutes. Post hanc Dominam stabant tres Divinæ Personæ, ac tenebant in suis manibus titulum, qui continebat illa verba: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te;* quibus indicabatur purissima ipsius Conceptio. Interea inceperunt instar vehementis grandinis decidere in terram Divini illi thesauri, in magna abundantia, & duodecim Angeli DEI adfuerùt perquàm diligentes, & celeres, ut illos colligerent, ac deferrent ad thesaurum Ecclesiæ; erant autem superabundantia merita, quæ illa Sanctissima Domina in ea ætate habebat, & videbantur mihi tunc longè majora, quàm simul sumpta cæterorum Sanctorum. Sanctissima Virgo me aspiciebat blandissimè, & alloquebatur arcano modo, ut tantùm videretur movere labia, dicebátque, se mihi adfuturam, & opitulaturam. Statim petivi à Sanctissima Virgine, ut mihi succurreret, séque faventem exhiberet, quod ipsum postulavi pro alijs, qui se mihi commendaverant. Dominus autem mihi respondit loco suæ Sanctissimæ Matris: Nè dubites, futurum, quidquid à me Sanctissima mea Mater petierit: & specialiter fiet, quod modo petis; datáque mihi suâ sanctissimâ benedictione, discessit à me.

§. III.

COnfirmatur hæc præcedens revelatio glorioso testimonio, quod de ista superbenedicta puellula mihi perhibuerunt sancti ejusdem Parentes. Dum die, quo recolitur purissima Conceptio Beatissimæ Virginis, agerem cum DEO (anno 1619) vidissémque priùs gloriosam sanctam Annam, hæc mihi amanter dixit: Amica, non potes intelligere, neque cogitando assequi, summum gaudium & jubilum, quo mea anima exultavit, quàm diu in visceribus meis tuli purissimam Virginem MARIAM, meam filiam; & illustrationes, quas habui à DEO ijs mensibus, ex quibus intelligebam id, quod ferebam in utero, esse quiddam valde admirandum ac Divinum, plurimùm commodi ac boni allaturum universo mundo. *Fuit autem MARIA Mater DEI purissima & concepta sinè macula peccati originalis. Quidquid opponitur, abludit à vero, neque est credendum, sed nec dicendum ullâ ratione.*

Solata me fui vehementer aliquot horis eò, quod audiveram à gloriosa Sancta Anna, agénsque cum DEO, audivi suavissimam musicam Angelorum, laudantium ac magnificantium Immaculatam Conceptionem Beatissimæ Virginis, & subitò vidi venientem cum magno Angelorum comitatu gloriosum Sanctum Joachimum Patrem DEIparæ, qui ipsam manu ducebat cum summa reverentia, & amore. Erat instar puellæ parvulæ, duorum ac dimidij anni, aut paulò ampliùs: veniebat autem hæc sacratissima pupula, quàm amabilissimè intuens suum sanctissimum Patrem, & vultu hilari, vicissímque Sanctus Pater ipsam intuebatur summo cum amore, & gaudio. Tota erat vestita auro, & lapidibus pretiosis, qui erant similes soli lucenti; vultus ejus, & capillus fuit elegantior ac pulchrior, quàm dici possit,

vel verbis explicari. Ingressa est hæc Domina meum cubiculum, quam statim sancti Angeli, qui apud me erant, humillimè & reverentissimè genibus humi defixis venerabantur: Domina verò illa, & Sanctus Joachimus ipsos aspexerunt jucundè & amanter: petitâ deinde veniâ accesserunt illam suo ordine, osculaturi pedes sanctissimæ Pupulæ; quod tamen ipsa, tergiversando non admisit. Cùm autem aspiceret suum Patrem, ille ei dixit: Filia, ac Domina mea, porrige tuam manum sanctis tuis Angelis. Tum extendit suam manum, quam habuerat aversam, applicuerátque lateri ad cingulum, & illis porrexit, atque ipsi sunt eam reverenter osculati, & redierunt ad suum locum. Sanctus verò, & Virgo appropinquabant mihi, unde incepi multùm turbari, & confundi; quod videns sanctus Joachimus, mihi dixit: Famula DEI, noli turbari, nec molestè ferre favores & gratias, quas tibi DEUS præstat, accepta illas cum solatio, & gratiarum actione. Et hoc dicendo sustulit ad sua brachia sanctissimam suam Pupulam, collocavitqne illam supra lectum, in quo ego decumbebam infirma, & ipsa Domina convertit ad me oculos magno cum amore & charitate, dicens mihi: Quid habes, Amica mea? quid hîc agis? ecce ego te amo, ob multas causas, & quia colis meam purissimam Conceptionem. Considera, quid à me velis, pete à me, quod volueris, quia ego sum ac ero tua Advocata & Patrona. Dum hæc verba audirem, & contemplarer eximiam hujus Dominæ pulchritudinem, atque cognoscerem magnitudinem donorum, & gratiarum sanctissimæ ipsius animæ, fui repleta stupore, ac delibuta solatio, dixíque illi: Sanctissima Domina, ora pro me Dominum Majestatis, & pete ab illo, ut mihi det suam gratiam, suumque Divinum lumen, quò ipsum cognoscam, & amem ex toto meo corde: obsecro te etiam Domina humiliter, ut audias, quod tibi dicendum habeo nomine cujusdam Religiosi (quem ipsi nominavi) qui te suppliciter rogat, ut digneris esse ipsius Advocata, ac Patrona, orésque Dominum, ut illi det suam Divinam gratiam, quâ adjutus, ipsi in omnibus suis operibus placeat, ac serviat. Quod ipsum ego à te peto pro duabus personis. Faciam, quod mihi dicis, ajebat illa Domina, quàm libentissimè, ac instantissimè pro ea persona, de qua loqueris (quod, velim, illi significes) nec non pro alijs illis duabus, quia omnes plurimùm amo, *eò quòd addictæ sint meæ purissimæ Conceptioni.* Et hoc dicto, strinxit brachijs collum hujus suæ famulæ, méque peramanter est amplexata, ac dixit mihi: Vale, Amica, usque dum revertar, quod non ità multò pòst fiet. Summum fuit meæ animæ solatium, quod cepit ex ista gratia, & quamvis fuerim turbata, quando ista Domina mihi appropinquabat, postea osculabar & amplexabar perquàm reverenter & amanter ipsius manus, quas habebat elegantissimas, plenas annulis, jámque magnopere dolebam ob ejus abitum, ac absentiam: conformando me tamen Divinæ voluntati, dimisi illam ex meis brachijs, & Sanctus Joachimus ipsam sustulit in sua; statimque, dum inciperet abire, resonuit musica Sanctorum Angelorum, sicut initio, & videre fuit mirum spectaculum: quia cùm ità hæc Domina gestaretur à suo Patre, cœpit in abitu resplendere instar Solis, atque taliter quasi deificari, ut prorsus videretur induisse Spiritum sanctum, & ipse intimè illi esse unitus, replens quàm cumulatissimè suis Divinis gratijs ac donis totam illam sanctissimam animam. Dum contemplarer hoc mysterium, & istam magnificentiam, cum maxima admiratione & solatio meo, conjeci oculos etiam aliò, ubi vidi ingentem cohortem diabolorum, qui toti erant armati, & ferebant hastas mucronatas atque cuspidatas, ac edebant gestus quosdam truculentos, moliebantúrque assultum aliquem crudelem ac terribilem, ut viderentur agi in rabiem, velléque invadere illud sanctissimum mysterium; quod tamen nullâ ratione poterant, quia erant quasi vincti & ligati, ac impotentes ad invadendum. Quamvis autem quidam diabolus major ipsos animaret, & compelleret, ac vexaret, ut agerent, quod ipsis esset agendum, nihilominus reddebantur magis impoten-

potentes, & imbecilles, magisque deficiebant viribus. Mirata sum vehementer, videndo istam ferociam diabolorum, & intellexi rem hanc esse quandam figuram, quâ repræsentabatur id, quod *accidit in mysterio purissimæ Conceptionis Dominæ Nostræ.*

Post hoc redij ad contemplandum mysterium, cui mea anima erat intenta, & vidi hanc Sacratissimam Dominam prædicto modo discedentem, cum sanctissimo suo Patre, comitante eos, ipsisque inserviente magnâ multitudine Angelorum, qui procedebant bini longis Ordinibus, & omnes erant speciosissimi ac fortissimi, armati splendidissimis armis, gestantes in humeris hastas. Hi Domini antecedebant istam Reginam, Filiam, & Sponsam magni Regis, ac Domini Majestatis. Sequebantur autem eandem alij multi in specie Principum, & gravissimorum Dominorum, ac Magnatum, omnes candidissimis armis instructi, portantes diversa symbola virtutis ac fortitudinis in suis humeris. Hoc modo, & cum hac tanta, tamque sublimi Majestate, quæ non potest verbis exponi, vel explicari, progrediebatur ista Domina, sustentata brachijs sui Patris, quam abeuntem vidi, donec paulatim, me magnopere mirante ac stupente, meo eriperetur conspectui illud sacrum mysterium. Benedictus sit DEUS, in omnibus operibus suis! Amen.

CAPUT II.

De Præsentatione Beatissimæ Virginis in templo, unáque laudibus ipsius Immaculatæ Conceptionis.

§ I.

POstquam advenisset mensis November, triduo vel quatriduo, ante festum Beatissimæ Virginis in Templo Præsentatæ, ferebam illam semper in meæ animæ oculis, instar triennis puellulæ, sentiens in meo corde tam ardentem amorẽ erga istam sanctissimam Virginem, ut illum non possem dissimulare. Cùm ergo adesset ipse dies festus, manè, tempore meæ recollectionis, inspiravit mihi Dominus novum quendam modum Orationis, quẽ à multis jam annis non usurpaveram, ut meditando ac discurrendo mihi in memoriam revocarem gloriosam Sanctam Annam, Matrem Dominæ Nostræ, & Sanctum Joachimum ejus Patrem, quos mihi imaginabar solicitos ac diligentes obire suam domum, ut providerent necessaria pro præsentanda sua sanctissima Filia in Templo, quam animo constanti & generoso ac obfirmatissimo volebant offerre, atque dedicare obsequio sui DEI ac Domini, à quo ipsis fuerat miraculosè donata; erántq; parati, ad majorem ipsius gloriam, carere ingenti solatio, quod capiebant ex convictu talis Filiæ, quam meritò intimè diligebant. Agnoscebam in istis gloriosis Sanctis, hinc firmum propositũ, inde verò magnam difficultatem ac dolorem, propter jacturam boni, quo privabantur, ob sanctissimæ Filiæ suæ absentiã; & ista expendens, laudabam ac benedicebam eorum fortitudinem, & constantiam, unáque vehementer condolebam, & compatiebar ipsorum afflictioni, multò verò magis, quando deinde consideravi redeuntes illos gloriosos Sanctos solos, relictâ sanctissimâ Virgine in Templo, non absq; grandi cordium suorum dolore, quapropter incepi lachrymari. Tunc mihi dixit Dominus: Sufficit, cessa, nec ultrà progrediaris. *Volebat enim eam elevare à solito ipsius modo omnĕ, sicut consuevemt.* Statim cessavi, & mansi satis diu abstracta, deinde sustuli oculos animæ, & vidi sanctissimam Virginem, in statura triennis puel-

puellæ, cinctam ab Angelis, qui illam sustentabant in aëre, & duo ex ipsis tenebant coronam pretiosissimam, impositam ejus capiti. Erat cooperta pallio exornato pretiosis lapidibus, fulgore superantibus stellas cœli, & habebat manus quàm devotissimè compositas, atque tota adeò resplendebat, & erat plena majestate, ut post se traheret meam animam. Contemplata sum illam cum magno solatio, vehementérque flagrans ipsius amore. Derepente autem vidi illos sanctos Angelos, accedentes ad sacratissimam Virginem, qui apprehenso utrinque ejus pallio, simulaverunt se velle cum ipsa abire, quos ego rogavi, ut mihi illam aliquantò diutiùs concederent, eò quòd existimarem, me exiguo fuisse tempore fruitam illius conspectu. Permiserunt ipsam adhuc aliquamdiu subsistere, & postea abduxerunt; quos abeuntes, meum cor sequebatur. Non potui illius multis diebus oblivisci, cum ingenti meæ animæ solatio.

§. II.

ALio diè Præsentatæ Deiparæ, vidi in spiritu Sanctissimam Virginem Dominam nostram, quasi puellam trimulam, comitantibus ipsam multis Angelis, & sancto Archangelo Gabriele. Erat formosissima, rapiebátque me ad sui contemplationem. Oculi ipsius erant cæsij, & capillitium quasi aureum, habebat calceamenta pellucida, tectis integrè pedibus. Accedens ad me, ostendit mihi præcinctoriolum, quod gerebat, dixitque mihi: Vide, Amica, quid tibi feram, omnia enim sunt tua. Et quamvis ego essem turbata, ac reluctarer, tandem aspexi, quid esset. Ferebat in præcinctorio pretiosum quendam torquem, confectum ex auro & gemmis, aliisque cimelijs magni valoris, nec non coronam auream, quæ omnia exponebat, ostendendo mihi illa, sibíque ipsi imponendo, & sic apparuit elegantior, quàm antè, ac dixit mihi: Amica, omnia ista tua sunt, & Dominus illa tibi conservat, donec adveniat tempus, ut ijs fruaris. Fui attonita, dum contemplarer illius Majestatem, & quasi absorpta, visâ tantâ magnificentiâ. Rogavi ipsam, ut mihi liceret osculari sacratissimos suos pedes: Tum illam apprehenderunt duo Angeli, tanquâ parvulam, infra brachia, & elevaverunt ad meum lectum, ubi illos sum osculata, & ipsius Majestas se modicùm inclinavit, méque est amplexata: rogavi ipsam, ut me adjuvaret, plurimúmque DEO commendaret, quod se facturam mihi promisit. Postea mansi abalienata à sensibus, & non vidi ampliùs meam Dominam.

Biduo post, ante diem, qui Deiparæ partum expectanti est sacer, vidi rursus eandem sanctissimam Virginem, quæ mihi peramanter dixit: Noveris, Amica mea, quòd à die meæ Præsentationis in Templo, usque ad diem Incarnationis mei Sanctissimi Filij, me semper exercuerim continuâ oratione ac meditatione Divinorum mysteriorum ac magnalium DEI, amando ipsum omnibus meis viribus, contemplandóque illum assiduè, & nec ad momentum ab eo recedendo; continuè quoque cor meum, & anima mea ardentissimè desiderabat adventum Filij DEI in mundum, ut esset Redemptor ac Reparator generis humani. Et cùm recenseret suas istas virtutes, atque prærogativas, manifestavit mihi simul Divinissimam devotionem, quâ illas exercebat. Habui magnum solatium, vehementérque obstupui, cognoscendo aliquantùm, ac intelligendo sublimitatem cœlestis & altissimæ contemplationis, cui dedita fuerat ista Celsissima Domina.

§. III.

ALio die Præsentatæ Beatissimæ Virginis (anno 1622) agens cum DEO, more solito, vidi Christum Dominum crucifixum, unáque Sanctum Patriarcham Joachimum, Patrem DEIparæ, qui juxta se habebat suam sanctissimam Filiam, Dominam nostram, puellam triennem, stringens ipsius manum quàm reverentissimè & amantissimè, eidémque tenerrimè abblandiens, & sanctissima Pupula similiter erga sanctissimum suum Patrem præ se ferebat magnum amorem, & reverentiâ. Dum contemplarer hoc Mysterium, vidi diabo-

diabolum, qui aliquantùm distabat à Domina Nostra, & quasi volebat ipsam adoriri à tergo, ac inferre illi aliquod damnú; quod tamen non poterat, quia erat destituta viribus. Vidi etiam ex Christo Domino crucifixo prodeuntem quandam Divinam virtutem, instar parvæ gratiosissimæ nebulæ, quæ humectabat totam illam sanctissimam Puellam, eandémque reddebat formosissimam, ut adæquaret mille soles, plurimúmque illustrabat. Eximia fuit elegantia, bonitas, cæterique Divini thesauri, quos vidi & agnovi in illa sanctissima Domina, ut excedant captum omnis intellectûs. Diabolus fugit, ac evanuit. Sanctus autem Patriarcha subitò sustulit ad suas ulnas intemeratam Virginem valdè reverenter, & amanter, intuebatúrque ipsam, & se in ea contemplabatur: amplexabatur etiam illam, & osculabatur, compellabátque mille blandis verbis, dicendo ipsi: Filia mea, Domina mea. Et Sanctissima Puella stringebat suis brachijs collum sui sanctissimi Patris, ac amplexabatur ipsum, atque osculabatur cum magna honoris exhibitione: sic illam sanctus Patriarcha tulit ad me, ut ipsam venerarer, & contemplarer. Cùm esset apud me, vidi venientes plurimos sanctos Angelos, ac adferentes quoddam pretiosum pallium, quo coopertum sanctum Patriarcham cum sanctissima Pupula Domina nostra, quam gestabat in brachijs, tulerunt ad cœlum, cócinendo eximias laudes istius Dominæ, sanctique Patriarchæ: præsertim verò decantabant encomia purissimæ & sanctissimæ Conceptionis Dominæ Nostræ, atque hoc modo illam portaverunt quoadusque effugeret meos oculos. *Dictum mihi est, significatum mihi in hoc Mysterio fuisse, quòd puritas Conceptionis Dominæ Nostræ, sit attribuenda Christi Domini crucifixi virtuti ac meritis, quæ ipsi fuerunt ab eo applicata, quódque fuerit præservata à lapsu in peccatum originale.*

CAPUT III.

De Annunciatione Beatissimæ Virginis.

§. I.

AGens cum DEO, in pervigilio quodam Festi Salutatæ DEIparæ, manè converti oculos animæ ad unam partem mei cubiculi, & conspexi Sanctissimam Virginem Dominam Nostram, cum sancto Archangelo Gabriele. Recurri subitò ob meos solitos timores ad DEUM, quemadmodum consuevi, postulans ab eo lumen ad me conformandam in omnibus sanctæ ipsius voluntati, & cognoscendas ejusdem veritates. Non multò pòst, sum illam denuò intuita, dixitq; mihi sanctus Angelus: Quid times? quare turbaris? ne fugias: eâ viâ, quâ cogitas effugere gratias, quas tibi DEUS præstat, magis te disponis ad illas consequendas. Et ego ipsi respondi: Angele sancte, dum considero ingentes favores, quos mihi DEUS his diebus exhibet, adeò excedentes meum meritum, timeo, & erubesco. Sanctus Angelus autem mihi dixit: Timores ac tergiversationes tuæ moderatæ & convenientes, potiùs te disponunt pro obtinendis his divinis favoribus: excedentes autem, & justo majores, tibi præbent occasionem & materiam exercendæ mortificationis. Si ergo, Sancte Archangele, ajebam ego, ità est, doce me, quid sit faciendum, ut me conformem Divinæ voluntati. Tum sanctus Archangelus extendit manum quasi attingendo quàm reverentissimè vestem Sanctissimæ Virginis, quæ summa cum gravitate, & extraordinaria modestia atque charitate, mihi dixit: Ego, quando sanctus hic Angelus venit ad me, nomine DEI invisendam, die meæ Annunciationis, non fugi: turbata sum tamen inculpabiliter, sicut quando Princeps quæ-

quæpiam Virgo, humilis ac verecunda, videt coram se derepente Legatum, adferentem ipsi aliquod nuntium, naturaliter turbatur, & erubescit pro animi sui demissione, eóque ampliùs, si id requirat conditio nuntij, quod adfert. Ego respondi: Enimverò, Domina, Tua Majestas voluit bene ab Angelo edoceri de nuntio, & interrogavit illum de modo, & quâ ratione futurum esset, quod nuntiabat. Respondítq; Domina Nostra: Hoc ideò feci, quia Angelo DEI aliquid dicente, quod repugnare videtur Divinæ Legi, ac Præcepto, necesse est scire, quomodo sit futurum istud, déque eo instrui. Voto, quo ego me obstrinxeram, castitatis, videbatur repugnare nuntium, quod mihi adferebat, ideóque de illo petivi edoceri, quomodo esset mandandum executioni: statim tamen, ac specialiter à DEO illustrata cognovi, Angelum illum esse ipsius, & modum, quo peragendum erat illud Mysterium, sinè mora consensi, dicendo: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Prosequuta est sanctissima Virgo suum sermonem, explicando aliquot versus ex Cantico, Magnificat, Divinâ suâ Sapientiâ, & quomodo illius anima laudaverit ac benedixerit DEUM, propter magnam gratiâ, quam illi præstiterat, dum ipsam fecit suam Matrem; quomodo etiam omnes gentes illam deprædicent ac benedicant, eò quòd Dominus respexerit humilitatem ancillæ suæ, & alia his similia: quibus mea anima fuit recreata, & exultavit in Domino.

Sequenti die Festo Dominæ nostræ, cõtinuavit DEUS gratiam, quam fuerat exorsus pridie, & manè adverti in visione imaginaria, aliquem intrantem in meum conclave: quia audivi quasi strepentem vestem personæ ingredientis. Aspexi, quis esset, ac vidi sanctissimam Virginem Dominam Nostram, intentam altissimæ contemplationi, & sanctum Archangelum Gabrielem, venientem nomine DEI, ad felix illi ac fortunatum adferendum nuntium, eo prorsus modo, quo id ipsi die Annunciationis ejus attulerat. Audivi & vidi, acsi denuò perageretur hoc Mysterium, Salutationem Angeli, turbationem Sanctissimæ Virginis, interrogationes ac responsa ejusdem Dominæ, & sancti Archangeli Gabrielis, ad ultimum usque Virginis responsum: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum:* atque tum passa fui ecstasim.

§. II.

DIstinctiùs mihi fuit manifestatum idem Mysterium alio die Annunciationis, anno 1619. Sub horam Salutationis Angelicæ, dum vacarem orationi, ostendit mihi Divina Majestas solennissimũ Festum, quod in cœlesti Jerosolyma celebrabant in honorem Sacratissimæ Virginis MARIÆ Dominæ nostræ, omnes Virgines illius cœlestis Curiæ, hunc in modum: Infiniti Angeli edentes cœlestem musicam, canebant suaviter ac admirabiliter, pulsando instrumenta musica. Sanctissima Virgo & Domina Nostra, erat induta vestitu regio, & pereleganti ac mystico; atque in sacro suo capite gestabat pretiosissimam coronam. Erat ad miraculum usque speciosa, & DEUS illuminavit meam animam, ut cognoscerem ipsius virtutes, donorũmque excellentiam, quæ illi DEUS communicavit. Conspiciebatur hæc Domina quasi in quodam illustrissimo theatro, & magno stipata comitatu illorum beatorum Spirituum: Sanctæ illæ dictæ Virgines, veniebant binæ, splendidissimæ adornatæ, & comptæ, ac habentes in suis capitibus coronas aureas, accedentesque eandem Dominam, se prosternebant ac deponebant coronas ex capitibus, & offerebant illas ad ipsius pedes, summam reverentiam ac venerationem exhibentes ejus Majestati, cujus se reputabant ancillas. Subitò autem se erigebant illæ Virgines, & sancti DEI Angeli, qui aderant, ut hoc munus obirent, reponebant ipsis coronas ad capita. Hoc modo multæ accesserunt nomine cæterarum omnium, quæ erant infinitæ in Aula illa cœlesti. Contemplata sum istud Mysterium aliquamdiu magno cum solatio, & agnovi eminentiam Beatissimæ Virginis, quamvis totum, quod ego sum assequuta, fuerit valdè parùm,

rùm, respectu plurimorum, quæ vidi, neque tamen cognovi propter meam exiguâ capacitatem, vel quia ità DEO placuit. Derepentè rapta sum in ecstasim, fuitque finitum Mysterium. Post unam deinde horam, vidi sacratissimam istâ Dominam in alia specie. Intenta erat altissimæ cuidam contemplationi, & quasi sola degebat in quodam recessu. Interea vidi sanctum Archangelum Gabrielē, qui intrans in conclave illius Dominæ, maximâ reverentiâ illâ salutavit, & peregit omnia, quæ nobis refert Evangelium de hoc sublimi Mysterio. Eo tempore, quo duravit colloquium Angeli & sanctissimæ Virginis Dominæ Nostræ, totum cœlum, & Spiritus Beati, cum omni natura creata, quodammodo admirabundi & suspensi hærebant, expectando assensum illius Dominæ, tanquā id, quod omnes tantopere exoptabant, propter summa bona, quæ ex eo assensu erant proventura universis, præsertim generi humano. Statim atque ista sacratissima Domina protulit illa verba, & præbuit suum assensum, cum tanto affectu, ut acceptando maternitatem DEI, acceptaverit unà, atque ex corde amplexa fuerit omnes molestias & angustias, ac dolores, quos sacratissima ipsius anima erat perpessura, annuendo, ut esset Mater DEI; eo, inquam, ipso momento, quo assensit hæc Domina, vidi illam totam deificatam, & collucentem, ut appareret, inhabitari ipsiusmet animam à Verbo Æterno Incarnato. Sed in alia visione simili, cùm illam audirem dicentem ea verba: *Ecce Ancilla Domini*, &c. comparuit mihi quædam stella, similis igni, immensi ardoris ac splendoris, quæ est ingressa in istam Dominam, eámque ità Deificavit, ut nisi nos Fides doceret, ipsam non esse DEUM, visa fuisset esse DEUS. Et intellexi per hanc stellam repræsentari Verbum Divinum, quod tum assumpsit carnem ex ipsius visceribus. Ità exhibebatur modus, quo contigit hoc sacratissimum Mysterium. Paulo post accessit ad me Sanctissima Virgo, & ille ipse Dominus, quem videram in specie stellæ, univit se meæ animæ arctissimâ unione.

§. III.

ALio die, placuit Domino, ut videret extremam parvitatem ipsius recenter incarnati & concepti in visceribus suæ Sanctissimæ Matris, quæ in reliquis infantibus, quando anima infunditur corpusculo, vix adæquat magnitudinem digiti, unde magis expendere oportet dictum Sancti Pauli de Filio DEI, quòd humiliaverit & exinanierit semet ipsum. Dum essem, *inquit*, infirma, & vehementer desiderarem sacram Communionem, visitavit me Sanctus Pater Ignatius, dicens mihi, quòd me suâ manu eâ vice esset communicaturus, non sacramentaliter, sed spiritualiter. Statimque se Sanctus Pater vertit ad altare, quod illic erat, & indutus talari lineâ veste Sacerdotali candidâ, cum stola pereleganti & pretiosa, quam habebat in collo, ad me conversus, ferebat in suis manibus sacratissimum Infantulum, valde parvum, qui quasi sedebat, aut media ex parte jacebat supra patenam: & è regione Sancti Patris conspexi sacratissimam Virginem Dominam Nostram, quæ intuebatur attentissimè illum sacratissimum Infantulum, & contemplabatur Mysterium Incarnationis sui Filij ac Domini Nostri, quem ibi videbat, amando illum atque adorando. Ego etiam hæsi, ac stupui ista, & accensa amore illius sanctissimi Infantuli, contemplabar ipsius elegantiam & splendorem; sacerrima namque ejus caro, videbatur facta & composita quasi ex purissimo & pretiosissimo cœlesti auro, sed videns illum tam parvum, mirabar ejus parvitatem; quia nunquam ipsum videram tam pusillum. Interea mihi dixit Virgo Domina nostra: Quare ità miraris, quòd videas parvitatem hujus sanctissimi Infantis? an ignoras, quòd quando ipsum concepi in meis visceribus, fuerit tam parvus, imò minor, quàm ipsum nunc videas? Noveris, ipsum tibi modò exhiberi, atque à te suscipiendum, in ea forma & magnitudine, cujus erat paucis diebus à peracto Mysterio sanctissimæ ipsius Incarnationis intrà mea viscera. Subitò venit Sanctus noster Pater Ignatius, qui ferebat, sicut dixi, illum Pupulum suis manibus,

ex quibus illapsus est in meam animam & cor, quod & strinxit, unde sensi mirabilem quandam unionem cum eodem Domino DEO, & Homine vero, eosdémque effectus, quos operatur, quando illum sumo sacramentaliter, & replevit animam meâ solatio, ac satiavit, nec non illuminavit novâ cognitione Mysterij Incarnationis. His peractis abivit Virgo Domina Nostra, & Noster Sanctus Pater, multique Angeli, qui adfuerant vehementer stupentes id, quod ibi evenerat.

§. IV.

ALiàs eodem Festo (anno 1618) vidi sacratissimam Virginem speciosissimam, & eleganter ornatam, atque aureâ redimitam coronâ, quæ erat refertissima gemmis, stipatam præterea pluribus millibus Angelorum, summè exultantium. Et postquam me eadem Domina salutavisset, dixit mihi: Venio, ut mihi gratuleris magnam gratiam & favorem, quem mihi DEUS hoc die exhibuit, dum me fecit suam Matrem, útque illi agas gratias pro eximio beneficio, quod contulit mundo, dum homo factus est pro hominibus. Noveris autem infinitos esse favores & gratias, quas sum assequuta eo die, quo concepi Filium ipsius Unigenitum, eásque esse tantas, ut non possint sufficienter æstimari. His aliísque dictis, amplexata est me valde amœnè, & discessit cum comitatu, quem, ad me veniens, habuerat.

Alio anno, qui fuit 1623. eodem Festo, dignatus est mihi Dominus dare lumen, & cognitionem clarissimam, non absque magna mea admiratione, infinitæ charitatis Filij DEI, qui propter nos assumpsit humanam carnem, & ardentissimi amoris, quo nos usque ad mortem dilexit. Atque post satis longum tempus, vidi sanctissimam Virginem Dominam Nostram, qualis fuit, postquam conceperat in suis visceribus sacratissimum Filium suum, ac DEUM Nostrum: erat autem quàm pulcherrima, tota Deificata, & resplendebat, acsi intrà se haberet Solem; evibrabat infinitam claritatem, & admirabiles ac Divinos splendores, tantámque præseferebat Majestatem, ut ipsam non auderem alloqui, quasi oppressa à gloria, quæ mihi fuerat ostensa. Illuminavit me verò Dominus, ut specialiter duas illius prærogativas cognoscerem, videlicet Purissimam Conceptionem, immunem ab omni macula peccati, ac puritatem Virginalem sanctissimæ ejus animæ & corporis. Nihilominus illam rogavi, quantum potui, ut mihi faveret, obtineretque à suo sanctissimo Filio lumen, nè deciperer; commendavi quoque ipsi illos, qui se mihi commédaverant. Apparebat mihi ista Domina instar nitidissimæ columnæ crystallinæ, continens in se Divinum quendam lucidissimum Solem, qui ipsam totam illustrabat suis Divinis splendoribus. Benedictus sit DEUS, Amen.

§. V.

DEnique præstitit illi gratiam Domina Nostra, in quibusdam vehementibus afflictionibus, ut videret locum, in quo fuit peractum hoc Mysterium. Quodam die (19. Decembris anno 1623.) *ait*, ante Cómunionem, vidi Sanctissimam Virginem Dominam Nostram, cum comitatu plurimorum Angelorum, in meo cubiculo. Ego autem, propter meos ordinarios timores, satis diu tergiversabar, nè illam viderem, & communicavi. Inter communicandum dixi ad meum Dominum: Hoc equidem credo, mi Domine, id enim me Fides docet, éstque certissimum, quòd modò sis mecum, & ego tecum, neque de hoc metuo. Verum est, dixit Dominus, sed etiam certum est, esse Matrem meam illam, quæ te hìc præstolatur. Ità conquievi; Sanctissima autem Virgo me salutavit, ac dixit: Veni Soror & Amica mea mecum: atque hoc dicto, apprehendit mea brachia, & applicuit suum vultum cum magna gravitate meæ fronti, duxitq; me secum, comitantibus ipsam omnibus Sanctis Angelis, qui recenter advenerant, unà cum meis. Transivi quosdam gradus valde latos, per maximum spatium, & ducebamur per campos amœnissimos ac fluvios,

vios, usque dum pervenissemus ad quendam parvum gratiosissimum campum, ubi substitimus. Erant in illo multi Angeli, qui decantabant laudes DEI, & Sanctissimæ Virginis, gratias agentes pro beneficio, quod DEUS contulit mundo, assumendo humanam carnem in visceribus istius Dominæ, & redimendo mundú. Ego interrogavi Dominam meam, qualenam hoc esset mysterium? cujus Majestas mihi respondit: Noveris, Soror, istum campum esse Nazarenum, ubi sita fuit domus, ad quam venit Sanctus Archangelus Gabriel, allaturus mihi nuntium, nomine DEI, quem tibi campum volui ostendere. Quolibet autem anno, die meæ Annunciationis, descendunt Angeli ex cœlo, ad concelebrandum hunc diem, & decantandas hîc laudes, quas audivisti. Mansimus ibi satis diu, fruentes illâ cœlesti musicâ, deinde Angeli elevaverunt Sanctissimam Virginem supra quandam nubem, méque unà cum ejus Majestate ad Cœlum, ubi fui unita cum meo DEO, & fruita sum aliquamdiu ipsius Majestate, ac posteà fui reducta ad meum angulum. *Quod ad Domum Nazarethanam attinet, in capite 10. de Purificatione Beatissimæ Virginis Dominæ Nostræ, exponetur clariùs ejus mysterium.*

CAPVT IV.

De modo, quo fuit peractum Mysterium Divinæ Incarnationis, Christi Domini Nostri.

Veniamus ad alias admirabiliores visiones, de Mysterio Incarnationis, in quo ipsi per lumen spiritualissimum fuit manifestatus modus, quo ea peracta est, nec non Divinitas Verbi Incarnati.

§. I.

DUm, ait, quodam die orarem, conspexi Christum Dominum adstantem in suo talari & modesto vestitu, sicut illum videre consuevi: præseferebat tantam gravitatem, benignitatem ac mansuetudinem, ut illum nemo videret, qui inde quidem coram eo non contremisceret, hinc verò ipsum non amaret, in eodémq; non confideret ex toto suo corde. Dum ità ipsum aspicerem, quantâ poteram reverentiâ & amore, vidi, quòd haberet in suis manibus quoddâ elegantissimum vas artificiosè elaboratum, ex purissimo & cœlesti auro, instar pretiosissimæ & ornatissimæ cujuspiam ac magnæ Hierothecæ, cujus pes erat affabrè efformatus. Ex hoc sacro vase circumquaque & undique prodibant purissimi radij aurei, instar radiorum solarium. Quamvis autem id intuerer, non poteram intelligere, quid esset, donec DEUS meam animam illuminaret, ut cognoverim ac intellexerim in hoc Sacrario, seu theca, inclusum esse sacratissimum mysterium Incarnationis JESU Christi Domini Nostri. Sed tum adhuc non percepi, quale esset, donec paulò post vidissem momentaneè aperiri Reliquiarium, & ex speciali Divina illustratione vidi ac intellexi, quomodo fuerit peractum istud Divinum Mysterium Incarnationis, quasi re verâ tum perageretur, & postquam hoc inspectante meâ animâ fuisset factum, etiam rursum in momento est clausum, unde fui ità obstupefacta, & consternata, ut dicerem intra me: Quid est hoc, quod vidi? istud Mysterium non contigit, nisi semel, quomodo ergo illud modò vidi peragi? Ità confusa hærebam, nec plura indagabam: quia nihil de magnalibus istis scio, quàm quod me DEUS docet. Sed cùm Divina Majestas videret, quid ageretur in mea anima, dixit mihi quàm amantissimè: Nè consterneris, neque ità confundaris, quia istud Mysterium non est modò peractum, sed ostenditur tibi, quâ ratione contigerit. Sic mea anima fuit

repleta ſolatio, & amore propter tantam bonitatem, quâ iſte Dominus nobis afficitur. Atque ut redeam ad ea, quæ vidi, concernentia hoc Myſterium, & Modum, quo fuit peractum, non eſt lingua, à qua poſſit explicari, neque intellectus, qui id ſciat intelligere vel aſſequi, ideóque ignoro, quid dicam: ſed ſicuti, quando præclarus quiſpiam & peritus Magiſter alicujus artis, & valde ſubtilis ac delicati operis, conficit opus illud, quod ſcit ac poteſt conficere pro ſui acumine ingenij, & ſingulari ſcientia, inſpectantibus alijs, qui nihil de eo ſciunt, neque quod coram ſe peragi vident, intelligunt, admirantur & obſtupeſcunt tantùm ipſius ingenium ac ſcientiâ, nec tamen ſciunt dicere, ac vix dum intelligere, quomodo perfecerit tam mirabile opus, etſi verè dicturi ſint, ſe vidiſſe, dum fieret: ità etiam ego dico de hoc altiſſimo Myſterio, quod viderim uniri in momento Verbum Æternum DEI, & Filium ipſius cum noſtra natura humana, in uno ſuppoſito Divino; & in uno Chriſto, Bono, ac Domino Noſtro, intrà viſcera ſacratiſſimæ Virginis Dominæ Noſtræ, modo quodam ſublimiſſimo, Divino, ac cœleſti, digno ſolâ potentiâ, ſapientiâ, & bonitate illius magni ac potentis Artificis, infinitâ præditi ſapientiâ, quamvis neſciam dicere vel intelligere quomodo, vel quâ ratione fuerit iſtud admirabile opus peractum. Poſt hoc, ubi adhuc modicùm ſubſtitiſſet Chriſtus Dominus, abivit cum ſua Hierotheca, quam habebat in ſuis manibus. Abibat verò ſtipatus multis Angelis cum magna gloria, & hoc modo aſcendit ad cœlos, qui fuerunt aperti, & patuerunt, ut intraret; per quos ingreſſus, conſcendit locum glorioſum ſui throni, nec illum ultrà vidi eâ vice: ſed poſt biduum, cùm irem ad ſacrâ Communionem, vidi ipſum ſimiliter tenentem illud Sacrarium, in ſacratiſſimis ſuis manibus, & ſic venit ad me quando communicavi, ingreſſusque eſt in meam animam, in qua ſenſi infinitam ejus Majeſtatem.

§. II.

ALiâ vice mihi Pater Æternus Divinitatem hujus Infantis, & quomodo ex ipſo procedat per æternam generationem, miſeritque illum in mundum, oſtendit in hunc modum. Poſtquam unam circiter horam impendiſſem orationi, elevavi oculos animæ, & vidi, adeſſe quandam valde venerabilem perſonam, ac magnæ Majeſtatis, indutam veſtitu candido, graviſſimo, ad cujus latus conſpexi puerulum, nonnihil coopertum, ità ipſi vicinú, ut mihi videretur illum tenere, ac ſtringere manu; alteri verò lateri Pueruli adſtabat quædam Domina. Neminem tamen novi, neque ullum volui aſpicere, ſed ſtatim ab illis averti oculos: quia verò mihi apparebat vir, dubitabam, eſſétne Chriſtus Dominus, & cùm illum non intuerer in vultu, nihil certi ſciebam. Videbatur mihi perſona grandæva, dicebámque intrà me ità dubitando: Chriſtus Dominus habet Puerulum in brachijs, quid hoc erit? ſic hæſi quaſi mediâ horâ; quâ elapſâ, dignatus eſt mihi Dominus eximere dubiú, nè adeò tergiverſarer aſpicere Myſterium, quod à me videri volebat Divina Majeſtas, mihíque ità proponebatur, ut fuerit impoſſibile, non videre illam ſacratiſſimam Perſonam, quæ cõſidebat in ſublimi throno, cum magna majeſtate, habebátque vultum valdè gravem & venerabilem: animadverti tamen vultum & corpus, quod exhibebat, non conſtare ex humana carne & oſſe, quemadmodum conſtat; et ego conſtare agnoſco, in Chriſto Domino Noſtro. Dum ità illum intuerer, vehementer attonita, non agnoſcens ipſum, quis eſſet, vidi quòd in ſuis manibus haberet elegantiſſimum pupulum, & ſplendidiorem Sole: utrumque autem circumdabant multi Angeli. Et mea anima accepit ſpeciale lumen, quo illuſtrata, videbam illam Majeſtatem Magni Domini eſſe DEUM, Patrem Domini Noſtri JESU Chriſti, primam Sanctiſſimæ Trinitatis perſonam, unáque intellexi, quomodo ab æterno generaret, atque ab eo procederet ille Sacratiſſimus Dominus, Filius ejus,

jus, quem tenebat in manibus, tanquam infantem jam incarnatum, ac vestitum nostrâ humanâ naturâ. Et cùm majorem in modum stuperem, affluerémque solatio, propter tam clarum lumen, quod mihi communicabatur, vidi, quòd illa Domina, quæ aderat, esset sacratissima Virgo, quódque procubuisset in genua, junctis ac elevatis manibus, coram eo magno Domino: erat autem quasi abrepta in altissimam sublimissimi mysterij, Incarnationis Filij sui ac Filij DEI contemplationem, expendens magnitudinem Bonitatis ac Sapientiæ DEI, quem habebat præsentem, & summam gratiam, quam ipsi præstabat, dando ei in Filium unicum illum, quem Divina Majestas habet ac generat ex sua natura, tam magnum, bonum & potentem, quàm est ipsius Pater. Contemplanti mihi hæc Mysteria, dixit Sacratissimus ille Dominus, ac Pater Æternus, ostendens magnum amorem, quo amat, & amabat ab æterno suum sacratissimum Filiú: Ecce, hic est Filius meus plurimùm dilectus, in quo mihi summè complaceo, & propter quem mihi placent homines, in terra degentes. Cúmq; dixisset hæc verba, quæ meæ animæ plurimùm boni attulerunt ac solatij; inveni me raptam in ecstasim, ut nescirem de me; & quando ad me redij, velut ex quodam somno, non vidi ampliùs istas Divinas Personas; sensi tamen nova desideria amandi ipsas, quia omnes hæ gratiæ, sunt quasi ardentes prunæ, quas Divina Majestas injicit in meam animam, ut illam in dies magis amem.

§. III.

ALio anno 1619. in festo Nativitatis Dominicæ, vacans orationi, vidi stellam lucidissimam, quæ evibrabat clarissimos, & quasi aureos radios. Confugi ad DEUM, more solito, & abstraxi me, quantùm potui, nè viderem illud Mysterium, impossibile tamen erat, non videre eam lucidam stellam, quia quantò magis fugiebam, tantò magis mihi appropinquabat, séque ingerebat oculis, & quodammodo transibat ab una parte ad alteram, & quocunque anima aspiciebat, ibi illam videbat emittentem quasi scintillas, ac radios, aurei & suavis ignis. Dum ità pugnarem, ille Dominus & Verbum Divinum, quod assumpserat speciem stellæ, se mihi manifestavit, illuminando me clarissimè; atq; tum jam convicta ab ea Veritate Divina, quam grata venerabar, incepi dicere cum singulari sensu, & pleno amoris, ac humili affectu. O Verbum Divinum Incarnatum, & magne ac Potens DEUS! ô Domine immensæ Majestatis! ô Bonum meum, ac Domine mi, adoro te, ac revereór DEUM meum! quæ frequenter iterabam. Interea hæc Divina stella, in qua defixi erant oculi animæ, incepit magis magisq; coruscare, & appropinquare paulatim ad me, usque dum arcano modo, & verè ac re ipsâ se constituit in mea anima, & pectore, atque ità animam secum univit, ut propterea resplenduerit, visáque fuerit esse unita cum ea Divina stella. Diu mansi in illa unione, tantis ab eo Domino cumulata bonis, quanta explicare nescirem. Post hoc se reperit mea anima in cœlesti Jerosolyma coram Beatissima Trinitate; ubi mihi fuit ostensum ab eo Domino sacratissimum illud ac Divinum Mysterium Processionis Verbi Divini, ab Æterno Patre, ac Processio Spiritús sancti à Patre & Filio, & quomodo in illo Divino Consistorio decreta fuerit ab æterno Incarnatio Verbi Divini, & adventus in mundum, pro generis humani redemptione. Prorsus insoliti fuerunt affectus, quos in mea anima excitavit visio, & clara agnitio illius admirandi Mysterij, quam ipsi DEUS communicaverat. Stupebat attonita, humilis & venerabunda, videbatúrque sibi à Domino consequuta fuisse singularem quandam scientiam, in sua ignorantia, & lumen clarum, ac certum, & securum; neque tamen scit dicere, vel intelligere, quid ibi viderit, senserit, ac intellexerit, eò quòd sint res tam sublimes. Ità fui satis diu iterum constituta, ac deinde mihi, acsi paulatim descenderem ex immensa altitudine, fuit à DEO ostensum aliud Mysterium. Videbar mihi esse præsens Sacrosancto Mysterio Incarnationis

Filij DEI, sanctæque ejusdem Nativitatis; quod vidi & agnovi spiritualissimè, sinè ullis speciebus & figuris, sed adjuta à solo lumine, valde sublimi & alto, quod mihi DEUS erat largitus, vidi & agnovi hoc modo magnitudinem & excellentiam eorum operum tam eminentium, ac Divinorum Omnipotentis DEI; Sapientiam, Bonitatem, Amorem, Potentiam, quâ DEUS peregit tanta Mysteria, & modum, quo operatus est ingentia bona, quæ ex his operibus ac miserationibus ipsius provenerunt, & præstita fuerunt universo generi humano. Iterum fui longo tempore occupata cognitione horum Magnalium: deinde mansi cum DEO in magna ecstasi, donec paulatim ad me redijssem. Multis mihi diebus duravit visio istius Divinæ stellæ, interpolata, ità ut etiam oculis corporeis mihi ipsam viderer intueri. Quodam die mihi illam DEUS exhibuit, quæ illapsa est in meam animam, & ingressa in ipsam, fuit conversa in minimum infantulum. Admiranti mihi hoc Mysterium, & desideranti scire, quid significaret, dixit Dominus: Nónne audivisti de triplici generatione, una æterna, quâ DEI Filius generatur ex Patre; altera temporali, quâ natus est ex sua Matre Virgine; & aliâ spirituali, quâ nascitur in animabus per gratiâ? hoc ultimum est, quod vidisti.

CAPUT V.

De Beatissima Virgine, visitante Sanctam Elisabetham.

§. I.

AGens cum DEO quodam die Beatissimæ Virginis, visitantis sanctam Elisabetham, anno 1621. conspexi eandem sacratissimâ Virginem mirabiliter formosam, & specialiter cœlitus illuminata, agnovi esse ipsam. Vidi eam quasi iter agentem, & aliquantùm festinantem? interrogavi illam magno affectu: Quò vadis, Celsissima Domina Nostra? quale iter vis conficere? duc me tecum, si est possibile eò ire. Et ipsa respondit quàm amantissimè: Amica, vado lætissima: abundo enim gaudio, & summas ago gratias pro tanta misericordia, quantam mihi DEUS præstitit, dum me fecit suam Matrem, atque cum hoc gaudio, & festinatione me confero ad montana, ut visitem cognatam meam Elisabetham, quæ, per DEI misericordiam, ejusdémque bonitatem, concepit in senecture sua. Deinde audivi hanc magnam Dominam dicentè ista verba: *Ab initio & ante sæcula creata sum;* quæ me affecerunt solatio; quia mihi DEUS unà indidit magnam eorum æstimationem, & valde claram cognitionè virtutis ac sanctitatis hujus Excelsæ Dominæ, nec non gratiarum, ac donorum, quæ illi jam indè ab æterno decreverat conferre. Comitabantur ipsam infiniti Angeli, & tota Beatissima Trinitas illam habebat quodammodo in medio sui, acsi esset immersa in eam Divinam Essentiam: ubi ipsam derepente induit pretiosissimâ & regiâ veste, quæ illam cum magna majestate cooperuit à collo usque ad pedes; vestivit verò ipsam ità DEUS, in signum indeptæ ab eo novæ dignitatis, ad quam fuit ab ipso evecta, ut esset Mater DEI, conciperetq; in suis visceribus Verbum Divinum. Hæc mystica vestis erat præterea figura multorum donorum & gratiarum, quibus ipsam DEUS exornavit, ac replevit eâ horâ & momento, quo suscepit in suis visceribus Verbum Divinum, intrà illa incarnatum, operâ Spiritûs sancti. Hæc admirabilis visitatio, attulit meæ animæ ingens solatium, & vehementer stupebam, audiens laudes, quibus ipsam, quasi concinentes, extollebant omnes illi Beati Spiritus, qui appellando eam Reginam ac Dominam suam

ſuam dicebant: Tu es glorioſa Domina, per gratiam ac Bonitatem DEI, qui propter tuam puritatem atque præclariſſima merita, propter tuam profundam humilitatem, ardentem charitatem, & amorem DEI, quem Divina ejus Majeſtas reſpexit oculis ſuæ bonitatis ac miſericordiæ, ſe permiſit à te velut vinci, quia potuiſti detrahere DEUM ex cœlo ad terram, & inducere in tuum puriſſimum uterum: Tu es illa heroina, quæ conculcaviſti collum Draconis infernalis; Tu es ea, per quam DEUS Dominus Noſter præſtabit magnas gratias ſuis creaturis; Tu es Regina noſtra ac Domina, quam omnes pro tali agnoſcimus, & cui exhibemus homagium; Tu es benedicta à Domino, eriſque ſemper. Hæc encomia dicebant ac decantabant omnes illi Beati Spiritus, in laudem iſtius glorioſæ Dominæ. *Tota verò Beatiſſima Trinitas, defixis Divinis oculis in ipſius Immaculatam Conceptionem, ac Angelicam ſanctiſſimæ illius animæ puritatem, intuendo ipſam cum ſummo amore, dicebat: Tota es pura & munda Amica mea, & macula non eſt in te.* His peractis, paſſa fui eceſtaſim, ſtupens iſta Myſteria, & quando mihi ſum reddita, egi mille gratias DEO, pro omnibus ipſius operibus ac miſerationibus; atque mea anima non potuit multis diebus obliviſci, durante eo magno affectu, & cognitione illorum verborum Sanctiſſimæ Virginis: *Ab initio, & ante ſecula creata ſum.*

§. II.

ALio anno mihi cum ſpecialibus circumſtantijs oſtendit Dominus hoc myſterium, biduo ante Feſtum Viſitationis. Vidi oculis animæ iſtam Dominam, quæ videbatur iter agere, vultu ſpecioſo & amœno, quaſi peculiare ſolatium caperet ex eo itinere, quod volebat conficere; & ſtatim mihi aperuit ſecretum, exponendo mihi modum, quo eſt exequutioni mandatum illud Myſterium; tempus, quo contigit; & gaudium, quo fuit perfuſa ejus anima in Viſitatione Sanctæ Eliſabethæ ſuæ cognatæ, eò quòd illuminata à Spiritu ſancto, eſſet cognitura Myſterium Incarnationis in illa peractum, eſſetque ipſam agnitura, & confeſſura Matrem DEI. His dictis diſceſſit à me, relinquens me plenam ſolatio. Deinde verò eodem die Viſitationis, dum verſarer in mea recollectione, elevavi oculos animæ, & vidi nonnihil à me remotas duas Dominas, conſidentes tam ſanctè & modeſtè, ut earum aſpectus incitaret ad devotionem, accenderentque animam ad ſui amorem. Reſpiciebant ſe aliquantùm invicem, præferentes ſingularem dilectionem mutuam, & utriuſque manus erant collocatæ in ſinu unius, quæ erat Sanctiſſima Virgo. Alloquebantur ſe cum ſumma modeſtia & compoſitione, voce demiſſâ, & paucis verbis: quia plus cogitabant & concipiebant de ſacris Myſterijs, de quibus conferebant parcè loquendo, quàm de illis proferrent ac dicerent. Cum admiratione nihilominus intellexi illuminata à DEO, hoc eſſe Myſterium Beatiſſimæ Virginis Viſitantis glorioſam ſanctam Eliſabetham: auſcultabam, quid dicerent, & quamvis non audiverim verba, eò quòd adeò ſubmiſſè loquerentur, intelligebam optimè qua de re ſermocinarentur, ſcilicet de ſacratiſſimo Myſterio Incarnationis, quod ante paucos dies fuerat perfectum in viſceribus ſacratiſſimæ Virginis, de quo diſſerebant cum maxima devotione, & ſtupore, atque eximia æſtimatione hujus operis: ſpecialiter Beatiſſima Virgo loquebatur, cogitabátque de illo ſublimiùs, eò quòd fuiſſet peractum intrà ipſius viſcera.

§. III.

Addamus, quod illi poſtea evenit. Quadam Vigiliâ Nativitatis, *inquit*, vidi Sanctiſſimam Virginem Dominam Noſtram, in ætate, ut apparebat, quindecim annorum, formoſiſſimam, & ſplendidè coopertam pallio cæruleo, quod ſupra humeros erat elaboratum Phrygio opere; veniebat autem gravida, tanquam propinqua partui, Acceſſit ad me, dixitque mihi: Mea Marina, Dominus ſit tecum, détque tibi felicia feſta: & ſtrinxit ſuis ſacratiſſimis brachijs meum collum, quo factũ eſt,

est, ut hinc vehementer erubescerem, videns tantam benignitatem, & amorem istius Dominæ; indè verò mea anima colliquesceret summo solatio, propter præsentiam illius Domini, quem sanctissimo utero habebat clausum. Dedit mihi DEUS magnum lumen, ut agnoscerem tum illum, tum meritum & sanctitatem hujus magnæ Dominæ, & Principis. Discessit à me dicendo mihi: Vale, quia manè diutiùs apud te morabor. *Aliâ quoq; vice prope Nativitatem Domini ipsam invisit Regina Angelorum, replens illam solatio & gaudio.*

CAPUT VI.

De Nativitate Christi Domini in stabulo Bethlehemitico.

CUm Sacrosancta Nativitas Verbi Divini Incarnati sit usque adeò deliciosum mysterium, voluit quoque DEUS exhilarare hanc suam Famulam, exhibendo ipsi modum, quo contigit, cum omnibus circumstantijs, quando in spiritu illi adfuit in stabulo Bethlehemitico, cum tanta vivacitate cognitionis, quantam habuisset, si eo ipso tempore fuisset præsens, quo evenit. Toties invisit istud beatum stabulum, viditq; quid in illo esset vel fieret, ut tandem de se dixerit, se de eo loco posse loqui, acsi in eo fuisset. Quovis autem Festo Nativitatis, ipsi aliquid manifestabatur, quod aliùs non viderat, unáq; illi præstabat Beatissima Virgo aliquas gratias competentes statui Virginali ejus, cui præstabantur. Ex quibus tantùm illas, quæ universim possunt adferre omnibus solatium ac fructum, referam propè ipsiusmet verbis.

§. I.

ANno 1597. triduo vel quatriduo ante Festum Nativitatis, dum essem collecta in oratione, & vehementer arderem amore DEI, dixit mihi Divina Majestas: Vellésne accipere in ulnas tuas Infantem JESUM, ubi fuerit natus? Ego agnoscens meam indignitatem ac vilitatem, dixi statim animo obfirmatissimo: Non, Domine, certè non, Domine, quia ego id non mereor; aliæ, meis meliores, ulnæ sunt paratæ pro hoc ministerio, sanctissimæ scilicet Virginis Matris tuæ. Adveniente nocte sanctissimi Natalis, quasi horâ noctis decimâ, me contuli ad meum cubicellum, & post recitatum Matutinum, me constitui coram Domino, ut cogitarem modicùm de illo Mysterio, tum quia erat illius tempus, tum etiam quia ijs diebus specialiter de eo mea anima illuminabatur. Postquam in ista cogitatione exegissem unam horam, reperi me in stabulo Bethlehemitico corâ Sanctissima Virgine Domina Nostra, quanquam cum tanta verecundia & confusione, ut vix illam auderé intueri. Erat ibi Sanctus Josephus, aliquantùm remotus à Beatissima Virgine, in parte una stabuli, acsi advenisset ex itinere, ordinans & componens pauca illa, quæ unà attulerunt, atque adaptans, quàm posset optimè unam partem ejus stabuli, ubi illa magna Domina erat paritura suum sanctissimum Filium. Obambulabat sanctus vir cum silentio, & maxima modestia, ut videretur raptus in ecstasim, ac immersus sublimissimæ cuidam contemplationi. Sanctissima Virgo meditabunda in una parte stabuli, præseferens serenissimum ac elegantissimum vultum, præstolabatur in suavissima contemplatione horam partus, atque cùm hæc advenisset, vidi illam ità vultu ardentem, ut videretur esse Seraphinus, & appareret quàm speciosissima; ostendebat quoque in eo nasci re ipsa ac verè ex sanctissimo ipsius utero, & ex purissimis ejusdem visceribus prodire sanctissimum Infantem suum Filium, & Dominum meum. Quod ubi duravisset, spatio, quo percurri posset Symbolum Apostolorum,

rum, ut mihi videbatur, conspexi ante ipsam sacratissimum Parvulum, qui fuerat natus, & replebat animam Virginis summo gaudio. Erat autem Parvulus sublevatus à terra, quia, quantùm vidi, non decidit in terram, neque eam attigit; sed potiùs videbatur miraculosè quasi sustentari manibus Angelorum. Postquam autem illum Sanctissima Virgo cum Sancto Josepho adoravisset & fuisset venerata, consedit, positisque in suo gremio fascijs ac pannis, accepit sanctissimum Infantulum, & in illis collocavit, aspexitque ipsius corpusculum quàm amantissimè ac reverentissimè, & subitò involvit ijs pannis, & applicans illum sibi, porrexit ipsi sacra ubera. Omnia ista ego aspiciebam attonita, ac tacens, nullo verbo dicto, cum magno meæ animæ solatio. Omnia duraverunt quasi duabus horis, tandèmque valedixi Sanctissimæ Virgini, nec illam ampliùs eâ nocte vidi. Verùm subitò manè, & omnibus illis diebus, quando me recolligebam, eram in illo sancto stabulo Bethlehemitico, sicut dum quis venit ad Patriam, ut videat ac visitet suos Parentes & Consanguineos, sèque cum ipsis recreet, licèt interdum exeat ad civitatem, propter peragenda necessaria aliqua negotia, quando tamen revertitur ad domum suorum Cognatorum, manet apud illos, & conversantur, collætantúrque, donec adsit dies abitus; ità per omnes eos dies, etiamsi interdiu agerem de alijs negotijs, tamen quando orationis causâ redibam ad meum cubicellum, reperiebam me in stabulo Bethlehemitico coram sanctissima Virgine. Jam illam videbam involventem pannis suum Filium denudatum, excitato modico igne à Sancto Josepho, in illo pauperrimo stabulo, aliàs verò eam videbam, quando ipsum contemplabatur, quàm esset elegans, præ seferendo maximum suæ animæ gaudiú, quòd se videret Matrem talis Filij, & cum hoc affectu mihi dicebat: Aspice, aspice illum; quasi diceret: Aspice, quanta elegantia sit istius sanctissimi Pupuli. Sed ipse tantam Majestatem demonstrabat in vultu, ut illum vix auderem intueri. Aliàs videbam, quomodo ipsum lactaret. Denique alio die vidi illam in eodem stabulo cum suo Parvulo in brachijs, & clarissimú lumen ante ipsam, à qua illuminabatur, nec tamen erat simile lumini candelæ, vel Solis, sed aliud quoddam vehementer refulgens, & modò valdè illuminabat, modò non multùm, sicut quando admovetur propè lucerna, & postea removetur, ac emittit lumen ex loco remotiore, non cum tanta claritate revelat objecta, quantâ, dum esset vicina. Hæc autem omnia spectando dixi intrà me: O quis sit tàm felix, qui audeat in hoc stabulo inservire Sanctissimæ Virgini, & ipsius pretioso Filio! & quis mereatur osculari pedes illius pretiosi Pupuli! Tunc me aspexit Divina Virgo, dixitque mihi: Vellèsne etiam illum accipere in tuas ulnas? Hoc audiens, & considerans meam indignitatem fui modicùm turbata, ac dixi: Certè non, Domina: tantáne sit mea temeritas? & simne ego tam malè morata, ut audeam accipere ad meas indignas & miseras ulnas, Dominum Angelorum, & Filium tuum? Profectò non. Sed Sanctissima Virgo, neglecto hoc meo responso, assurrexit ex loco, in quo sederat, & veniens ad me cum suo pretioso Filio, quem gestabat in brachijs, dixit mihi: Visne ipsum accipere? Accipe illum, quia ego tibi eum do, & quidem quàm libentissimè. Ego tergiversabar, dicendo: Non, Domina, ac tremebam, videns, quòd mihi vellet tantàm præstare gratiam, & exhibere tantum honorem. Verùm Sanctissima Virgo dixit: Accipe illum, accipe, quia ego ipsa eum tenebo in tuis brachijs. Et accedens ad me, dixit iterum: Accipe illum. Tunc videns perseverantiam, ac firmum hujus sanctissimæ Dominæ propositum præstandæ mihi illius gratiæ, flexi genua, & extendi brachia, quibus Sanctissima Virgo imposuit pretiosissimum Infantulú, non dimittens ipsum ex suis manibus, ut indulgeret verecundiæ, ac turbationi suæ Famulæ, quæ est osculata sanctissimi Pupuli vestes cum magno solatio. Nescio quàm diu illum habuerim in meis brachijs; sed totam istam visionẽ duravisse scio, quasi duabus horis cum dimidia.

§. II.

ANno sequenti 1598. eâdem nocte ac die Nativitatis, adfui in spiritu huic stupendæ Nativitati, sicut aliàs, & vidi præsertim cœlestem lætitiam, quâ sancti Angeli illâ horâ gestiebant, quámque demonstrabant in illo stabulo, unà cum ijs, qui annunciabant Pastoribus Gloriam in altissimis DEO, & in terra pacem hominibus; atque simul cætera omnia, spectantia ad modum, quo sanctissima Virgo, & ipsius Parvulus secum agebant. In eo adverti quiddam speciale, admiratione dignum, & plenum solatio, quòd, cum sanctissima Virgo teneret in suis brachijs suum pretiosum Filium recenter natum, lactando ipsum, viderim, à DEO illuminata, in illa Divina persona parvuli, illum sugentem ubera suæ Matris, fecisse quidem, quæ sunt Infantis, non fictè neque simulatè, sed re verâ & naturaliter, qualia agunt cæteri, tam paucorum dierum infantes, eò quòd esset verus homo, & infans, sicut alij; nihilominus eodem cœlesti lumine illustrata, adverterim & cognoverim in illo Infante eandem naturam, intellectum, & Sapientiam Divinam, quam ejusdem Majestas habuit, quando in ætate triginta trium annorum versabatur in terra, adeò ut in eo viderim hæc duo conjuncta, intellectum Viri perfectæ ætatis, & actiones, ac opera vera & naturalia Infantis, ità per infinitam DEI Sapientiam composita & ordinata, ut alterum non repugnaret alteri, atque ut cum ipsa natura DEI constituerent simul unam Divinam Personam, & Humanam tam admirabilem, ut neque lingua, neque intellectus ullus id possit eloqui, vel intelligere. Quod non solùm ego sum mirata, & obstupui, sed etiam sancti Angeli, qui præsentes aderant cum magna reverentia & admiratione rei adeò stupendæ. Vidi etiam deinde, quomodo Sanctissima Virgo, quæ tenebat Infantulum admotum uberibus, illum inceperit sopire, quasi submissè cantillando, re verâ tamen canendo, & agitando modicè corpusculum, ut sanctus Pupulus indormisceret: atque hoc modo cœpit ipsius animam sublimissimè contemplari mysteria Humanitatis ac Divinitatis sui sacratissimi Filij, quem tenebat in suis brachijs sugentem lac, dum id Virgo ageret, & indormiscentem in ulnis suæ Matris, quæ plena fuit solatio, & amore, atque effusa in agendas gratias, pro tantis donis, quibus cumulabatur.

§. III.

ALiâ nocte Nativitatis, anno 1613. vidi in cœlo magnam solennitatem & gaudium, acsi resonarent multa instrumenta musica, sicut quando hic in terra, in ejusmodi Festis, pulsantur tympana, ac insantur tubæ, & accinunt tibicines: sed hoc fiebat alio modo divinissimo. Vidi subitò prodeuntem exercitum lucidissimum militum cœlestium, & innumerabilium Angelorum, qui pertransiverunt universam terram, dicentes: Vivat Rex cœlorum! Deinde omnes processerunt ad stabulum Bethlehemiticum, quod circumdederunt ingenti splendore: atque ibi vidi, quòd Beatissima Virgo adverterit adesse horam sui partus, non tantùm propter insuitatam suam internam lætitiam, verùm etiam ex motu benedictissimi Infantis in suo utero, volentis egredi. *(quia sicut ajunt Medici, infans in utero caput habet obversum dorso Matris, seque invertit, ut nascens in lucem prodeat capite.)* Infante nato, & involuto pannis, vidi, quòd sanctissima Virgo ipsum vellet collocare in præsepio, & cùm illic ambularent bos & asinus, dixi ego: Non, Domina, quia ibi sunt illæ bestiæ. Respondítque Virgo: Nè tibi id accidat molestum, quia scriptum est: *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini.* Vidi his omnibus adesse sanctos Angelos, quorum erant tres vehementes affectus: primò admirationis, cùm viderent tam prodigiosum DEI opus; deinde lætitiæ, propter gloriam, quæ eidem Domino accedebat; & propter utilitatem nostram; tum tristitiæ, quia dolebant, quòd ipsorum Dominus inciperet pati pro hominibus. Et vestes, quibus erant induti, habebant tres colores, qui repræsentabant hos tres affectus.

Alio

Alio anno 1618. paulò ante Nativitatem Christi Domini, expendens magnam gratiam, quam DEUS mundo præstitit, quando in illum venit factus Homo & Infans, atq; sustinuit frigus & paupertatem, tantáque incommoda, ac denique mortem nostri causâ, & quòd fuerit malè exceptus tanta cum ingratitudine, tenerè idcirco fui commota, & afflicta, magnóque affecta dolore. Videns autem me ità constitutam Dominus, dixit mihi ejusdem Majestas: Marina, quare te affligis? quis te turbat? Ego, ut obedirem meo Patri, veni quàm libentissimè in mundum, ad illum redimendum ac salvandum, quamvis scirem me malè accipiendum, atque tametsi pro uno solo venissem, bene impensum existimavissem, quidquid feci; quin & pro te sola in mundum venissem: noli tristari, nec te afflige. His à Domino dictis, fui plurimùm recreata, & repleta solatio.

§. IV.

ALiâ nocte Nativitatis me visitavit sanctissima Virgo, dicens mihi: Adfero tibi bona nova, quia hodie nascetur in te meus Filius, per specialem gratiam, atque etiam ego redibo ad te invisendam, & ostendâ tibi illum cum Divinis ipsius splendoribus. Quia verò hæc omnia me perturbaverant, eò quòd essent adeò mirabilia, dixit mihi Domina Nostra: Nè timeas; quia Dominus tecum est, & habitat in tuo corde, ut illud nemo possit perturbare, vel scandalizare. Et videbar mihi in ista prima visitatione videre venientem Dominam nostram, quasi ferret in suis visceribus benedictissimum suum Filium.

Post hoc vidi derepentè venientem magnam multitudinem Angelorum, portantium in suis manibus Parvulum JESUM, tanquam recenter natum, & cum ipsis sanctissimam Virginem. Tum conspexi benedictissimum Infantem coopertú velo, sicut illum gestabant, ijs tamen coruscantem splendoribus, qui manifestarent ejus Divinitatem, ac Majestatem infinitam. Et accedens ad ipsum, osculata sum sacratissimos ejus pedes, quem sensi spiritualiter ingredientem in meam animam, quemadmodum etiam procedentes ex illo quosdam cœlestes influxus, qui se diffundebant per omnes potentias, cum magno meo solatio. Deinde Virgo Domina Nostra accepit sanctissimú Parvulum in suas ulnas, involvitque illum suis pannis, & sic ipsum aliquamdiu tenuit, ut se eo oblectaret.

Alio tempore matutino, anno 1622. vidi in medio mei cubiculi sanctissimum infantem JESUM, recenter natum, formosissimum, & lucidiorem sole meridiano. Jacebat supra mundissimum ac bene compositum stramen, & sanctissima Virgo flexis genibus, junctisque suis sacratissimis manibus illum adorabat, admirans infinitam Bonitatem DEI, qui factus sit Infans pro hominibus. Idem faciebat Sanctus Joseph, profundens lachrymas, quæ illi decurrebant per genas. Interea quidam Sancti Angeli accesserunt ad meum lectú, & me erexerunt, ducentésque me ad medium cubiculi, ubi erat sanctissimus Infans, provolverunt me in genua coram ipsius Majestate, & sanctissima Virgo mihi quàm amantissimè & gratiosissimè dixit: Soror, reverere, adora, & accipe ad tua brachia hunc Dominum DEUM Nostrú, qui pro te ac omnibus hominibus descendit de cœlo in terram, & factus est infans. Ego nonnihil turbata respondi sanctissimæ Virgini: Domina mea, ego adoro, & veneror hunc Dominum DEUM meum, & magnas illi ago gratias, ipsúmque laudo propter gratiam & misericordiam, quam Divina ejus Majestas præstitit generi humano: sed ut illum accipiam ad brachia, non decet, cùm ego sim, quæ sum, tam mala ac tanta peccatrix; meáque brachia sint adeò immunda. Tu, mea Domina, quæ es jam ipsius Mater, & sanctissima Domina, illum suscipe ad tua. Sanctissima Virgo verò mihi denuò mandavit, ut illum sumerem ad mea brachia, & sancti Angeli me urgebant, ut obedirem. Ego renuebam id facere, & gloriosus Sanctus Josephus magnâ gravitate & authoritate mihi præcepit, ut ipsum ulnis meis exciperem, & obtemperarem illi magnæ Dominæ.

Hoc modo mihi videbar aliquantùm acquiescere, quamvis etiamnum repugnarem. Sancti Angeli videntes istam meam tergiversationem, imposuerunt meis manibus & brachijs quoddam velum, atque tam ipsi, quàm sanctus Patriarcha, sustulerunt sanctissimum Infantem, quasi illi inservientes, collocaverùntque ipsum ad meas ulnas. Ego tota fui turbata, videndo hanc bonitatem, ac benignitatem sancti Pupuli, & cœpi dicere: DEUS ac Domine mi, Omnipotens, Æterne, Immense, Infinite, qui amore mei factus es homo, concede mihi tuam gratiam, favorem, & auxilium, præbe mihi tuum lumen ad agnoscendas tuas veritates, & alia hujusmodi. Hæc me dicente sanctissimus Infans ingressus est in me, intimèq; se inclusit in mea anima, ut mihi videatur fuisse intrà me, sicut intrà Eucharisticam Hierothecam. Obstupui, considerans hanc Divinam Humanitatem in me inclusam, adoravi & amplexata sum illam, agendo ipsi magnas gratias pro præstito mihi beneficio. Quando putavi hoc mysterium esse completum, venerunt ad me quidam sancti Angeli, & coopertam splendido pallio, multisque exornatam cimelijs, ac torque in collum injecto, duxerunt ad cœlestem Jerusalem, præsentaverùntque me Patri Æterno, ubi inveni sanctissimam Virginé, & cæteros sanctos Angelos, qui omnes invicem colloquebantur. Videbantur mihi dicere: Eja creatura, & sponsa, ac tanquam Mater hujus Parvuli, offer Patri Æterno istum Divinum Puerulum. Audiens hoc dictum, *tanquam Mater*, fui multùm turbata, ac dixi: Ego sum miserabilis creatura, Tua Majestas, mea Domina, est vera Mater hujus Domini ac DEI mei. Tum Dominus mihi dixit: Nónne meministi, quòd quando concionabar in mundo, ac mihi dixerunt, quæri me à mea Matre, & meis Fratribus, illis responderim: Matrē meam, & Fratres meos esse, quicunque fecerint voluntatem Patris mei. Hoc igitur modò tu es Mater mea. Ità resumpsi animum, iterúmque conspexi sanctissimum Puellum in meis brachijs supra linteum, sicut priùs, & cum maximo affectu dixi: Pater Æterne, offero tibi hunc Dominum DEUM meum, atque Filium tuum, & istius sanctissimæ Dominæ, totâ meâ voluntate, & corde, ut sit Redemptor mundi ac vivat, usque ad triginta tres annos, & patiatur, tandémque moriatur pro salute hominum. Quamvis autem hanc Oblationem peregerim totâ meâ voluntate, non absque magna tamen violentia, & ingenti dolore, quem tunc sensi: quia mihi repræsentata fuit tota ipsius Passio & mors, ad eum modum, quo obversata fuerit animo Beatissimæ Virginis, quando ipsum obtulit in templo. Pater æternus acceptavit meam oblationem cum magna approbatione, & assensu. Et sanctissimus Infans rursum derepentè penetravit intimè meam animam, in cujus amplexu fui abrepta in ecstasim. Quando autem mihi fui reddita, reperi me in angulo cum eodem Parvulo, & retinui illum intrà me toto illo die, atque etiam diutius.

§. V.

ALio die Festorum Natalitiorum, anno 1622. vidi in meo paupertino cubiculo, sanctissimam Virginem cum suo sacratissimo Filio, quem tenebat in brachijs, unà cum sancto Josepho ejus Sponso, & magno numero sanctorum Angelorum. Postquam advenisset, dixit mihi hæc sanctissima Domina: Soror, ecce hic tibi adfero pretiosum istud pignus, meum Filium dilectissimum, ut illum videas, ac adores, nascatúrque in te spiritualiter, & in tua anima, per gratiam. Dedit mihi suum sanctissimum Filium, & accepi illū, ac vidi intrà me ipsam cum ingenti gaudio, & lætitia. Obstupui, & mirata sum tantam gratiam, quantam mihi Dominus præstabat. Et accessit ad me Sanctus Patriarcha Josephus, imposuitque meo ori suis sanctis manibus aliquid, quasi me ciberet; quo fui valde confortata, & sic à me discesserunt. Adfuit subitò meus sanctus Angelus Custos, & extendens conjunctas manuum volas, dixit: Soror, ejice huc, quod sanctus Patriarcha imposuit tuo ori. Incepi id ejicere, & prodiverunt ex me

me multæ gemmæ, ac lapides pretiosi, perelegantes ac lucidi, qui repleverunt manus sancti Angeli, quósque ille recondidit in se ipso. Dicebam intrà me, dubitans: Quid hoc potest esse? Dominus autem mihi respondit, omnibus illis gemmis, & pretiosis lapidibus, significari merita lachrymarum, quas sanctissimus Infans JESUS profuderat in sua Nativitate, & merita lachrymarum ex devotione & gaudio profusarum à sanctissima Virgine, quorum me Dominus meritorum eodem tempore participem reddiderat.

Postquam vidissem alio die, sicut soleo, hoc Mysterium, in stabulo Bethlehemitico, vidi cœlum Empyrium, & reliquos cœlos apertos, atque illos & terram coaluisse quasi in unum cœlum. Descendebant indè Angeli, alijs hinc ascendentibus; hi abibant, redibant illi, omnes venerabundi, adoraturi Dominum recenter natum; & mihi fuit ingens solatium, videre tantam Angelorum elegantiam, tam pulchrè ornatorum, adeò exultantium, ac stupentium, cùm adorarent illum Dominum DEUM nostrum, & Hominem verum.

Aliâ vice 1622. dum vacarem orationi, meditando Nativitatem Domini, & in memoriâ revocando multas musitatas gratias, mihi ab ipso aliàs his diebus præstitas, mei Domini, sancti Angeli, me duxerunt ad quendam parvulum horum, peramœnum tamen, concinnum, suaveolentem, & jucundissimum, ibiq; me in medio ipsius collocaverunt in quodam sedili, referente speciem sellæ, ubi me sensi flammis vehementis & suavis ignis circumdatam, quibus mea anima ardebat, neque comburebatur, quia ipse DEUS erat in igne. Ibi plurimùm confortata, cum magno meæ animæ solatio diu mansi, & Dominus mihi revocavit in memoriam rubum Moysis, qui ardebat, & non comburebatur, atque eum in modum fui toto illo tempore valde unita DEO, donec ad me redijssem ex raptu. Benedictus sit DEUS.

CAPVT VII.

De quibusdam specialibus ac admirandis gratijs, quas ipsi Dominus præstitit in Festis suæ Nativitatis.

§. I.

POstquam mihi Dominus dignatus est revelare Mysteria, quæ contigerunt in stabulo Bethlehemitico, quemadmodùm dictum est, vidi etiam in illo sanctissimo stabulo Patrem Æternum, qui in suo sacratissimo sinu tenebat suum Filium, cum sacratissima ipsius Humanitate, & Spiritum sanctum, atque ex omnibus tribus Divinis Personis, promicabat quædam Divina lux, Diviniq; radij ignis, qui reverberabantur in sanctissima Virgine, & replebant illam gloriâ, Divinisque splendoribus, sicut quando Sol ferit vas crystallinum. Dixitque mihi subitò Dominus: Vidisti jam, quod est factum in terra? veni mecum, & videbis quid fiat in Cœlo. Fui ducta ad cœlestem Jerusalem, ubi inveni meos Dominos Angelos ornatissimos: quod me multùm recreavit. Celebrabatur magna solennitas, & Festum in Cœlo, in honorem sanctissimæ Humanitis Christi Domini, audiebantur sonoræ musicæ, & ingens strepitus, quasi tonitruorum, ac fulminum: quo tumultu durante cadebant in Cœlo quidam velut nummi aurei (*coronati*) candentes igne Divino, adeò, ut instar stellarum collucerent, quibus videbatur repleri Cœlum. Et quamvis disruptis Cœlis deciderent in terram; non cadebant tamen ad illam, tam copiosi, neque ità resplendentes, sicut in Cœlo. Quia ij nummi mihi videbâtur esse ingens thesaurus, proripiebam me in medium, ut ipsos colligerem; quidam autem sanctus

Angelus me detinuit, dicendo: Contine te, quia te combures. Hac voce auditâ, me continui, & recessi. Sed cùm ipsos viderem secundò magno impetu decidentes, sicuti quando hic in terra grandinat, proripiebam me iterum cum proposito colligendi illos nummos, & idem Angelus mihi denuò dixit: Contine te, quia te cõbures. Tertiò, vidi cadentem tantam copiam illorum Divinorum coronatorum, ut me non potuerim ampliùs vincere, & procurrerim, volens aliquos auferre; sanctus autem Angelus repetivit idem: Contine te, quia te combures. Tum ego audacter respondi: Non me comburam. Et Dominus gravissimè atque amabilissimè dixit: Permitte illam, quia se non comburet. Indè concepi animum, ac prosilivi, collegique nonnullos ex ijs nummis, qui omnes sunt ingressi in meam animam, & fui accensa, atque exarsi igne Divini Amoris, ità ut tota viderer conversa in ignem. Intellexi, illos nummos esse figuram Verbi Divini Incarnati, communicantis se suis creaturis in Cœlo, & in terra, abundantiùs tamen existentibus in Cœlo; & non multò pòst me inveni in meo angulo.

§. II.

ALio Festo Nascentis Domini, veniens ad me Sanctissima Virgo cum suo pretioso Filio, quem habebat in brachijs, benignissimè mihi illũ ostendit, dicendo: Soror, tolle, suscipe & adora istum pretiosissimum thesaurum, ac Infantem, Filium DEI & meum, qui pro te natus est, seque hominibus dedit, atque ad vos juvandos venit in mundum. Erat ingens gaudium meæ animæ, quando vidi sanctum Infantem, adoravique illum ùt DEUM, ac Dominum meum, & fui quasi aliquantùm rapta in ecstasim; reversa autem ad me, habui meum Parvulum, & meum DEUM intrà meum cor, atque Beatissimam Virginem vidi sinè ipso. Magna fuit lætitia meæ animæ, & consolatio, quâ me replevit tantus hospes, quæ res diu duravit: derèpente autem rursum vidi sanctissimum Puellum in brachijs suæ Sanctæ Matris, cui magnas egi gratias pro favore mihi præstito, & Virgo exhibendo mihi singularem amorem discessit; ego verò remansi plurimùm recreata. Postea cùm manè adessem Sacrificio Missæ, priusquàm communicarem, vidi rursum sanctissimam Virginem cum suo sanctissimo Puello in brachijs, quem mihi secundò obtulit, eodem modo, quo priùs, & habui Divinam ipsius Majestatem intrà meum cor summo cum solatio, & gaudio meæ animæ, atque vehemẽtibus affectibus amoris, quo ipsum complectebar. Hac etiam vice mecum mansit sanctus Puellus, & sanctissima illius Mater ipso caruit, cui magnas egi gratias, pro isto speciali beneficio ac favore. Post hoc ingressus est Sacerdos, allaturus mihi sacram Hostiam, & suscepi Dominum sacramentaliter, atque tum mihi dixit Divina Majestas: Volui, Anima, ut me hodie sumeres semel sacramentaliter, & bis spiritualiter, quia me in mea Ecclesia hodie Sacerdotes ter sumunt sacramentaliter in honorem meæ triplicis Generationis, æternæ, spiritualis ac temporalis, quam tibi gratiam quadantenus præstiti; Vale.

Sequenti die, qui fuit sancti Stephani, vidi Christum Dominum in specie Divini Solis resplendentem, qui emittebat Divinos radios, potentes & attractivos; quia singuli habebant quosdam quasi hamos, quibus abripiebant animam. Fui obstupefacta, & turbata, videns tam Divinum Solem, & quasi perterrita. Veniebat paulatim ad me, & illi radij feriebant meã animam, ut viderentur illam sibi ipsi eripere. Tandem tam propè accessit, ut totam animam meam occupaverit, meque abripuerit, ac totam intrà se, & illos Divinos splendores, atque illam Divinam Infinitam ac immensam Essentiam immerserit. Quamvis autem hoc celeriter fuerit peractum, nihilominus vidi & cognovi ibi grandia ac admirabilia magnalia DEI.

Tertiò, Festo Sancti Joannis agendo cum DEO, vidi grandem stellam, cum alijs quatuor minoribus lucidissimis, quæ emittebant magnos lucis ac splendoris radios, & repræsentabant quinque vulnera Christi. Omnes quinque stellæ paulatim acce-

accedebant ad me, quarum maxima inhæsit meo lateri, quatuor se applicuerunt pedibus & manibus, ubi diu coruscabant cum ingenti solatio, & gaudio meæ animæ, atque etiam confortatione naturæ. Non sensi ullum dolorem, sed tantùm modicùm contremui, quando advenerunt; postea paulatim abiverunt, quasi se occultando, relictis loco sui quibusdam velut nummis ex auro purissimo, & lucidissimo.

Quarto die Innocentium mihi Dominus ostendit, unum ex illis sanctis Pueris, quem ducebat quidam sanctus Angelus per brachium. Erat mirum in modum elegans. Cepi ex hac visione magnum solatium, & Dominus mihi dixit, omnes fuisse passos verum martyrium pro Divina ipsius Majestate.

Alio Festo Nativitatis, ut me solaretur in meis horrendis doloribus, dixit mihi Dominus, præstiturum se mihi gratiam, ut sequenti triduo venirent tres sancti ex Cœlo, ad dicendam mihi Missam, & apprecanda suo nomine felicia Festa; primu fore sanctum Dominicum, secundum verò sanctum Ignatium; & interrogavit me quem vellem esse tertium: ego autem festinanter respondi, ut esset sanctus Franciscus, non animadvertens, ipsum non fuisse Sacerdotem. Dominus tacuit, & nihil mihi dixit.

Die sequenti, qui erat Feria sexta, cùm me manè visitavisset Christus Dominus, audivi ipso præsente magná & admirandá musicam Angelorũ in Cœlo, quamvis non intellexerim, quid canerent, & paulò post vidi venientem, non tanquam ex cœlo, sed ex loco inferiore, valde remoto à meo cubiculo, gloriosum sanctum Dominicum, vestitum sacerdotaliter, cum multis Sanctis suæ Religionis, multisque Angelis: & ferebat in suis manibus calicem tectum eleganti velo, ex cujus quatuor angulis pendebant quatuor campanulæ, quâ parte autem patebat, videndam se mihi exhibuit Divina Majestas. Postquam hac ratione venit ad meum cubiculum, collocavit calicem in quodam quasi altari, quod ibi fuerat extructum, sonantibus tum campanulis, quæ pendebant ex velo. Sanctus, antequam inchoaret Missam, se inclinavit coram Christo Domino, qui aderat præsens, sicut faciunt Sacerdotes, qui dicunt Missam coram Episcopo, statimque dixit duo vel tria verba Confessionis, deinde in cornu Epistolæ, tenentibus Angelis apertum quendam librum splendidè exornatum, dixit breviter, sed cum magna majestate, nonnullas Orationes, & in cornu Evangelij, in quadam quasi tabula, legit ac dixit Evangelium Sancti Joannis: *In Principio erat Verbum.* Hoc finito, dicentibusque mihi Angelis, me communicaturam spiritualiter, Sanctus se ad me convertit, ferens hostiam super quandam quasi patenam, intrà quam hostiam vidi Christum Dominum in specie parvi & elegantissimi Infantis, cujus, postquam Sanctus hostiam meo ori admovisset, sum osculata pedes. Atque hoc tantùm facto, etsi in me per os non ingrederetur, sensi ipsum spiritualiter introivisse in meam animam, cum magno spirituali solatio, & sanctus sinè illo redivit ad altare. Christus Dominus dedit omnibus benedictionem, reversique sunt eo modo, quo advenerant. Sanctus autè Dominicus abiturus, me amanter aspexit, quamvis me non fuerit alloquutus, indicando mihi, tunc non esse tempus loquendi.

Die Sabbati manè audivi rursum solennem in Cœlo musicam Angelorum, & intellexi ab illis cantari hymnum: *Pange lingua gloriosi*, eo modo, quo canitur in Festo Corporis Christi. Mox conspexi gloriosum Sanctum Ignatium, indutum quodam quasi pluviali, qui ferebat in manibus calicem coopertum splendido velo, ubi mihi similiter fuit repræsentata Divina Majestas. Descendebat ex Cœlo per quosdam gradus augustissimos, refertos pretiosis splendidissimis lapidibus. Unum ipsius latus stipabat quidam Pater Societatis, pariter indutus, sustentando illi unum brachium, alterum alius, qui descendebant per alios diversos gradus, cohærentes tamen gradibus Sancti Patris, quem sequebantur multi sancti Patres è Societate, & multi Angeli. Hoc modo venit ad meum cubiculum, ubi erat erectum altare, in quo collo-

collocavit calicem, positisque supra altare manibus dixit quasdam breves orationes, ac statim incepit canere voce clarâ, me audiente: *Gloria in Excelsis DEO;* quem hymnum Angeli compleverunt cum admiranda musica, ut eâ laudantes DEUM viderentur satiscere. Sanctus Pater dixit Evangelium Festi: *Caro mea verè est cibus*, ac deinde acceptâ hostiâ venit ad me, tanquam me communicaturus spiritualiter, atque osculo tantùm dato hostiæ, quam non sumpsi ore, sensi internè admirabiles effectus in anima, etiam magis, quàm dum communico sacramentaliter. Post hoc Sanctus reversus est ad altare, & in abitu me amanter aspexit, quamvis & ipse me non sit alloquutus, quia illud non erat tẽpus loquendi, & discessit ascendens ad Cœlum, per eosdem gradus, per quos descenderat.

Deinde manè die Dominicâ audivi eandem musicam Angelorum in Cœlo concinentium hymnos, ac laudes Divinas, & paulò pòst vidi in meo cubiculo Gloriosum sanctum Franciscum, indutum suo proprio habitu, comitantibus ipsum multis Sanctis suæ Religionis, & multis Angelis, qui me aspexit hilari vultu, ivitque ad partem anteriorem mei lecti, ubi vidi paratũ altare, sicut parata fuerant alia. Sanctus constitit ad cornu Epistolæ è regione mei, ad alterum autem cornu Gloriosus Doctor Sanctus Bonaventura, indutus sacrâ epomide, quam gestant Sacerdotes, dum porrigunt Venerabile Sacramentum infirmis. Gloriosus Sanctus Franciscus elevavit suas manus obversis antrorsum palmis, ac tum conspexi vulnus lateris ipsius, & manuum in earundem volis, quæ erant ignitæ ac pulcherrimæ instar rubinorum, & scintillabant instar stellarum. Subitò sensi emanare ex ipsis quasi influxum quendam cœlestem, qui attigit vulnus, quod habeo in latere, & vulnera manuum, unde illa vidi coruscantia, instar vulnerum Sancti. Postquam hæc mihi gratia fuisset præstita, gloriosus Sanctus Bonaventura ivit ad mediũ altaris, ubi erat calix coopertus suo velo, & exposuit in patena quandam velut Hostiam, resonante cœlesti musicâ Angelorum, & cùm ad me veniret, vidi à DEO illuminata, in illa Hostia sanguinem Christi Domini, quasi ferventem, unaque corpus & animam ac Divinitatem, cum cæteris, quæ existunt in Sanctissimo Sacramento, atque dum subtumerem sumere, quod mihi porrigebatur, more solito, Angelus Custos mihi dixit, nè metuerem, per id enim non impediendam Communionem sacramentalem, eò quòd totum fieret in spiritu, & sic illud sumpsi cum magno solatio. Post hoc, ubi me intuitus fuisset gloriosus Sanctus Franciscus, abiverunt omnes illi Beati: atque ità adimplevit Dominus suum promissum, quod his tribus diebus essent venturi isti Sancti, ad apprecanda mihi felicia Festa.

§. III.

ALio die Nativitatis, anno 1617. mihi dixit Angelus Custos; præpara te, aesi esses communicatura; unde intellexi, me debere esse jejunam. Post mediam noctem venit ad me invisendam Sanctissima Virgo speciosissima, cum suo Filio Infante, quem gestabat in brachijs, & accedens ad me, dixit mihi: Accipe hunc Infantem, Filium meum, qui est meus Redemptor: & verum est, illum esse meum Redemptorem, *quia ipsius sanguine ac meritis fui præservata à peccato originali.* Ego renuebam ipsum accipere, dicendo illi: Ergóne, Domina, mihi illum das, ut tu absque illo remaneas? Respondit: Libenter eum do omnibus, qui illum volunt ex corde accipere, neque ego propterea ipso careo. Dedit mihi illum, & sensi, quòd introivisset in me.

Non multò pòst vidi Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, pro meo captu, & more consueto, veniénsque ad me Dominus Majestatis, mihi dixit: Accipe hoc donum Potentiæ valiturum ad omnia, quibus indigueris pro tua anima, & alijs. Filius verò dixit: Accipe à me donum scientiæ. Spiritus Sanctus: Accipe à me donum Amoris.

Rursum post aliquod tempus, vidi advenientes ex Cœlo milliones Angelorum, quasi armatos, cum fistulis ac tympanis, & va-

& varijs instrumentis musicis, qui concinebant laudes in honorem sanctissimi Sacramenti, unáq; infernum, ac dæmones, interea timentes, & trementes, multósque hæreticos, qui verecundabantur, & confundebantur. Postea vidi descendentem Christum Dominum cum maxima Majestate, & redimitum coronâ: in manibus gestabat sacrum Ciborium, & quamvis esset transparens, non potui videre, quid intra illud contineretur. Angeli canebant hymnos de sanctissimo Sacramento, & Christus Dominus veniebat quasi dicens orationes, ad quas respondebant Sancti, qui ipsum comitabantur, quemadmodum hic facere consueverunt Sacerdotes. Unum latus stipabat Sanctus Dominicus, post Sanctum Benedictum, alterum noster sanctus Pater Ignatius, post sanctum Bernardum, & omnes quatuor habebant superpellicea, fuerúntque illis data thuribula. Postquam autem venissent ad cubiculum, ubi Angeli extruxerant elegantissimum altare, Christus Dominus in illo collocavit Ciborium Eucharisticum, quod Sancti thure sunt venerati. Tum ego petivi à DEO lumen, nè deciperer, & Christus Dominus me communicavit spiritualiter. Post hoc mihi Dominus dedit benedictionem. Sanctus Dominicus, & sanctus Ignatius mihi submissâ voce dixerunt: Soror, DEUS tibi det felicia Festa, qualia tibi dedit. Bene vale, quia modò non est tempus loquendi. Et sic abiverunt.

Alium eximium favorem illi DEUS exhibuit his Festis, manifestando ipsi id, quo nihil jucundius in mundo accidere potest homini justo, confirmatum multis testibus fide dignissimis, ut tantò redderetur de eo certior. Ipsa sic ait:

Die Sancti Joannis Evangelistæ, anno 1620. in diluculo matutino, dignati sunt me visitare Beati Patriarchæ, Sanctus Dominicus, Sanctus Franciscus, Sanctus Bernardus, & noster Sanctus Pater Ignatius. Quamvis autem initiò noluerim illos videre, meo more, méque abstraxerim, propter meos timores; tandem fui coacta me subdere. Gloriosus Sanctus Dominicus cœpit loqui suo & reliquorum Sanctorum nomine, dixítque mihi: Venimus, Soror, jussu & nomine DEI, ut precemur tibi felicia Festa: DEUS tibi illa det, quam sanctissima! Eadem verò tibi apprecamur nomine nostrorum Beatorum Filiorum. Ego illis meo modo respondi, gratias agendo pro præstito mihi favore; Sanctus verò Patriarcha subjunxit: Nos in Cœlo ea habuimus quàm felicissima accidentaliter, propter gratiam, tibi à DEO collatam, & nobis revelatam, quòd scilicet illa quàm felicissima tu quoque sis habitura in æternum. Ego interrogavi: Benedicte Sancte, constátne tibi hoc certò, vel constitítne? Sanctus mihi respondit: DEUS revelavit istis Sanctis Patriarchis, & mihi, quòd te habeat ab æterno scriptam in Libro Vitæ: significando mihi, hanc revelationem factá fuisse istis quatuor Sanctis Patriarchis, occasione alicujus gratiæ, quam mihi DEUS ante complures dies præstiterat. Hoc nuntio sum vehementer exhilarata, fuítque mihi satisfactum, neque de ista veritate dubitavi; verumtamen ità, ut simul majore cum solicitudine ac zelo mea opera peragam, & actiones, acsi nihil tale unquá mihi contigisset. Plura loquuta sum cum Sanctis, qui mihi alia dixerunt; ac deinde venit etiam gloriosus Doctor Sanctus Augustinus, ut mihi gratularetur felicia Festa.

§ IV.

ALio anno 1618. apparavit DEUS suæ Famulæ his Festis admirabile Convivium; singuli autem ipsius Angeli illi obtulerunt suum quoddam mysticum munus, repræsentans aliquam virtutem, accommodatam ejus indigentiæ. Dum, *inquit*, hoc die Nativitatis agerem cum DEO, dixit mihi ipsius Majestas: Marina, quid modò agis? Noveris à Regibus quandoque celebrari quot annis diem Natalem, ac tum instrui convivium Magnatibus & Dominis, atque etiam inferioribus & pauperculis, si præditi sint charitate. Ità igitur nunc & Ego, qui sum Rex Regum, & Dominus Dominantium, tibi volo istam gratiam & favorem præstare: veni mecum, si vis, Anima. Mea anima fuit subitò rapta in

magnam ecstasim, & reperi me in illa cœlesti Jerosolyma, ubi quaquaversum respiciens, cum magna admiratione conspexi opiparam & mysticam mensam, cui assidebant multi Cives & Incolæ illius cœlestis Aulæ. Erant illustrissimi gloriâ, quâ fruebantur, & ardentissimi, videbantúrque esse ex omni statu. Ijs conspectis, accessi quàm proximè ad mensam, & vidi, quomodo illi felices convivæ, sumentes cum gustu quédam Divinum cibum, essent beati. Interea mihi etiam videbar degustare quasi micas, quia non eram capax, ut sumerem amplius, sicut erant illi Beati. Dominus DEUS Majestatis, magnus ille Rex, qui præsidebat, conjecit oculos in meam animam, & in momento illam suaviter rapuit, ac tulit ad se ipsum, stringénsque eam fortissimo amplexu, & arctè secum uniens, ut videretur sibi deficere, neque esse ferendo tanto bono, inclusit illam idem Dominus in quodam suo recessu secretissimo & intimo, ac Divino, ubi jam nesciebat de se, & experiebatur, atque cognoscebat in Divina caligine quandam magnificentiam, & quasi bona infinita, adeóque Divina, ut non suppetant verba pro eo exprimendo, quod est experta; & intellexit in illo Divino penetrali; jámque sibi videbatur non posse unquam exire ex suo profundo pelago, & immenso mari Divino. Ità fuit comparata mea anima (modum autem planè ignoro) aliquamdiu, & posteà ipsam paulatim, ac perquam suaviter ille Dominus dimisit ex suis brachijs, & reliquit in loco, in quo priùs fuerat, juxta illam mysticam mensam, vehementer admirantem tanta mysteria, & magnificentiam Divinam. Verti deinde oculos, & vidi juxta me stantes meos Dominos quinque Angelos, qui mihi dixerunt: Soror nostra, agedum, veni nobiscum, jam est enim tempus. Fui modicùm contristata, & dixi: Quid volunt mei Domini? Eant; ego enim non possum ire. Veni huc Soror (dixerunt illi) magno cum amore & charitate. Non, Domini (inquiebam ego) eant ipsi, quia ego non possum. Et aspiciebam Dominum, desiderans manere, ut me in ista occasione juvaret, mandarétque illis, ut me relinquerent. Sed Dominus tacebat, & aspiciebat, qualem exitum esset res habitura, nihílque dicebat. Sancti Angeli autem perseverabant, ac dicebant: Veni huc, Soror nostra, veni nobiscum, quia necdum advenit hora, quam DEUS decrevit, ut migres ex exilio. Cùm Bonitas & Misericordia DEI tunc videret meam imbecillitatem, & repugnantiam, quam sentiebat mea anima in eo, ut reverteretur ad suum exilium, dixit ejusdem Majestas Angelis: Relinquite modò istam animam. Tum ipsi recesserunt modicùm à me, & nihil mihi dixerunt. Paulò pòst ille Dominus DEUS misericordiarum venit ad me, & postquam circumdedisset meam animam, collocavissétque quasi in medio sui Divini cordis, inclinavit se, ac descendit quodammodo ad terram, & ad illum pupertinum locellum mei cubiculi, ac lectuli, ibique me reliquit suaviter, & amabiliter sopitam somno spirituali; ex quo dum essem expergefacta, & redijssem ad me, finitum erat illud mysterium, ac admirabile opus DEI.

§. V.

BIduo vel triduo pòst, ijsdem Festis, comparentes coram me Domini mei quinque Angeli, mihi dixerunt: Soror nostra, nos tibi nihil dedimus, modò autem id volumus facere, in honorem Festorum Nascentis Salvatoris, & dabimus tibi munus pretiosissimum, quod nobis dedit Dominus, ac attulimus ex Aula cœlesti eo die, quo tu ibi fuisti, neque nobiscum voluisti redire ad exilium, eò quòd tibi bene esset in illo felici loco. Et accedentes ad me, ostenderunt mihi singuli singulos pretiosos, ac ab invicem differentes annulos. Dum tergiversarer, & metuerem accipere illos mysticos annulos, ipsi institerunt adeò, ut me suavi quadam violentiâ coegerint extendere manum sinistram, ac tum confestim ad me accessit omnium primus meus sanctus Angelus *Paranymphus*, quia cæteri illum comiter ad id compulerant. Accessit ille, & cum magno amore atque charitate dixit: Accipe, Soror mea; & inseruit in parvum meum digitum annulum ex pu-

ex purissimo ac splendidissimo auro: deinde accessit similiter meus sanctus Angelus *Missus minor*, cum alio ex lapidibus admodum pretiosis, coloris cærulei, idémq; dicendo illum inseruit in secundum digitú, venit verò & ipse ex mandato duorum Angelorum Majorum. Postea eodem modo accessit meus sanctus Angelus *Raphaël*, eum alio etiam ex lapidibus pretiosis, coloris cujusdam viridis, valde mirabilis, idémq; dicendo imposuit illum in tertium digitum: neque absimili modo, vel aliud dicendo venit cum alio, ex pretiosissimo rubino, meus sanctus Angelus *Missus major*, quem inseruit meo quarto digito. Tandem etiam adfuit cum alio ex margaritis pretiosissimis meus sanctus Angelus *Fortitudo*, posuítque mihi illum ad quintum digitum. Dum vehementer mirarer hoc mysterium, & contemplarer meam manum, quam non poteram movere, vidi in ipsius medio illud signum, quod Dominus in ea expresserat, habere colorem recentissimæ & purpureæ rosæ. Ex hac visione sum passa quoddam deliquium, ac debilitatem naturalem, ut mihi viderer viribus deficere; quod videntes illi Domini Angeli, dixerunt mihi: Eja, Soror, eleva istam manú, ac pone illam supra tuum pectus & cor, ità enim relevaberis, & confortabitur cor tuum, atque tua anima accipiet novú robur & vires; quia vim hæc omnia præstandi, ac virtutem habet Divinum munus, quod tibi dedimus ac obtulimus. Feci, sicut mihi mandaverant, & sensi in meo corpore atque anima effectus, de quibus mihi dixerant. Intereà sanctus Angelus meus Custos, constitit coram me, & nihil mihi dicendo, imposuit brachio meo dextro tres armillas ex auro, & gemmis, sensim sinè sensu, ac modo quodam valde gravi, atque amabili, applicando singulas seorsim, ac deinde redivit ad suum locum. Dum hæc mysteria & opera Divina considerarem, vidi ex mea manu dextra, per signum illud Divinum, quod in ea erat, erumpentem copiosum sanguinem, unde sensi multò majorem virium defectum, quàm anteà; sed statim advenit sanctus Angelus Raphaël, & splendidissimo velo mihi involvit manum, substitítque ille sanguis, qui mihi continuo tractu videbatur emanare, & Angelus meus Custos subitò apprehendit meum brachium quàm àmantissimè, posuítque supra pectus, ac dixit: Quiesce modò Soror, quia indiges, & gaude propter donum, quod tibi obtuli, quia Dominus mihi dedit facultatem, & virtutem, ad illud tibi offerendum, vehementer profuturum animæ, & corpori tuo; quo dicto me reliquit. Postridie conspexi meos Dominos Angelos mirabiliter indutos pretiosis & elegantissimis vestibus. Habebant torques aureos, & gemmas splendidissimas. Illuminata à Domino illos agnovi, secundùm propriam eorum virtutem, quæ erat tanta, ut fuerim attonita, & stupuerim videns tales creaturas DEI, talem Potentiá, talem Majestatem, talem Elegantiá, ac talem Sapientiá, unde mea anima devenit in magná cognitionem Essentiæ Divinæ, & admirabilium ipsius Attributorú. Cùm ità ipsos contemplarer, dixi eis: Mei Domini, verè mihi videntur esse prorsus Reges & Principes; Qui responderunt: Ità, sumus Soror nostra, Principes sumus, & Ministri ac Menini Magni Regis Majestatis, ac Domini omnium rerum creatarum. *Bene se vocaverunt Meninos, more Hispanico, quia sic appellantur Ephebuli Principum, dum sunt Infantes, & Princeps Cæli in hoc Festo se exhibet quasi Infantem.*

CAPVT VIII.

De Mysterio Circumcisionis.

Die Circumcisionis etiam est in spiritu ducta ad stabulum Bethlehemiticum, ut videret modum, quo fuit peractum id mysterium, cum quibusdam notabilibus circumstantijs, quæ abundè ostenderent ipso modo, quo illud manifestabant, DEUM esse hujus revelationis authorem. Non vidit, an Circumcisio fuerit celebrata in stabulo Bethlehemitico, sed solùm, quòd sit peracta, ipsius opinione, in quadam domo. Certum autem est, celebratam fuisse intrà domum, in qua Dominus natus est, ut communiter ajunt Doctores; & fortè est peracta in alia parte domûs, quàm stabulo.

§. I.

POstquam advenisset hoc Festum, anno 1597. summo manè expergefacta, *inquit*, reperi me in spiritu in stabulo Bethlehemitico coram sanctissima Virgine, tenente suum pretiosum Filium in brachijs, quem lactabat & contemplabatur cum magna afflictione suæ animæ; considerando acerbissimos dolores, quos ille benedictissimus Pupulus brevi erat perpessurus, pro nostris peccatis, incipiens jam indè à die octavo explere officium Redemptoris, & profundere modicum pretiosi sui sanguinis, in pignus & signum illius copiosi, quem amore nostri erat profusurus. Vidi quoque ex Matris oculis manantes lachrymas, instar pretiosarum margaritarum, quæ cadebant supra sanctum Parvulum: obambulabat ibi Sanctus Josephus, disponendo ea, quæ erant facienda pro Circumcisione. Ista omnia hinc mihi quidem cor præ dolore dilaniabant, indè verò me rubore suffundebant & pudefaciebant, expendentem gratias, quas mihi Dominus præstabat, ità ut, si Dominus permisisset, egressa fuissem ex stabulo: habebam enim ijs diebus in mea anima cognitionem mei ipsius profundissimâ, cum qua eram immersa in abyssum mearum miseriarum, neque mihi suppetebant vires ad emergendum ex illa, vel comparendum coram Domino. Quocirca me subduxi, & quia habui caput vehementer fatigatu, volui modicum dormire. Cum autem quasi essem sopita, audivi vagientem sanctissimum Infantem JESUM, ideoque fui subitò expergefacta, & vidi illum in brachijs suæ sanctissimæ Matris, jam enim fuerat cessatum à vulneranda ejus carne. Plorabat autem usque adeò, ut potuisset rumpere cor audientium, tremens, contrahensque se totum præ dolore, omnia agens, quæ ageret verus Infans, qualis erat. Sanctissima Virgo illum absterset, & collegit admodum dolenter eas pretiosas guttas sanguinis, indutumque indusiolo, celeriter involvit, & porrexit illi ubera, ut ipsum pacaret: sed erat tantus dolor, què patiebatur sanctus Infans, ut vix vellet conticescere, vel lac sugere. Videns autem ego oculis animæ DEUM Infantem parvum, eo modo vulneratum, propter nostra peccata flentem, eram consternata, & stupebam talem amorem, bonitatem, ac sapientiam, qualis in eo relucebat; aliunde verò fui repleta magno dolore, & sum illi compassa, quòd ipsum viderem plorantem, ac patientem.

§. II.

ALio die Circumcisionis, auxit Dominus gratias: quia in mea recollectione, vidi coram me sanctissimam Virginem, quæ gestabat in suis brachijs suum pretiosum Filium denudatum, & speciosissimû, præditum vel imaginabili pulchritudine, qui in suo sacro collo portabat splendidissimum torquem ex auro, & pretiosis lapidibus, mirè coruscantibus, ac tam magnum, ut illi protenderetur ad pectus & dorsum, unde mirum in modum exornabatur. Stupenti

penti mihi, quòd viderem benedictissimũ Infantem taliter ornatum, neque scirem, quid significaret ille torques, dixit Dominus: Hæc sunt cimelia, & hæ divitiæ, quas mihi Pater Æternus dedit, pro meis meritis, quæ ut homo habui, & specialiter nunc pro effusione modici illius mei sanguinis, quem die Circumcisionis profudi, ut ipsi obedirem, & salvarem homines. Postridie mane, in principio meæ orationis conspexi sacratissimam Virginem, & pretiosum ipsius Filium in ejusdem brachijs, ornatum torque, quem videram pridie. Sed ego propter profundam cognitionem mei ipsius magis eram immersa abysso meæ vilitatis, tremens præ magna verecundia & confusione, quòd me viderem corã DEO, ac tales ab illo susciperem gratias. Advertens me hoc modo constitutam Clementissima Virgo, & ostendens se dolere meas vices, dixit mihi: Noli te modò taliter gerere, aspice. Et ostendebat mihi suum pretiosum puellum formosum, ac divitem suis maximis ac Divinis meritis. Intuebar illum, atque mea anima capiebat solatium ex ejus aspectu: sed non poteram egredi ex lacuna illa, cui eram immersa, & cum ista afflictione dixi sanctissimæ Virgini: Non possum, Domina, hinc emergere, neq; habeo vires ad id faciendum. Regina cœli mihi iterum idem dixit, addidítque: Nisi facias, abibo, ac deseram te: quo dicto, subduxit se modicum ex oculis meæ animæ. Ego illam amore DEI rogavi, ut mihi ignosceret, neque me propterea derelinqueret, proponendo emendationem cum Divina gratia. Ostendit se mihi denuò Domina nostra, & positâ manu ad torquem ac pectus sui Filij, mihi dixit: Bono animo esto, quia etiam tu es particeps meritorum hujus sanctissimi Infantis, & illa supplebunt tuos defectus: quæ verba magno me solatio affecerunt.

Alio die Circumcisionis illam duxit quidam Angelus in spiritu, & vidit hoc mysterium Circumcisionis, ac Sacerdotem, qui circumcidit sanctissimum Infantem, repræsentatis ipsi unà ijs, quæ acciderunt, quandoque ipsa fuit peractum.

§. III.

ALio denique tali die illi Parvulus JESUS præstitit extraordinariam gratiã: Quia cùm vacarem orationi, *inquit*, videbatur mihi in momento apertum esse cor per medium, quod considerans cum inusitato stupore, intrà illud & suprà aureas litteras, quas ibi Dominus inscripserat, videlicet: *Hic hospitatur JESUS*, vidi Christum Dominum, DEUM ac Hominem: talem enim ipsum conspexi, & cognovi in specie Infantis parvuli jacentis, ac dormientis. Quo viso admirabunda dicebat mea anima suo DEO: Quid est hoc, mi DEUS? quid facis? quæ mysteria sunt ista? quid mihi ostendis ex magna misericordia? ità præ teneritudine colliquescebam. Dum autem adverterem Dominum dormientem, & quia mihi videbatur non expergefieri, novis incitata affectibus dicebam: Dormísne mi Domine? dormis? adhuc somno teneris? expergiscere Dilecte mi, expergiscere. Ecce, Domine, hostis est in campo, ut cruentum inferat bellum animabus, inter quas una est mea: expergiscere Domine, expergiscere, nè dormias. Ad has voces evigilavit Dominus, & amanter me alloquens, dixit mihi: Anima mea, nè timeas, dum me tecum habes, & sum in tuo corde. Eja anima, bono esto animo, quia etiamsi tibi videar dormire, ùt sum homo, semper vigilo, ùt sum DEUS, noli metuere. Postquam hæc dixisset, fuit cor clausum, quod erat instar Paradisi, & instar Eucharisticæ Hierothecæ, exornatæ gemmis. Stupebat id mea anima, cogitans de eo, quod viderat, & ecce subitò vidi secundò apertum cor meum ad eum modum, quo priùs, atque in illius medio Christum Dominum, DEUM ac Hominem verum, non parvum Infantem, neque dormientem, sicut antecedenter, sed virum magnum & vigilantem, qualis erat dum versaretur in mundo, & hoc me multò majori stupore affecit, quàm quod videram priùs: quia videbam Dominum non jacentem, neque parvum, sed stantẽ, ac magnum, quemadmodum dixi, & quia taliter occupabat quantus quantus est, illum

lum angustum locum mei cordis, quin ibidem esset contractus vel constrictus, sed gloriosus & retinens suam staturam. Eram quasi afflicta & turbata videndo meum DEUM ac Dominum in ea specie intrà meum cor, & me ipsam, acsi illum nunquam ità vidissem, unáque eram confusissima, & verecundabar, eò quòd intuerer meum DEUM ac Dominum adeò mihi vicinum, atque ità intrà me existentem. Videns Divina Majestas, quod in mea anima fiebat, dixit illi gravi quodam, ac Divino modo: Quid miraris, Anima? quid ità times, ac stupes? Ignoráſne meam magnitudinem, meam sapientiam, ac potentiam, quâ ex mea bonitate operor magna mysteria pro utilitate animarum, & me non posse contrahi vel constringi à loco parvo vel arcto, sed nec dilatari à magno & spatioso; siquidem ego sum Dominus absolutus omnium rerum, & universa dispono pro meo beneplacito, ac libitu, ut me nihil possit adstringere ad suas leges? Quocirca Anima, quiesce in me, neque turbetur cor tuum in meis mysterijs & operibus, quia omnia facio pro tuo majore bono & commodo, ac mea gloria. Quo dicto me replevit summo solatio, & cor meum denuò mysticè fuit clausum. Ego mirata sum ejusmodi opera Domini, & gratias illi egi pro omnibus. Ipse sit benedictus in æternum. Amen.

CAPUT IX.

De Adoratione Regum.

Dmimbiliorem gratiam assequuta est à DEO die Epiphaniæ, quo præcipuè celebrabatur adoratio Regum. Sed exordiemur à minoribus.

§. I.

HOc die, *inquit*, ante diluculum matutinum, me reperi in stabulo Bethlehemitico, sicut consueveram, cum sanctissima Virgine, & pretioso ipsius Filio, nec non Sancto Josepho, qui compositâ modicâ illâ supellectile, quam habebant, exciverat ignem, & accenderat pro illuminando stabulo quandam quasi assulam, seu particulam tædæ, quæ suaviter lucebat, & sufficienter ad illustrandum eum locum. Virgo tenebat Infantem in suis brachijs, indutum solo indusiolo nitidissimo ac delicatissimo, & tectum velo, quo cooperiebatur corpusculum. Animadverti hoc modo à Virgine cum Sponso expectari Reges, quos jam à DEO intellexerant venturos, quamvis de hoc non loquerentur, sed ambo observarent sanctum silentium. Interea audivimus venientes ad portam illius Atrij homines quasi ex itinere (dico autem, audivimus, quia etiam ego, quæ ibi in spiritu aderam, illos audivi) qui accedentes ad portam, inceperunt loqui, & conferre aliquantùm clamosè: quâvis autem non perciperentur verba, quæ dicebant sancti Reges, intelligebatur tamen, sermonem illis esse de stella, quæ steterat supra illud stabulum, & monstraverat ibi esse Regem ac Dominum, cujus quærendi & adorandi gratiâ advenerant. Paulò pòst aperuerunt portam stabuli, & per illam ingressi iverunt rectà ad sanctissimam Virginem, quæ sedebat, tenens suum pretiosum Filium in brachijs valdè modestè & sanctè, atque animo usque adeò collecto, ut quamvis ingrederentur Reges, ipsam non viderem attollentem oculos ad eos aspiciendos. Venerunt sancti Reges ad sacratissimam Virginem, defixísq; humi genibus adoraverunt sanctissimum Infantem, & Regem ac Dominum nostrum, obtulerúntque illi sua munera. Postea se erexerunt, & profundissimâ corporis inclinatione sunt reveriti Beatissimam Virginem, quæ etiam assurrexit, & illos venerata est, inclinando se coram illis. Tum se verterunt ad sanctum Josephum, quem simili

mili honore sunt prosequuti, reverente illos vicissim sancto quàm humillimè, ac deducente ipsos usque ad portam stabuli, ubi discesserunt. Hæc adoratio duravit exiguo tempore; sed tunc non vidi modum, quo obtulerunt sua munera, vel quis illa susceperit: quia id fuerat factum me non videntè; neq; enim ego plus video, quàm quod Divina Majestas mihi vult ostendere. Sed post biduum deinde se mihi spectandú exhibuit Dominus rursum in specie Infantis, sicut solebat, licèt non viderim, fueritne in brachijs suæ Matris. Videbam illum tamen indutum elegantissimâ togulâ, undiq; refertâ ac distinctâ pretiosis lapidibus, qui mirum in modum coruscabant. Diu eum intuebar cum magna attentione & stupore, cogitando qualisnam esset hæc tam parva togula. Et ipsius Majestas respondit meæ cogitationi, dicendo: Noveris istam esse togam regiâ, quam modò indui in signum, quòd sim Rex, & Dominus omnium, atque pro tali jam agnitus ac adoratus à Regibus terræ: útque hoc significarem, & tu videres, volui tibi taliter comparere.

§. II.

Aliam magis stupendam de hoc Mysterio habuit visionem multis annis post. Aliquando manè, propè Festum Epiphaniæ (1621.) inter orandum, converti, *inquit*, animæ oculos, quasi ad partem, ità DEO disponente, & vidi ibi sanctos tres Reges Magos, vestitos regiè, redimitos coronis aureis, valde graves, & magnam præseferentes majestatè; qui me aspexerunt, & amanter sunt alloquuti, dicendo: Soror nostra, DEUS tibi det felicissimum Festum Epiphaniæ. Turbata nonnihil aspectu horum Sanctorum, quia mihi mirú accidit illos videre, confugi ad DEUM, more solito, pro implorando ipsius lumine, & aliquantùm timui. Sancti Reges id videntes conabantur me componere, & graviter ac pacatè me expectabant, usque dum jam mea anima, Domino id ipsi inspirante, illos aspiceret sedatè, auscultarètque sanctos eorundem sermones, & esset quieta. Tum illos statim interrogavi: Sancti & Beati Reges, dicant mihi, amore DEI, quare venerint ad quærendum Salvatorem mundi, & adorandum tanquam suum DEUM? Illi mihi quàm sapientissimè responderunt: Vidimus stellam ejus in oriente, & habitâ scientiâ naturali, quam nobis DEUS dedit, atque accedente inspiratione & cognitione supernaturali ac lumine, quod communicavit animabus nostris, per illam stellam, per quam spiritus quidam Seraphicus nos efficaciter illuminabat, ut cognosceremus Verbum Divinum Incarnatum, quod jam apparuerat in mundo; propter hoc cœleste lumen festinanter statim abivimus ad quærendum & adorandum hoc summum Bonum, acceptis nostris thesauris, quos ipsi offerremus, cum quibus obtulimus nos ipsos, præstando illi homagium, nomine omnium nostrorum Regnorum, ac totius Universi. Interrogavi præterea: Quæso, dicant mihi Domini, quando venerunt Jerosolymam, & disparuit ipsis stella, quid fecerint, & quid cogitaverint? Ipsi responderunt: Ecce, Anima, tunc DEUS replevit nostras animas quadam adeò magnâ fide veritatis, quam nos docuerat, ac tantà in illum confidentiâ, ut generosissimè & audacissimè pertransiverimus Civitatem, dicendo: Ubi est, qui natus est Rex Judæorum? Vidimus stellam ejus in oriente, & venimus adorare illum. Sed dicant mihi, inquiebam ego: Domini, quare illis disparuit stella? Responderunt, id evenisse ob duas causas. Primò: quia DEUS voluit probare nostram fidem, & an turbaremur, atque concideremus animis, deficiente bonis tanto lumine, ac Duce. Secundò: noluit DEUS tantâ gratiâ dignari illum malum Regem Jerosolymæ, & ipsius Aulam, ut illa cœlestis stella eam illuminaret, transeundo per ipsam: dederat namque DEUS talem virtutem & efficaciam ad illuminandas animas, & trahendas ad cognitionem DEI, illi Seraphico Spiritui, qui erat in ea stella: ut possibile fuerit adduci, attrahique ad cognitionem DEI, illum malum Regem, & ipsius Aulam, fieríque illi à DEO istam gratiam, quam tamen

men non promeruerant, quin potiùs valde se eâ reddiderant indignos, propter magnam superbiam, & duritiem cordium suorum, in cujus pœnam non permisit DEUS, ut conspicerent lumen illius stellæ, & fruerentur tanto bono. Dixi præterea: Dicant verò Domini, quando egressi ex Civitate denuò conspexerunt stellá, nónne fuerunt repleti magno solatio? Magno, & summo nobis fuit ea res solatio, reposuerunt illi. Dixi quoque ipsis: Ac tandem, Domini, illa stella illuminavítne & comitata est ipsos, donec pervenirent ad beatum stabulum Bethlehemiticum, ubi erat noster Salvator in brachijs suæ sanctissimæ Matris, unà cum sancto Josepho? Ità, anima, ità Anima, dixerunt ipsi, atque ibi, illa Divina stella tam lucidè scintillabat, & radiabat, ut videretur incendi sanctum stabulum, quod sumus ingressi, ubi cum summo amore ac reverentia humi prostrati, adoravimus nostrum Salvatorem, DEUM ac Hominem verum, obtulimúsque ipsi nostra munera, aurum ùt Regi, thus ut DEO, myrrham ùt Homini: atq; si sanctissima Mater voluisset in suum usum cóvertere illum thesaurum, abundè ipsi suffecisset ad transigendam feliciter vitam. Indè sumus digressi cum summo solatio, quia Redemptor, & sanctissima ipsius Mater, nec non sanctus Josephus se nobis exhibuerunt quàm gratissimos pro nostra adoratione, & oblatis muneribus; Dominus autem nobis dedit suam benedictionem, & apparuit nobis Angelus, præcepítque, nè reduces transiremus Jerosolymam. Hoc modo res contigit, Anima. Summo me affecit solatio ista communicatio. Post hoc sancti illi Reges mihi dixerunt: Nunc, Soror nostra, reliquum est, ut nobiscum proficiscaris eò, unde nos venimus, in nomine DEI. Dum hæc audirem ipsos dicentes, fui turbata, quia illos nunquam aliàs videram, ac proinde nesciens quid dicerem, respondi ipsis: Hoc non, Domini, hoc non: ego sum creatura mei DEI, atque ancilla ipsius, & sinè ejus voluntate ac dispositione nullò eo: quando placet meo Domino, & ducunt me isti Angeli, quos hîc vident, vado, quò DEUS vult. Illi autem responderunt perbenevolè & amánter: Quid dicis, Anima? Nónne scis, nos per misericordiam DEI esse animas beatas, & versari in ejus conspectu, dum fruimur beatificâ ipsius visione, ideóque nos nihil posse facere sinè illius Divinâ dispositione? Nos, Anima, venimus ad te nomine DEI, & significamus tibi hoc ipsius mádatum, ut eas nobiscum, quò te ejusdem nomine ducemus. Dixerúntque deinde cum imperio & majestate: Quid dicis ad hoc, Anima? quid respondes Domino, qui nos ad te misit? Audiens, quod mihi à sanctis Regibus eo modo fuerat dictum, adverti animum ad mea verba, & prostrata humi dixi: Ecce Ancilla mei DEI, ac Domini, fiat in me ipsius sanctissima voluntas. Cùm hoc dixissem, sancti illi Reges se moverunt, emittentes ingenté splendorem, quod ipsum etiam fecerunt sex Angeli DEI, qui mecum erant, similiter formosi ac splendidi, & confestim resonuit quædam cœlestis musica multorum Angelorum, assumensque me Angelus meus Custos, unà cum cæteris, collocavit me in medio illorum sanctorum Regum, atque ità fui ducta per diversas regiones. Et cùm ex alto vidissem multa Regna opulentissima, alia verò his disparia, nec non magnum populum diversorum statuum ac nationum, tunc mihi dixerunt illi sancti Reges, & mei Angeli: Anima, ora DEUM pro ista gentilitate. Posteà fui ducta ad altissimum montem, unde per quosdam veluti gradus constructos ex cœlesti quadam materia, me perduxerunt usque ad cœlum, & patefacto mihi aditu à multis Angelis, ingressa sum illam cœlestem Jerosolymam unà cum sanctis Regibus, & meis Angelis. Sancti Reges autem mesubitò obtulerunt DEO, dicentes: DEUS, & Domine noster, hîc vides istam animá, quam nos jussisti ad te perducere. Valde reluctabatur, sed tandem se submisit, & voluntati suæ conformavit. Bene est, dixit DEUS, relinquite illam hîc. Tum illi recesserunt ad suum quisque locum, & ego mansi cum sanctis meis Angelis coram Domino, tremens tamen, & cum aliquo timore, an non aliquomodo ipsum offen-

dis-

dissem eâ repugnantiâ, quam habueram initio, nè venirem cum sanctis Regibus. Sed Dominus me pacavit, & aspexit benignè.

§. III.

CONstitutam in ista ecstasi, abripuit Dominus, ponendo me intrà semetipsum, & intrà suam Divinam Essentiam, ubi altissimo quodam modo mihi manifestavit, & ostendit immensas perfectiones suorum Divinorum Attributorum, ac tum aliquantò pòst me eduxit Dominus, ut ipso fruerer alio modo arcano, acciditque mihi sicut alicui, qui postquam est ingressus portam magni, sumptuosi, & elegantissimi Palatij, educitur indè aliâ pretiosissimâ ac diversâ portâ. Hinc fui ducta à quodam supremo Angelo, quem ego non novi, ad quandam altitudinem, ex qua vidi immésam quandam Majestatem: non poteram satiari ijs bonis, neque complecti illam immensitatem. Luctabar cum meo DEO, & quamvis multùm laboraverim, non poteram me tamen reddere capacem tantarú felicitatum. Cùm aliquamdiu duravisset ista lucta, abripuit me in ictu oculi admirabiliter Angelus: atque dum me teneret juxta se, & animaret, incepi audire quendam ingentem tumultum, non formidabilem, etiamsi ego tremuerim, sed plenum solatio, instar tonitruorum, fulgurum, ac tempestatis, & radiorum Divini ignis, inter quæ veniebat ipse DEUS, & illabebatur suaviter, atque quàm spiritualissimè in potentias meæ animæ, implens illam se ipso: sed ego semper anhelabam, volens satiari, & complecti amplitudinem mei DEI, nec poteram propter meam limitatam & exiguam capacitatem. Post hoc venit vehemens ventus, delicatus, suavissimus, & urens, instar sibili, in quo veniebat ipse DEUS, & pervasit potenter meú sensum, ac auditum, méque penetravit, ac replevit DEO, & quidquid vidi, audivi ac sensi, atque cognovi de istis mysterijs, totum erat DEUS, & magis DEUS.

Angelus ille supremus finito hoc mysterio me recreavit & solatus est, dicendo mihi: Anima es fatigata ex lucta cum tuo DEO, fruita es immensis ipsius perfectionibus, & Essentiâ Divinâ, pro tuo captu; cætera, quibus potieris, non possunt fieri in hac vita mortali: post illam fruèris tuo DEO cum satietate, & claro lumine, dum te non impediet velum mortalitatis. Dic mihi tamen modò, quinam sint futuri illi tam felices, ut possideant ista infinita ac immensa bona tui DEI, quæ vidisti, & cognovisti, quemadmodum ego te edocui, & illuminavi? Obstupui vehementer, nesciens, quid esset respondendum ad talem interrogationem: quia mihi videbatur, bona, atque magnalia, quæ videram, & cognoveram, ac degustaveram mei DEI esse talia, ut ignorarem, an inveniretur ulla anima, quæ illa posset promereri, essétq; eorundem capax.

Ità attonitam illuminavit DEUS, & provolvens ac prosternens me, admotis ad os manibus, dixi Angelo: Sanctissime Angele, his bonis Divinis fruentur humiles corde, parvuli, illi pauperes spiritu, contemptores sui ipsorum, & amantes suum DEUM perfectè, atque ex toto suo corde & anima, unáque proximum in eodem suo DEO. Optimè respondisti, dixit Angelus, surge nunc, & accipe meam benedictionem, in nomine totius Beatissimæ Trinitatis. Et postquam mihi ter bene fuisset precatus, apprehendit statim aspergillum, quo intincto in quodam pretioso sanguine me aspersit, dicendo: Accipe, Anima, in hunc modum applicationem virtutis, & valoris meritorum JESU Christi, ac pretiosi ipsius sanguinis pro omnibus effusi. Deinde me cooperuit quodam admirabili velo, & summo cum amore atque charitate collocavit in manibus mei sancti Angeli Custodis, ut me reponeret in meo loco. Tulit me cum magno gaudio, comitantibus illum sanctis Angelis ipsius socijs, & collocavit me in meo loco, sicut ipsi mandaverat Angelus. Ultra octiduum nescivi quis fuisset ille supremus Angelus, cujus operâ & ministerio peracta fuerant tanta mysteria; deinde verò me DEUS illuminavit, quòd Verbum Divinum Incarnatum, assumptâ illâ specie Angeli, fuerit author tantorum operum ac miserationum.

num. Ipsum sit benedictum in æternum. Amen.

Postquam me Dominus cumulavisset illis favoribus & gratijs, intra biduum mihi ejusdem Majestas immisit valde terribilem & extraordinariam crucem, tam internam animæ, quàm externam corporis, quod fuit afflictum summis & insolitis doloribus, ardoribus, atque cruciatibus acerrimis, adeò ut per multos dies fuerim in continuo quodam martyrio, visáque mihi sim imposita in rotas plenas novaculis, & excoriari, atq; igne torreri. Hujus tantæ gratiæ, & misericordiæ, quam mihi Dominus contulit, licèt se natura nonnihil exereret, mihi Divina Majestas ingenerabat tantam æstimationem, replebátque tanto solatio superiorem meæ animæ partem, dum cõsiderarem, quantùm valeret coram DEO, utpote pretiosa illius gemma, quam ei oporteat esse gratam, ac placere, eò quòd illam mihi dedisset ipsius Majestas, méque ità tractavisset; ut proinde istam Crucem, & ejus bona non permutarem ullâ re, non dico temporali, quia istas cupio proterere pedibus; sed neque omnibus favoribus, vel solatijs, & gratijs extraordinarijs, quas mihi DEUS potest conferre in hac vita: verumtamen cum omnimoda resignatione in Divinam voluntatem.

§. IV.

ALio die Epiphaniæ, anno 1622. dum manè agerem cum DEO, attollens oculos animæ, vidi quoddam Cœlum stellatum, proximum terræ, & in ejus medio Seraphinum splendidissimum, emittentem magnos splendores, ac radios lucis. Vehementer mirabar, conspecto hoc mysterio, & subitò vidi ab isto Seraphino designari crucem, in medio illius Cœli, optimè efformatam, ac lucidissimam, qui statim recessit ad unam Cœli partem, ubi incepit evibrare novos splendores & fulgores, videbatúrque conflagrare, quasi indicando parvùm stabulum Bethlehemiticum, in quo erat recenter natus DEUS, & Homo verus. Voluit Divina Majestas me breviter edocere de illo Divino mysterio adorationis Regum. Vidi sanctissimam Virginem cum suo sanctissimo Puellulo in brachijs, & hunc adorari à tribus Sanctis Regibus, tanquam DEUM ac Dominũ, offerrique ipsi munera. Postea mihi apparuit sanctissima Virgo cum suo sancto Filio, dixítque: Famula DEI, adfero tibi hunc pretiosum thesaurum, ut illum videas, ac adores: & confestim vidi sanctissimum Pupulum in meo corde, atque sanctissimam ipsius Matrem, absque illo, cui dixi: Domina mea, quid fecit tua Majestas? quomodo dimisit ex suis brachijs sanctissimum Filium DEI, & suum, posuitq; in corde tam vilis creaturæ, quàm sum ego sordida, abominabilis, & instar sterquilinij plena miserijs? ac deinde incepi dicere de me multa mala, juxta lumen, quod mihi dederat DEUS, cognitionis propriæ. Sacratissima Virgo autem mihi respondit amanter & suaviter: Serva DEI, jam audivi, quid dixeris, quódque tantopere doleas, te esse peccatricem. Hic Dominus est Agnus, qui tollit peccata mundi, & si es immunda, iste Dominus est puritas ac lux mundi, quæ illuminat animas, ac docet viam veritatis; si verò es miserabilis, ipse suâ misericordiâ abolet miserias omnium: atque ecce talem, qualis es, te esse vult idem Dominus ac Filius meus. Insuper tibi verè dico illos defectus, quos tu commemoras & invenis in te, non esse in DEI conspectu defectus, sed permissiones, pro tuo exercitio, & augmento crucis, tuorúmque meritorum. Hoc audiens à Virgine, repleta fui solatio, & recreata, egíque ipsi magnas gratias pro exhibito favore.

§. V.

ALio festo Epiphaniæ, anno 1623. dum occupata essem quadam re, spectante ad Divinum obsequium, etiamsi fuerit exterior, comparuerunt mihi sancti tres Reges, dixerúntque se venire, ut me ducant ad adorandum Infantem DEUM recenter natum, irem proinde cum illis ex eo loco, ex quo ipsi venerant: & cùm ego distinerer dicto negotio, addiderunt; Nè solicitetis: expedi te, quia nos habebimus tui curam.

curam. Cessavi ab opere, quod habebam præ manibus, & ipsi disparuerunt. Mei autem Domini sancti Angeli me transtulerunt ad illas regiones orientales, ubi reperi tres Reges, qui me secum duxerunt unà cum meis sanctis Angelis. Proficiscebantur cum magna majestate, & magnificentiâ Regiâ, & pervenimus Hierosolymâ, ubi accidit, quod refert Evangelium: tandem pertigimus ad stabulum Bethlehemiticum. Postquam eò venissemus, reperimus ibi sanctissimum Infantem DEUM nostrum in brachijs suæ sanctissimæ Matris, & ipsius Sponsum sanctum Josephum. Sancti Reges me protruserunt ante, ut ego priùs adorarem Dominum. Me verò valde puduit istius urbanitatis, & dixi illis: Non, Domini, absit, ut hoc faciam; inprimis enim non decet; deinde venio vacua, non fero, quod præsentem Divinæ Majestati; qui ferunt munera, ingrediantur priùs. Sanctus autem Angelus meus Custos mihi dixit: Non fers, quod præsentes? Impone modò, Soror, manum in tuum sinum, & videbis, te habere ibi, quod offeras Domino. Imposui manum in sinum, & inveni in eo cor, quod habebat colorem vivacissimi rubini, atq; erat meum. Fui jussa accedere ad adorandum Dominum. Accessi, obtuli me in ancillam Divinæ Majestati, agnovi ipsum pro DEO, ac Domino meo, DEO & Homine vero, & præsentavi ei meum cor, quod sanctissima Virgo accepit in suas manus, & sibi applicuit, deditque deinde Domino, qui illud servavit in semetipso. Venerunt postea sancti tres Reges cum magna majestate & pompa, prostraverunt se humi, & adoraverunt Dominum tanquam DEUM & Hominem verum, suo, atq; totius Gentilitatis nomine. Actus iste fuit magnæ devotionis, humilitatis, & magnificentiæ. Obtulerunt ipsi sua dona, & gloriosus sanctus Josephus, qui stabat nonnihil remotus, illa suscepit. Cùm illum adoravissent, erexerunt se Reges, & exiverunt cum magna authoritate ex stabulo, retrogredientes averso dorso à Domino. Comitatus est illos sanctus Josephus, atque tum postquam adhuc se profundè inclinavissent, verterunt dorsa, ac discesserunt.

§. VI.

DEniq. ostendit Venerabilis Marina se majorem fecisse progressum in spiritu, quòd gratias, quas erat solita suscipere in suis initijs, itemtò annis posterioribus consequeretur, præbuerit majora indicia suæ ardentis charitatis erga proximos, ùt apparebit in his duobus, quæ ipsi ijsdem festis acciderunt.

Nocte, *inquit*, Nascentis DEI (anno 1623) venerunt ad me Domini mei Angeli cum magna festinatione, dixerúntque mihi: Veni Soror nobiscum, quia sanctissima Virgo est in stabulo Bethlehemitico. Et deduxerunt me illuc in momento. Vidi sanctissimam Virginem Dominam Nostram, constitutam in altissima contemplatione, splendentem instar Solis, & Sanctum Josephum remotum alibi, etiam provolutum in genua, & manibus junctis vacantem contemplationi. Subitò autem adfuit hora felicissimi partûs, & sanctissima Virgo suffrexit, atque cum gravitate & authoritate, ac Divino quodam & admirando modo peperit suum sanctissimú Filium, qui comparuit apud ipsius pedes supra fœnum. Et venerunt continuò multi Angeli DEI, adoraverúntque illum, sed & sanctissima Virgo ipsum de genibus adoravit, ac sanctus Josephus. Beatissima Virgo consedit, atque depositum ex suo capite superius velum extendit supra suum gremium, & sustulit sanctissimum Infantem ad sua genua: Sanctus Joseph attulit fascias, omnésq; unà pannos, quibus Deipara involvit suum sanctissimum Filium, & lactatum, reclinavit in præsepio. Manifestavit mihi DEUS quodam valde spirituali ac Divino modo, partum hujus Dominæ, & quâ ratione fuerit, manseritque Virgo, ac illibata, eâ certitudine, atque adeò majore, quàm si id vidissem oculis corporeis. Petivi à DEO gratiam, ut omnes mei Amici & benefactores, quique se commendaverunt meis precibus, adessent, & fruerétur hoc Divino mysterio. Et ecce vidi sta-

di ſtatim in illo ſancto ſtabulo multos homines, tum Religioſos, & Moniales, tum ſæculares, viros & fæminas, ex quibus nonnullos ſigillatim agnovi. Sanctus Joſeph ſubitò apparavit quandam parvam menſam, quantumvis paupertinam, valde tamen nitidam & elegantem, in qua poſuit delicatiſſimum & candidiſſimum panem inſtar ſpiræ. Mendicavi, ut mihi darent aliquid ex illo tam delicato pane, à Beatiſſima Virgine, & à ſancto Patriarcha. Tum ſanctus Joſeph acceptum panem fregit ſuper menſam, non admovendo illum ad ſe, dedítque mihi unam partem: deinde ſanctiſſima Virgo apprehendens panem ſuis ſanctiſſimis manibus, ſibique applicans, diviſit & dedit mihi aliud ingens fruſtum. Hunc panem ego diſtribui omnibus amicis præſentibus, dando ſingulis unum bolum. Poſtea intellexi à Domino, illum panem habuiſſe vim corroborandi & fortificandi animas. Fui deinde reducta ad meum angulum, poſtquam diſceſſi à mea Domina, ac Divino ejus Sponſo.

Cùm poſt hoc audirem Sacrum, ante Communionem, Sanctiſſima Virgo venit ad meum cubiculum cum ſuo ſanctiſſimo Filiolo, & dixit mihi: Anima, adfero tibi hîc meum Filium, ut ipſum adores, eóque te oblectes. Adoravi illum & exoſculata ſum ejus pedem ac humerum, cum magno timore, & fui rapta in ecſtaſim. Quando ad me redij, intrabat Sacerdos me communicaturus. Nocte ſequentis Feſti Triũ Regum in Januario, 1624, venerunt ad me Domini mei Angeli, & dixerunt mihi feſtinanter: Veni nobiſcum anima, vocat enim te Dominus. Duxerunt me ad cœleſtem Jeroſolymam, ut adeſſem ſolennitati, quæ celebrabatur eo die in honorẽ Verbi Incarnati. Vidi ſanctiſſimam Virginem in pereleganti throno, & ſede, conſpicuam maximâ gloriâ, ac ſplendoribus, ut videretur mille Solibus circumdata. Tenebat in ſuis brachijs ſanctiſſimum Puellum, DEUM & Hominem verum. Tota iſta Domina erat quodammodo incincta à Beatiſſima Trinitate. Derepente cœpit exaudiri muſica cœleſtis, ac Divina Angelorum, & Animarum ſanctarum, in laudem Verbi Æterni, gratias ipſi agentium, pro beneficio præſtito mundo, & hominibus: videbatur tota illa ſancta civitas conflagrare amore & gloriâ DEI. Venerunt univerſi Angeli, & Sancti veteris ac novi teſtamenti, Apoſtoli, Patriarchæ Religionum, & omnes reliqui Sancti ac Sanctæ, ſuo quique ordine, habentes coronas in capitibus, & proſtrati adoraverunt illum Dominum, deponentes ex capitibus coronas, & collocantes illas ad ipſius pedes, conteſtando omnia ſua bona, ac beatitudinem ſibi proveniſſe per myſteria, & mortem, ac Paſſionem Verbi Incarnati, quod adorabant, ut DEUM ac Dominum totius Univerſi. Fuit Feſtum hoc tam ſolenne, & mirabile, tantáque majeſtatis, ut nequeat verbis explicari, quia excedit omnem humanam exaggerationem. Poſtquam adveni, omnes me juſſerunt accedere ad adorandũ Dominum. Ego agnoſcens meam miſeriam, & me non habere, quod ipſi offerrem, cùm omnes obtuliſſent ſuas coronas, tergiverſabar, & nolebam accedere. Sed mei ſancti Angeli me duxerunt, & proſtrata adoravi Dominum, ut ſcivi. Divina Majeſtas autem mihi dixit: Anima, offer mihi aliquid, ſicut iſti Sancti obtulerunt. Ego reſpondi: Mi Domine, non habeo, quod offeram; quia ſum miſerabilis creatura tua, atque ſi aliquid poſſideo, non eſt meum, ſed tuum; neque aliud habeo, quàm quod tu mihi dediſti. Ità, habes, dixit Dominus, impone manum in tuum ſinum. Feci, quod eram juſſa à Domino, & expoſui quinque nummos aureos ſplendidiſſimos, quos ipſi obtuli, & erant quinque virtutes, quas mihi Dominus dederat, ſignificatæ per quinque nummos, quemadmodum alibi dictum eſt.

Ab illo throno Divino, ubi erat Verbum Divinum Incarnatum in brachijs ſuæ ſanctiſſimæ Matris, ſubtus prodibat grandis fluvius, qui erat figura ſanguinis JESU Chriſti Domini noſtri, Divinorúmq; ipſius meritorum, quæ nobis communicantur per ſanctum Baptiſmum, & reliqua Sacramenta. Et rogavi Dominum, ut dignaretur

retur omnes meos amicos, ac amicas reddere participes hujus Festi, sicut alterius reddiderat die Nativitatis: atque statim respiciens, vidi illos adesse. Tum Dominus dixit: Nuper illis dedisti Divinum panem, qui tibi fuerat datus, da illis modò aquam Divinam hujus fluminis. Et cucurri arrepto magno vase, quod mihi fuerat oblatum, hausique illam aquam fluminis, & dedi ex ea omnibus; quâ fuerunt, ùt videbatur, omnes satiati & exhilarati, ac recreati, & confortati. His peractis, largissimam benedictionem dedit Dominus omnibus Sanctis; ego verò fui reducta domum.

§. VII.

ADdamus hîc, quod illi contigit alio anno 1615. Die Epiphaniæ. Cùm valdè vexaretur à suis doloribus, dixit suis sanctis Angelis: Domini, in Festo trium Regum celebrata fuerat magna solennitas in Cœlo: sed ego eam non vidi. *Et ipsi responderunt:* Videbis illam in æternitate. *Tunc illis dixit:* Vellem ipsos videre solenniter celebrantes aliquod Festum; *statimque illi comparuerunt eleganter vestiti, & splendidissimi. Protulerunt quædam instrumenta musica, quæ videbantur esse sambucapandum, & fides, atque melodiâ & harmoniâ cælesti concinuerunt suavissimè certos versus, quos illa ipsa ex vehementia ardentis affectus erga suum DEUM composuerat, constantes magis inflammatis animæ suspiriis, quàm artificiosâ consonantiâ. In ijs se ipsam aliquoties nominabat Ancillam Domini, & Angeli inter canendum substituebant vocem* Sponsæ, *loco* Ancillæ, *quos illa corrigebat, sed ipsi prosequebantur substitutionem vocis.*

CAPUT X.

De Purificatione Beatissimæ Virginis, & reditu ex Bethlehem ad suam Domum Nazarethanam; quámque Domina Nostra æstimaverit hanc sanctam Domum.

§. I.

DUm essem, *ait*, collecta, meo more, aliquando manè, prope Festum Purificationis Anno 1597. vidi sanctissimam Virginem, in stabulo Bethlehemitico sedentem cum suo pretioso Filio in brachijs, formosiorem quàm possit cogitari, & in corpore suo ac vultu præseferebat ætatem quatuordecim vel quindecim annorum. Ad latus ipsius stabat sanctus Joseph, quem admirabiliter aspexit & cœpit alloqui, magnâ humilitate, ac sancto quodam amore, & reverentiâ cum ipso conferendo, ubi reperturi essent turtures, vel columbas pro oblatione, quæ peragenda esset die suæ Purificationis. Sanctus Conjunx respondit quàm humillimè, & reverentissimè dicendo, quis ea in re esset modus servandus. Deinde sanctissima Virgo surrexit ex loco, in quo sederat, reclinavitque suum pretiosum Filium in præsepio, ac tum illam aspexi, vidique pulchriorem, ac speciosiorem, quàm unquam ipsam viderim. Erat sanctum illius corpus mediocris staturæ, conspicuum modestiâ, gravitate, & animi demissione, atque compositione cœlesti; vestem habuit coloris ac formæ honestæ, & modestæ, ità tamen, ut hic ipse vestitus repræsentaret quandam Majestatem, ac tantum Dominium, ut nemo illum conspexisset, qui ipso considerato, non dixisset, eam Dominam esse magnam aliquam Reginam, & eum vestitum esse tam pretiosum ac sumptuosum, ut omnes mundi divitiæ cum eo comparatæ, essent sordes. Gestabat in capite velum quàm honestissimè expansum, longum & candidissimum, cujus una extremitas defluebat super humerum ipsius sinistrum, altera verò ambi-

bat collum, ac dorsum, & recidebat ad humerum dextrũ, atque sic apparebat quàm formosissima. Rapiebat mihi cor ejus aspectus, & ex Divino instinctu, nesciens, quid vellem dicere, pronuntiavi Antiphonam: *Salve Regina*, usque ad finem, cum magno meæ animæ solatio, audiente me istâ Dominâ, neque se movente ex loco, in quo erat. Converti deinde oculos ad præsepe, ubi reliquerat Infantem, quem clarissimè vidi cinctum Angelis; & qui in ipso se mihi manifestavit, DEUM, ac Dominum Nostrum, potentem & Magnum: atque in hoc DEO vidi & cognovi tres Divinas Personas, Patrem, Filium & Spiritum sanctum; ac mirata sum, videns stupenda, quæ suo mihi lumine manifestabat: & ab ipso Domino mota, cognoscendo ex ejusdem illuminatione nostras necessitates & miserias, incepi dicere ad Personam Filij: *Christe audi nos: Christe exaudi nos:* ac deinde dicebam ad Personam Patris: *Pater de cœlis DEUS, miserere nobis*, & sic ulteriùs progrediendo, petebam misericordiam ab omnibus tribus Divinis Personis, uno solo DEO, ac Domino Nostro: convertensque me ad Angelos, qui aderant præsentes, rogabam illos toto meo corde, ut intercederent apud DEUM pro nobis miserabilibus & indignis. Deinde verò me converti iterum ad sanctissimam Virginem, rogans ipsam, ut ageret Nostram Advocatã, ac Patronam apud Divinam Majestatem, nósque duceret ac tueretur in hoc exilio, ac valle lachrymarum. Hæc omnia duraverunt quasi duabus horis, post quæ me reperi in meo angulo plenam amore sanctissimæ Virginis, continuò memor modi, quo illam videram.

Postquam advenisset ipse dies Purificationis, manè inveni me in stabulo Bethlehemitico, cum ista Celsissima Domina, & sancto Josepho, qui se in sancta quadã pace ac silentio disponebant pro itu ad Téplum; ut servarent legem, & Virgo præsentaret suũ Filium Æterno Patri, pro salute ac remedio hominum. Atque præparatis necessarijs, vidi ipsos exeuntes ex illo stabulo; sanctissima Virgo gestabat suũ pretiosum Filium in brachijs, quam comitabantur duæ fæminæ, ut ei inservirent, si quâ re opus haberet, atque una mihi videbatur ferre turtures, seu columbas pro oblatione. Nescio quàm longum fuerit iter (communiter dicitur fuisse duarum leucarum) sed meâ opinione multùm insumpserunt temporis, antequam pervenissent ad Templũ, quod erat valde altum & magnum, pauci autem fuerunt in illo homines. Erat ibi quædam sancta Fæmina, quæ expectabat magno spiritu Redemptorem. In medio Templi erat ingens mensa quadrata, tecta panno, juxta quam stabat plenus spiritu ille sanctus vir DEI Simeon, vestitus more Sacerdotum veteris Testamenti, & præstolabatur sanctissimam Virginem, quia siquidem jam sciebat ex Divina inspiratione eò venturam, & allaturam suum pretiosum Filium ac Redemptorem mundi, quem erat oblatura æterno ipsius Patri, & cujus solius videndi gratiâ optaverat vivere. Postquam ingressi fuissent Templum Virgo & sanctus Joseph, iverunt rectà ad sanctum senem, quem sunt inclinatione corporis venerati, & ipse cum maxima humilitate, reverentiâ ac lætitiâ suæ animæ, accepit in ulnas suas Redemptorem mundi, atque cum hoc magno gaudio inchoavit altâ voce, in præsentia illius sanctæ Fæminæ, de qua dixi, nec non reliquorum adstantium, suum illud canticum, quod incipit: *Nunc dimittis servum tuum Domine;* quo finito, loquutus est alia cum sanctissima Virgine, quæ non audivi, neque intellexi, eò quòd tunc essem nonnihil remota, quamvis bene sciam, quales fuerint sermones. Hæc omnia duraverunt quasi duabus horis. Mansit verò in mea anima tam fixa memoria sanctissimæ Virginis, qualem videram per eos dies, ut diu non potuerim illius oblivisci, ideóque mihi aliquando comparuerit ac dixerit: Itáne tibi placui propter illum modum, & compositionem, cum qua me vidisti, ut intrà tot dies non potueris mei oblivisci? Aliâ vice me videbis in veste magis pretiosa & gloriosa, quæ te poterit ampliùs oblectare, & exhilarare; id quod præstitit: quia biduo vel triduo pòst, cùm vacarem orationi, se exhibuit spectandam oculis animæ, mirũ in mo-

in modum formosam, in veste pretiosissima & gloriosissima, coloris quasi cœlestis; quo aspectu mea anima ità fuit exhilarata, ut quodammodo fuerim aliquantùm oblita prioris visionis, multóque magis istius meminerim.

§. II.

POst multum temporis (anno 1615.) mihi alio die Purificationis DEUS ostendit hoc mysterium ferè eo modo, quo aliàs, præsentibus multis Angelis in eadem solennitate. Nocte insequenti, præsente Christo Domino, vidi venientem dæmonem truculentissimum, & nigerrimum in specie ferocissimi tauri, frendentem dentibus, ac diducentem oculos rubros, & nigros, ut viderentur esse titiones ignis infernalis. Appropinquavit mihi, & non longè ab illo stetit gloriosus sanctus Gabriel, aliquantò autem remotior Christus Dominus. Timebam nonnihil, quia vidi, quòd illa bestia subitò tentaret suis me cornibus arripere, & elevare. Ego me conabar defendere, atque etiam mentem aliò avertere, & me animare, neque curare diabolum. Sed ipse perseverabat in sua malitia, &, quo magis affligebar, erat, quòd existimarem, nec ab illo videri Angelum, neque à sancto Angelo diabolum, Christus Dominus autem abiverat, me non videntè. Mansi diu in hac angustia, & pugna, ac denique diabolus obtinuit, quod intenderat, méque in medio corporis arreptam cornibus ter jactavit in altum; ultimâ verò vice rui tanquam mortua ad ipsa brachia illius sancti Angeli adstantis, qui tunc primùm videtur animadvertisse, quid ageretur: vertens enim modicè faciem, conspexit dæmonem, & dixit illi: ô proditor! & unâ manu extrahens ex suo cingulo quandam ligneam, armatam ferro, crassam & brevem lanceolam, transfixit illâ diabolum, & prostravit, atq; confecit. Tum accurrerunt mei quatuor sancti Angeli, & omnes vehementer obstupefacti eo casu, me collocaverunt in meo lecto, notabiliter confractam & contusam, valde solicìti de meo dolore & cruciatu. Unus autem ex illis quatuor Angelis, qui vocatur *Raphaël (Medicina DEI)* dixit: Heus Domini, permittant me accedere, quia ego ex officio, quod mihi habeo à DEO injunctũ, & obeo apud istam creaturam, medebor damnis, quæ illi dæmon intulit. Et accedens ad me, tangénsque suâ manu partes illas vulneratas & afflictas, valde me sublevavit, quávis non abstulerit omnem prorsus concussionem, ac debilitatem. Ità ab hora duodecima illius noctis, usque ad sextam matutinam mansi cum illis spiritibus beatis, qui, ut me post præteritam afflictionem recrearent, mihi exhibuerunt musicam divinissimam, cantando quendam textum de mysterio Præsentationis Christi Domini in Templo. Vidi illos splendidè indutos vestibus lucidissimorum ac diversorum colorum, omnes coopertos pretiosis lapidibus, qui splendebant tanquam Soles, & habebant in suis capitibus coronas, seu diademata pretiosissima, & fulgidissima, tenebántque singuli in suis manibus instrumentum aliquod musicũ, diversum ab instrumentis aliorum, & aspicientes se invicem cum maxima modestia, & gravitate, abrepti altissimâ quadam contemplatione, & admiratione stupendorũ operum sui Creatoris, ac ardentes Divino ejusdem amore, cum cognitione sublimissimi Mysterij Incarnati, & Nati, ac in Templo Præsentati Filij DEI, cujus præsentationi pridie mecum adfuerant, subitò suavissimè ac altissimè inceperunt edere sonũ illis instrumentis musicis, concinentes sublimissimum & Divinum cantum, tam divinè mulcentem aures, ut videretur quædam repræsentatio Beatitudinis.

§. III.

ALiâ vice, triduo vel quatriduo ante Purificationem (anno 1616.) dixeram ad DEUM hæc verba: Certum mihi est, Domine, nè modicum istud, quod mihi vitæ superest, velle ità transigere, ut habeam præ oculis meam salutem, tibique placeam & satisfaciam, ac deseram cætera omnia, videlicet, negotia concernentia proximos; & hoc dicendo non intellexi, me perperam loqui. Verum in Festo Beatissi-

atissimæ Virginis fui per mentis excessum in quodam vasto Templo, quod erat plenum immenso splendore, & igne quasi Divino, atq; refertum innumerabilibus Angelis. Vidi etiam subitò intrantem sacratissimam Virginem cum suo Filiolo in brachijs, & sanctum Josephum, nec non modum, quo ipsam collocavit in manibus sancti Simeonis, atque omnia alia spectantia ad hoc mysterium, sicut videram alijs annis. Stabam aliquantùm remota, & vehementer optabam magis appropinquare Beatissimæ Virgini, sed experiebar ingentem difficultatem, & quasi impediebar, nè possem accedere, sicut fit alicui, qui perrumpit per magnum populum. Postquam autem appropinquavissem, Beatissima Virgo avertit vultum, quasi indignabunda. Mansi ibi donec finiretur mysterium, & sequuta sum Dominam nostram, dum rediret domum, ubi juxta ipsam consedi, & sanctissima Virgo mihi porrexit Infantem, quem habebat in suis brachijs. Sed ego turbata, eò quòd apud me haberem tantum Dominum, volui illum statim restituere, atque interea mihi videbatur casurus ex manibus, quo fui multò magis consternata.

Reddidi ipsum sanctissimæ Virgini, quæ illum incepit evolvere ex fascijs, & videbatur splendidior Sole; ac tum accessi, & osculata sum sacratissimos ipsius pedes. Post hoc mihi fuit dictum, quòd illam difficultatem fuerim experta in adeunda Beatissima Virgine, quòdq; ipsa mihi sit indignata, & ego existimaverim parvulum JESUM casurum ex meis manibus, non alia de causa, quàm in pœnam illius defectus, cujus fueram oblita; atque ut ipsum cognoscerem & emendarem: placere enim DEO, nè intermittam juvare proximos, pro viribus, donec Divina Majestas aliud statuat.

Die Dominico post Purificationem (anno 1623.) dum agerem cum DEO, nihil tale cogitans, vidi multos Angelos DEI, gestantes manibus accensos albos cereos, & post illos sanctissimam Virginem cum suo pretioso Filio in brachijs, plenam splendoribus cœlestibus, ac tantam utriusque claritatem & Majestatem, ut eâ perstricti mei oculi caligarent. Ducebant secum gloriosum Patriarcham sanctum Josephum, & sanctum Simeonem, qui videbatur exivisse quasi ad portam Templi, ut exciperet sanctissimam Virginem, stipantes utrumque ipsorum latus. Cum isto comitatu est ingressa DEIpara Templum, & ascendit per quatuor vel quinque gradus; Sanctus autem Simeon ascendit altiùs, suscepitq; ex manibus sanctissimæ Virginis pretiosum ipsius Filium, ac incepit canere altâ voce illud canticum: *Nunc dimittis servũ tuum Domine*, &c. & postquam cessavisset cantare, venit ad me, deditque mihi illum sacratissimum Infantem, tam elegantem ac splendidum, ut caligantibus oculis, vix discernerem sanctum senem, dum mihi ipsum porrigeret. Omnes Angeli se humi prostraverunt, adorantes illum, qui subitò est ingressus in meam animam, habuique visionem admirabilem ac Divinam, & fruita sum satis diu eo felici bono, in magno raptu, cúmque redivissem ad me, vidi sanctissimam Virginem stantem valde mihi vicinam, tenentem in brachijs suum sanctissimum Filiolum, quâ à me discedente finitum fuit mysterium.

§. IV.

TRiduo vel quatriduo elapso à Festo Purificationis (1597.) illi voluit DEUS monstrare reditum Sanctissimæ Virgini, post celebratum hoc mysterium, ad suam domunculam Nazarethanam, priusquam migraret in Ægyptum, quod innuit sanctus Evangelista Lucas, juxta expositionem multorum gravissimorum Doctorum; estque credibile, ipsam redivisse per Bethlehem ad videndum illud sanctum stabulum, ubi peracta fuerunt tanta mysteria, supposito quòd non distiterit ultra duas leucas Jerosolymis; atque ex Bethlehem iter cepisse Nazarethum versùs, quod distabat itinere quatuor dierum.

Cùm essem, *inquit*, in mea recollectione manè, inveni me in stabulo Bethlehemitico cum sanctissima Virgine, quam vidi indè abeuntem vectam asino, cum suo pretioso Filio in brachijs, tantâ composi-

tione,

tione, modestiâ ac sanctitate, ut accenderet animam sui amore. Præcedebat Sanctus Joseph cum magna reverentia & amore, atque cura de hac Celsissima Domina, déque ipsius Filiolo. Dum illos viderem jam exeuntes per portam, ad prosequendum suum iter, per quendam campum, comitata sum ipsos modicùm extra portam, & ibi mansi, cum tanta tristitia, ut illam non potuerim dissimulare. Videns autem Beatissima Virgo meum dolorem, ejusdémque causam, vertit se ad me, & dixit mihi: Tace, nè doleas, quia non discedo à te, iterùmque te aliàs videbo, esto bono & hilari animo. Sic me solata est Domina Nostra, & verò stetit promissis, visitando me frequenter, præsertim post octo dies, cùm versarer in meo recessu, vidi illam quasi in quadam pereleganti capella, tota inaurata, & quàm lucidissima. Habebat ante se hæc Domina suum pretiosum Filium jacentem quasi in quodam humili & parvulo lecto, similiter inaurato, & pretiosissimo, assistente ibidem sancto Josepho. Erant circumquaque multi Angeli cantantes cum magna lætitia & gaudio; ego verò audiebam musicam tanquam eminus, non audiens quid canerent, sed quantùm intellexi, erant laudes & præconia sacratissimi Pueri JESU, & sanctæ ipsius Matris, quæ advertens, quòd hæc omnia multùm mirarer, neque scirem quid ageretur, dixit mihi: Ista, quam vides, est mea domus, in qua vixi, ac habitavi, quando sum profecta Bethlehemum, ubi peperi meum sanctissimum Filium, & quam, me absente, custodiebant ac incolebant hi Angeli, qui modò gaudent de meo adventu, déque novo in illam ingressu mei Filij, jam in mundo nati, lætantur & exultant.

Ex verbis sanctissimæ Virginis colligitur, quòd semper speciali amore fuerit prosequuta istam Domum Nazarethanam, ubi fuit peractum intrà ipsius viscera sacrosanctum mysterium Incarnationis, & vixit ante partum, ac à Purificatione, & postquam redivit ex Ægypto, convivente illi in eadem sancto Josepho, ipsóque Verbo Incarnato, usque ad trigesimum annum suæ ætatis. Unde credibile est, semper fuisse custoditam ab Angelis, ùt in hac revelatione asseritur, qui videntes, quòd Nazarethi non esset secum, neque ibi maneret cum majestate conveniente tali Domui, illam miraculosè transtulerunt ad varias regiones, donec ipsam tandem constituerunt Laureti, ubi modò manet, & est in veneratione omnium Fidelium, qui ibidem consequuntur insignes gratias à sanctissima Virgine, propter magnum amorem, quo fertur in hanc domum.

CAPUT XI.

De quibusdam visionibus Pueri JESU cum sua sanctissima Matre, & magnis utriusque gratijs, quæ ipsi ab illis fuerunt præstitæ.

HOc loco se commodè offerunt admirandæ, quas Venerabilis Marina habuit diversis occasionibus, visiones, Christi Domini Infantis, comparentis ipsi in brachijs sacratissimæ Matris, cùm illam unà inviserent, & inusitatis cumularent gratijs. Referemus verò tantùm continentes aliquod Mysterium, vel specialem doctrinam.

§. I.

VIsitavit me, *inquit*, sacratissima Virgo cum suo pretioso Filio, quasi Puellulo unius anni, qui denudatus, eámque amplexans stabat in ipsius sinu, & modò aspiciebat me, quasi mihi diceret, ut contemplarer pulchritudinem illius magnæ Dominæ suæ Matris, quam mihi monstrabat; modò verò illam ipse summo cum amore intuebatur, quo se erga ipsam ferri

ostendebat. Ego dum sustulissem oculos animæ, ac vidissem utriusque pulchritudinem, fui repleta ingenti gaudio, nec potui ab illis oculos avertere. Color, modestia, gravitas, & sanctitas, quæ resplendebat in Virginis vultu, divinisque oculis, erat quiddam cœleste, & incitabat ad magnam devotionem. Pulchritudinem autem sanctissimi Puelli, quis explicet? habebat faciem rotundam, & candidissimam, oculos grandes, & gravissimos, ac elegantissimos, quàm simillimos oculis sanctissimæ Matris, capilli capitis ejus erant flavissimi, instar purissimi auri, quos habebat gratiosissimè crispulos. Interea cùm tam Matrem, quàm Filium aspicerem, nescio, quomodo fuerim modicùm distracta, & quando ad me redij, advertique defectum, quem in eo admiseram, valde dolui, ac vehementer fui confusa, petiique veniam cum magna verecundia à sanctissima Virgine, quæ mihi respondit quàm amantissimè, id non esse mirum, eò quòd adhuc viverem in ista carne mortali; quódq; etiâsi visa fuerim ab illa abfuisse illo modico tempore, ipsa tamen propterea non manserit sola, quandoquidem habuerit suum pretiosum Filium in suis brachijs, & in suo corde, ac ipse fuerit cum illa. Dum eam contemplarer, & audirem nonnulla verba quæ mihi dicebat pro meo solatio, recordarérque, quàm essent speciosa sacra ipsius ubera, quorum conspectu aliàs fueram fruita, optavi illa videre. Quamvis autem hoc tantùm in meo animo volverem, Beatissima tamen Virgo bene rem intellexit, ac paulò post collocavit in suis brachijs suum pretiosum Pupulum, qui, ùt dixi, steterat, exposuítque mamillam, ut eâ ipsi porrigeret; sed sanctus Puer applicuit ad illam suum vultum, & non suxit lac. Sanctissima Virgo verò admovit manum uberi, & incepit ex eo emittere radios lactis, cujus pars, instar cœlestis roris, cecidit super faciem Pupuli, pars verò supra meum pauperem lectum. Dum viderem depluens istud lac, quia ultra octiduum laborabam ex acri capitis dolore, protendi collum, ut mihi aliqua gutta in illud incideret, & in faciem ac nasum, quem habui vehementer tumidum, valdéq; afflictum. Et fui respersa suavissimo ac divinissimo rore illius sacratissimi lactis, qui mihi sustulit dolorem capitis; statimque Beatissima Virgo cooperuit ubera.

§. II.

ALias gratiosissimas duas visiones habuit, cùm ægrotaret, præsente itidem glorioso sancto Dominico, quocum multa disseruit, quæ suo loco recensebimus. Primâ vice, *inquit*, erat sacratissima Virgo cooperta pretiosissimo pallio humeris ipsius adaptato, quo elevato mihi ostendit sacratissimum Infantem JESUM, qui in illius brachio ac sinu jacebat dormiens, & speciali lumine illustrata intellexi, Infantem illum esse pariter DEUM magnæ potentiæ, & majestatis, ac immensæ sapientiæ, & bonitatis, quem dum quàm attentissimè aspicerem, amarémque propter illas ipsius perfectiones, vidi etiam in eo Divino somno istum Dominum altissimè contemplantem mysteria suæ Incarnationis, Vitæ, Passionis ac Mortis, quod mea anima magis est admirata, ac obstupuit, magis quoque ideò exarsit amore sui Domini. Dum autem ità Infans esset sopitus, vidi, quòd ipsum sanctissima Virgo mulceret, & huc illúcque agitaret, admoverétque pectori, ostendens, quasi illum vellet lactare, & expergefacere. Sed sanctissimus Infans continuabat suum Divinum somnum, donec perseverante Virgine in eo agitando expergisceretur, singultiendo, & propemodum plorando; profundebat verò ex suis Divinis oculis lachrymas, indices magni luctus ac doloris, quas sancta ipsius Mater abstergebat suis manibus, magno amore & reverentiâ, admovendo illum suis Divinis uberibus, ut ipsi aliquid præberet solatij; sed quia advertebat, & agnoscebat quanto afficeretur dolore cor pretiosi sui Filij, profundebat & ipsa ex suis virgineis oculis lachrymas compassionis, quæ modò cadebant super faciem Parvuli, modò supra ipsius vestes. Post fusas autem aliquas lachrymas, plenè est expergefactus sanctissimus Infans, ex illo admirabili somno, ac defe-

defigens ſuos ſacratiſſimos oculos in me indignam, aſpiciebat me amantiſſimè, & quàm fixiſſimè, indicans ſe mihi bene eſſe affectum, ac optare, ut mihi gratificetur: quâ viſione ſunt in mea anima excitati ardentiſſimi affectus amoris erga illum, tantísque fui perfuſa ſolatijs, ut excederent dolorem, quo meam animam affecerant ipſius lachrymæ, & ſanctiſſimæ ejus Matris, quæ aliquantò poſt volens quaſi à me diſcedere, mihi dixit: Amica, vellésne amplexari hunc ſacratiſſimum Infantem? Ego verò ſtatim reſpondi, me non eſſe dignam tanto favore, ideóque hoc non præſumere. Sed ſanctiſſima Virgo mihi peramanter dixit: Noli tantopere tergiverſari, quamvis ità ſit, ſicut dicis. Aſpice illum; quia licèt ſit magnus DEUS ac Dominus, fuit tamen etiam Infans, qualem tibi modò ſe ſpectandum exhibet. Cúmque ego adhuc reluctarer, propter meam indignitatem, ſacratiſſimus Puſio JESUS, poſtquam ſtatuiſſet mihi gratificari, nullo mihi ultrà dicto verbo, neque me ampliùs interrogatâ, amplexatus eſt dulciſſimè cor meum, ità ut anima mea ſentiret dulcedinem & bona provenientia ex præſentia ſui Domini, qui poſt hoc ſtatim eſt reverſus ad brachia ſuæ ſanctiſſimæ Matris, & ipſa à me diſceſſit.

Aliàs vidi ſacratiſſimam Virginem cum ſuo Filiolo in brachijs, qui amabiliter jocabatur more Infantulorum colludentium ſuis Matribus, aſpiciens jam Matrem, jam me quàm affabiliſſimè & gratioſiſſimè: aſpectus ipſius confortavit cor meum, quod valde habebam debile, propter afflictiones meæ infirmitatis. Habebat parvulus palliolum, ſeu paludamentum pretioſiſſimũ, diſtinctum lapidibus pretioſis, inæſtimabilis valoris, ac elegantiæ, ut eo cor meum exhilararetur: & interrogavi Beatiſſimam Virginem, quis ipſi illud dediſſet? quæ mihi reſpondit datum illi fuiſſe ab ipſius Patre, ſignificans mihi illas tam pretioſas gẽmas, eſſe heroicas virtutes, & pretioſiſſima ac ſublimiſſima dona, à Divinitate Patris æterni communicata ſanctiſſimæ Humanitati Filij. Et vidi, quòd cum maxima liberalitate ac benevolentia, quaſi extendendo manum, avelleret illos lapides pretioſos, ac elegantes adamantes, eósque diſtribueret ac donaret ſuis ſervis, & amicis, quódque etiamſi multos donaret, non diminueretur illorum numerus, neque paludamentum deperderet ſuam pulchritudinem, ſed remaneret integrum, conſervarétque ſuam elegantiam. Vidi deinde, quòd Infans haberet togulam, ſeu chlamydem valde ſpecioſam, quamvis non ità ſicut pallium, & interrogavi ſanctiſſimam Virginem, à quonam illa ipſi data fuerit? Reſpondit, quòd à Matre. Unde intellexi eſſe Humanitatem, & veſtem carneam, quam ipſi Mater ejus dedit. Animadverti etiam, quòd in togula habuerit manicellas albas, admirabiliter candicantes, conciſas, ità ut per ſciſſuras gratioſè appareret induſiolum. Et cùm interrogarem, quis ei iſtas dediſſet, reſpondit eadem Domina, quòd & has illi dederit ejus Mater, atque intellexi in ijs repræſentari ipſius Puritatẽ, & Virginitatem, conjunctam Maternitati. Aſpexi pedes Parvuli, & vidi ipſum indutum nitidis ac apertis cothurnulis inauratis, atque apparentia in illis capitella clavorum, qui mihi cor penetrabant, multóque magìs, quando fui intuita ipſius manus, ac vidi etiam clavorum cuſpides, & dixi valdè dolenter ad eundem ſanctiſſimum Parvulum: Quomodo tam citò Domine? Reſpondítque ipſius Majeſtas: Ab inſtanti meæ Incarnationis mihi ſunt impreſſa iſta ſigna & clavi. Quo mihi ſignificavit, ſe ab illo inſtanti vidiſſe ac ſenſiſſe in ſua anima id, quod poſtea pro nobis ſuſtinuit in Paſſione. Poſt hoc mihi dixit Deipara: Accede, Amica; quaſi vellet diſcedere. Ego protendi quàm reverentiſſimè caput, & Beatiſſima Virgo me ſtrinxit brachio, éſtque amplexata, admovendo faciem ſuam meo capiti. Idem fecit benedictiſſimus Infans: quibus amplexibus fui abrepta in gratioſiſſimam unionem, quæ aliquamdiu duravit, & quando ad me redij, reperi me ſolam, abſque tam glorioſa Societate.

Iſta fuerunt dulcia colloquia hujus Virginis cum Virgine Virginum, declarante ipſi

per has rerum visibilium similitudines excellentiam rerum invisibilium, contemplarum in hoc sacrosancto Mysterio.

§. III.

ALio die (anno 1615.) agens cum DEO, afflicta gravibus doloribus, derepentè adverti & audivi Angelos DEI, suaviter ac divinè, altissimâ voce cantantes, & pulsantes ac cientes instrumenta musica. Verti oculos ad eam partem, unde resonabat illa cœlestis musica, & vidi sanctissimam Virginem Dominam nostram speciosissimè pretiosissiméque vestitam, sicut illam videre consuevi, confidentem humili valde loco, quasi prope terram, quæ habebat ante se sanctissimum Puerum JESUM stantem, in ætate viginti circiter mensium: videbatúrque illum quàm pulcherrimè & gratiosissimè induere. Postquam illum vestivisset, vertit ipsum ad me, dixitque mihi: Amica, aspice istum Dominum, est enim Princeps Cœli, & Filius meus: aspice illum, & replebitur solatio, ac recreabitur anima tua. Aspexi ipsum subitò, vidíque admirabiliter formosum. Accessit ad me, vocavítque me de nomine, & quasi me excitaret, mihi dixit: Marina, quid agis? dormisne? evigila Amica, vide quid tibi feram, quod mihi pro te Mater mea dedit. Et ego excitata quodammodo ex somno, ac videns meum DEUM, meúmq; delicium juxta me, incepi illum amanter ac tenerè alloqui, appellando ipsum meũ DEUM, meum Dilectum, & Dominum. Divina Majestas mihi dixit: Quid facis, Amica? quid habes? accipe hoc donum, quod tibi à me dari petijt mea Mater. Et ostendit mihi quendam speciosissimum fructum, instar pomi Appiani, duorum triúmve pulcherrimorum colorum, quod in se continebat tres admirabiles virtutes, quas illi DEUS indiderat. Una erat Virtus Charitatis, altera Fortitudinis, alia verò Levaminis, & Corroborationis pro nostra debilitate. Dominus accepit illum mysticum fructum, posuitque intrà meum pectus & cor, quem ego suscepi cum gratiarum actione. Tum me cœpit Dominus alloqui alio modo valde mirabili, dicendo mihi: Anima mea, video te afflictam, timidam & anxiam, dic mihi, quænam sit causa tuæ afflictionis, ac turbationis? Cùm me habeas, quid tibi deest, vel quid tibi deesse potest? si consurrexerint castra inimicorum, non timeat cor tuum: quia ego sum defensor vitæ tuæ, quem timebis? scis jam, quid tibi tum ego ipse dixerim, tum mei sancti Angeli jussu meo, te nempe exercendam per illas personas, quarum persecutionem possis magis sentire, & quæ possint tuam animam, & cor ampliùs turbare. Cùm ergo jam de hoc sis monita, quare id non agnoscis, quando se tibi offert occasio. Experimentum est id, ac probatio, non autem sunt vera pericula, neque talia, quæ tibi possunt nocere, vel te confundere. Bono animo esto; hoc tibi volui intimare, quia adverto in te nonnihil pusillanimitatis, eò quòd tibi videaris me in aliquo offensura. Vive in pace mecum. Et redivit ad suam sanctissimam Matrem, ego autem mansi abrepta, nec ipsos ampliùs vidi.

§. IV.

ALiâ vice (anno 1616.) in quadam magna afflictione, me invisit sacratissima Virgo, gestans suum formosissimum Filiolum in brachijs, dixítque mihi: Cùm hodie non possis communicare, accede huc, & accipe meum Filium. Accessi, & osculata sum illius pedes, sensíque ipsum intrà meam animam intimè ei unitum. Paulò pòst denuò illum vidi in ulnis Virginis, & quidem dormientem inclinato capite super humerum suæ sanctissimæ Matris. Ego dicebam in animo meo: DEUS bone, quomodo dormis! Beatissima Virgo imposuit digitum ori, innuendo mihi, ut tacerem. Videbam autem illam plorantem, & lachrymantem. Tunc intellexi Puellum in eo somno profundè cõsiderare peccata hominum, pro quorum salute illi erat moriendum, & exiguum fructum, quem ex multis ipsorum esset relaturus; Virginem verò sanctissimam hæc omnia

omnia penetrare, ideóque commoveri, & flere: quæ ad me conversa, mihi dixit: Vidésne quid fiat? Hoc frequenter accidebat, quando in mundo vivebamus. Tandem audiendo quodam die Sacrum, videbam oculis animæ, in Altari ad latus Epistolæ, jacentem valde parvum Infantulum, splendidum & elegantem, circumdatum radijs lucis, & summi splendoris. Contemplabar illum cum magna admiratione & solatio, quia advertebatur esse DEUS, & in vultu ipsius resplendebant radij Divinitatis, ac Majestatis infinitæ. Quamvis autem ibidem adesset quasi quieta Beatissima Virgo, tota eram intenta aspiciendo Infanti. Dedítque mihi Divina Majestas magnum lumen pro cognoscenda magnitudine infinitæ ipsius potentiæ, eò quòd licèt sit tantus DEUS, totus esset conclusus in tam exiguo Infante, nec non immensitate ejus Sapientiæ, quòd assumpserit tale medium, & invenerit pro nostro commodo ac remedio. Cúmque ego potiùs desideravissem fusè disserere de hoc mysterio, dixit mihi Dominus: Esne modò contenta? Respondi: Ità sanè mi Domine, quamvis etiam vehementer fuerim pudefacta, & confusa, quòd adeò blandè mecum ageret DEUS, cùm sim tam miserabilis, quàm sum.

CAPVT XII.

De Sapientia Christi Domini, quæ in eo elucebat, quando erat duodennis in medio Doctorum, atque etiam dum prædicaret.

§. I.

Dominicâ infra Octavam Epiphaniæ, in cujus Missa canitur Evangelium de Ascensu Christi Domini ad Templum, cùm factus esset annorum duodecim, habuit hanc visionem: quando ferventer agebatur, ut stabiliretur sententia de Purissima Conceptione Beatissimæ Virginis.

Agens, *inquit*, nocte quadam cum Domino, vidi derepentè intrantes meum cubiculum per gratiosissimam portam, quæ ducebat quasi ad quosdam amœnissimos hortos, multos sanctos Angelos parvos, instar puerorum circiter octennium, qui agebant ephebulos JESULI, eleganter exornatos, & speciosissimos: veniebant bini, & fuerunt viginti quatuor. Postquam sunt ingressi, celeriter abiverunt ad alium hortum, in quo erant multi flores odoriferi, & varij, ibique stabant, quasi aliquid præstolantes. Licèt verò ipsos viderem, nihilominus abstrahebam ab illis meum animum, agens cum meo Domino, & expectans, quem finem esset habiturum illud mysterium. Paulò pòst vidi revertentes, & invicem colloquentes, acsi dicerent: Jam venit Dominus. Et continuò vidi per quosdam gradus, qui pertingebant usque ad cœlum, descendentes ad meum cubiculum multos Angelos majores, alios autem in aëre concinentes divinè & mirabiliter cantilenas graves in laudem Divinæ Majestatis, quos omnes sequebatur Christus Dominus, præseferens ætatem duodecim annorum, in eo vestitu, quem gerebat in mundo, magna cum gravitate ac majestate. Sancti Angeli ipsi præparaverunt thronum & suggestum cum sella, ubi consedit. Ego vehementer fui turbata, atque anxia, more solito, & quamvis omnia ista spectarem, avertebam mentem ab eo, quod videbam, ac recurri ad DEUM, ut me illuminaret, pro cognoscendis ipsius veritatibus. In hoc me satis diu detinui, & Dominus me expectabat. Tandem fui coacta redire ad mysterium, quod spectabam, & Dominus mihi dixit peramanter & graviter: Marina, quid facis? quid volvis animo? ego vehementer turbata illi respondi: Domine hîc maneo in isto lecto miserabilis, & peccatrix, plena miserijs;

Supplex rogo tuam Majestatem, ut præstes mihi favorem, & misericordiam, adjuvésque me, ac des mihi tuam sanctissimam gratiam, & amorem, ac lumen ad cognoscendas tuas veritates, & nè decipiar. Tum mihi Dominus respondit cum magna gravitate, & authoritate: *Concedo tibi id, sicut petis, pro omni tempore, & in perpetuum, in nomine mei Patris, ac meo, & Spiritûs sancti.* Quo dicto dedit mihi suam benedictionem, & addidit: *Scito me venisse, ut tibi committerem aliquid concernens meam gloriam, & est, ut omnibus Sæcularibus, & Religiosis, ac Monialibus, quibuscum conversaris, suadeas devotionem erga meam Matrem, & ipsius Sanctissimam ac Purissimam Conceptionem, immunem à peccato originali.* Quando hoc audivi, fui recreata, & plurimùm animata, atque exhilarata, & respondi: Domine, faciam id quàm libentissimè, & promptissimè. Præterea Dominus prosequutus suum sermonem dixit: Scito, me ab instanti meæ Conceptionis habuisse scientiam & sapientiam, quam modò habeo, & semper habui, ideóque cum mea Matre, quando adhuc eram Infans, fuisse conversatum & colloquutũ, ac revelavisse ipsi magna mysteria cœlestia, & mea; propter alios homines tamen occultavisse istam sapientiam, & sicut crescebam ætate, ac annis, patefecisse illam mundo; cùmque essem duodecim annorum, incepisse eandem manifestare, & remansisse in Templo, ubi interrogabam illos Doctores Legis, iisdémque respondebam, annuntiando ipsis Messiam promissum jam advenisse. Et ecce quàm parum id ipsis profuit! Vellem, non ità etiamnũ contingeret; sed, ut veritates, & mysteria, quæ ego manifesto ac declaro Patribus spiritualibus & Ministris, quorum officium est illa explicare, ijsdem stabilirent, & credibilia redderent, quantum possunt, pro mea gloria & honore, ac bono animarum, neque ea occultarent, & silendo infirmarent.

§. II.

PEr idem tempus, ante Quagragesimam, dum aliquando manè essem collecta, inter affectus ardentissimos Divini Amoris (quæ est frequentissima occasio, quâ Divina Majestas me dignatur visitare) elevavi oculos animæ, & vidi Christũ Dominum indutum elegantissimâ veste, auro & gemmis ornatâ, quæ significabat ipsum verè esse Regem, ac Dominum: habebat quoque in suis manibus librum apertum non magnum, nec adeò parvum, pretiosissimum tamen, quem attentè inspiciebat, inclusum auro purissimo, & gemmis. Hæsi aliquamdiu attonita, spectando hæc miracula, & istam magnificentiam, nesciens, quale mysterium continerent. Alloquuta autem me fuit Divina Majestas, & exposuit mihi, quid illa vestis ac liber significarent, dicendo mihi: Noveris, quòd cùm Æternus meus Pater ac Dominus, cui sum æqualis in Divinitate, me creavisset, & constituisset secundùm Humanitatem, Regem ac Dominum universalem omniũ rerum creatarum, propterea; mihi contulisset imperium, dominium, & potestatem super illas omnes, fuerim veluti incognitus, nulla præbens indicia hujus veritatis, triginta annis meæ ætatis, quia ità statuerat, ac disposuerat Divina Majestas. Sed illis transactis prodivi in publicum, demonstraturus hanc veritatem meis operibus, & miraculis, quæ eam attestabantur. Et quia id hoc tempore contigit, volui tibi exhibere hunc favorem, & gratiam, ut me videres in ista specie, & veste, quæ significat hanc veritatem, illuminando simul specialiter tuam animam, ut agnosceres me esse Regem, ac Dominum omnium rerum creatarum, non solùm ùt sum DEUS, sed etiam ùt sum Homo. Dum hoc Divina Majestas diceret, inspiciebat nihilominus librum, quem tenebat in manibus, in quo mea anima peculiariter illustrata cognovit, quòd Christus Dominus, quà Homo, Divino illo suo obtutu, penetrante altissima mysteria, inspiciendo illum sacrum librum, qui significabat ipsius sacratissimam Divinitatem, videret in eodem, & cognosceret sublimissimè ac divinissimè omnes res præteritas, præsentes, & futuras, omnésque haberet præsentes, & omnes exactissimè sciret, atque intelligeret.

Tali-

Taliter se mihi spectandum exhibuit aliquamdiu Dominus, ostendens mihi ista sua magnalia, cum magno stupore, & solatio meæ animæ.

§. III.

ALio die, intenta meæ orationi, conspexi Christum Dominum, in ordinario ipsius, gravi ac modesto vestitu, ad cujus latus dextrum erat alia quædam persona valde gravis, & magnæ Majestatis, cujus vestitum nescirem describere, quem tantùm memini fuisse valde candidum & gravem, neque etiam vultum. Quia etsi mihi videretur homo propter figuram & formam, nihilominus etiam videbam clarè corpus illud & vultum, quem præseferebat, non fuisse verè humanum, neque ipsum constare ex carne, & ossibus, qualis est, & qualem video, atque agnosco re ipsâ, ac verè esse Christum Dominum, quem ego intuebar magno cum solatio; & similiter aspiciebam alteram sacratissimâ Personam, quæ stabat ad manum ipsius dextram. Erat autem quiddam mirabile, quod mihi Dominus ostendebat, ut nonnihil intelligerem de eo mysterio: esse videlicet unum solum DEUM, & duas Personas, quas videbam distinctas. Quia cùm intuerer unam solam, videbam in illa utramque, neque aliud in ijsdem videbam, quàm unum Esse Divinum. Statim autem mihi dedit Dominus lumen, quo illustrata, cognovi unam earum Personarum esse Patrem Æternum, alteram vero Christum JESUM Dominum nostrum, Filium ipsius, atque licèt sint ab invicem distinctæ, utramq; tamen esse unum solum DEUM, ac Dominum nostrum, unam Majestatem, unam Potentiam, & unum Esse infinitum. Dum vehementer obstupescerem contemplando hoc Mysterium, vidi ante illas duas Divinas Personas, quendam vultum elegantissimum, instar vultus Angelici, qui Divinis & perspicacissimis oculis, magnam præseferens sapientiam, attentissimè & fixissimè intuebatur pectora illarum duarum Divinarum Personarú, ità ut uno solo intuitu penetraret, videret, atque cognosceret altissima mysteria, quæ erant recondita in earundem pectoribus. Videns istum vultum stupebam, cogitando intra me, ipsum esse quempiam Angelum magnæ sapientiæ, dicebámque tacitè: Quis potest esse iste Angelus, tam sapiens? Cùm ità stuperem, dixit mihi Dominus: Non intelligis hoc mysterium: neq; enim est Angelus, quemadmodum cogitas, sed est Sapientia, quam habuit Christus ùt homo, quà assequutus est, & sublimissimè ac divinè intellexit omnia mysteria Divina ac cœlestia Divinæ Majestatis & Magnitudinis. Ego plena stupore & amore DEI, se cum tanta bonitate communicantis huic miserabili creaturæ, cucurri, & abjeci me ad pedes JESU Christi Domini nostri, quos sum osculata cum summo amore & reverentia. Fuit autem res mira, quòd cùm oscularer, ùt mihi videbatur, solos illos Divinos pedes Christi Domini, fuerim in ipsis osculata pedes sacratissimæ Personæ Patris, cùm sit distincta à Persona Filij. Tum mihi largitus est suam benedictionem, cum magno amore, atque solatio, & utraque Persona discessit innumerabilibus circumdata Angelis.

CAPUT

CAPUT XIII.

De Transfiguratione Christi Domini.

DIe Transfigurationis (anno 1616.) mihi Dominus ostendit gloriam suæ animæ & corporis, hunc in modum: Vidi sanctos Angelos lætissimos, qui mihi cum magno gaudio dixerunt: Lætare, Soror, quia Dominus tibi vult exhibere ingentem gratiam. Respondi illis: Mei Domini, ego magnifacio Divinas gratias, in hac tamen vita nollem ista solatia. Ipsi autem mihi responderunt: Verè es Amica DEI, quia abnegavisti id, quod maximè poteras amare, ac desiderare: sed non ideò intermittet DEUS te suis cumulare favoribus. Paulò pòst conspexi in alto monte Christum Dominum, qui mihi ibidem manifestavit gloriam suæ sanctissimæ animæ, & vidi tantum, ut admirabunda dixerim: Isténe est fons, ex quo oritur gloria Beatorum? Respondit mihi Dominus: Quiesce, statim enim videbis ampliùs. Aliquantò pòst, vidi quomodo sanctissima anima communicaverit suam gloriam suo sanctissimo corpori, quod fuit ad stuporem speciosissimum & gloriosissimum. Rursum post aliquod tempus, manifestavit mihi Dominus, pro meo captu suam Divinitatem, & infinitum Esse, cum omnibus suis perfectionibus, atque tunc mihi dixit: Hic est Fons gloriæ, quâ fruuntur Beati.

Alio die Transfigurationis (anno 1618.) illam duxerunt ipsius sancti Angeli ad quendam altum locum, ubi repræsentatam vidit Transfigurationem Christi Domini. Et subitò, *addit*, vidi venientes ex cœlo duos Angelos magnæ Majestatis, qui erant duo Seraphini, toti ardentes igne Divini Amoris, & ferebant perelegans thuribulum, pendens ex duabus distinctis catenulis, in quo erant quædam prunæ, & suffimentum quoddam fragrantissimum, unde ascendebat in altum suavissimus fumus, & appropinquantes mihi dixerunt: Soror, hoc thuribulum tibi adferimus nomine DEI, accipe illud. Mox comparuit meus Angelus Custos, ac dixit: Hoc donum est à me suscipiendum, & custodiendum; me enim illud oportet adhibere, quando opus fuerit. Susceptum thuribulum tenuit supra suum pectus, ac deinde imposuit meo pectori, dixitque mihi: Hoc thuribulum est donum orationis, quod tibi Dominus denuò concedit, & ille fumus est oratio, quæ ascendit ad thronum DEI, ipsique vehementer placet. Ego tibi illud semper applicabo, & præsertim in rebus gravibus, ac majoris momenti; noli verò ægrè ferre, mihi fuisse datum: quia quando parvulo Filio datur pretiosum aliquod munus, bene fit, si id accipiat ipsius Parens, ut illud conservet; hoc enim ipse meliùs præstabit, quàm puer.

Istud donum orationis est fructus gloriosissimus, qui colligitur ex hujusmodi visionibus, & accommodatissimus huic mysterio Transfigurationis, quod dicit sanctus Lucas contigisse, omnte Christo Domino.

CAPUT

CAPVT XIV.

De mysterijs Sacræ Passionis, & speciatim de Sudore sanguineo.

Siquidem mysteria Passionis magnopere alliciunt ad tolerandas adversa, nec modicè affligunt, eâ compassione, ad quam incitant animum, voluit illa Dominus huic suæ Famulæ distinctè ac minutatim declarare, quia constituerat ipsam multis exercere doloribus, significando illi, hunc esse affectum, quem Divina ejus Majestas præ cæteris à nobis desiderat. Ac proinde dum aliquando magnopere quereretur, se non sentire dolores Passionis Dominicæ, dixit illi: Semper versaris in cruce, & dicis, te non sentire meos dolores? hoc ipsum est sentire meos dolores, angi propter me, ejusmodi desiderijs. *Quid verò illi quoad hæc mysteria evenerit, refert hunc in modum.*

§. I.

QVodam die Sabbathi ante Dominicam Quinquagesimæ (anno 1623.) inter orandum, mihi revocavit Dominus in memoriam partem Evangelij, quod canitur illâ Dominicâ, & incipit: *Ecce ascendimus Jerosolymã, & consummabuntur, &c.* impressitque meæ animæ memoriam suæ Passionis, ac Mortis tantâ vi, & cum iis supernaturalibus affectibus, ut totam occupaverit dolor, atque existimem me absque dubio, non solùm in anima, sed etiam in corpore omnes dolores, ac tormenta, quæ Dominus sustinuit in sua Passione, pro mea capacitate sustinuisse, eâ vehementiâ, ut mihi viderer confici, atq; consumi dolore. Sicut enim nebula permeat hominem, qui se in illa diu detinet, ità omnes cruciatus ac dolores Christi me sensim sinè sensu permeaverunt, & commiseratio, quâ compatiebar Domino, fuit tam vehemens, quàm si illum re ipsâ vidissem patientem. Inter hæc ei dixi: DEUS meus, & Domine mi, quare Tua Majestas voluit tantum pati pro hominibus, cùm nos posses redimere unicâ sanguinis guttâ, vel uno duntaxat passu, quem pro nobis fecisses? Respondit mihi Dominus: Sustinui vestri causâ tam multum, ut vobis demonstrarem infinitum amorem, & charitatem, quâ vos amavi, & amo, útq; agnosceretis, quanti vos faciam, quantúmque valeatis, & quantopere vestras animas æstimem: præterea ut vobis præberem exemplum, & vos animarem ad patiendum pro me, cùm ego tantum pro vobis fuerim passus, voluerimque ipse experiri omnes vestras molestias & afflictiones. Post hanc repræsentationem mortis, & Passionis Dominicæ, quæ duravit triduo, fui valde afflicta, & confracta; atque adeò debilitata, ut mihi viderer exspiratura, nisi me Dominus confortavisset, qui mihi dixit: Anima, tu mihi dedisti, quod tuum est; ego pariter tibi dedi, quod meum est: dedi tibi meos dolores, & cruciatus, quos pertuli; & tu illos sustinuisti mei causâ.

§. II.

CUm appropinquaret tempus Passionis, vidi Christum Dominum, vultu valdè mœsto, & afflicto, in quo expressissimè demonstrabat ingentem dolorem, quo ipsius anima erat illis diebus oppressa, ob memoriam nostrorum peccatorum (pro quibus illi erant sustinenda tanta tormenta, ut satisfaceret Æterno Patri) nostráq; ingratitudinis, eò quòd tam parùm essemus profecturi, ex tanto ac tam pretioso remedio. Et quia hoc illi semper versabatur ante oculos, ideò anima ejus extremè angebatur, id quod apparebat quasi delineatum in tam tristi ac lamentabili specie vultûs, ut nequeat verbis exprimi, qualis fuerit. Tristitia namque ipsius non erat melancholica, qualem solent præseferre homines, quando patiuntur quampiam affli-

afflictionem, sed alia longè diversa. Sicut enim aliàs in Divino illius vultu video coruscantes radios ejus Divinitatis, & majestatem, adeò ut vel indè advertam, ipsum non solùm esse Hominem, sed etiam DEUM; ità tunc in lineamentis faciei mihi manifestabat magnitudinem doloris, & anxietatis, quâ ejusdem anima hoc tempore vicino Passioni, propter dictas causas, excruciabatur. Eò modo se mihi intrà biduum vel triduum quater aut quinquies præbuit spectandum: ideóque ipsi ex intimo animo plurimùm compatiebar & condolebam.

Dominicâ Palmarum, antequam illucesceret, mihi dixit Dominus: Accipe, Anima, hunc fasciculum myrrhæ, ac repone illum in tua anima, & corde. Erat fasciculus omnium instrumentorum Passionis. Statim illum sic suscepi, & amplexata sum omnia illa instrumenta sacræ Passionis JESU Christi, qui est unicum Bonum ac Dominus noster, cum summo meo sensu & dolore. Tenebam sacram coronam supra pectus, sanctissimos clavos paulò inferiùs, qui omnes tres suis cuspidibus pertingebant ad cor; flagella quasi circumdabant corpus à summo ad imum. Huic dolori & sensui diu suaviter absorpta, immorata sum. Deinde modicùm quievi: & intrà unam horam redij ad eundem affectum, acsi mihi denuò Dominus obtulisset illa sacrosancta instrumenta, quæ proinde amplexabar, mihique apprimebam cum veneratione, dolore, & recognitione misericordiæ, ac beneficij mihi à Domino præstiti. Idem alijs quoque vicibus accidit, spatio quatuor vel quinque horarum, quibus singulis Dominus renovabat istam oblationem, cum omnibus dictis affectibus: quorum etiam miserabile corpus fuit particeps, quia ex interna afflictione animæ in illud fuerunt derivati dolores, & summæ molestiæ, quas toleravit toto die Dominico, & ultrà: inhæserúntque meæ animæ, & intimo pectori, veluti impressa signa illorum instrumentorum, cum dolore, quasi ibidem eorundem vis permansisset.

§. III.

SUb initium sanctæ Hebdomadæ, vidi Christum Dominum indutum veste elegantissimâ, & ornatâ pretiosis lapidibus, qui resplendebant & coruscabant tanquâ parvæ & nitidæ stellæ. Vestitus autem erat coloris adeò inusitati, ut non potuerim intelligere qualis esset; quamvis apparuerit quasi niger, cùm tamen non esset. Cognovi cœlitùs illuminata, quòd significaverit partim eminentissimas virtutes, & pretiosissima merita Domini, qui eâ erat indutus, partim verò maximam angustiâ, & dolorem sanctissimæ ipsius animæ: quæ omnia me excitabant ad affectus magnæ commiserationis ob ejusdem dolores, & consolationis propter thesauros, quos nobis per illos est promeritus.

Alio die mihi comparuit, & cùm intuita essem sacratissimum ipsius vultum, vidi illum coopertum sudore sanguineo, quo ostendebat, se maximam in anima sua pati angustiam; & cùm aspicerem corpus, vidi pariter illum pretiosum sanguinem ità ex ipso manantem, ut humectaret ejus vestes. Hac visione adeò fui afflicta, ut nisi mihi Dominus disparuisset, quemadmodum fecit, non potuissem illum videre in tanta constitutum angustia, quantam præseferebat. Aliàs conspexi Christum Dominum, mihi eo modo repræsentatum, quo sudavit in horto sanguinem, & vidi, quòd in illa specie comparuerit cum magna reverentia coram sanctissimâ Persona sui Patris, eique dixerit: Pater mi Potens, ac Sanctissime, jam Tua Majestas poterit videre, qualiter fuerim habitus à peccatis mundi, & quid sim passus pro redimendo homine, atque ut obedirem Tuæ Majestati, tanquam meo Patri, meo DEO, ac meo Domino. Per istam obedientiam, & per hunc sanguinem fusum pro homine, te rogo, ac supplex deprecor quàm instantissimè, offerens tibi sudorem sanguineum, & agoniâ, quam sustinui in horto Gethsemani, ut illius & omnium meorum tormentorum intuitu digneris misereri populi Christiani, ipsique ignoscere ejus delicta & peccata, neq; illum deseras ac derelinquas, què-

admo-

admodum promeruit ac irritavit tuam iram. Divina Majestas audivit illas preces, & petitionem sacratissimi sui Filij, summo cum amore & affectu, respondítque ipsi: Fili mi dilectissime, ego te amavi ardentissimo ac infinito amore, & sum is, qui mihi in te plurimùm complaceo, tua quoque merita & sanguis, quem profudisti, sunt infiniti valoris, ut salvetur mundus, útque ignoscantur illi omnia ipsius peccata, quantumlibet sint multa, & magna; quod mihi sufficit, ut miserear mei Populi Christiani, eíque ignoscam, nec illum derelinquam, ùt dicis. Scis tamen bene, mi Fili, ab æterno charissime, concedendum esse locum meæ justitiæ, atque dum deest dispositio ex parte creaturæ, ac firma voluntas, requisita ad non peccandum, & quando illa mihi non cooperatur, ac meis auxilijs, quæ ipsi præbeo, non posse propterea omnia fieri, quæ fierent, si creatura collaboraret, mihique cooperaretur. Quia tamen tu me rogas, ac deprecaris per tua merita, & fusum sanguinem, faciam in tui gratiam, quod à me postulas, quantum erit possibile, & expectabo, continebóque meam justitiam, ac juvabo ipsos efficaciùs. Audivit Christus Dominus, quod à Patre ipsius Æterno dicebatur, & se, exhibitâ illi summâ reverentiâ, inclinavit, præseferendo gratitudinem, & infinitas agendo gratias eidem Æterno Patri, pro præstito sibi beneficio. Post hoc autem fui subitò abstracta, & obstupui, videns, quomodo Christus Dominus, quà Homo, sit noster Advocatus apud suum Æternum Patrem, eíque repræsentet sua merita, & fusum sanguinem, pro quo illi agebam infinitas gratias, ipsúmque benedicebam, nec non pro bonitate ejus ac misericordia.

CAPUT XV.

De mysterijs Passionis Feriæ Sextæ in Parasceve.

POstmodum Dominus mihi ostendit mysteria Sancti diei Veneris. Cùm enim illa desiderarem meditari modo ordinario, qui docetur à Sanctis, fui in spiritu ducta eò, ubi Dominus est passus sua tormenta. Et quidem circa horam quartam matutinam, vidi illum in quadam aula solum, antequam fuissent ingressi milites, & ministri infernales. Ego tantummodo flebam, attollens oculos, ut aspicerem Divinam ipsius Majestatem, atque agnoscens tantam tristitiam & angustiam, quam patiebatur, iterum illos demittebam, neque ipsam audebam intueri ejus faciem, eò quòd mihi non suppeterent vires ad sustinendum tantum dolorem, quem mihi allaturus erat ille intuitus. Amabam autem illum toto meo corde, ac fundebá lachrymas propter dolores & cruciatus, qui ipsi imminebant, & quos erat perpessurus in suo tenero corpore, dicebámque illi cum ingenti dolore: Estne possibile, mi Domine, tibi toleranda esse talia flagella, ac spinas, & clavos, atque crucem? & talia tormenta esse parata tuo sacratissimo corpori, quod est delicatissimum inter filios hominum? tum Divina ejus Majestas, quasi ostendens se desiderare, ut inde abirem & excederem illâ Aulà, in qua eram, mihi dixit: Surge & exi foràs, jam enim est tempus; siquidem modò venient ministri Justitiæ, neque convenit tuæ debilitati, ut hìc diutiùs moreris. Dum hoc audirem dici à Christo Domino, mea anima fuit repleta magno dolore, dixíque illi: Non, non, Domine mi, & Delicium meum, non oportet me hinc egredi. Nunquid te derelinquam solum in manibus tuorum inimicorum, qui te sunt tam crudeliter tractaturi? Hìc volo tecum manere, tibi assistere, & particeps fieri tuorum dolorum, sentiendo illos in mea anima, ut par est. Reposuit mihi ipsius Majestas: Non, Filia, egredere & quiesce; quia mihi soli patien-

dum est. Egressa sum, & intraverunt cum ingenti tumultu illi impij ministri, clauseruntque portam. Ego verò cum illa solicitudine meæ animæ introspiciebam per rimas portæ, ut aliquatenus viderem, quid intus ageretur; sed quia Dominus nolebat à me quidquam videri vel audiri, nihil ampliùs videre vel audire poteram, quàm si multis ab illa Aula abessem leucis. Unde post satis longum tempus, cùm me Dominus nollet ulteriùs progredi, me reperi in mea recollectione, sicut priùs.

§. I.

De Flagellatione.

ALio die sancto Veneris (anno 1615.) mihi Dominus est dignatus hæc mysteria distinctiùs manifestare. Fui ibi in spiritu, ubi sustinuit cruciatum ac tormentum flagellorum, & vidi cum maximo mei cordis dolore illos carnifices infernales, cum ingenti strepitu & festinatione præparantes terribilia, & crudelia instrumenta flagellorum, quibus erant concisuri purissimum dorsum, & carnes Agni immaculati, qui pro nostra salute se dignatus est tradere manibus peccatorum. Vidi quomodo urserint illum sacratissimum Dominum, & unicum Bonum Nostrum, ut se exueret suis sacris vestibus, & quomodo duo ex illis leonibus cœperint furiosis ictibus, magis ac magis horrendis verberibus sævire in Divinum & sacratissimũ dorsum innocentissimi illius Domini Angelorum, & DEI ac Domini nostri, cum infernali illâ rabie, quà agebantur. Dum id mea anima spectaret, fuit maximus illius dolor & afflictio, atque compassio, propter illud spectaculum tam triste ac dolorosum, & cruciatum illum tam terribilem, quem Divina Majestas mihi repræsentavit, à se, mei causâ toleratum, & pro omnibus peccatoribus. Atque cum hac angustia & dolore, ut viderer mihi erepta, tantùm dicebam & repetebam frequenter altâ voce, exhibendo indicia maximæ afflictionis, ac doloris: *Eheu! eheu! heu! Delictum animæ meæ! Heu Domine cœli & terræ, quis te potuit eò usque deducere, & constituere in tali angustia ac tormento! eheu mi Domine!* Cum his & alijs mœstis lamentationibus rapta fuit anima mea in ecstasim, neque vidit progredientem ultrà cruciatum, ac tormentum flagellorum sui DEI; quia si hæc visio duravisset diutiùs, defecisset. Gerebam autem tristem, non sinè vehementi affectu ac teneritudine, memoriam afflictionis ac doloris, quem sanctissima Virgo, Domini Mater, passa erat. Mansitque mea anima aliquamdiu in hoc mentis excessu, quasi modicùm quiescens, ac deinde sibi reddita, se invenit in eodem loco, in quo fuerat antea, viditque non ampliùs sustineri à suo sanctissimo Domino, illud tam triste tormentum flagellorum. Sed sacratissima DEI Majestas, & Dominus Angelorum nudus, manante sanguine ex sacerrimo ejus corpore, quasi manu palpando, quærebat in terra suas sacras vestes, ut se illis indueret, ac tegeret vulneratum corpus; quod videns, sensi incredibilem dolorem, & compassionem. Dominus me aspiciebat vultu pleno immensæ charitatis, & dicebat mihi: Quale fers judicium de eo, quod me hîc vides passum esse pro animabus? Quid tibi de hoc videtur, Marina? Audiens id à Domino, cum summo dolore & sensu, fui secundò rapta in ecstasim eo modo, quo priùs: atque ità per breve tempus quasi quievi post tantum dolorem.

§. II.

De Corona Spinea.

QVando ad me redij, reperi me in eodem loco, & vidi in quodam exteriore impluvio multos homines viles & perversos, quasi famulos, & milites, mediastinos & carnifices, qui edebant ingentem strepitum ac tumultum cachinnando, & conferebant de conficienda ac texenda corona spinea. Postquam autem illam perfecerunt, lusûs & recreationis infernalis causâ ipsam probabant, imponebántq; sibi invicem super sua maledicta capita quàm lenissimè, nè se læderent; sed cùm illam per jocum imposuissent cuidam puero eli-

ro, elicuerunt ex ejus capite copiosum sanguinem, qui defluebat per oculos & facié, ut idcirco vehementer ejularet, ac vociferaretur. Contextum tulerunt eò, ubi erat Dominus tam afflictus & cruentatus toto suo sacratissimo corpore, à tormento flagellorum, & nocturni frigoris. Accedentes ad Divinam Majestatem illi rabidi canes, imposuerunt ipsam cum magna crudelitate delicatissimo ejus capiti, ità ut ex illa erumperet magna copia sanguinis, qui manabat per Divinos ipsius oculos, decidens super ejusdem sacratissimas manus ac vestem. Videns id mea anima cum maximo dolore, & intimo sensu, repetebat verba, quæ in priùs viso mysterio dixerat, cum ijsdem demonstrationibus afflictionis ac doloris: atque dum ità mea anima esset afflicta ac dolens, fuit abrepta, neque plùs vidit de hoc mysterio, quam dictum sit.

§. III.

De Bajulatione Crucis.

ITà in illo raptu mansi aliquamdiu abstracta, quasi quiescens, nè deficerem, sic disponente Domino. Postea vidi Christum Dominum apud portam, per quam erat egressurus ad montem Calvariæ, onustum cruce, vehementer fatigatum, debilitatum, ac viribus destitutum, tum ad ambulandum, tum ad consistendum sanctissimis suis pedibus. Erat prorsus extraordinarius dolor meæ animæ, videre hoc spectaculum & mysterium adeò dolorosum, atque turbam illam infernalem ità confusam, ut videretur repræsentare infernum. Clamabant, vociferabantur, non consentiebant, quomodo crux illa terribilis, & gravis esset bene collocanda super Divinos, & innocentissimos humeros illius Agni Divini, qui tollit peccata mundi: quia alij ipsum crasso quodam fune, quem Dominus gerebat in suo collo, trahebant retrorsum, alij verò alio fune antrorsum, cum ingenti vociferatione, atque ità quassabant & concutiebant, dejiciebántque in genua Divinam illam Majestatem ac Dominum Angelorum. Cum hac molestia illum extraxerunt extra portam, ubi erat maxima multitudo hominum, & ministrorum Justitiæ. Cœperunt progredi cum summo tumultu, & clamoribus ad montem Calvariæ. Quod videns mea anima, sensit incredibilem dolorem, & derivabat in corpus insolitam angustiam, & afflictionem, adeò ut quantumcunque conarer occludere portas externorum sensuum, fuerit impossibile, nè per illos erumperet ipsius cruciatus ac dolor, atque cum hac angustia & afflictione meæ animæ egrediebar celerrimè, & quasi currendo, postquam verò anima mea præseferendo summum dolorem, & cruciatum in conspectum venisset illius tam afflicti, mœsti, & excarnificati Domini, antecedebat clamando & vociferando intrà illam hominú turbam, quasi divisam in turmas ex utraq; parte illius spaciosæ viæ passu concitatiore suum Dominum dicens: *Quò vadis mea Anima, & mi Domine? quò te meæ peccata & scelem ducunt?* Cum istis, aliísque lamentationibus, & hoc dolore ego præibá, & sacratissimus Dominus sequebatur, malè affecto, concusso, & cruentato suo sacratissimo corpore. Atque ecce derepentè illi ministri Justitiæ, & infernales carnifices, cœperunt cum magno strepitu ac tumultu abigere populum, qui erat innumerabilis, & parare locum, ac spatium pro peragendo Sacrificio Divini Agni. Ego verò mansi immota, neque recessi à meo Domino.

Aliàs cùm mihi Dominus exhiberet hoc mysterium, corrui quasi destituta spiritu, in medio hujus viæ, præ amaritudine, & quando venit Dominus eò, ubi ego fueram, dixit mihi: Abi, Amica; significando mihi augeri suam afflictionem, fieríque sibi graviorem crucem, propter meum dolorem: atque ut scirem, quòd compassionem ac dolorem, quem habituri erant sui famuli, considerantes illum adeò malè tractatum, habuerit tunc præsentem, fuerítque illo ipsius crux magis aggravata.

§. IV.

De Crucifixione.

POst hoc illi crudeles carnifices deposuerunt crucem ex conquassatis humeris Domini, quam humi prostraverunt, ac tum apprehenderunt illum Dominum Majestatis, & innocentissimum Agnum trudendo & raptando, atque postquam illi detraxissent sacram vestem inversam, extenderunt sanctissimum ipsius corpus nudum in ligno crucis, & cum magna crudelitate, instar infernalium leonum, arripuerunt unam illius sanctissimam manum, atque crassum clavum, applicatâ cuspide ad palmam sanctissimæ manûs, inceperunt illum solido malleo terribilissimè & validissimè incutere. Quando mea anima spectavit ac audivit tam acerbum & iniquum tormentum, quo excruciabant sacratissimum suum & cœli terráque Dominum, sensit incredibilem dolorem, & afflictionem, quæ fuit tanta, ut cùm jam non esset illi ferendæ, derivato ad corpus & sensus externos cruciatu ipsius & angustiâ, proruperit in externas lachrymas, & fletum; unde cum summa, tam corporis quàm animæ afflictione ac dolore, lamentabar clarâ & sensibili voce. Inter hos gemitus mansi aliquamdiu à sensibus abrepta, & in illo raptu Dominus sibi univit meam animam, sustulitque ipsam quasi ad sua brachia, & sic natura modicùm conquievit, recepitq; vires: quia, si id non fuisset factum, nescio, an non re ipsâ & verè defecissem. Postquam autem mea anima ità aliquamdiu adhæsisset suo Domino, quando ad me redij, jam præterierat illud mysterium, neque tunc ampliùs vidi meum Dominum repræsentatum in eo tam lamentabili actu. Remansi vehementer fatigata, confracta, & plena magnis doloribus; animæ quoque meæ inhæsit dolor, ac tristitia, quæ duravit toto illo die Veneris, & Sabbatho sequenti.

§. V.

De afflictione & Solitudine Beatissimæ Virginis.

MAgna mei doloris ac luctûs pars oriebatur, ex memoria, quâ mea anima recolebat, afflictionem ac solitudinem sacratissimæ Virginis, quam ipsa illo mortis & Passionis sui sacratissimi Filij, & mei Domini tempore, sensit ac pertulit, & cum hac memoria illam sæpe alloquebar, videbárque mihi ipsam videre in sua solitudine, & solatium capiebam ex hac sacratissima Domina, adeò plena mœrore, afflictione, ac dolore, cujus etiam Majestas videbatur quodammodo ex me capere solatium, & per me sublevari. Disserebam enim cum ipsa de gloriosa Resurrectione sanctissimi ejus Filij ac Domini mei, dicendo, quàm primùm adfuturam illam felicem horam. Atque ità miscentes præterlapsam afflictionem, ac dolorem, futuro gaudio, ac lætitiæ, hæc Domina, & mea pauper anima colloquebamur.

Sequenti Sabbatho manè, volui considerare istam solitudinem Beatissimæ Virginis destitutæ suo Filio, & apparuit mihi tristior ac afflictior, quàm possit cogitari, in veste cærulea valde obscura. Sedebat brachijs & manibus compositis in sinu, oculis modicè elevatis in altum cum magna modestia, è quibus tristes profluebant lachrymæ, & in suo Divino vultu habebat quasi depictum dolorem & angustiam, quam nulla creatura potest assequi cogitándo, & quæ à nullo potest percipi, nisi cui illam Dominus dignatur manifestare. Nihilominus in eodem vultu & oculis unà relucebat tam admirabilis pulchritudo, & elegantia, qualem solus DEUS potest depingere. Quia erat quædam elegantia, proveniens ex eminentissimis virtutibus & perfectionibus, quibus erat prædita ipsius anima, sicut quando solares radij feriunt clarissimum aliquod speculum, à quo reverberantur, ut quasi ipsemet Sol in illo videatur conspici. Quemadmodum enim tunc virtures hujus Dominæ erant in altissimo perfectionis gradu, ità in ejusdem vultu

vultu comparebant illarum colores & imago eorum, quæ erant intrà ipsius animam; utpote illius ardens charitas, & amor DEI ac proximi, quo perfectissimè desiderabat gloriam Æterni Patris, & salutem hominum; obedientia & conformitas cum voluntate Patris Æterni, quâ volebat, amabat, acceptabat libentissimè omnia tormenta, & afflictionem, quam sustinebat in suo corde, videns patientem suum sanctissimum Filium, quem promptissimè offerebat Æterno ipsius Patri pro salute hominum; præterea ejus confidentia in DEO tam sublimis & excellens, quâ certò sibi & securè persuadebat Resurrectionè sui pretiosi Filij, & salutem hominum, quos noverat ipsius morte & Passione esse redemptos, ac liberatos ex potestate diaboli, nec non apertam esse portam cœli. Omnes istæ virtutes, & multæ aliæ resplendebant in hac magna Domina, & illam exornabant cœlesti quadam pulchritudine. Cùm autem eam viderem tam speciosam unàque afflictam, incepi ipsam contemplari & amare, nec poteram satiari illius contemplatione ac dilectione. Volui progredi in ista consideratione, quam inchoaveram de ejus angustia & solitudine, propter absentiam Filij, & quia ob meam debilitatem non habebam vires ad sustinendum, quod in ea consideratione patiebar, Sanctissima Virgo videns qualiter essem affecta, dixit mihi, alloquendo meam animam: Noli angi, neque affligi, eò quòd te deficiant vires: mane hîc in meo sinu, & absque consideratione contemplare, quod in me vides, hoc enim tibi sufficit, & hîc tibi dabitur, quo opus habes, quódque tibi expedit, quia te amo instar Filiæ. Ad quod ego respondi cum mea magna verecundia: Domina mea, quomodo est tolerabile, quòd dum te video tam afflictam ac desolatam, ego, quæ fui causa tuorum dolorũ, & afflictionum, hîc maneam, quin etiam mihi rumpatur meum cor dolore. Et quamvis non haberem aliud motivum, quàm quòd videam tuum Divinum vultũ tantopere afflictum ac dolentem, hoc solùm deberet sufficere, ut fieret, quod dico. Sed cùm Tu Domina jubeas, ac velis, tacebo & aspiciam te simpliciter, siquidem tanta est mea exiguitas & miseria. Tum mihi sanctissima Virgo respondit verbis tam sapientibus ac discretis, ut illa nescirem ità referre sicut audivi, etsi dictura sim aliquid ruditer ac simpliciter: Nunquam, ajebat, vidisti mulierem valde afflictam, deplorantem sui mariti mortem vel filij, aut personæ specialiter dilectæ, quæ unicum ipsius fuerit solatium? atque si ista mulier habeat aliquam parvulam filiolam, quam non potest non prosequi amore & benevolentiâ tanquam filiam, cujus causâ ipsam oportuerit pati, videátque, quòd ista illius filia, ob defectum ætatis, non possit esse capax doloris, & afflictionis, quam patitur Mater, imò quiescens in ipsius sinu, aspiciensque ejusdem vultum, ac videns eam flentem, & lamentantem, jam ploret cum exiguo dolore, pro sua ætate & captu, ac sinè sua culpa; jam verò tanquam oblita afflictionis ac doloris suæ Matris, petit ab ipsa id, quo indiget; jam iterum blandiendo suæ Matri, velit illam solari suis teneris alloquijs, quæ magis proveniunt ex eo affectu naturali filiæ, quàm ex prudentia, quia ætas & ejus conditio ipsam non patitur aliud agere, putásne, quòd talis mulier, si esset discreta, & amaret suam filiam, amore materno, propter illum defectum cognitionis inculpabilem, ab ipsa abhorreret, & illam non curaret, atque omitteret satisfacere ejus petitioni, & præbere illi id, quo opus habet? certè non. Imò compatiens ipsius immaturæ ætati, & incapacitati, magis illam foveret, ac amaret, conaretúrque eam solari. Ità ego, spectando tuam imbecillitatem, me volo erga te similiter gerere, & multò amabiliùs, quàm illa mater se gerere possit erga suam Filiã. Tum remansi ad ipsius pedes, sicut mihi dixerat, plena solatio, quo me illius dicta affecerant.

CAPUT

CAPUT XVI.

De quibusdam visionibus Christi Domini crucifixi, quibus illam animabat ad sustinenda patienter adversa, & quomodo ipsi præstiterit alias insignes gratias.

Habuit & alias admodum mirabiles Venerabilis Marinæ visiones de mysteriis Dominicæ Passionis, specialiter verò de crucifixione, quæ ipsi Dominus plerumq; exhibebat, quando erat soliò afflictior, ut illam isto exemplo animaret ad patiendum: & recensentur ab ea, ùt sequitur:

§. I.

ANimadverti aliquando, quòd se mihi Christus Dominus esset spectandum oblaturus cruci affixum. Quia verò videbat debilitatem mearum virium, non comparebat mihi usque adeò manifestè, sed sensim sinè sensu. Dum enim intuerer quandam Crucifixi effigiem, quæ erat in altari Templi Societatis, vidi per illam ipsummet Christum Dominum pendentem è cruce, quasi illum aspicerem per fenestram vitreã, vel per delicatissimum velum, ità ut non possem clarè discernere lamentabilem ipsius speciem. Rapiebat ad se oculos meæ animæ ità, ut non possem satiari ejus aspectu, & quando illum non vidi ampliùs visu intellectuali, non poteram oculos corporeos avellere ab eo Crucifixo, per quem ipsum videram, acsi cogitarem, quòd illum ibi semper essem visura. Post tres vel quatuor deinde dies conspexi eundem Dominum rursum cruci affixum, acsi viderem in aliquo obscuro conclavi, non habẽte aliud lumen quàm unius candelæ, ardentis ad illius latus, quod solum videre potui, & unum brachium, atque caput aliquantùm inclinatum, & capillum longum ac pendulum, ità ut non possem intueri Divinum vultum. Sic illum aliquamdiu contemplabar cum magna attentione & compassione, ac ingenti dolore meæ animæ.

Alio die ipsum vidi crucifixum, & sanctissimum corpus pendens ex conclavatis brachijs, ità ut scapulæ propter pondus corporis distarent à Cruce. Habebat caput inclinatum, & capillum unà dependentem, qui cooperiebat partem Divini vultûs. Quamvis autem illum non viderim totum, quia Divina Majestas id nolebat, eò quòd sciret mihi non suppetere vires ad talem visionem sustinendam, vidi ipsum tamen ità mœstum & afflictum, ut existimaverim mihi fuisse disruptum corpus præ turbatione, ac vehementi commotione meæ animæ. *Hic modus apparitionũ abundè manifestabat amabilem Providentiam Servatoris nostri, & quomodo præbeat bibendas ad mensuram lachrymas, velitque ut juxta illam compatiamur ipsius doloribus, quos ejus Majestas adeò absque mensura tolerandos assumpsit. Et hæc ipsa etiam mensura ità cor afflìgit, ut nihilominus illud soletur & confortet.*

Aliàs cùm essem magnopere afflicta molestijs ac turbationibus, offerebat se oculis meæ animæ spectandum Christus Dominus crucifixus, ut me solaretur, & aliquando manè mihi hunc in modum cõparuit. Videbar mihi esse in quodam Conventu sancti Dominici, ibique videre advenientes tres Religiosos illius Conventûs, tanquam ingressuros per unam portam Claustri, quorum unus ferebat Christum Dominum pendentem ex Cruce, in statura viri, & anteriùs coopertum candido velo; alij verò duo antecedebant, gestantes suos accensos cereos in candelabris, sicut consuevit fieri, dum aliquid ejusmodi peragitur. Expectabam eorum adventum, & cùm pertransirent portam, elevavi oculos, ac aspexi ex una parte, qua velum erat modicè elevatum, vidique illam Christi Domini effigiem esse devotissimam & luctuosissimam; sed cùm eandem intuerer, dedit

dedit Dominus meæ animæ lumen, quo illustrata, agnovi ipsummet Dominum esse affixum illi cruci, ideóque cor meum exarsit divino ejus amore. Conjeci in illum oculos secundò, & agnovi ipsum magis. Unde illius species remansit firmiter impressa meo cordi, cum ingenti solatio per multos dies. Postridie agens cum Domino, dixi illi: Verè, mi Domine, per hos omnes dies gero animam affixam cruci. Divina Majestas autem mihi respondit: Veni huc, nónne me heri vidisti crucifixum? Cui ego: Ità, Domine. Tum Dominus subjunxit: Nónne ergo es mihi similis? Sed ego respondi: Fortè etiam ideo Tua Majestas voluit sic à me videri, ut hoc modo agnoscerem, quàm parum tibi sim in patiendo similis. Et sic sustulit mihi statim Dominus illam afflictionem, quam fueram passa.

Aliàs, dum illum viderem in valde lamentabili specie, eram immersissima profundæ cognitioni mei ipsius, & Divina Majestas, quæ id videbat, mihi dixit: Tu es affixa isti cruci, ego huic. Respondi: Mi Domine, si ego sum affixa isti exiguæ cruci cognitionis propriæ, patior propter mea peccata, & quia justè mereor gravia tormenta; verùm Tu, Dilecte mi, quid fecisti? vel quare promeritus es, ut affigereris cruci tam gravi ac duræ?

§. II.

ALiâ vice conversando cum DEO, elevavi oculos animæ, ac vidi Christũ Dominum, qui mihi dixit: Aspice, & elevans manus, ostendit mihi illarum vulnera, quæ erant recentissima, ac speciosissima, atque Divina Majestas etiam illa contemplabatur. Tum illi dixi, memor eorum, quæ Dominus pro nobis fuerat passus: Verè, Domine, Tua Majestas non obliviscitur, quanti ipsi constemus. Aspiciebam autem illa cum tanto meæ animæ solatio, ut nunquam in mea vita majus habuerim. Optans verò videre vulnus lateris, dixi illi: Et vulnus lateris Domine? Respondítque Dominus: Aspice. Et ostendit mihi etiam illud atque unà sanctissimum suum Cor, quod per idem vulnus apparebat, unde meũ exarsit magno ipsius amore. Tum ego mirata tantam misericordiam, quam mihi hoc favore exhibito præstiterat, dixi: Profectò, Domine, nescio, an mihi possis majores conferre gratias. Vix hoc dixeram, cùm mihi diabolus repræsentavit aliquid valde abominabile, quod ità sensi, acsi transfixa fuissem pugione, atque cum hac molestia & afflictione, conversa ad Dominum, dixi: Mi Domine, quali punctura confossa est mea anima? Dominus respondit peramanter: Non, non, quia fuit ictus vanus, siquidem te non tetigit. Post hoc cogitabam, quem in finem mihi Dominus ostendisset sua sanctissima vulnera, atque etiam, quòd ignorarem, an in vita mea fuerim commota, ac doluerim, ùt debuissem, ob dolores Christi Domini. Et cùm ideò conquererer, me non habere talé doloré, quo cor meum configeretur, dixit mihi Dominus: Noli id cogitare, hoc enim tibi minimè deest, neque metiri velis tuis considerationibus & ratiocinationibus mea incóprehensibilia judicia, & vias, quibus unumquemq; duco. Videbatur mihi Dominus esse offensus, quòd propterea essem afflicta: quia tamen timebam, an non in eo fortè fuissem decepta, id quod mihi maximè accidit molestum, dixi: Si ità est, Domine, quare mihi Tua Majestas ostendit sua sanctissima vulnera? Respondit Dominus: Quia tibi illa volui ostendere. Dic, an sufficientes habeas vires, sisque capax, ut sentias meos dolores? Ego autem dixi: Non deerunt mihi, si Tu, Domine illas dederis. Deerunt verò, si eas non dederis. Et ecce noctu mihi ex improviso, cùm cognosceret meam imbecillitatem, apparuit, qualis erat, dum esset flagellandus, fuítque tanta compassio & commiseratio, quam in me excitavit unum momentum, quo illa visio duravit, ut bene adverterim, esse impossibile absque speciali DEI auxilio, ità considerare dolores, quos pro nobis est passus.

Aliàs, dum mihi compareret Crucifixus in specie luctuosissima, dixit mihi: Ecce, ex eo mari dolorum, quos sustinui in ista

cruce, tibi dedi hodie unicam guttam, atque hoc est, quod es passa. Quo audito fui consternata, & dixi illi: Mi Domine, si unica parvula gutta ex ijs, quæ tu es passus, sufficit ad ità affligendam meam animam, sicut fuit afflicta, qualiter necesse est fuisse afflictam tuam, cùm esset oppressa tantis ac tot gravissimis cruciatibus, & immensis doloribus? Id si bene expenderemus, fieret sanè, meo judicio, ut nobis non videretur multùm, neque difficile, sustinere amore ipsius qualemcunque crucem, quam nobis ejusdem Majestas ferendam offerret.

Aliâ feriâ sextâ sacratioris hebdomadæ (1603.) cùm mihi comparuisset cruci affixus, & ego me coram ipsius Majestate humiliarem, amarémq; illum toto meo corde, & peterem ab eo remedium pro necessitatibus proximorum, dimisit unum brachium, quod fuerat acclavatum, & amplexatus est me inter collum ac scapulas quàm amantissimè, prodeuntibus radijs sanguineis ex pretiosissimis ejus vulneribus, qui me vulneraverunt in meis pedibus & manibus cum ingenti dolore. Dum autem me humiliarem & exinanirem præ confusione, propter tantam gratiam, addidit Divina Majestas aliam multò majorem, dicendo mihi, quòd, si aliquando pingerentur meæ Imagines, seu Effigies, essent dicto modo pingendæ.

§. III.

AGgravata quodam die doloribus, exponebam illos Domino, cum magna resignatione, offerendo me ad illos libenter amore ipsius tolerandos, qui mihi statim exhibuit mysticè quandam piam imaginem Christi crucifixi, perfusam & coopertam pretiosissimo sanguine, cui mirabili quodam ac Divino modo assistebat ipse DEUS. Obstupui videns hoc mysterium, & in eo cognovi eximium, fervidum ac ardentem amorem, quo me iste Dominus amavit, & profudit illum pretiosum sanguinem. Intellexi præterea, quòd mihi Divina Majestas applicuerit magnam suorum meritorum partem, propter quæ conjuncta cum terunciolo mearum molestiarum, dolorum & afflictionum, quas ego patiebar, mihi fuit communicatus pretiosissimus thesaurus cœlestium bonorum. Vidi etiam ex illo pretioso sanguine, quo Dominus erat perfusus, profluentem, instar suavissimi roris, clarissimam ac divinam aquam, quâ conspersâ ac perlutâ, recreabar, & corroborabar in meis doloribus, afflictionibus, & angustijs. Post hoc me recollegi modico temporis spatio: verùm conjectis iterùm subitò, volente Domino, oculis animæ in sanctissimam illam Christi crucifixi effigiem, adverti extersum in ea sanguineum madorem, quem priùs videram, totámque manantem copiosissimo sudore mysticæ ac Divinæ aquæ, in qua mihi manifestavit labores, itinera & sudores, lassitudines, vigilias, orationes, & jejunia, quæ pro me, & pro omnibus hominibus subivit ac passus est; unde fui confusa, pudefacta, & humiliata, quòd viderem me tam parùm respondere tantis Domini beneficijs, qui mihi dixit: Nunquid non vidisti omnia, quæ sunt facta? ideò te excita ad patiendum amore mei, quidquid ego tibi amanter obtulero; tam enim certò tibi dico, quàm sum, qui sum, te brevi ad me migraturam. Ex his verbis cœpi ingens solatium, & fui confortata in omnibus, quæ sum passa ijs diebus.

§. IV.

ALiâ vice (anno 1620.) agens cum DEO, conspexi effigiem & imaginé Christi Domini crucifixi, à quo spectaculo mentem averti spatio unius horæ; posteà verò se Dominus iterũ objecit oculis meæ animæ, adeò ut me non possem ampliùs cohibere vel abstrahere ab illa visione. Tum vehementer afflicta ac dolens, quòd viderem Dominum ità crucifixum, & malè habitum ab hominibus, dixi illi: Domine, & DEUS mi, si te taliter exhibeas spectandum oculis animæ, moriar. Et Dominus mihi respondit: Non morieris, imò videndo me vives; quo dicto venit ad me, & refixo uno brachio ex cruce, me est amplexatus; in quo amplexu mea anima se quàm arctissimè advertit conjungi suo

DEO.

DEO. Subitò autem elevavit brachium, & reposuit in cruce, sicut illud habuerat antè. Ego mansi aliquamdiu in illo mentis excessu, & interea mea anima appropinquavit Domino, & immersa in balneú cujusdam Divini, pretiosissimi, & suavissimi liquoris, qui erat quasi sanguinei coloris, se ibi aliquamdiu detinuit, expertáque est ingentia bona, & applicationem Divinæ virtutis, ac valoris pretiosi sanguinis JESU Christi Domini nostri, effusi pro nostra salute & remedio, nec non sublimissimorum ipsius meritorum. Indè sum extracta à sanctis Angelis, à quibus fui continuò induta pretiosissimâ veste, exornatâ auro, & gemmis, quæ erat instar Dalmaticæ; & habebat insignia efformata ex illis pretiosis lapidibus, referentia splendenté Solem, circumdatum à stellis, & pulcherrimam ac lucidissimam lunam. Hæ figuræ erant anteriùs, in posteriori verò parte ejusdem vestis erat forma grandis & pulchræ Aquilæ, repræsentantis Spiritum sanctum. Insigne Solis referebat Personam Christi Domini; Lunæ & stellarum significationem non bene intellexi, videbantur mihi tamen exprimere puritatem, virtutes, & altissima merita sanctissimæ Virginis MARIÆ Dominæ Nostræ. Imposita etiam fuit capiti meo corona, ac deinde mihi data est ingens crux, quam sum amplexata. Multi sancti Angeli stupebant hoc admirabile opus Domini, & dicebant: Quæ est ista? qualisnam est hæc anima tam felix, cui Dominus Majestatis tantas confert gratias? Interea mea anima fuit ducta ad illam cœlestem Jerosolymam, & constituta coram Beatissima Trinitate, quam Dominus & Persona Patris aspexit cum amabili complacentia, & quasi attentione. Dixitque Divina Majestas: Quæ est ista creatura? quæ est hæc anima mea? quasi dissimulanter loqueretur. Deinde, inquiebat Dominus: Túne es, creatura mea, túne es, Anima? probè novi, te esse meam, quia gestas in tuis brachijs crucem, quæ est symbolum & insigne mei Filij JESU Christi. Deinde mandavit Dominus quibusdá sanctis Angelis, ut mihi auferrent crucem, datáq; mihi suâ sanctâ benedictione, dixit alijs sanctis Angelis: Accipite istá Animam, ac ducite, & constituite illam in loco, quem illi designavi; id quod ipsi fecerunt amantissimè & lætissimè: atq; mea anima fuit abrepta in ecstasim, in qua percepi ingentia bona, & solatium. Quando mihi fui reddita, inveni me in meo angulo.

§. V.

ALiàs vidi Christum Dominum Crucifixum spineâ redimitum coronâ, & timui aliquantùm, cogitando, quòd illud mysterium mihi esset allaturum majores dolores tolerandos. Sanctus autem meus Angelus Custos mihi dixit: Noli timere, Anima, quia tibi non adferet afflictionem mysterium, quod Dominus modò vult in te operari. Hoc dicto fui animata, promptámque me ad quidvis DEO exhibui. Accessit ad me Divina Majestas in ea specie, pervenitq; ipsius virtus spiritualissimè ad mea vulnera, unde sensi summos dolores, quia fuerunt renovata, sed non absque ingenti solatio, eò quòd mihi Dominus dixerit, meos timores, quibus angor, acceptandis à DEO favoribus evadere gratiores, & utiliores animæ.

Post paucos abhinc dies, conspexi rursus Christum Dominum crucifixum, & statim correpta meis timoribus, quia illum paulò ante eodem modo videram, pugnabam, ut me abstraherem ab ipso videndo, donec tandem ultrà non possem sistere. Defixi igitur oculos in meo Domino, qui erat valde afflictus, & videbatur se commovere in cruce, ideóque magnâ tangebar commiseratione; neque tamen sciebam causam ejus motûs, donec vidissem post crucem stantes quosdam carnifices, qui uncis & alijs instrumentis attollebant crucem, ut ipsam infigerent foramini, in quo erat erigenda. Recrudescebant autem per eum motum vulnera, & vultus Domini erat afflictissimus, adeò ut illum Dominus nonnihil obtexerit prolixo capillitio, avertendo caput ad partem, nè ipsam tantopere viderem, quia nisi id fecisset, nescio quid de me fuisset factum, propter meam compassionem. Ex impulsu crucis, ut ingrederetur in foramen, inceperunt magis

aperiri vulnera pedum ac manuum, fluxitque ex illis cum impetu sanguis quàm celerrimè. Mei Domini Angeli adfuerunt huic mysterio cum magna reverentia & flexis genibus, arripuerúntque me, ac duxerunt ad pedem Crucis, & collocaverunt sub uno ipsius brachio, ubi totus ille sanguis cecidit supra meum caput & corpus, atque dum eo perfunderer, dicebant Angeli: *Unxit te DEUS, DEUS tuus oleo lætitiæ, præ consortibus tuis.* Deinde me posuerunt sub altero crucis brachio, dicendo eadem verba, cadente pretiosissimo sanguine supra meum caput, humeros & corpus. Postea me provolutam in genua, constituerunt ad pedes Domini, ubi ille sanctissimus sanguis aspersit meam faciē, & oculos. Tum deducta à sanctis Angelis, me inveni in meo angulo, atque hîc me vidi ab ijsdem impositam cuidam aureæ sandapilæ, & usque ad collum coopertā panno, pariter aureo ac nigro. Sic me intulerunt in cœlestem patriam ad conspectū Divinæ Majestatis tanquam defunctam, ubi Domino dixerunt: DEUS ac Domine Noster, hîc habemus istam tuam creaturam, quam tuus unigenitus Filius diligit, & unxit suo pretiosissimo sanguine: deprecamur suppliciter Tuam Majestatē, ut confirmet istam gratiam. Dominus me est diutissimè contemplatus, ac dixit: Ità, est verum, confirmo id; deditq; mihi suam sanctissimam benedictionem. Quo facto statim abstulerunt nigrum pannum, & cooperuerunt me alio panno pretioso, qui erat totus intertextus auro, in signum, quòd potitura essem vitâ æternâ. Tum Dominus præcepit meis Dominis, ut me reducerent ad meam domum.

§. VI.

DUm aliàs manè (anno 1619.) agerem cum DEO, præter morem, demùm mihi dixit: Anima mea; vellésne venire mecum? & statim conticuit, anima verò mea perseveravit coram ipso, sicut aliàs consuevit. Post quod temporis spatium, elevavit oculos, quia sic disposuerat Dominus, ac vidit Christum Dominum cruci affixum, & sacratissimum ipsius latus apertum manans sanguine, unáq; sanctissimos ejus pedes ac manus. Habebat inclinatum sacrum caput, vultúmq; tristem ac sanguinolentum, & per illum protensam partem capillorum, quibus aliquantùm tegebatur. Videns mea anima speciem tam luctuosam sui DEI, rapta fuit in ecstasim cum summa afflictione. Tum illam apprehenderunt ipsius sancti Angeli, & in momento applicuerunt os ejus pretioso illi vulneri sacratissimi lateris, ubi admirabili modo, acsi ex illo sacro fonte hauriret ipsum DEUM, ipsi fuit communicatum donum Sapientiæ, & applicatio veritatum sui DEI, ac meritorum pretiosi sanguinis Agni DEI, qui pro nostra salute & remedio fuit fusus in cruce. Postquam ibi anima mea aliquantum se detinuisset, percipiendo ista bona, & sentiendo illa in se ipsa, subitò illam inde abduxerunt, & reposuerunt in suo loco. Paulò pòst ipsam iteratò admoverunt eidem sacro pectori, ubi ille Dominus Majestatis denuò confirmavit misericordiam, & gratiam, quam antea præstiterat meæ animæ.

Peracto hoc opere tot pleno mysterijs, quando jam mihi videbar redivisse ex eo mentis excessu, vidi eundem Dominum, qui tempore illius mysterij manebat quasi in alto, descendentem cum maxima majestate & comitatu infinitorum Angelorū, usque ad terram. Prostravi me, & mea anima adoravit illum Dominum, quem agnovit pro suo DEO. Dum me hæc admiratio teneret, iverunt duo Angeli, & appenderunt quàm reverentissimè duas cortinas, cooperuerúntq; meum Dominum, unde mea anima fuit desolata, nec poterat avertere oculos ab illis cortinis seu velis, quæ obtexerant ejus DEUM cogitando, an fortè ibi esset ipsius Dominus, ubi priùs fuerat. Sed illi sancti Angeli me torvè sunt intuiti, ac dixerunt: Quid aspicis anima? cogitásne fortè etiamnum hîc esse tuum DEUM? vide, quòd non adsit. Et aperuerunt cortinas cum aliquo impetu, atque mea anima non vidit suum DEUM, qui abiverat, ac fuit aliquantum contristata propter ipsius absentiam. Illi autem Domi-

Domini Angeli, qui antea videbantur quasi irati, affecerunt magno solatio meâ animam, dicendo ipsi: Bono animo esto Anima, neque te afflige: brevì enim ad te revertetur tuus DEUS ac Dominus, manétque te æternitas, quâ illo ex ejus bonitate & misericordia fruaris. Vale nunc, Anima: & sic à me discesserunt, fuítque finitum illud sacrum mysterium. Benedictus sit DEUS millies in omnibus operibus & misericordijs! Amen.

Alio die (anno 1622.) vidi Christum Dominum crucifixum, eóque conspecto, nescio quomodo vehementi incitata affectu procurrerim, & amplexata fuerim crucem; applicando os sanctissimis ipsius pedibus. Tunc mihi Divina Majestas dixit: Anima, quid agis? recede, dimitte me. Ego verò dixi meo Domino: Absit, ut te dimittam mi Domine, vel à te recedam. Dominus reposuit: Dimitte me Anima. Et ego respondi: DEUS meus, & Dominus meus! hîc nata sum, hîc educata, hîc mihi moriendum est: absit, ut te dimittá. Rursum mihi Dominus dixit: Anima, adverte, es debilis, atque si hinc ascendero ad cœlum, non poteris me sequi, dimitte me. Cui ego: Non, mi Domine, non dimittam te. Dum ità perseverarem in proposito, cœperunt profluere guttæ sanguinis ex pedibus mei Domini, adeò ut eo fuerit perfusum meum caput & corpus. Quando autem incipiebat super me cadere sanguis, fui rapta in ecstasim, & passa sum quasi deliquium animi, ac removi brachia à cruce. Tum venerunt mei Domini Angeli, & benignissimè me confortaverunt. Postquam ad me redij, dixi: Abivit meus Dominus, & me reliquit! id quod inhærebat meæ memoriæ per plures dies, dicebámq; identidem: Abivit meus Dominus.

§. VII.

Concludamus illâ visione, in quâ ipsi Dominus post sumptam sacrum Eucharistiam patefecit immensitatem suæ Essentiæ, & Justitiæ, ac Misericordiæ, quæ relucet in Christo crucifixo. Quodam die, *inquit*, anno 1620, à Communione me contuli cum humili fervore, ad amplexandos, nostro modo loquendi, pedes DEI Nostri, & accedens cum hoc affectu, sustuli oculos, ac vidi in Divino illo Domino tam sublimem Majestatem, tantámq; potentiam, ut fuerim absorpta, obstupefacta, ac turbata adeò, ut ultra modum metuens ac tremens, quàm diligentissimè & solicitissimè circumspicerem, quid agerem, quóve irem, ubi effugerem conspectum tam potentis Domini, támque terribilis & immensæ Majestatis. Aspiciebam quaqua versum, ac dicebam magno affectu: DEUS mi omnipotens, & magnæ Majestatis, quò ibo, ut te effugiam? ubi me abscondâ à potenti vultu tuo? quia si abivero, méque voluero occultare, ut evitem tuam potentiam, & justitiam, in profundis speluncis, ibi me videbis, & reperies; cùm nulla creatura unquam se possit abscondere coram te, siquidem omnia vides, & es ubique: si me contulero ad profundum maris, & me cooperuero multitudine aquarum, ibi me videbis, & inde me educet dextera tua, ac tua potens manus, atque Divina Justitia. Quò ibo, DEUS meus? ubi me abscondam, nè me videas? Hoc lumen, & timor iste meus ac tremor duravit quàm diutissimè, quando derepente fui quasi alienata à sensibus, ac tum quievi in DEO meo. Apertis autem quasi denuò oculis, vidi quodammodo in me ipsa existentem JESUM Christum DEUM ac Hominem verum, cúmque me prostravissem ad ejus pedes, dixit mihi idem Dominus benignè & amanter: Surge, Anima mea, & cesset jam timor tuus, atque anxietas, ac vide, quòd licèt quà DEUS, sim fortis ac terribilis, quà Homo tamen, & quia assumpsi tuam naturam, sim Agnus benignus, sim mansuetus, sim Pater pauperum, sim misericordia, & salus in me sperantium, sim remedium lapsorum, & medicus ac medicina, nec non salus infirmorum. Aspice, Anima, hæc vulnera in meis pedibus, manibus, & latere, quæ pro omnium remedio sum passus: in illis te abscondes, in illis quiesces, ac invenies omne tuum absolutum bonum, poterísque comparere absque dolore, & angustia in conspectu tui DEI; quiesce

esce in me Anima. Postquam ità Dominus fuisset alloquutus meam animam, remansi in forti unione cum meo DEO, & quando ex isto raptu redij, stupebam vehementer, agebámque illi magnas gratias, pro universis ipsius operibus ac misericordijs.

Biduo pòst, mihi manè agenti cum DEO, spectandam Divina ejusdem Majestas exhibuit in loco alto, & velut in aëre, speciem ac effigiem JESU Christi Domini nostri crucifixi. Crux hujus mysterij erat fusca, & species Domini ex illa pendentis erat quasi fusa ex ære solido, terribili & inflammato, coloris ignei. Viso hoc mysterio fui valdè mirata, & timens vehementer, nè esset imaginatio, vel aliquid simile, celeriter ab illo averti oculos, méque distraxi, quamvis difficulter, quòd quàm sæpissimè interdiu obversaretur meæ memoriæ, ut mihi illud viderer habere ante oculos. In hac pugna ac diversione permansi tribus diebus, quia mihi per illos Divina Majestas quovis matutino tempore secum agenti exhibebat istam effigiem, ac tandem ultimâ die, cùm idem spectaculum meæ animæ objiceretur, neque sciret qualénam esset, mihi dixit Dominus: Anima, iste est serpens ille æneus, quem Moyses erexit in deserto Filijs Israël, ut ipsum aspicientes liberarentur ac sanarentur à morsibus serpentium. Istud est mysteriũ, quod tibi ostendi his diebus, quódque tu tantopere refugiebas, ac timebas. Dum audirem id dici à meo DEO ac Domino, fui vehementer cõsternata, eò quòd similium Scripturæ locorum minimè recordarer: quia tamen habui sublimissimũ lumen, quod mihi tunc Divina Majestas communicaverat, intellexi internè magnâ vi & efficaciâ veritatem ac valorem rei repræsentatæ ab illo serpente æneo, quem exegerat Moyses, utpote sacrosanctum Mysterium Crucis Christi JESU Domini Nostri, & valorem ac pretium mortis ejus ac pretiosi sanguinis, quem in illa profudit pro nostra salute, & remedio omnium: quod ipsum, atque unà ingentia bona, quæ nobis provenerunt ab isto Domino, & à sacrosanctà ipsius morte ac Passione, nobisque etiamnũ ab hoc eodem Domino conferuntur & communicantur, clarissimè agnovi illuminata à DEO, ideóque ipsi sæpissimè & cum ingenti affectu amoris, nec non æstimatione tam eximij beneficij, & gratiarum actione dicebã: O Divine Serpens, quem cum amore, fide, & confidentia induentes omnes creaturæ sanantur, & liberantur à veneno ac morsibus serpentis infernalis, multò meliùs, quàm filij Israël aspiciendo illum serpentem æneum, sanati fuerint à suis morsibus. Tu es, mi Christe ac Domine noster, Salus & Vita, ac Medicus noster, & nostra Medicina, nostra Virtus & Fortitudo, nostra Lux, & Dux noster; in te, mi DEUS ac Domine, habemus omnia bona, per te salvati sumus & redempti ex captivitate diaboli, nostri adversarij. Hæc frequenter repetebat anima, & cum magno lumine, atque affectu, ut non posset eorum oblivisci. Sed dixi deinde ad DEUM meum: Bene video, & intelligo ex tua illustratione, quid mihi dixeris, Domine, de hoc mysterio: quæro nihilominus etiam modò, cum tua venia: Quare mihi ostendisti hunc Divinum Agnum mansuetum, amabilem, humilem, & benignum, ac benefactorem nostrum, in tam terribili specie, & fortem instar æris, ac adeò accensum ut referret colorem ignis? Anima (dixit Dominus) quamvis omnia sint vera, sicut vidisti & intellexisti ex mea illuminatione, noveris, quòd in hoc Domino, Filio meo, ac DEO, & Homine vero, ut est Homo, & Redemptor mundi, habeatis universa ista bona, quæ commemoratis & agnoscitis, ob quam causam illum vobis donavi ac tradidi in manus peccatorum; ùt tamen est DEUS, antequam ingrederetur in uterum suæ Matris, erat terribilis, & erat fortis, erat vindex, erat DEUS ultionum; ac proinde ità volui, ut à me illuminata videres, intelligeres, & cognosceres omnes has veritates, pro solatio ac bono tuo

CAPUT

CAPVT XVII.

Quomodo quodã Sancto die Veneris viderit Christum Dominum defunctum, fuerítque miraculosè ducta ad ipsum suscipiendum in Regio templo Sancti Benedicti, ac susceptum in sacra Communione tulerit intrà se, tanquam in sepulchro, usque ad Pascha.

QVodam die sancto Veneris (anno 1616) mihi comparuit Christus Dominus defunctus, in specie lamentabili, ut vehementer obstupescerem, & consternarer, quòd illum viderem tantâ dignum commiseratione; conabar ab eo avertere oculos, & recurrere ad DEUM, petitura ab ipso lumen, nè deciperer. Cùmque aliquamdiu ità fuissem comparata, intulit mihi Divina Majestas suavem vim, ut aspicerem illud exanime corpus, ac tum Persona Christi Domini, quæ erat unita illi corpori, mihi dixit: Marina, quare me aversaris, quare me spernis? respondi: Domine, tu scis, quòd te non averser, multóque minùs spernam; sed reluctor, quia timeo, nè decipiar in rebus adeò inusitatis. Dominus mihi dixit: Accede huc, & tange vulnus mei lateris. Accessi, & tetigi illud, statímque sensi prodeuntes ex corde Christi Domini per idem vulnus quosdam radios, quasi igneos, amoris Divini, pertingentes usque ad meum cor, quod amore ipsius incendebant. Postquam autem ità aliquamdiu fuissem affecta, dixit mihi Dominus: Noli esse incredula.

Aliàs eodem die sibi Dominus delegit vivum sepulchrum, in quo reconderetur tanquam defunctus, utpote in corde istius suæ Famulæ, quemadmodum ipsa refert sequentibus verbis: Cùm pluribus diebus caruissem sacrâ Communione, eò quòd tunc necdum haberem Oratorium domi, quodam die Jovis sancto sub vesperum, ex Divino instinctu, ardentissimis æstuans desiderijs, dixi: Magnopere Te, Dilecte ac Domine mi opto suscipere in Divino Sacramento; sed contines meum corpus infirmum ac imbecille, quò minus possit adire Templum ad te sumendum. Si tu, mi Domine velles, posses me bene deducere ad Templum sancti Benedicti, ubi hodie, ex privilegio tui Vicarij Apostolici, te possunt suscipere tui Fideles, præsertim in tali necessitate constituti, in quali sum ego. Duc me Domine, quia potes, & noli me usque adeò affligere. Sed non volo miracula. Bene est (dixit Dominus) vis denique ire ad Templum, ut me suscipias, & nè id fiat corporaliter. Bene dixisti. Itaq; para te, ac attende, volo enim tibi præstare istã gratiam: sumes me, eritque tua anima sepulchrum mei mortui corporis, & tridui spatio illud ibi videbis cum stupore, ac intimo dolore, & solatio tuo, usque ad diem festum meæ Resurrectionis, atque tum ibi ostendam, quomodo fuerit peractum hoc mysterium. Sed cave, nè tibi eveniat in ista præparatione, de qua tibi dixi, quod eveniret cuipiam fæminæ rusticæ, ad cujus domum Rex, benefacturus ipsi, & gratificaturus, vellet venire, ut in ea diversaretur, atque cui præcepisset, ut sibi præpararet hospitium, & ipsa hoc facto cogitabunda ac solicita prospiceret per fenestras, & januas suæ domûs visura, veniátne Rex, & num compareat, jámque egrediatur ex palatio, cogitans, quòd nisi id faceret, nec haberet istam solicitudinem, Rex non esset venturus ad ipsius domum, neque illi exhibiturus promissam gratiam. *Hac similitudine Divina Majestas illam voluit instruere & monere, ut moderaretur nimios timores, atque consternationes, quibus in ejusmodi eventibus percellebatur, applicando mentem rebus alijs, quòd metueret illusionem.* Auditâ istâ reprehensione, nè delinquerem in eo, de quo fueram monita, valdè

valdè mihi attendi totâ illâ die, & nocte, usque ad diem Sanctum Veneris, quo sub horam diei undecimam agens in meo recessu cum DEO, vidi advenientes quasi aliquantùm eminus, bono ordine, multos Angelos, qui appropinquantes dixerunt quatuor Angelis mihi assistentibus: Venimus nomine DEI ad istam creaturam, ut ipsam comitemur, ducamúsque ad quendam locum nobis à Domino constitutum. Et conversi ad me, dixerunt mihi: Soror nostra, venimus nomine DEI, ut te abducamus: vísne ire nobiscum, unà cum istis tuis sanctis Angelis, qui etiam te deducent, & comitabuntur? Ego stupens id, quod mihi dicebatur, respondi, me velle, ac desiderare, ut in me impleatur Divina voluntas. Hoc dicto, venerunt quatuor Angeli cum cæteris, & cooperuerunt me pallio coloris amœnissimi, quasi cœlestis, valde cærulei & lucidi, intexti splendidissimo auro, duxerúntque me tali támque arcano modo, ut quasi me non viderim, neq; senserim, donec me reperissem in Templo Regio sancti Benedicti, circumdatam ab omnibus illis beatis Angelis, qui me duxerant, & collocatam ad pedes Sacerdotis Religiosi, eo tempore porrigentis sacram Eucharistiam alijs pijs hominibus, unde & ego eam ex manibus ipsius suscepi, quem, puto, bene agnovissem, si illum deinde vidissem. Post sumptum Divinum Sacramentum me inveni in quadam magna & interiore profunditate, vidíque me conversam quasi in quoddam sepulchrum, in quo quiescebat cadaver Christi Domini, ad cujus pedes prostrata ipsum adorabam, & venerabar admirandis affectibus, quos mihi Dominus communicabat, erántque modò commiserationis ac doloris, propter mortem & passionem Divini Agni, quem Æternus ejus Pater pro salute hominum tradiderat ad mortem in manus peccatorum; modò gaudij, propterea quòd viderem jam cessavisse afflictiones, dolores, ac tormenta, & crucem mei amantissimi Domini, & mundum naturámque humanam salvatam, ac redemptam ex captivitate diaboli per eundem Dominum, & valore pretiosi ipsius sanguinis; atq; etiam, quòd brevì illum essem visura gloriosum & resuscitatum suâ propriâ virtute, ac impassibilem. Hæc omnia simul, & alia, quæ mihi Dominus communicabat, me mirabiliter afficiebant. Post hoc fui reducta ad meum Angelum ab ijsdem Angelis, qui me deduxerant, & illo triduo perseveravi in dictis affectibus. Adveniente die Dominicâ Resurrectionis, sub diluculum agens cum DEO, vidi sacratissimam animam Salvatoris, in specie Divini, speciosissimi & ardentissimi, lucidi ac splendidissimi Solis, qui se collocans quasi in conspectu sui sacratissimi cadaveris, illi appropinquabat, quoadusque contingeretur à Divinis ipsius radijs, & sic se infudit sanctissimo corpori, vivificando illud ac animando ad motum omnia ejus sacra membra: quo mysterio peracto, surrexit admirabiliter Dominus suâ propriâ virtute, resuscitatus, gloriosus, ac retinens stigmata suorum vulnerum in latere, manibus, atque pedibus, & tanquâ victor ac destructor mortis. Ego fui magno interno gaudio repleta, propter gloriam istius Domini, & quando ad me redij ex raptu, non vidi ipsum ampliùs.

Hæc visio fuit tam admiranda, quàm proficua, de qua dubitari potest, fueritne ipse ituus ad sanctum Benedictum duntaxat spiritualis, cùm ipsa non potuerit se eo conferre corporaliter? hoc enim fuisset petere miraculum, & DEUS approbaverit bonum modò, quem ea in re observaverat. Nihilominus potuit utique Divina Majestas plus illi dare, quàm petiverit, atque facere, ut eam Angeli ducerent corporaliter (quamvis modo invisibili hominibus) útque ibidem reipsà ac verè sumeret sanctissimum Sacramentum ex manu Sacerdotis: quod quidem ità fuisse factum, intellexit (anno 1614.) à suis Angelis.

Denique voluit Dominus suam Famulam recreare, deducendo illam operâ Angelorum ad ipsum sanctum sepulchrum, ubi fuerat sepultus, quemadmodum ipsa refert:

Quodam die, *ait*, me duxerunt mei sancti Angeli per quandam longam viam suavissimè olentem, & virentem, atque rapta in ecstasim, inveni me tandem in magno templo, in cujus quodam sacello vidi sepulchrú

pulchrum cum prægrandi lapide sepulchrali, aliquantum elevato à terra, versùs anteriorem Capellæ partem. Contuli me eò, & adoravi sanctum illum locum, utpote sepulchrum, quod ego valde optaveram videre, ubi fuerat repositum corpus mei Domini, milliésque illud modò ad unam ejus partem, modò ad alteram me colloeando, amanter consalutavi. Post hoc fui ducta per quasdam civitates, & ego ferventissimè commendabam DEO necessitates illorum populorum, ut Divina Majestas illos converteret, atque ità cessavit visio, & inveni me in lecto.

CAPUT XVIII.

De Resurrectione Christi Domini.

QVando advenit dies Paschatis, summo manè vidi Christum Dominum resuscitatum, gerentem stigmata suorum sacratissimorum vulnerum in manibus, & corpore impassibili, atque glorioso, coram sacratissima Virgine Domina Nostra, & ex speciali ipsius illustratione interna, vidi illum distribuentem quàm amantissimè ac benignissimè omnibus suis creaturis, volentibus illa acceptare, & ijs rectè uti, bona & merita, quæ suâ sacrâ morte ac Passione pro nobis obtinuit, quéadmodum Pater, qui suis filijs, quos enixè amat, distribuit panem, quem suo sudore & labore illis est lucratus; atque ego indigna etiam accipiebam meam partem cum magno solatio ac desiderio obtinendi ea bona, quæ iste Dominus ac Pater noster, tam libenter, & cum tanto amore nobis communicabat, sensíq; deinceps tantam famem ac sitim illorum consequendorũ, ut nescirem quâ ratione sedarem hanc sitim, nisi accedendo ad Divinam Majestatem, & sumendo ipsum in sanctissimo Sacramento, sicut feci toto Paschate.

§. I.

ALiàs conspexi Christum Dominum, qui cum magna Majestate stabat brachio dextro exporrecto in altum instar benedicentis, & altero amplexabatur crucé, ornatam vexillo, quòd in illa sacra cruce vicisset mortem, diabolum, & peccatum. Erat Divina Majestas propè nuda, cum in modum, quo solet pingi in sua Resurrectione, & ad latus suum habebat sellam, supra quam jacebat vestis, quæ erat instar pluvialis, & videbatur mihi esse confecta quasi ex pretioso purpureo holoserico, habebátq; ornamentum circumquaque elegantius, quàm cogitari possit, ex gemmis diversorum colorum, erant enim aliæ candidæ, aliæ rubræ, aliæ virides, quæ recreabant animam, ac ad se attrahebant. Defigebam in illa veste oculos, tantúmque non magis quàm in Christo Domino, atq; imaginabar mihi, essétne eadé, quâ ipsum ter quatérve videram indutum in Festis sanctissimi Sacramenti, de qua mihi dixerat, quòd significaverit gloriam & puritatem suæ sacratissimæ Humanitatis; quamvis aliunde mihi fuerit visa esse diversa, & dicebam intrà me: Quid potest significare ista vestis exuta & separata à suo sanctissimo corpore Christi Domini, cùm ipse, quod semel amore nostri, & pro nostra salute assumpsit, nunquam dimiserit? Hæc mihi cogitanti aperuit Divina Majestas, qualis esset, dicendo mihi: Ista vestis, quâ vides separatam à meo corpore, id quod tibi accidit adeò captu difficile, quia dicis me, quod semel assumpsi & indui amore hominum, nunquam ampliùs dimisisse, quod est verum, non est illa quam esse cogitas, sed est vestis meæ mortalitatis & meorum dolorum, ac laborum, & ignominiarum, atque crucis, quâ erat induta mea Humanitas, ut illis satisfacerem meo Æterno Patri pro offensis hominum, ipsósq; adjuvarem, & eruerem ex potestate diaboli, quod per meam mortem est completũ,

ità ut omnia sint reparata: meo quoque Æterno Patri est satisfactum, & homines liberati sunt à diabolo, ac peccato. Quapropter die meæ Resurrectionis exui istam vestem meæ mortalitatis, & dolorum ac laborum, quam hic vides tam pretiosam, & adeò exornatam omnibus meis meritis, quæ meis doloribus & cruce obtinui, & lucratus sum pro me, proque omnibus hominibus, qui illis voluerint bene uti. Hoc audito fui repleta magno solatio, & recreata illo meo mentis excessu.

§. II.

ALio die Resurrectionis, sub horam tertiam matutinam, agens cum Domino, me inveni quasi ante sacratissimum ipsius sepulchrum, in tanta solitudine & silentio omnium creaturarum, atque in loco tam Divino & cœlesti, ut ibi videretur adesse ipsemet DEUS. Statim aspexi, & vidi supra illud sacrum sepulchrum apparentè Divinum quendam, pulcherrimum, lucidum, ac resplendentem Solem, qui habebat colorem quasi vivacissimi rubini, & pretiosissimi, videbatúrque summè exornari quadam mixtura purissimi ac defœcatissimi sanguinis. Iste Divinus Sol, se cum suis radijs, qui erant ex cœlesti purissimo auro, & splendidissimi, illuminando totú illum locum, incepit movere instar Divinæ & cœlestis Avis, concutientis alas, & evibrabat scintillas ignis, ac lucis divinæ, & splendoris. Hic ipsius motus duravit modicum, & subitò se divinâ virtute elevavit, erexitque ingens lapis, qui incumbebat sepulchro Domini, ac tum Divinus ille Sol ingressus est in eum beatum locum, feriensque cuspidibus suorum resplendentiú radiorum pectus cadaveris, incepit illud vivificare; quia sanctissima ea anima Domini intravit Divinâ suâ virtute in sacratissimum suum corpus, occupatúmq; in momento resuscitavit gloriosum & resplendens, ac impassibile. Et postquam Dominus Majestatis hoc modo constitisset suprà lapidem sepulchralem, ostendens infinitudinem suæ virtutis, potentiæ, & fortitudinis, fuit circumdatus ab omnibus illis sanctis animabus, quas magna ipsius Majestas eduxerat ex limbo (id quod mea anima etiam viderat præterlapso die Sabbati, quando ipsi fuit manifestata confusio, ac timor diabolorum, intrante Domino in illam regionem tenebrarum, nec non gaudium & solatium illarum sanctarum animarum, in adventu Domini sui ac Redemptoris, quem tot expectaverant annis. Erant præterea ibi sublimes in aëre Angeli, qui ipsum laudabant, benedicebant, ac adorabant, tanquam suum DEUM, & Dominum.

Mansit aliquo tempore supra illum lapidem, & ego videns tam gloriosum, quem præterito die Veneris videram ità male habitum, ac tantopere defleveram, volui me prosternere ad sacros ipsius pedes, cùmque jam proximè accessissem, dixit mihi Dominus: Siste, Marina, noli me modò tangere, postea me adhuc videbis; aspice tantisper, ac attentè considera; & cognosce has meas plagas, & vulnera meorum pedum, & manuum, ac lateris, quæ pro te, & pro omnibus sum passus; aspice illa bene, & videbis eorum virtutem. Tunc mea anima rapta est in ecstasim, contemplando illas sacras aperturas, pulchriores & splendidiores universis lapidibus pretiosis, omnibúsque divitijs creatis; quando autem ad me redij ex illo raptu, inveni me in meo angulo. Post sesquihoram iterum ipsum vidi resuscitatum eo modo, quo illum antè videram, dixitque mihi: Quid hic agis, Soror? quomodo nunc es constituta, dum me vides jam resuscitatum & gloriosum? cessaverúntne jam tuæ lachrymæ? æquum enim est, ut qui plorat, capiat solatium. Cùm ità contemplarer Dominum Majestatis, & audirem Divina ipsius alloquia, fui repleta magno solatio, & gaudio, atque adeò absorpta, ut non potuerim ullum verbum respondere. Tunc mihi dixit Divina Majestas: Pax tecum, Marina, abeo enim ad visitandam meam sanctissimam Matrem; significans mihi, quòd jam alias ipsam invisisset, & hoc dicto discessit, ego autem affluebam solatio, quamvis non absque cruciatu dolorum, quos patiebar.

§. III.

SEquenti Dominicâ *Quasi modo:* ipsum conspexit similiter gloriosum, atque unà sanctos Patres, quos Dominus eduxerat ex Limbo, qui comitabantur ejus Majestatem, cum multis Angelis ei inservientibus, ipsumque adorantibus, quemadmodum etiam illum videram in mysterio gloriosæ Resurrectionis. Nunquam potuit mea anima intelligere, qualis fuerit ille locus, in quo erat Dominus Majestatis: cùm enim ipsa non habeat, neque in hujusmodi occasionibus mysticis sciat plùs, quàm ipsi dicatur vel concedatur, eo est contenta, siquidem non habet jus ad ampliùs aliquid exigendum. Tantum vidit, illum locum fuisse honoratissimum, & convenientem Divinæ Majestati, ubi etiam erat quædam Persona spectabilis, quam eatenus non viderat, quæ se celerrimè provolvit in genua coram Christo Domino, & manibus junctis cum singulari affectu dixit ad Dominum: DEUS meus, & Dominus meus. Tum illi Dominus respondit cum magna majestate: O Thoma, quia me vidisti, credidisti; beati, qui me non viderunt, & credent. Quod ultimum verbum dicens Dominus, aspexit me oculis indicantibus immensam charitatem; unde concepi magnum affectum amoris ac reverentiæ, & fui abrepta, ut non viderim sanctum Thomam tangentem vulnera Domini, quia, sicut dixi, non plus video, quàm quod doceor, in his mysterijs.

Aliâ hebdomadâ Paschatis, cùm vehementer essem afflicta, vidi meos sanctos quatuor Angelos, qui assumebant diversa musica instrumenta ad me recreandam, eantabant autem celebrantes triumphum Dominicæ Resurrectionis.

CAPUT XIX.

De Ascensione Domini, & extraordinarijs gratijs, quas illi hoc Festo præstitit.

§. I.

POstquam advenisset Festú Ascensionis, fui in spiritu ducta ad quendam campum, seu montem, ubi vidi Christum Dominum indutú splendidissimâ & pretiosissimâ veste, quæ tota erat distincta gemmis. Ostendebat se vehementer lætari eo die, quòd esset ascensurus ad Patré, & sedens ad ipsius dextram, recepturus præmium suorum laborum. Hoc ego animadvertens eram partim plena solatio & gaudio, quòd viderem meum Dominú tantopere honoratum adeò pretiosâ veste, quæ significabat sacratissima ipsius merita, & abeuntem ad suscipiendum præmium, honorem ac dominium omnium creaturarum, tam justè ipsi propter illa debitum; partim verò aliquomodo tristabar, ac dolebam, quòd abiret ac migraret, ut non potuerim id dissimulare, neque cohibere uberes lachrymas, dicendo ipsi: Denique Dilecte mi, ac Domine, vis abire, & nos derelinquere? Divina verò Majestas me solabatur, ac dicebat: Ecce ego abeo, aperturus viam ad cœlum, ut possitis in illud ingredi, reserentúrque vobis portæ, quæ tot annis sunt clausæ, quin ullus hominum potuerit eò introire. Nunquid etiam ignoras, quòd licèt abeam ad meum Patrem, maneam tamen unà hîc vobiscum in terra? Tace ergo, & cape indè solatium. Audiens mihi hæc dici à Domino, affluebam magno solatio; & quasi jam acquiescens, dixi illi: Mi Domine, & Dilecte mi, antequam abeas, vultne Tua Majestas mihi eam præstare gratiam, ut me permittat osculari suam pretiosam vestem Divinorum suorum meritorum? Divina Majestas mihi respondit quàm amantissimè: Omnino, osculare illam, licet; tua enim est, cùm tu quoque sis illius particeps, eò quòd ista

ista mea merita sint etiam tua. Hoc audito magis exardescebam amore hujus Domini, dixique illi: Méane, mi Domine, vis, ut sit hæc vestis, atque tua merita? & thesauros, quos promeruisti, ac obtinuisti tuis tormentis, doloribus & cruce, nec non obedientiâ, quam tuo sacratissimo Patri exhibuisti, vis esse meos; illósque dare tuæ malæ, ac ingratæ servæ? Respondit mihi Divina Majestas: Nónne scis, liberos, qui non fuerunt parentum suorum proditores, esse ipsorum hæredes necessarios, haberéque jus ad illorum bona? Ità tibi competit jus ad hæc bona, & merita mea. Atque dum hæc verba tanto cum amore & solatio meo diceret, apprehendit lateralem suæ sacratissimæ vestis partem, admovénsque ipsam ad me, porrexit mihi eandem exosculandam: propter quam gratiam ac favorem, fui repleta ingenti consolatione. Deinde vidi ex illo monte ascendisse Divinam Majestatem ad Cœlum, præsentibus sanctis Apostolis, ac sanctissimâ Virgine, Dominâ nostrâ. Ego partim sum exhilarata, & abundavi solatio, partim autem fui quasi desolata ac tristis, atque hoc modo transegi totum illum diem.

Alio die Ascensionis 1613. cùm graviter ægrotarem, videbam ascendentem Dominum Majestatis cum magna pompa ad Cœlum, & ascendebam post illum in spiritu. Postquam autem pervenissem ad illam cœlestem Jerosolymam, confugi ad unam ipsius partem, acsi me reciperem ad locum securum, unde non essem expellenda. Sed adfuerunt Angeli, ut me monerent, esse mihi exeundum: ego verò reponebam, me non exituram. Durante hac piâ contentione, venit ipse Christus Dominus, & vocavit me, dicens mihi: Veni mecum; & ego illum fui sequuta, reduxitque me ad meum lectulum.

§. II.

ALio anno mihi agenti cum Domino, die ipsius Ascensionis, vehementérq; afflictæ, propter toleratos præteritis diebus multos dolores, dixit Divina Majestas cum suavi quadam & gratiosa dissimulatione: Dic mihi, quæso, quomodo non venisti mecum? Quando mihi hoc dixit, erat in cœlo circumdatus magnâ multitudine Angelorum, & Beatorum Spirituum. Ego respondi: Tua Majestas me non duxit, & ego sum tam mala, ac tanta peccatrix, adeò plena defectibus, ut me non debuerim præparare ac disponere pro celebrando hoc sacro Festo. Bene habet, ajebat Dominus, noli affligi; quasi mihi significaret, non esse istam causam: & præcepit meis Dominis Angelis, ut me ducerent ad Cœlum, velle enim se mihi impertiri suam sanctam benedictionem, qui me subitò duxerunt. Erat Christus Dominus dilectissimus noster Servator, stipatus plurimis Angelis, qui illum adorabant, eique inserviebant. Prostravi me ad ipsius pedes, ut susciperem ab illo sanctissimam benedictionem, ubi me Dominus diu detinuit. Advenerunt autem continuò multi sancti cœlites & beati, ad me videndam, & mihi gratificandum: sed ego ità eram immersa in Domino, ut illos vix agnoverim, præterquàm Beatissimam Virginem, & sanctum Joachimum ipsius Patrem. Omnes veniebant cultissimi, & festivè ornati. Dedit mihi Dominus suam sanctissimâ benedictionem, utì mihi promiserat, ac deinde quàm affabilissimè ac suavissimè mihi dixit: Quid vis, ut tibi modò dem? insinuando, se velle mihi præstare aliquam magnam gratiam. Tum ego valde solicita, & quasi inadvertenter elevavi modicè vestem, quâ eram induta, ut susciperem, quod mihi Dominus volebat dare, & Divina Majestas ter injecit in meum sinum multos pretiosos lapides, ac elegantia cimelia, tantámque copiam donorum ac thesaurorum, ut obstupuerim & fuerim attonita, ac valde confusa, & pudefacta, videndo me tam divitem, & abundantem talibus thesauris: alia verò ex parte, non me capiebam præ gaudio, voluissémque dispertiri omnes illos thesauros, ac divitias inter illos Beatos sanctos, qui venerunt ad me videndam; unde incepi omnes indiscriminatim invitare, rogans demisse, ut acciperent, & auferrent ex meo sinu, quod

quod ipsis maximè placeret. Etiam invitavi meos quatuor Dominos Angelos, ac præsertim sanctum meum Angelum Custodem, rogando illum, ut ista acciperet, servarétque pro se. Sanctus autem meus Angelus Custos me aspexit quasi subridendo, ac dixit mihi: Serva tu illa in arca, seu archivo tuæ animæ, quia tua sunt. Atq; tú visæ mihi statim fuerùt omnes illæ divitiæ intimè pervasisse meam animam, ità ut fuerit vehementer ditata, & recreata, adeóque contenta, ut noluissem discedere ex illo sancto loco. Verùm peracto Mysterio, mei Domini sancti Angeli me reduxerunt ad meum cubiculum, & lectum, ubi me reperi.

Ex hac visione apparet, quàm sit propriũ ejus, qui est perfectâ præditus charitate, nolle extolli propter dona DEI, retinendo ea sibi soli; sed desiderare & procurare, ut ijs omnes fruantur, ac ad ipsa illos invitare, & quomodo illa idcirco non perdat, imò intimiorem eorum possessionem capiat.

Alio anno 1617. in eodem Festo, cùm essem vehementer afflicta, mihi dixerunt mei sancti quatuor Angeli: Veni Soror, & videbis aliquid ex hoc Mysterio. Subitò elevata in spiritu veni ad locum, in quo erat Christus Dominus cum suis sanctis Apostolis, aliísq; hominibus, & acsi essem aliquantùm remota, magnopere anhelabam, ut illi appropinquarem. Dominus me aspexit, dixitq; Angelis, ut me ad ipsum adducerent. Cùm essem juxta illum, inceepi flere; Divina Majestas autem imponens suam manum meo capiti, me solabatur, dicendo: Noli affligi, quia brevì pro te revertar. Tunc ipsum vidi ascendentem, modo & majestate admirabili, ut adverteretur ascendere suâ propriâ virtute, jámque illum videbam quà DEUM, jam quà Hominem, usq; dum se meo aspectui subduceret, ac tum redij ad me. Sub vesperum ejus diei mihi dixerunt Angeli: Semper hìc hæres occlusa, bonum erit, si visitaveris locum, in quo fuit Dominus, quando erat ascensurus ad cœlum. Adverti me ab illis indui veste fuscâ, instar peregrinæ, cum ijsdémq; conversando, susceptum iter sum prosequuta, non absq; molestia: Perveni ad quendam locum, ex quo Dominus ascendit cœlum, vidénsque ibi in lapide signa quasi ipsius vestigiorum, veneratá sum illa, & postquam ibidem indulsissem aliquantulùm devotioni, fui abducta. Quando verò ad me redij ex ista visione, adverti me tam fatigatam, quàm si re ipsâ iter pedibus corporaliter confecissem.

§. III.

ANno sequenti 1619. die Ascensionis manè incepit mea anima habere indicia, quæ illi Dominus solet præbere, quòd ipsi esset præstiturus aliquam extraordinariam gratiâ, & visa sibi est aliquoties quasi momentaneè esse in eo sacro loco, in quo Dominus conscendit cœlos. Ego pro meo consueto timore me conabar abstrahere, & horâ diei duodecima cum dimidia, dum agerem cum Domino, venit ad me sanctus meus Angelus Custos, atque cum sancta quadam vivacitate mihi dixit: Anima mea, quare negligis & quodammodo reformidas gratias, quas tibi Dominus vult conferre? Veni nunc mecum, volo enim te ducere ad illum sanctum locum, in quo Dominus ascendit ad cœlos. Et continuò admirabiliter ac in momento me constituit in eo sacro loco vehementer obstupescentem, & quodammodo attonitam, ut vix adverterem ubinam essem, atque sanctos, qui aderant, non nisi confusè videre. In hoc mentis excessu, conspexi Majestatem JESU Christi Domini nostri: quod me summo affecit solatio, & Dominus me statim est peramanter intuitus Divinis oculis, compellandóque me de nomine, dixit: Marina, quid hìc agis? dic, mea Anima, quis te duxerit ad hunc locum? tangénsque meum caput suâ sacrâ manu, dedit mihi suam sanctam benedictionem, atque ità cessavit ille raptus, post quem nihilominus continuavi illam claram visionẽ Christi Domini, qui supra lapidem ibi aliquantùm eminentẽ, statuit suos sacros pedes, & cum maxima majestate, stipatus infinitis Angelis, ipsi inservientibus, incepit suâ propriâ virtute, tam divinè & mirabiliter ascendere, ut mea anima summoperè obstu-

obstupuerit, defixisq; suis oculis in suum DEUM, diu fuerit ejus aspectu fruita. Subitò autem ipsam incessit ingens cupiditas comitandi suum DEUM ac Dominum, & conversa ad suum sanctum Angelum, dixit illi: Angele mi, duc me unà cum meo Domino, per temetipsum te rogo, Angele mi. Misertus mei sanctus Angelus, dixit mihi: Libenter, Anima, libenter, habeo enim à DEO facultatem id faciendi. Hoc audito, mea anima existimabat propter abitûs desiderium, quo tenebatur, sibi esse quàm celerrimè ascendendum, accinxitq; se citissimè ad ascensum. Sed sanctus Angelus ipsam detinuit, dicendo: Expecta, Anima, quò vadis? nunquid fortè velles ascendere; statimque me deduxit ad aliam partem illius montis, & ex eo loco me admirabiliter duxit ad cœlestem Jerosolymam, ubi vidi res arcanas & stupendas, nec non Majestatem Christi JESU Domini nostri, sedentis ad dexteram sui æterni Patris. Quamvis non viderim, quomodo fuerit exceptus, id námque jam fuerat peractum; vidi tamen infinitos Angelos, qui in illa cœlesti Jerosolyma, cum admirabili harmonia cantûs & instrumentorũ musicorum, benedicebant ac laudabant suum Creatorem propter gratiam, quam illis & universo generi humano præstiterat, dando ipsis suum Filium, factum Hominem pro homine; benedicebant quoque ac adorabant, & laudabant illam sacratissimam Humanitatem Verbi Divini Incarnati, atque prostrati in ejus conspectu protestabantur, illum esse suum verum DEUM, Regem ac Dominum. Cælestis illa Jerosolyma videbatur tota ardere, & conflagrare Divino igne amoris, & laudum. Attonitæ mihi ob solennitatem tantæ festivitatis, dixit sanctus Angelus: Eja, Soror, veni mecum, ducam te ad Dominum, jam enim est tempus. Duxit me ad Majestatem JESU Christi Domini Nostri, & prostravit me in ipsius conspectu, dixitque statim Dominus: Opportunè venisti Anima, quia nunc adest tempus, ut conferam magnas gratias meis creaturis. Surge, & suscipies mea dona. Surrexi, & Dominus suis proprijs sacris manibus injecit in meum sinum plurimos admirabiles ac odoriferos flores, qui erant diversarum specierum, nec non gemmas, differentes colore, pretio, ac virtute. Quando me vidi tam felicem ac ditatam illis thesauris, acceptavi illos cum magna aviditate & solatio, apprimendo mihi ipsos fortiter. Et sic celerrimè consurgens, abibam contentissima ac lætissima, absque ulla alia consideratione.

Cùm Dominus Majestatis videret meã festinationem, & inadvertentiam, dixit mihi graviter, & amanter: Quorsum ità properas, Anima? revertere huc. Quod audiens, statim redivi confusa & pudefacta, atque Dominus mihi suaviter dixit: Quorsum ibas anima? dic, age, quid cogites facere cum his thesauris, quos tibi dedi? Respondi cum verecundia, & confusione: Nescio, mi Domine, & mi DEUS. Quod tu vis, quódque tuæ sanctæ voluntati fuerit consentaneum, id ego totum volo facere, & nihil aliud. Ecce (ajebat Dominus) isti thesauri, quos tibi dedi, & suscepisti ex mea manu, deponendi tibi sunt in mea Ecclesia, atq; hoc te oportet facere per tuum sanctum Angelum: quo dicto mihi est impertitus suam sanctam benedictionem. Sanctus autem meus Angelus Custos me duxit ex eo loco ad meum angellum, dixitque mihi: Quiesce modò Anima, meum erit respondere, juxta præceptum Domini, pro deposito ipsius thesaurorum.

Alio Festo Ascensionis manè 1614. vidi aperiri cœlos, & dixit mihi Dominus: Vide, quid fiat in illa cœlesti Jerosolyma, & quomodo illic vivant animæ. Subitò ipsũ vidi ascendentem ad cœlum, comitantibus illum millionibus angelorũ, & ego sum sequuta Divinam Majestatem, immiscuique me illis cœlestibus spiritibus, donec accessissem ad pedes Christi Domini, quibus me affixi; & cùm me indè vellent suaviter repellere, ego nolebam abire, quoadusque dixit Dominus: Relinquite ipsam, quia descendam, quando peragetur Consecratio in Sacrificio Missæ, quæ dicitur (hoc autem accidit dum inchoaretur) ac tum ipsa quoque descendet. Tempore igitur Consecrationis Dominus descendit, atque tunc

tunc descendi cum ipso & ego. Dum autem conquererer, eò quòd ducerer deorsum, dixit mihi Dominus: Quid vis? nónne me hìc habes? & manifestavit mihi modum, quo existit in sanctissimo Sacramento Altaris.

§. IV.

IN sequentibus visionibus Dominus ostendit, quanto prosequeretur amore hanc suam Famulam; ipsa verò vicissim, quantùm suos amaret proximos, sic verò ait: Dum aliquando manè (die 27. Maji, anno 1620.) agerem cum DEO in vigilia Ascensionis, sensi affectum lætitiæ & consolationis ex eo, quod nobis hoc Festo repræsentat sancta Mater Ecclesia, de Christi Domini Nostri Ascensione ad cœlos, in qua complevit omne nostrum bonum, ac remedium; aliunde verò retardabat hunc affectum memoria solitudinis, in qua esset relinquenda Beatissima Virgo, Domina Nostra, & sancti Apostoli, propter absentiam sui DEI ac Magistri, & quasi id etiam me concerneret, dixi ad Dominum dolens: Domine mi, & DEUS mi, ergòne denique abis, & relinquis me solam? Dominus verò qui aderat, respondit cum summa charitate: Non abeo à te, Anima, quia etsi tibi videar à te discedere, manebo tamen tecum, & tu manebis in me, atque si abivero, tuo modo intelligendi, mittam tibi spiritum sanctum, qui te replebit bonis ac thesauris. Audivi dicta mihi à Domino, cum magna confusione & verecundia, ac respondi: DEUS mi, & Domine mi, infinitæ sunt misericordiæ, quas à tua Divina bonitate suscepi, sed tanquam miserabilis creatura, ac vas testaceum malè excoctum, omnia effudi, & nihil inde profeci, ideóque mi Domine, timeo me ipsam, nè sim, quæ semper fui. Respondit Dominus: Anima, divitias, quas ego tibi dedi, ac donavi, habes, neque perdidisti, sicut tibi videtur, & dicis: ego enim meâ manu illas tibi contuli, dedique auxilia, & præsidia pro conservandis his bonis ac thesauris, quos tibi do, ut sit difficillimum illos perdere. Quod verum esse, clarè videbis die tui particularis judicij, ubi hæc omnia, cum incremento, & absque diminutione, comparebunt in meo conspectu, ac in præsentia tuorum sanctorum Angelorum. Postquam hoc cum ingenti confusione audivissem, dixit Dominus: Vale nunc Anima.

Postridie, ipso Festo Ascensionis manè mihi loquuta est Divina Majestas, dixitq; amanter: Quid agis, Anima? jámne affluit solatio tuus affectus? scias velim, quòd tibi sim præstiturus novam gratiam, antequam abeam, quemadmodum tu dicis, quæ est, ut te prius invitem ad convivium, mecúmque comedas ad meam mensam, ex meo Divino pane. Audivi, quod mihi à Domino erat dictum, & admirata sum ipsius bonitatem, obtulitque se statim meæ memoriæ magna molestia & afflictio, quâ patiebatur quædam persona, & tentationes ac pericula salutis, quæ fortè esset incursura, nisi illam Dominus specialiter adjuvaret; ideóque dixi Divinæ Majestati: Domine mi, & DEUS mi, cùm mihi velis exhibere hanc misericordiam, de qua loqueris, ex mera tua bonitate, obsecro te, præsta mihi & istam, ut convivij, quod mihi vis instruere, unà sit particeps hæc persona afflicta, & in necessitate constituta. Audivit Dominus, quod illi dixi: visa verò est ejusdem Majestas id dissimulavisse, neque mihi respondit. Quod ego advertens, iteratò idem petivi à Domino, & majore affectu. Adhuc tamen tacebat Dominus, quasi quoad id sentiret difficultatem, vel illam præseferret. Rursum tertiò idem à Domino postulavi, longè vehementiore affectu denuò supplicando, ut per viscera suæ clementiæ & misericordiæ mihi faceret eam gratiam, & misereretur illius creaturæ. Tum Dominus videns meam pertinacem importunitatem, dixit: Volo tibi præstare hunc favorem & gratiâ, quam à me tam seriò petis, ac tanta cum charitate. Cùm enim David adhibuerit suæ mensæ claudum, eò quòd esset filius sui magni amici Jonathæ, æquum est, ut ego idem suo modo faciam, propter animam, quam amo. Maximo solatio affecit meam animam præstita mihi à Domino gratia, quam ab eo postula veram, unáque

que etiam ipsam replevit summo pudore, verecundiâ & confusione, idque meritò, propterea quòd Dominus dixerit, se illam mihi præstare, egíque illi magnas gratias pro omnibus, quamvis non quantas debebam. Interea diabolus comparuit coram Domino vehementer iratus & furens, dicens Divinæ Majestati, quomodo & quare facturus esset, ac faceret rem hujusmodi, permittendo accedere ad suam Divinam mensam tantum peccatorem, quantus esset ille homo, & tam perversum? non oportere id fieri, ideóque nè id ullâ ratione Divina Majestas faceret. Videns Magnus Dominus Noster ac DEUS audaciam ac temeritatem diaboli, cum maxima majestate & modo terribili ei dixit: Apage, nefarie proditor, túne audes & præsumis cõparere coram me, cùm tu sis causa tantorum malorum? apage abominabilis mendax, ac deceptor. Animadvertens diabolus vocem Domini, verborúmque ipsius majestatem, incepit tremere, & cum ingenti metu ac timore evanuit. Ego verò hærebam attonita, & admirabunda, quòd viderem talia.

§. V.

PAulò pòst vidi meos Dominos Angelos, diligenter parantes mensam tripedaneam, compactam ex tabulis aureis purissimis, quales esse solent abaci elegantiores: cooperuerunt illam pretioso velo, & subitò vidi venientem cum maxima majestate, stipatum multis sanctis Angelis, Christum Dominũ, qui accedens ad mensam, ei assedit in sella. Erant ibi etiam aliæ minùs conspicuæ, sella enim Christi Domini fuit spectabilissima. In his ad dexteram Domini, jubente ejusdem Majestate, consederunt quidam Sancti, qui, meâ opinione, erant Apostoli; ac deinde conjecit Dominus oculos in me; adduxerant enim me illuc mei Domini Angeli, dixítq; Dominus: Accede, mea Creatura, ac assíde meæ mensæ, comedésque ex meis cibis, quemadmodum tibi promisi. Audiens mea anima id dici à suo DEO, valde fuit confusa & pudefacta. Sed Dominus iterum dixit: Assíde nunc meæ mensæ, Anima mea, sicut tibi dixi; præcepitque illis sanctis Angelis, qui erant mecum, ut me eò adducerent. Assedi, sicut jussa fueram à Domino, cum maxima verecundia & confusione, ac tum sancti Angeli posuerunt in illa mensa coram Domino grandé pelvim, quæ videbatur esse ex purissima crystallo, plenam parvulis tortis candidissimi & bene pisti panis. Dominus conjunxit manus, & elevavit suos sacratissimos oculos ad cœlum, dedítque suam sanctam benedictionem illi pani, deinde Divina ejusdem Majestas accepit unam ex illis tortis, posuítque ante me, quia ego sedebam è regione Domini, & dixit: Accipe, Anima, comede hunc Divinum cibum, quem tibi meâ manu porrigo: erit tibi solatio, & multùm proderit. Cùm id audirem dici à Domino, inclinavi me, & cum magna reverentia admovi meum os illi tortulæ, ut ipsam exoscularer, ac venerarer. Quando verò elevavi caput, jam non aderat, sed intimè pervaserat meam animam, quæ experiebatur speciales affectus, & solatium in suo DEO. Postea Dominus distribuebat ijs Sanctis Panem illum Divinum, quem ubi quibusdã eorundem Sanctorum porrexisset, vidi duos Angelos celeriter venientes ac adducentes illam personam, constitutã in necessitate, pro quâ ego Dominum oraveram, ut eam admitteret ad mensam; postquam autem fuisset adducta, stareté; ad finem illius mensæ, ac tremeret, ij, quibus Dominus distribuebat Divinum Panem, ponentes quàm amantissimè manum super ipsius humeros, ut accederet, imposuerunt ejus ori, Domino volente, unam illarum Divinarum tortarum, quam non ampliùs vidi. Deinde ubi se prostravisset humi, reduxerunt ipsam sancti Angeli, & Dominus cessavit distribuere illum sacrum Panem ijs Sanctis, atque subitò fuit finitum illud mysticum convivium, & Dominus Majestatis, datâ nobis omnibus suâ benedictione, surrexit à mensa, ac abivit cum omnibus illis sanctis Angelis, & cum ea magna majestate, quâ venerat. Nihil dubitò, quin ea persona afflicta, in eo loco, in quo erat, senserit fructum illius refectionis,

onis, dederitque ipsi Dominus novas vires, & robur spirituale, pro tolerandis suis afflictionibus.

§. VI.

POst tres abhinc horas, dum agerem cum DEO, sensit mea anima præsentiam Christi Domini, quem ego non vidi, sed videntes ipsum mei Domini Angeli, mihi dixerunt: Veni huc anima, ducemus te eò, quò abit Dominus. Tunc Divina Majestas dixit: Relinquite illam, & non urgete, quia necdum advenit hora. Reliquerunt me, & Dominus abivit, horâ verò duodecimâ meridianâ mei Domini Angeli mihi dixerunt: Soror, eamus eò, ubi est Dominus Majestatis; & statim me duxerunt ad illum locum, qui erat mons magnus, & pulcherrimus. Pervenit mea anima cum ingenti gaudio & solatio ad suũ DEUM, atque cum illo magno dolore, quo discruciabatur, eò quòd ipsi videretur abire, & illam deserere, accedebat quàm vicinissimè ad Divinam Majestatem, dicebátque dolens & illachrymans: Noli abire, mi DEUS, & Delicium meum, noli abire, neque me relinque solam, duc me tecum: id quod sæpiùs iterabat non absq; speciali affectu. Permisit me Dominus ad se accedere, ac dando quasi manu signum, dixit: Anima, veni mecum; junctisque suis sacris manibus, & elevatis oculis ad cœlum, incepit ascendere suâ propriâ virtute, comitantibus ipsum infinitis Angelis, qui illum laudabant ac benedicebant. Ducebat autem Divina Majestas pauperculam meam animam adhærentem suo lateri, & juxta se. Hunc in modum ascendit Dominus cum maxima Majestate ex terra ad cœlum, & penetravit omnes cœlos, donec perveniret ad dexteram Æterni Patris. Fuit res admirabilissima, videre modum mysticum plenum mysterijs, quo ille Divinus Dominus fuit susceptus à suo sacratissimo Patre, qui ipsum est amplexatus cum summo amore, dicendo: Hic est Filius meus dilectissimus, in quo mihi complacui, & complaceo. Atque tota Beatissima Trinitas est summè exhilarata & recreata propter illum Dominum DEUM, & Hominem verum, videns sacratissimam illam Humanitatem collocatam in cœlo. Omnes Hierarchiæ Angelorũ cœlestis Jerosolymæ, cum canticis & instrumentis musicis laudabant, ac benedicebant illum Dominum, eúmque adorabant, & prostrati ad ejusdem pedes confitebantur ipsum suum DEUM ac Dominum, deponebántque suas coronas ad illius sacros pedes. Videbatur ea cœlestis Civitas ardere & conflagrare amore Divino, ac laudibus sui DEI; apparebant quoque copiosè in illa sacrosancta Civitate pluentes pretiosi lapides, qui erant infiniti valoris, atque etiam Angeli DEI spargebant per pavimentũ hujus cœli abundanter illos pretiosos thesauros, cum ingenti lætitia & magnanimitate. Quando mea anima spectabat ejusmodi mysteria, videbatur sibi ipsi eripi, eò quòd ebria esset eo Domino, atq; ab illius amplitudine absorpta, & summè appetebat infinita illa bona, quæ agnoscebat in ea specie pretiosorum lapidum, ac magnorum thesaurorũ. Colligebat quàm celerrimè, quod Dominus majestatis profundebat, ac dispergebant ipsius sancti Angeli, donec penitus repleret totum suum sinum, & pallium, videretúrque sibi esse adeò onerata, ut se non posset movere: nec animadvertebat ad aliud, quàm ut cum illa aviditate colligeret, quod ei DEUS ipsius offerebat. Postquam se vidisset locupletatam illis divitijs, aspiciebat quàm attentissimè & solicitissimè, ubi essent ipsius sancti Angeli, ut illam quàm citissimè reducerent domum, quasi timeret nè aliquis veniret, qui ei eriperet & auferret thesauros, quos ipsa solicitè & operosè collegerat, ac nè ijs spoliata depauperaretur. Videntes mei Domini Angeli innocentem affectum meæ animæ, permittente id Domino, ut eâ ratione mea anima posset faciliùs redire ad suum exilium, eò quòd alioquin iste reditus ipsi videretur allaturus magnam desolationem & afflictionem, venerunt & duxerunt me, atque collocaverunt in meo angulo, ubi me reliquerunt in magnâ ecstasi.

§. VII.

TAndem septem diebus ante Ascensionē anni sequentis (14. Maji anni 1625. ipsam Dominus elevavit ad continuam spiritûs cum suâ Divinitate unionem internā, quin tamen propterea hîc in terra intermitteret, more consueto, conversationem cum hominibus, hunc in modum: Dum, *inquit*, quadam feriâ sextâ ante Ascensionem agerem cum DEO, vidi Verbum Incarnatum in specie parvi, elegantissimi & splendidissimi Infantis, circumdati undequaq; prorsus aureis radijs lucis ac splendoris, ut appareret instar Divini Solis. Erat hic Dominus circumdatus ab infinitis Angelis, qui ipsi inserviebant, & illum adorabant. Incepi admirari ac turbari, & extimui: Dominus autem cœpit evibrare quasdam quasi scintillas, & coruscare, atque paulatim appropinquabat mihi, donec perveniens ad meum pectus in me illaberetur. Adeò verò validè occupavit meam animā, eamque secum univit, ac intimè introduxit in illos splendidos radios, & intrà se ipsum, ut videretur egredi è meo corpore. Tanta fuit vehementia illius unionis. Dū ita aliquamdiu essem constituta, idem Dominus admirabiliter paulatim & suaviter, ducens meam secum animam, cum comitatu omnium illorum Beatorum Spirituū, pervenit ad conspectum sui Æterni Patris, qui ipsum est amplexatus quàm amantissimè; deinde accessit hoc Divinum Verbū ad sacratissimam Personam Spiritus sancti, qui idem fecit, atque tota Beatissima Trinitas mihi dixit (jam enim non ampliùs videbam mysterium Divini Verbi Incarnati) Bene veneris, Anima, in me, non absq; mysterio, & in mea Divina Essentia his septem diebus manebis, donec prætereat dies Ascensionis, & tuum corpus nihil retinebit ampliùs, quàm quod sufficiat, ut hoc tempore possis loqui & operari, juvabitur autem ex mea Divina dispositione ab Angelo tuo Custode: aliàs enim nihil posset agere. Mansit mea anima hoc modo conjuncta cum suo DEO, & defixa in illa Divina facie; meum verò corpus eâ ratione, quâ dixit Dominus, quasi exanime ac destitutum viribus naturalibus, ut cum magna difficultate possem loqui, vel aliquid agere, præbente mihi semper, quando erat necessarium, sancto meo Angelo Custode auxilium, sicut mihi pollicitus erat Dominus. Ità perseveravi usquè ad vesperum Festi Ascensionis, quo tempore me voluit Dominus probare, præseferendo, quòd me vellet relinquere, ac dimittere ex ea unione, descendendo cum mea anima usque eò, ubi erat meum corpusculum, quin id ipsa quasi adverteret. Ibi mihi dixit Dominus: Anima, vale; jam enim satis diu apud me es commorata. Tunc mea anima, quodammodo expergiscens ex somno, territa dixit suo DEO: Quid est hoc, mi DEUS? ergòne sic vis facere? addidique amanter: Vellesne me fallere? dies quem mihi promisisti, necdum præterijt. Respondit Divina Majestas pro suo amore & charitate: Bene dixisti, Anima, bene causam tuam egisti, volo stare meis promissis, quæ non possum non servare: iterumq; Dominus permisit meam animam manere in se ipso, & in eo statu, in quo fuerat, donec sequenti feriâ sextâ, dum agerem cum DEO, Verbum illud Incarnatum, & Sol Justitiæ, eodem modo, quo venerat, quando me secum duxit, mihi meam animam suaviter ac divinè restituit, existenti in ecstasi, ex qua reversa me reperi præditam vigore & viribus ordinarijs; sed animam meam deprehendi valde esse ditatam bonis cœlestibus, & ardentem instar ignis comburentis, adeò ut ex illa derivaretur in meum miserabile corpus vehemens ignis & ardor, qui me non sinebat quiescere, nova in dies concipientem desideria salutis animarum: hunc enim affectum mihi Dominus communicavit in illa unione.

Modus quo superior pars animæ degit in cœlo, & inferior in corpore, explicabitur in alijs similibus visionibus: hæc enim mysteria peraguntur absque separatione animæ à corpore.

CAPUT

CAPUT XX.

Quomodo ipsi Dominus exhibuerit spectandas omnes stationes suæ Passionis, usque ad Ascensionem in cœlos, & quandam pompam celebratam in honorem suorum vulnerum, instar triumphi, donec ad dexteram Patris consideret.

§. I.

DUm graviter ægrotarem in Majo anni 1618. invasit me desiderium obeundi, si possem, stationes mysteriorum Passionis, quæ evenerunt, quando Christus Dominus bajulavit suam crucem. Mei Domini Angeli mihi dixerunt: si vis, Soror, obire has stationes, nos te ducemus. Respondi: me nolle aliud, quàm quod vellet DEUS. Post aliquot deinde horas dixerunt: Veni, Soror, nobiscum; abreptámque me in spiritu duxerunt quasi valde procul, & constituerunt ad portam cujusdam magni palatij, unde excurrebat via lata & longa, quæ usque ad medietatem veluti modicè declinabat deorsum, inde verò ulteriùs quasi ascédebat sursum. Dum essem in atrio, dixerunt mihi Angeli: Iste est locus, in quo Dominus imposuit crucem humeris, iturus ad montem Calvariæ. Statim me prostravi, & Angeli, aliique ibidem præsentes flexerunt genua: ego verò cum lachrymis, & tenerrimis affectibus dicebam: Adoro te, benedicta terra, ubi meus Dominus JESUS Christus fixit pedes, séque oneravit cruce, & alia hujusmodi verba. Deinde me duxerunt per illam viam, & post certum spatium dixerunt: Hîc Dominus procidit in genua cum cruce. Prostravi me cum lachrymis & affectibus, dissuaviando illam terram, sicut priùs. Post aliud intervallum dixerunt: Hîc prodijt illa pia mulier, quæ ipsi obtulit linteum, pro abstergendo sudore sui vultûs. Post aliud intervallum inquiebant: Hîc Dominus vehementer fuit afflictus, & deficiebat ità, ut, si ipsum non juvisset Divinitas, non potuisset ulteriùs progredi. Subitò procubui, quemadmodum omnibus reliquis vicibus, fuique teneriùs commota. Exinde post aliud ingens spatium ajebant: Hîc illum exuerunt vestibus cum magna furia, & extenderunt in terra supra crucem, in eáque clavis confixerunt; ubi similiter me prostravi vehementer dolendo, & plorando. Non longè verò indè dixerunt: Hîc elevaverunt crucem. In isto loco mansi prostrata, petens à Domino quasdam gratias, & specialiter id, quod tunc magnopere desiderabã; erat autem, *ut declararetur mysterium purissimæ Conceptionis Dominæ Nostræ.*

Peractis his septem stationibus, me reducebant Angeli per quandam suavissimã & amœnissimam viam; quod me sublevavit à præterita molestia, cùmque per illam progrederer, vocavit me Dominus dicendo: Marina. Respondi: Domine. Et vidi illum clarissimè, ibámque, ut me prosternerem ad ejus pedes, dixit autem mihi: Subsiste, cùm spectaveris meas angustias, volo ut spectes quoque meam gloriam. Hoc dicto se elevavit in altum, & circumdatus pulchrâ nube, incepit se transfigurare, & comparere pulcherrimus, ac millecuplo splendidior Sole: deinde cœpit ascendere ad cœlum, & advertebam ipsum ascendere suâ propriâ virtute, ideóque clamabam, nè me hîc relinqueret, sed duceret secum. Tum me Angeli duxerunt ad cœlum, ubi conspexi inservientes Christo Domino milliones Angelorum, cum summo honore & gloria, ac deinde vidi, quomodo adiverit Æternũ Patrem, qui ipsum suscepit cum extraordinario amore, & collocavit ad dexteram suam, deditque illi sceptrum, quod repræsentabat potestatem uni-

universalem super omnes creaturas. Videbam id cum magno solatio, usque dum redirem ex raptu.

§. II.

QVodam die Hebdomadæ sanctæ, anno 1613. audivi Divinissimam musicam, quæ resonabat in meis auribus cum magna suavitate, & consolatione. Vehementer fui attonita, quòd Sacrâ Hebdomadâ, dum sancta Ecclesia est occupata decantandâ adeò dolenter Passione Divini Agni, mortui in cruce pro salute mundi; tam suavis esset in cœlo musica, quamvis illa, quam audiebam, fuerit simul lugubris. Applicui me ad eam aliquamdiu auscultandam quàm attentissimè, & vidi pulcherrimum magnæque majestatis Angelũ, sedentem in throno, tenentem instrumentum musicum, quo adhibito canebat suavissimè, alij verò multi Angeli ibidem adstantes, ipsi divinè respondebant: atque dum illos auscultarem, vidi se moventes plurimos Beatos Spiritus illius cœlestis Jerosolymæ, qui ordine procedentes, instar bene dispositæ & solennissimæ supplicationis, inceperunt quasi obire in gyrum illã cœlestem civitatem cum canticis & instrumentis musicis, quæ suavissimè resonabant intermixtâ lamentatione, & luctuoso affectu.

Dum meliùs aspicerem, vidi apud portam ampli cujusdam & elegantis castelli, quod erat magnæ majestatis, stantẽ Christum Dominum ad dexteram Æterni sui Patris, indutum vestitu Regio, elegantissimo & pretiosissimo, cujus color significabat gaudium & lætitiam mixtam tristi affectui, dolori & afflictioni. In suo capite habebat coronam regiam speciosissimam ac divinam, inque sacris ipsius pedibus & manibus, ac latere, apparebant manifestè signa vulnerum pulcherrima & splendidissima. Videndo omnia ista mirabilia, concepi interdum desiderium intelligendi hęc tam admiranda mysteria, quæ peragebantur in eâ Civitate DEI, & conversa ad quosdam sanctos Angelos, qui ibi aderant, interrogavi illos, ac petivi quàm reverentissimè, ut mihi dicerent in nomine DEI, qualenam esset Festum illud adeò solemne, in quo cantarentur hymni, & jucundæ laudes, unà cum mæstis lamentationibus. Illi mihi dixerunt: Soror nostra, noveris celebrari Festum in hac cœlesti Jerosolyma, uti vidisti, in honorem sacratissimorum vulnerum Christi JESU Domini nostri, illius Divini Agni, qui tollit peccata mundi, illius humilis & amantissimi Domini, qui non aperuit os suum coram ijs, qui maledicebant, accusabant, & malè tractabant illum Dominum ac Regem nostrum, qui pendens in Cruce inter latrones, oravit Æternum Patrem pro suis crucifixoribus; illum, qui propterea quòd sit Filius DEI vivi, æqualis suo Patri, & propter sua altissima merita fuit constitutus Rex gentium, & Dominus omnium creaturarum. Istud est, Soror, Festum, quod ex mandato Æterni Patris peragitur hodie in hac Aula cœlesti, quemadmodum vidisti. Hoc audito cum ingenti meo solatio, denuò defixi oculos, ut anteà feceram, in Majestate Christi JESU Domini nostri, & vidi ipsum admirabiliter, jussu Patris sui, post acceptam ipsius benedictionem, consedisse in quodam augusto throno, referente speciem currus triumphalis, magnæ majestatis, ac magnificentiæ. Is incipiebat moveri, & videbatur trahi à quatuor sanctis candidissimis ac purissimis animalibus, quibus immixti unà ibant multi Angeli DEI. Atque licèt hæc sancta animalia moverint ac traxerint mysticum currum, quo vehebatur magnus ille Rex gentium, regebat illum tamen idem Rex Majestatis, suis illum premens pedibus, & movebant ipsum ac trahebant virtute ab eo acceptâ. Hunc in modum processit iste Dominus, comitantibus ipsum ritu supplicantium, laudantibusque illum, & inservientibus ei omnibus illis spiritibus beatis, ac Palatinis cœlestibus, donec reverteretur ad locum, in quo priùs fuerat ad dexteram sui Æterni Patris. Inspiravit mihi Dominus aliud internum desiderium, rescendi, qualia essent ea sancta animalia, quæ trahebant illum currum, seu throni, & subitò mihi fuit dictum per lumen & com-

communicationem Divinam: Hæc sancta & mystica animalia, quæ vidisti, sunt quatuor sancti Evangelistæ, qui describendo, assistente ipsis virtute Spiritus sancti, Passionem & mortem Divini Agni, promeruerunt tantum honorem, támque sublimem dignitatem, ut ipse DEI Filius per illos vellet manifestari populis, útque illi essent calamus & linguæ ipsius Mysteriorú ac Magnalium, propter quæ adoraretur, honoraretur, crederetur & coleretur ab omnibus fidelibus, qui sunt, & erunt in mundo, ut sic videantur Regem Majestatis ferre in suis humeris, quo manifestetur, & agnoscatur à populis: Verùmtamen idem Rex est author, & prima ac principalis causa hujus illuminationis & agnitionis, quam habet mundus. Intellectis his admirandis mysterijs, fui repleta stupore ac solatio, mihique quodammodo erepta, & quando redij, gratias egi DEO pro omnibus ipsius operibus ac miserationibus.

CAPVT XXI.

De adventu Sancti Spiritûs super Apostolos, deque ejus Æterna Procesione, ac de eximijs bonis, quæ communicat justis, & communicavit illi, de novo ipsam suscipiendo in suam.

IN Festis Pentecostalibus, quibus celebratur Adventus Spiritûs Sancti super Apostolos, præstitit illi idem Divinus Spiritus speciales gratias, revelando ipsi unà mysterium Trinitatis, sine quo ille non potuit integrè cognosci.

§. I.

HOc die, *inquit*, intellexi, etiam in cœlesti Jerosolyma agi maximum festum singulari lætitiâ, propterea quòd Spiritus sanctus se communicaverit tanta cum gratiæ abundantia Apostolis, & exinde omnibus fidelibus, qui se disponunt ad suscipienda ipsius munera, dum se illis donat, cum adeò immensa charitate, & ardenti amore. Vidi ab hac Divina Persona, & ab ipsius infinita virtute, prodeuntes ac descendentes quosdam Divinos radios, qui accendebant, inflammabant, & clarificabant animas, iisque conferebant vitam gratiæ, quod advertens dicebam ad DEUM: Mi Domine, & Dilecte animæ meæ, ego vellem, essetque summum meum solatium, ut multa essent festa hujus tui sanctissimi Spiritus. Divina verò Majestas mihi respondit: sunt utiq; multa, quia semper descendit, & existit iste sanctus meus Spiritus in animabus, in quibus habitat per gratiam, ac proinde pro illis semper est festum sancti Spiritus.

Modum, quo id fiat, mihi manifestavit Dominus quadam die horum festorum, anno 1614. Vidi quomodo aperti fuerint cœli, descenderintque milleni Angeli, ac Majestas DEI Domini nostri in pulcherrimo throno, qui appropinquando terræ, quasi concutiens suas alas, emittebat ex se, instar grandinis, innumerabilem copiam & varietatem pretiosorum lapidum, significantium gratias ac dona, quæ communicat justis. Apprehenderunt me Angeli, & collocaverunt ibi subtus, ut colligerem aliqua ex illis pretiosis cimelijs, & quia tunc recordabar meorum benefactorum, ac aliorum in gravibus constitutorum necessitatibus, qui se mihi commendaverant, dicebam cum magno fervore ad DEUM: *Ibi*, Domine, *ibi*; designatis locis, in quibus intelligebam morari tales personas, & speciatim unam, quæ se exhibebat valde rebellem Divinæ inspirationi. Dicebam autem tam instanter: *ibi*, *ibi*, ut Angelus meus Custos dixerit: Paulatim, Soror, attende, quid dicas. Sed Dominus illi dixit:

xit: Relinque ipsam, hoc enim proderit. Non intellexi bene, profuturúmne id esset mihi, an alteri personæ, pro qua orabam, an verò mihi simul & illi; advertebam tamen alibi cadere copiosam cœlestem grandinem, alibi verò non ità; quod factum fuerit juxta dispositionem eorum, qui ipsâ suscipiebant, & secundùm misericordiam, quam illis Dominus volebat exhibere.

Aliàs vidi Personam Spiritûs sancti in specie inaurati radij lucis, pleni linguis, cum tanta magnificentia, potentia & bonitate, ut nullus intellectus vel lingua id possit intelligere, ac declarare. Significabat hac ratione radios luc's, ignis & amoris, quem Spiritus sanctus infundit cordibus justorum, ut loquantur quasi linguis igneis ipsius magnalia.

§. II.

ALio anno, die octavâ Junij 1615. quæ erat ejusdem solennitatis, agens cum Domino, vidi ac adverti sub quodam pretioso velo, simili ijs, quæ ponuntur super calicem, divinam quandam Columbam, candidiorem nive, totam refertam ac plenam pretiosis, valdéque, instar solarium radiorum, resplendentibus lapidibus. Intellexi esse Personam Spiritûs sancti, qui me in illa specie Columbæ dignabatur visitare. Incepit subitò suavissimè, blandissimèque concutere suas pretiosas alas, & ejicere ac spargere quàm copiosissimè illos divinos thesauros ac gemmas supra meam animam, unde me sensi plurimùm ditatam, ac adornatam, & vehementer unitam Divinæ Majestati, atq; accensam, ac inflammatam Divino ipsius amore. Post duas circiter horas fui ducta à meis Dominis Angelis ad quendam veluti hortum jucundissimum & floridissimum, qui propter suam pulchritudinem & abundantiam suaveolentium florum, & fontium, videbatur esse Paradisus. In medio hujus Paradisi erat mensa, & ad ejus caput thronus Regius, ubi sedebat Majestas nostri DEI ac Domini Trini & Unius. Fui collocata ad inferiorem illius mensæ partem, è regione Domini, ubi mea anima est ditata & repleta mille bonis cœlestibus; datum etiâ mihi fuit speciale lumen & cognitio mysterij sanctissimæ Trinitatis, vidique clarissimè, quomodo, cùm DEUS noster sit unus DEUS, ac Dominus, una Essentia, ac Divinitas, sit nihilominus trinus in Personis. Præstitit quoque mihi aliam extraordinariam gratiam, præbendo mihi degustandum illum Divinum cibum, quo pascit animas, & de quo DEUS loquitur dicens, se cœnaturum cum anima, & ipsam cœnaturam cum illo. Qualis fuerit hæc esca; & ista Divina refectio, solus potest exponere Dominus, qui illam præbet, ac præparat conformiter suæ infinitæ magnificentiæ, & amori, Divinæque Sapientiæ. Erat quasi Divinum manna, habens in se omnem suavitatem, gloriam, solatium, divitias, ac thesaurum absconditum, & reliqua bona, quæ obtinentur in cruce, atq; dum pro DEO tolerantur afflictiones, ut proinde contineret omnem saporem, longè meliùs, quàm illud manna filiorum Israël. Similiter alio Divino modo communicavit Dominus meæ animæ, mihique dedit delibandas illas Divinas delicias, quas se dicit habere cum Filijs hominum, conditas afflictione crucis, quæ etsi videatur esse sal insipidus, & mordax, tamen reposita in manu DEI, reddit jucundiorem & sapidiorem cibum, ac delitias, quas Divina Majestas sibi ait esse cum ipsis.

Alijs Festis Pentecostalibus conspexi eundem Divinum Spiritum in specie Columbæ, ut soleo, atque dum concuteret suas alas, decidentia ex ipso in primis multa quasi grana margaritarum, ac deinde alia majora, instar pretiosorum lapidum. Cucurri quàm velocissimè, ut me ponerem sub Columba, utque me contingerent illi pretiosissimi lapides, quorum multi ceciderunt supra meum caput, & complures alij ad terram. Desiderabam ipsos colligere, nè res adeò pretiosa perderetur, cùmque me ad id accingerem, dixerunt mihi Angeli: Relinque illos, non enim sunt pro te, sed pro alijs. *Nimirum propter communionem, quæ est in Ecclesia Sanctorum, dum alij justi fiunt participes operum, quæ peruguntur ab alijs.*

§. III.

§. III.

ALio die Pentecostes, in Junio anni 1620. postquam mihi Dominus promisisset in festo suæ Ascensionis, quòd esset missurus Spiritum sanctum, qui me cõsolaretur, ac ditaret, dum agerem cum Divina Majestate horâ sextâ matutinâ, vidi mysticè nonnullos sanctos Angelos, quasi impedimentis amotis adaptantes quoddam palatium, amplitudine par civitati, idemque postea adornantes multis & magnis thesauris, quo quidem modo rem peragebant usque adeò mirandam, ut illud palatium videretur esse terrestris paradisus. Deinde in ejus medio vidi comparentem Divinum quendam Solem splendidissimum & clarissimum, cujus radij coruscabant instar purissimi auri, & vehementis ignis. Intrà circulum hujus Solis comparebat quædam species candidissimæ & purissimæ Columbæ, quam cooperiebat tenuis nebula, quæ tametsi esset lucidissima, mihi propè Columbæ illius eripiebat aspectum. Discernebam verò clarissimè, atq; cognoscebam in eo Divino Sole, & in illa specie Columbæ, quandam infinitam majestatem, & immensam magnitudinem, ac DEUM, & Divinam Personam Spiritus sancti, adeò ut exigua capacitas animæ non posset complecti, seu comprehendere tantam magnitudinem, & majestatem. Assistebant eidem magno Domino, & serviebant in illo paradiso plurimi sancti Angeli. Dum mea anima spectaret tantum mysterium, incepit quasi turbari, ac metuere, & se ab eo spectaculo avertere, ideóque confugit ad DEUM, more solito, petendo ab eo Divinum ipsius lumen, ad cognoscendas & intelligendas illas veritates, utque id faceret ardentius, abstrahendo se à mysterio, cœpit recitare suo DEO quàm attentissimè totam Dominicam orationẽ: sed quidquid ageret, non poterat oculos penitus cohibere à videndo illo Sole, siquidem ipsam DEUS ad eam visionem diu impellebat, ac tandem idem magnus Dominus illam disposuit, adeóque urfit, ut jam non potuerit non videre & agnoscere dictum Solem, ac intelligere illam immensitatem magnitudinis & majestatis, fueritque interim absorpta, & abrepta ab ea Divina visione. Subitò incepit ille magnus Dominus in ea specie Solis extendere suos Divinos radios, qui videbantur incendere universum mundum: quasdam tamen provincias, regiones, & personas ijs non contingebat, à quibus illos videbatur retrahere, alias verò provincias, regiones, & personas irradiabat, & imprimebat ipsis suam virtutem. Deinde se Divina Majestas cœpit movere quasi ex uno loco ad alium cum summa gravitate, & videbatur paulatim mihi appropinquare; unde ego incipiebam turbari, & vehementer timere, ideóque circumspiciebam, petendo à meis sanctis Angelis gratiam, opem, & subsidium in ea occasione, quia Dominus jam quàm proximè ad me accedebat. Sancti Angeli cum magna charitate videntes meum timorem, & imbecillitatem, ad me venerunt; sed Dominus potenti quadam vi rapuit meam animam, intimeque secum univit, ità ut tam illa, quàm miserabile ipsius corpus, cum magno sensu ac dolore, orto ex eà vehementia, eruperit in notabiles gemitus, invenerit que se correptam ab illo Divino igne, instar ferri, quod prodit ex ustrina totum ignitum, participato calore ac virtute ignis. Dum ità esset suo DEO unita mea anima, Divinus ille Dominus se elevavit, ducens que me secum eo modo, quo dixi, ascendit cum maxima majestate, & cum toto illo comitatu Angelorum ad cœlos, & ibi, postquam nostro modo loquendi convenit duas Divinas Personas Patris & Filij, præsentavit illis meam animam, quam in se ipso adferebat. Erat verò in ea unione res notabilis, videre admirandum modum, quo ille Divinus Dominus, Trinus in Personis, & unus in Essentia suscepit animam: Duæ Divinæ Personæ Patris & Filij illam exceperunt suis Divinis manibus, singulæ seorsim, deinde magno affectu, defixis in ipsa amanter oculis, dixerunt omnes tres Personæ, loquẽtes tanquam unus DEUS: Anima mea, in me manes, atque ego maneo in te; & jam non vives tibi, sed in me, semperque poteris dicere cum Paulo: Vivo autẽ jam

non

non ego, vivit verò in me Christus. Et replens meam animam summis bonis, quæ ipsa sensit, ter mihi suam sanctam dedit benedictionem. Fui admirabiliter reposita in manibus sex Angelorum, qui me susceperunt cum magna lætitia, & gratiarum actione, atque Dominus illis mandavit, ut specialem mei gererent curam, méque adjuvarent, & protegerent, ac reponerent in meo loco ità, ut avulsa ab illa tam magna & admiranda unione non sentirem debilitatem, molestiam, vel desolationem, sed recreata illius visione ac societate, fruerer quiete & pace, ac solatio, quod sunt exequuti.

Post hoc in Julio anni 1620. mansi in illa Divina unione, quâ eram unita Beatissimæ quoque Trinitati, & quam ante multos dies etiam habueram, ubi sæpe & plerumque in superiore parte animæ percipiebam à Divina Majestate magnas illustrationes, dum mihi manifestaret pro mea capacitate, æternam & carentem principio Processionem Verbi Æterni à Patre, & Spiritûs sancti per amorem Patris & Filij. Modò videbam in meo DEO secreta tam Divina, & mira, ut mea anima non potuerit illa comprehendere, aut complecti, vel eloqui, satis habens, quòd satiaretur suo DEO, essétque tota illius, ipsum possideret, eóque frueretur. Aliàs in eodem Domino & Verbo Divino videbam, & agnoscebam quasi confusè omnes res creatas, & quomodo iste Dominus existat in singulis; atque adeò in ipso etiam inferno. Quomodo quoque ibi sit per suam Immensitatem, ac per Justitiam, dum punit damnatos: neque ista solùm videbat & cognoscebat mea anima in suo DEO; sed videbatur etiam sibi illa possidere per participationem, & quatenus ipsi communicabantur in unione, quam habebat cum eo Divino Verbo. In hoc statu me detinuit Dominus aliquot diebus; sed specialiùs alio die hujus solennitatis, translata in spiritu ad cœlestè Jerosolymam, vidi ex Persona Patris, & sancto ipsius Filio, prodeuntem quandam maximam lucem, & claritatem, quæ tota erat plena, & ardebat quodam Divino igne Divini Amoris, quo Pater ac Filius se amabant, & Amor ille productus, quem in ea specie videbam, erat sacratissima Persona Spiritûs sancti, atque cum eodem lumine, quod mihi DEUS dabat, vidi, quomodo omnes tres Personæ sint unus solus DEUS ac Dominus, & una sit in ipsis virtus, una Majestas atque Omnipotentia. Præterea hunc ipsum DEUM ac Dominum magnum, & Omnipotentem, quem vidi & cognovi in his tribus Divinis Personis, vidi etiam & cognovi esse undequaque indivisum, & verum, eodem modo in singulis.

§. IV.

REferemus aliam pleniorem mysteriis, magisque gratiosam visionem, in qua Spiritus sanctus confirmavit antiquam desponsationem, quâ illam sibi admirandò, plurimùmque proficuo modo solenniter desponsavemt.

Prope, *inquit*, hoc festum, dum essem vehementer afflicta, mihi dixit Divinus Spiritus: Quiesce in me, Sponsa & Amica mea, conquiesce in me, & in mea Providentia, ego enim te protegam. Atq; conferendo mihi claram cognitionem suæ magnitudinis, uniendóq; me secum valde admirabili ac forti unione, mihi dixit: Etiam bono esto animo, Amica, quia in meo festo te adornabo copiosissimè & abundantissimè novis donis. Audivi id cum magna consolatione, paritérque confusione, eò quòd mihi Dominus talia diceret, atque cùm sæpe memor essem hujus mihi promissæ gratiæ, quadam vice illi dixi: Mi DEUS, & Domine, qualia dona & bona sunt illa, quæ mihi vis conferre in tuo festo? Respondítque Dominus quàm amantissimè: Multa & infinita tibi volo cōferre: sed tu, Anima mea, dic mihi modò quid velis, & quid tibi singulariter placeret? Ego prorsus ex animo, & cum ardentissimo amore reposui: Nihil volo, DEUS mi, & Dilecte animæ meæ, aliud quàm hoc unicum, ut mihi largiaris tuam Divinam gratiam, nè te unquam ullâ ratione propter quidquam, seu leviter, seu graviter offendam, útque mihi des lumen, ne aberrem à tuis veritatibus, ac tum illas, tum

non

Proximè sequenti feriâ quartâ ante Pentecosten, horâ tertiâ matutinâ, 20. Maji, anno 1617. adverti, quòd mihi DEUS vellet conferre aliquam insignem gratiam, & vidi venientem in specie imaginaria sanctissimam Trinitatem cum infinitis Angelis, ac maxima Majestate. Confugi ad DEUM, quemadmodum consuevi, quàm ferventissimè, rogando illum humiliter, ut mihi daret lumen pro cognoscendis ipsius veritatibus, per ejus Nativitatem, Passionem, & Mortem, aliosque mille titulos, quos allegabam; deinde dixi meo Angelo: Quid faciam? quomodo me geram? Respondit: Quiesce, & attende ad mysteriũ, quod tibi Dominus vult manifestare, atq; in te operari. Quievi aliquantùm, & vidi tres Divinas Personas, quasi viderem aliquam imaginem coopertam delicato velo. Inter Angelos erant quatuor, qui tenebant vestem, quæ mihi antè fuerat ostensa, erátque pretiosissima, & quodammodo res quædam Divina, ac tum in ipsa vidi tria insignia, seu notas sanctissimæ Trinitatis, & erat Sol, Castellum ac Palma. Castellum repræsentabat Patrem, Sol Filium, & Palma Spiritum sanctum. Postea me est alloquutus Dominus cum magna majestate, dixitque mihi hæc verba: Dic, Anima, an te mihi ex toto tuo tradas corde, & cum firmo proposito de me nunquam deserendo? Ego tremebam, & respondi animosissimè: Ità, Domine. Divina Majestas autem dixit: Itaque te suscipio in perpetuum in meo nomine, & in nomine Filij mei, ac Spiritûs sancti. Deinde id ipsum Dominus dixit secundò, & ego similiter respondi. Atque tum tertiò dixit, loquens nomine omnium trium Divinarum Personarum: Dic Filia mea, & Sponsa, ac amica mea, tradisne te mihi ex toto tuo corde, & cum firmo decreto de me nunquam deserendo? Cui ego: Ità Domine; intellexique nomen Filiæ referri ad Patrem, Sponsæ ad Filium, Amicæ ad Spiritum sanctum. Tandem dixit Dominus: Itaque te suscipio in perpetuum in meo nomine, & mei Filij, & Spiritûs sancti, atque ad singula ea tria nomina mihi impertiebatur suam benedictionem. Et post hæc omnia venerunt quatuor Angeli, qui me induerunt illâ eleganti veste, cum maxima solennitate, ac musica, & intellexi eâ veste significari immortalitatem, atque gloriam animæ. Imposuerunt etiam capiti meo coronam, seu sertum, & plerisque digitis inseruerunt annulos pretiosissimos, videbantúrq; mihi calceamenta pedum splendere instar auri. Post hoc me statim secum univit DEUS unione quadam valde extraordinariâ, quæ diu duravit, ac deinde dixit Angelis, ut me ducerent ad regiam ipsius Aulam. Ascendebat Dominus cum maxima majestate ac pompa, méq; etiam pariter ducebant. Et postquam eò pervenissem, vidi illam cœlestem Aulam. Dominus consedit in suo throno, me verò circumduxerunt Angeli, per eandem supernam Aulam, quasi mecum deambulando, ex qua deambulatione reversa me collocavi ad pedes Domini, qui peramanter imposuit suam manum meo capiti & humero, atque ità desijt visio, & ego me reperi in meo lecto. Istam vestem servavit Dominus in Archivo suorum Divinorum thesaurorum: quod ego admirans, dixi ad Dominum, quomodo tantam gratiam præstaret suæ tam vili creaturæ? & respondit mihi: Noli obstupescere, me hoc facere, propter unam animam; scis enim, ac fide credis majora, quæ feci pro omnium salute, & si opus esset, facerem pro una illarum. Interrogavi etiam meum Angelum, quomodo Dominus tam citò compleverit, id quod mihi promiserat pro Festis? responditque mihi: Nescis, quid te maneat pro Festis. Præterea id factum est ad probandam tuam fidem, ut appareret, an subjiceres tuos timores, credereſque ea, quæ ipse agit. Dixi præterea illi: Et quomodo DEUS mihi se exhibet tam misericordem, cùm sim adeò plena defectibus, méque patiar superari à mea natura? Respondit: DEUS permittit hanc naturã, pro conservanda humilitate.

§. V.

POstquam advenit festum Pentecostes, ante diluculum matutinum, conspexi

ſpexi glorioſos Sanctos, ſanctum Dominicum, & ſanctum Ignatium, qui me ſalutantes, & apprecantes mihi felicia Feſta, dixerunt, ut eadem precarer ipſorum Filijs, & Fratribus. Habebant illi quandam catenam auream, quæ conjungebat utriuſque humerum ſub brachio. Interrogavi ipſos, quid per id repræſentaretur. Reſpondit ſanctus Dominicus: Repræſentari unionem & amorem, quo ſe mutuò diligunt in cœlo, quémq; optant haberi etiam à ſuis Filijs in terra. Interea venerunt mei quatuor Domini Angeli, dicentes mihi: Veni nobiſcum Soror, & videbis locũ ac modũ, quo fuit peractum hoc myſteriũ. Derepentè me adverti eſſe in quodam campo, juxta quandam domum, in qua & extra quam erant aliqui homines, & elevans oculos, vidi cœlum apertum, ac milliones Angelorum valde lætantium. Erátque etiam ibi pulcherrima Crux, quam omnes adorabant. Vidi præterea ſubitò Majeſtatem Spiritûs ſancti, qui totum illud ſpatium ſummè replebat. Non vidi ipſum in ſpecie Columbæ, ſed alio modo inexplicabili, & ſtatim incepi advertere, quòd Divinus iſte Spiritus ſe quaſi moveret, quódque imminneret magna aliqua tempeſtas. Cœpi angi, & quaſi vehementer ſudare. Acceſſit ad me Angelus meus Cuſtos, ut me confortaret, & abſterſit celeriter linteo ſudorem, quo madebat facies. Vidi me indutam illâ pretioſâ veſte, de qua jam dixi, & Spiritum Sanctum quaſi concutientem alas, ſpargentémque plurimos pretioſiſſimos lapides, qui cadebant ſupra domum, & erant velut igniti. Appropinquavi magis ac vidi illos pretioſos lapides cadentes ſupra me, fuitque illis repleta veſtis. Aliâ vice in eodem myſterio videram depluentes linguas igneas ſuper illam domum, quarum una ſupra me ceciderat. Poſt hoc me reperi in meo cubiculo, more ſolito, ubi adhuc manebant duo Sancti, ſanctus Dominicus, ac ſanctus Ignatius, cum multis Angelis, & poſtquam ſe induiſſent ijs ſacris veſtibus, quibus uti ſolet Sacerdos porrecturus Venerabilem Eucharistiam, Sanctus Dominicus accepit quandam quaſi patenam, in qua jacebat Parvulus Infans, non excedens magnitudinem digiti, DEUS, & Homo: poſt porrectam autem mihi patenam, ut illam unáq; pedes Puelli oſcularer, fui abrepta in magnam unionem, in qua ſenſi extraordinarios effectus, ſicut dum reficior epulo Euchariſtico, præſertim quòd eo die, propter ipſius ſolennitatem, non habuerim facultatem, ut diceretur Sacrũ in Oratorio.

CAPVT XXII.

Quomodo ipſam Spiritus ſanctus ſeptem continuis diebus ante ſuum Feſtum mirandis modis, cum alijs duabus Divinis Perſonis, quotidie viſitaverit, non ſine ſpecialibus gratijs.

DIe Sabbathi, octiduo ante Vigiliâ Pentecoſtes, anno 1619. mihi Divina Majeſtas ſignificavit, velle ſe mihi præſtare aliquâ inſignem gratiam: adverterem tamen eam mihi conſtituram peculiari afflictione ac dolore; viderem idcirco, quid de hac re judicarem, ac ſentirem, diſpicerémque etiam locum, ubi vellem peragi in me ea myſteria, quæ eſſent duratura ſeptem diebus, incipiendo à ſequenti feria ſecunda, uſque ad primum diem Pentecoſtes. Ego verò dixi: mi DEUS, ac Domine mi, fiat in me tua ſanctiſſima voluntas in omnibus, & per omnia.

§. I.

DEinde ſequenti Feriâ ſecundâ, dum agerem cum DEO inter primam & ſe-

& secundam matutinam, me illuminavit ejusdem Majestas, ut agnoscerem misericordiam, mihi ab illa exhibendam; imprimenda videlicet intrà meum pectus septem signa, & parvula vulnera, perq; eam impressionem communicandam mihi virtutem septem donorum Spiritus Sancti. Post tres quatuórve horas, vidi in cœlo, terram versus, comparentes infinitos Angelos DEI, qui cum magno gaudio laudabant & benedicebant suum Creatorem. Inter Cœlum & terram erat lux quædam clarissima, & gratissima, nec non ventus suavis & quasi aureus, quamvis aliquantùm perstrepens. Intrà istam lucem, & suavem ventum, apparuit quidam Divinus, splendidus, & pulcherrimus Sol, qui ex se emittebat quasi coruscando radios igneos & aureos. Appropinquans mihi iste Divinus Sol (cujus speciem assumpserat sanctissima Persona Spiritus sancti) penetravit meum pectus cuspide unius sui radij, afflictà ac vulneratâ illâ parte, ità ut vehementem sentirem tam internum quàm externum dolorem, deinde idem Divinus Sol mihi appropinquavit, quoadusque illaberetur in meam animam & cor, attemperando hac ratione partem molestiæ ac afflictionis, quâ fueram affecta ex eâ impressione, unáque per arctam unionem meæ animæ cum suo DEO. Dum anima esset in hoc raptu, expergefecit illam sanctus ejus Angelus, fuitque per hanc Divinam misericordiam repleta solatio ac illustrata, vehementer autem afflicta & confracta natura, præsertim ob dolorem pedum, ac manuú, & cordis: quia ex illa parva plaga pectoris procedebant quidam radij doloris, & afflictionis, qui excruciabant illas partes.

Subsequente postea Feriâ tertiâ, horâ octavâ matutinâ, agens cum DEO, vidi in cœlo, terram versus sicut priori vice, infinitos Angelos, laudantes cum magno gaudio Dominum. Et Dominus DEUS Majestatis, Trinus in Personis, ac Unus in Essentia, se subitò spectandum præbuit oculis meæ animæ, in hac specie. Sanctissima Persona Patris in forma humana, Persona verò Filij, qualis ordinariè comparet, DEUS & Homo verus. Ex pectore & corde utriusque personæ prodibat Divina Columna ignea inaurata, vehemens ac resplendens, quæ erat symbolum & figura Spiritûs sancti. Hæc Divina Columna coruscabat ac emittebat ex se, cum forti ac suavi strepitu, scintillas illius ignis comburentis. Videns id mea anima, valde timebat, cúmque ità timeret, in momento attigit meú pectus una earum Divinarum scintillarum, quæ illud vulneravit cum ingenti dolore, relicto ibi secundo signo, & parvo vulnere, juxta priùs, statímque per modú unionis cum Spiritu sancto attemperavit illam molestiam ac dolorem, quam in meo pectore & corde senseram ex ea impressione.

Sequenti Feriâ quartâ manè, dum agerem cum DEO, postquam præcessissent in cœlo eadem admiranda indicia, quæ reliquis vicibus, Angelicæ nempe laudes DEI, & lux clara ac resplendens, strepitus vehemens, & ventus suavis, vidi in specie candidæ & splendidæ nubeculæ sacratissimam Personam Spiritûs sancti. Hæc Divina nubes incepit instar pluviæ emittere ex se infinitatem granorum, quasi margaritarum, & pretiosorum lapidum, qui diversorum erant colorum, & coruscare atque ejaculari parvos radios ignis, instar linguarum, quorum alij cadebant ad terram, & alij remanebant in aëre. Cùm mea anima id valde admiraretur, & propterea vehementer esset afflicta, decidit unus ex illis mysticis radijs, & contingens me suâ extremitate in pectore, reliquit ibi tertium signum, seu parvum vulnus, juxta reliqua, ex quo ego tota percipiebam specialissimú dolorem, sed magis in manibus, ac pedibus, & latere. Post hoc autem sensit mea anima blandum & suavem ventulum, qui refrigeravit, atque confortavit illas partes dolore affectas, & sic mansit abrepta in unione cum DEO, donec ad se rediret.

Feriâ quintâ subsecutâ manè, agente me cum DEO, vidit mea anima sacratissimum Mysterium Beatissimæ Trinitatis in ea specie, in qua aliàs, & quòd ex pectore atque corde Christi Domini, ut est DEUS, prodiverint quidam veluti radij lucis, ac splendoris, qui erant symbolum & figu-

ra Spiritûs ſancti: unâ iſtorum Divinorũ radiorum cuſpidulâ tetigit ille Dominus meum pectus, relinquendo ibi impreſſum ſignum quartũ juxta cætera, ac efficiendo in me eadem, quæ aliàs, & fui ſuavi animæ cum DEO unione recreata, deſiitq; myſterium. Immediatè ſequenti Feriâ ſextâ, manè agens cum DEO, conſpexi Divinum quendam Solem reſplendentem, qui apparuit inter cœlum & terram cum omnibus & ſingulis myſterijs, quæ videram primâ vice: tantùm jam Sol in medio ſuæ maximæ lucis & claritatis habebat crucem flavam, & ex eadem myſtica cruce prodibant ſcintillæ cujusdam Divini ignis: atq; dum illum contemplarer cum ſummo ſtupore, inſilijt in pectus una ex ijs ſcintillis, in eoque impreſſit quintum ſignum juxta reliqua, unde anima mea & corpus notabiliter fuit debilitatum, lenita eſt tamen ipſius moleſtia ac dolor, per ſpecialem unionem Divini illius Spiritus, & meæ animæ.

§. II.

POſtero die Sabbati manè, dum agerem cum DEO, ſicut aliàs, eſſetque afflictum pectus ob illa ſtigmata, ſeu vulnuſcula, quæ in eo DEUS impreſſerat, audivi tumultum, ùt mihi videbatur, grandem, cujus ſonus erat tanquam militum, venientium cum tympanis: quod admirans, vidi advenientes, bipertito ordine, homines admodum graves, fortes, ac potentes, omnes armatos, & geſtantes in ſuis humeris haſtas: appropinquabant mihi magìs, vidique inter ipſos, & quaſi in fine venientem, cum maxima & extraordinaria majeſtate totam DEI Potentiam, omnem ipſius Magnitudinem, omnem Majeſtatem, omnemque Sapientiam, Bonitatem, Miſericordiam, ac Juſtitiam, ac totá ejusdem Infinitam Divinam Eſſentiam. Quando mea anima vidit rem tam ſtupendam & immenſam, fuit quaſi perterrefacta, & magno perculſa timore. Interea verò vidi accedentem ad me totam eam pompam, ac Divinam Majeſtatem, donec denique quàm ſuaviſſimè veniret totus ille Dominus ad meam animam, illámque intimè pervaderet, ac totam occuparet, abriperet, & ſecum uniret tam forti amplexu, ut ſe ipſam non agnoſceret. Dum mea anima eſſet in hoc Paradiſo ſui DEI, vidit intrà ſe, & in illo Domino, cum quo erat unita, quandam manum aliquantulùm tectam, quæ per ſpeciem parvi digiti acceſſit ad meum pectus, illúdque tetigit in medio quinque ſtigmatum, ex dextera parte, ubi reliquit ſextum ſignum, ſeu vulnuſculum, cum ingenti afflictione meæ animæ, & cõfractione naturæ; paulò verò pòſt ſuaviter mitigavit dolorem: ſed obſtupeſcebam, & cogitabam intrà me, quid myſterij eſſet in illo ſtrepitu, & militibus, qui comitabantur Divinum Spiritum, ac DEUM omnipotentem, & quare id fieret. Dum hoc verſarem animo, dixit mihi ſanctus Angelus: Anima, ſi Rex quiſpiam ſuæ alicui parvæ filiæ traderet maximos theſauros & opes, ut illas poſſideret, iisque frueretur, & ipſas conſervaret, attribueret illi ſimul cuſtodes ad eam defendendam, & protegendam, ut nè ullus ipſam auderet moleſtare, vel ei auferre theſaurum, quem Rex ipſius Pater illi dediſſet, ac tradidiſſet: Similiter tibi magnus DEUS noſter voluit præſtare gratiam, &, poſtquam tibi communicavit tantos theſauros, ac opes ſuorum donorum per decurſum tuæ vitæ, attribuere modò novos Cuſtodes, nè ullus tibi audeat auferre theſauros, quos ab eo accepiſti. Magnum cepit ſolatium mea anima ex eo dicto ſancti Angeli. Sed cùm fuiſſem recordata, quòd poſtridie in Feſto Pentecoſtes, non poſſem communicare propter Breve, quo non concedebatur facultas celebrandæ in Oratorio Miſſæ hoc Feſto, dixi illi cum aliquali dolore: Mi Angele, cras perdo ſacram Communionem. Benedictus ſit DEUS. Nè te id affligat, repoſuit Angelus, quia non perdes Dominum, atque de hoc eſto certa.

§. III.

DEinde ſequenti Dominicâ, die Pentecoſtes manè, agens cum DEO, & circumſpiciens oculis animæ, vidi adeſſe Beatos Patriarchas, Sanctum Bernardum, San-

Sanctum Dominicum, Sanctum Franciscum, & Sanctum Ignatium, atque ùt primùm ipsos conspexi, sinè ulteriore consideratione, pro meo more tergiversandi, recurri ad DEUM, dicendo: Hos Beatos Sanctos ego volo revereri, ab iisque petere gratiam in cœlo, qui est proprius ipsorum locus. Et sicut dixi, ità feci, continuavíque diu hunc ordinarium modum orandi; quâ oratione peractâ non vidi ampliùs Sanctos, qui abiverant. Interea me aspexit Sanctus meus Angelus Custos, dixítq; mihi graviter & amanter: Anima mea, inurbanè te gessisti erga Patriarchas, qui tibi volebant gratificari: quare hoc fecisti? Nónne putas, fore inurbanitatem, si venientibus magnis Dominis, & gravibus Personis ad invisendum suum aliquem amicum, etsi pauperem ac egenum, iste, quâvis bonâ intentione, & existimans se indignum, iret ipsis obviam, & præcipitanter, atque sinè ulla reflexione illis diceret: Eant domum, Domini, quia ego veniam illos visum, ac visitatum, id enim magis convenit. Præcipitantia esset ista, & inurbanitas, præstarétque ipsos excipere cum reverentia, humilitate, charitate, exhibitione honoris, & bono modo. Talis fuit tuus, Anima, præsens casus. Auditâ suavi hujusmodi reprehensione mei Angeli, expendi meum defectum, & dixi dolenter: Mi Domine Angele, quàm mihi displicet, quòd hoc fecerim: erúntne mihi offensi illi sancti Patriarchæ? Nè te affligas, Anima (ajebat Angelus) quia tibi non sunt offensi, & tua humilis intentio te salvat, neque propterea quidquam perdes. Post duas deinde horas, vidi meos Dominos quinq; Angelos, quasi solicitos de præparatione & adornatione cujusdam admirabilis Sacelli, atque omnes & singulos seorsim tenentes manibus maximam & pretiosissimâ catenam ex purissimo auro, quam aspiciebant cum gaudio, & osculabantur, ac admovebant oculis, id quod diu egerunt. Tum subitò sanctus Angelus *Pamnymphus* protulit quandam pretiosam pelvim crystallinam, ùt mihi videbatur, & omnes injecerunt catenam, sicut illam tenebant, in eam pelvim, ut resonuerit, edideritq; notabilem strepitum. Sanctus Angelus *Pamnymphus*, postquam fuisset reveritus cæteros, abivit, tulítque dictum cimelium ad Cœlum, & posuit ante thronum Divinæ Majestatis; DEUS autem illud benedixit; ac tum sanctus Angelus, qui erat prostratus, se erexit, accepítque suum cimelium, & retulit Angelis suis socijs, quod à me quàm reverentissimè susceptum tradiderunt meo Angelo Custodi, quod ipse accepit, & servavit intrà se. Erat notabile lumen & cognitio, quam DEUS dedit meæ animæ de excellentia & potentia illorum Beatorum Spirituum, quorum species & formæ erant elegantissimæ, vestes auro & gemmis ornatissimæ, quisque gestabat in suo collo pretiosissimum torquê, qui Solis instar refulgebat. Paulò pòst audivi admirabiles cantus, & musicam multorum sanctorum Angelorum, laudantiũ ac benedicentium Divinum Sacramentũ, & continuò vidi multos ex ipsis descendentes, donec eò venirent, ubi ego eram, qui omnes concinno ordine ingrediebantur in illum locum, seu Sacellum, quod dixi fuisse apparatum à sanctis Angelis. Quatuor sancti Patriarchæ, quos ego noluerám videre, ferebant lumina in suis manibus, & veniebant laudantes alternatim DEUM, unáque cum his sanctis in medio infinitorum Angelorum procedebat Majestas Christi JESU Domini nostri, cum extraordinaria majestate & gravitate, in veste Regia, gestabátque pretiosissimam & mysticam coronam in suo capite, ac nonnihil elevatam. In suis sanctissimis manibus ferebat quasi calicem coopertum ad eum modum, quo fertur à Sacerdotibus, quando in eo est sanctissimum Sacramentum. Intravit illud admirandum Sacellum, posuítq; calicem supra quoddam altare ibi erectum, in quo erant duo libri, suo singuli loco. Sancti Patriarchæ stipabant duo latera Domini, cum maxima reverentia. Divina Majestas aspexit fixè, jam unum librum, jam alterum; in uno erant expressa Mysteria Incarnationis, Nativitatis & Præsentationis in Templo, Adorationis Regum, & omnia reliqua ipsius sanctissimæ vitæ; in altero verò omnia

Mysteria Passionis, Mortis, Resurrectionis & Ascensionis, ac Mysterium Adventûs Spiritûs sancti, ubi Dominus aliquantùm substitit, & interea Sanctus Angelus meus Custos, me apprehendit, ac texit quodam velo coloris cærulei & aurei, posteàque inclinatam collocavit coram Domino, & illam mysticam catenam, quam servaverat intrà se, imposuit collo meo triplicatam, ut esset symbolum sanctissimæ Trinitatis. Vertit se ad me Dominus, quæ eram quodammodo afflicta, & vehementer admirabar tantam magnificentiam, communicavítque me spiritualiter, repræsentatione spirituali Divini Sacramenti. Deinde redit ad altare, & Angelus meus Custos me abduxit, ac reposuit in meo loco. Fuerunt extraordinarij affectus, & motus, quos in mea anima excitavit hæc Divina misericordia: quia dum ista agerentur, vidi intrà me ipsam totum mysterium Beatissimæ Trinitatis cum magno meo stupore, non enim recordor me vidisse simile mysterium intrà me. Hic Divinus Dominus Trinus in Personis, Unus in Essentia, ibi mihi ostendit mysticam quandam manû, quasi nonnihil coopertam, quæ erat figura & symbolum sacratissimæ Personæ Spiritûs sancti: qui Dominus extremitate digiti illius sacræ manus tetigit meum pectus in altera parte sinistra, relicto ibidem septimo signo, & vulnusculo, fuítque efformata Crux ex illis septem stigmatibus, quorum quinque erant sita secundùm longitudinem, & duo transversim. Miserabile verò corpus remansit valde afflictum, & confractum per multos dies.

Post hoc Majestas Christi JESU Domini nostri abivit, datâ mihi priùs suâ benedictione, & illi sancti Patriarchæ me sunt amanter alloquuti, valedicentes mihi, ac dicentes, ut eorum nomine precarer felicia festa ipsorum filijs, quos essem conspectura. Postridie mihi dixit sanctus meus Angelus, opus illud misericordiæ à Domino in me per impressionem eorum septem stigmatum ideò peractum fuisse, ut in me confirmaretur virtus septem donorum Spiritûs sancti, quæ jam mihi communicaverat, ac pro novo augmento, lumine, & cognitione divinarum ipsius & excellarum virtutum, addidítque fore, ut in me experirer veritatem ipsius verborum; & intuens cum gaudio pectus, mihi dixit: Anima mea, inter omnes misericordias & gratias, quas tibi DEUS præstitit, per decursum tuæ vitæ, hæc est admirabilissima meis oculis, de quo summè lætor. Benedictus sit DEUS!

CAPUT XXIII.

Quomodo illi Spiritus sanctus manifestaverit, se assistere Summo Pontifici Ecclesiæ, denuóque sibi ipsam desponsaverit, cum novis gratiæ suæ donis.

Via spiritualis desponsatio habet in hac vita continua incrementa, per nova dona Spiritûs sancti, instaurabat subinde Divina Majestas eam, quâ sibi hanc suam Sponsam junxerat, modis perquàm miris & mysticis, qualis est sequens.

§. I.

PAucis diebus, *inquit*, ante Nativitatē Domini (in Decembri anni 1622.) postquam internè cognovissem, quòd mihi DEUS esset præstiturus aliquam extraordinariam gratiam, circumspexi oculis animæ, & vidi quendam rotundum ac prægrandem circulum, quem aliquantò altius circumdabat quædam solidissima, & plena mysterijs catena, ex purissimo & splendidissimo auro. Intrà istum circulum considebat in sella cum magna majestate summus Pontifex, cujus capiti desuper imminebat sacratissima Persona Spiritûs sancti cum summa Majestate, Potentia, & Magnifi-

gnificentia, videbatúrq; se spectandam exhibere in specie splendidæ nubeculæ, quæ mihi brevi disparuit ex oculis. Hic Divinus Spiritus illuminabat suis inspirationibus animam, & intellectum Pontificis, nè erraret in rebus pertinentibus ad definitionem Fidei, & DEUS mihi quoad hanc veritatem contulit magnum lumen. Intra eundem circulum adhærentes illi catenæ stabant, Episcopi & cardinales etiamnum viventes, in altera verò parte comparebant eodem modo sancti, novi & veteris testamenti. Postea vidi assurgentes in illo circulo flammas mystici ac Divini ignis, quibus procedentibus ad Cœlum, descendebant aliæ similes, ità ut ille locus & Cœlum Empyrium viderentur esse unum quiddá divinum, & mirabile, essetque communicatiu & correspondentia cœlestis inter utrumq; eum locum. Circumdabant quoque catenam aliqui sancti Angeli; his visis fui attonita, & obstupui, dixitque mihi DEUS: Anima, mysterium, quod hic vides, est species & figura Ecclesiæ militantis ac triumphantis, & admirabilis commercij, atque communicationis, quæ inter utramque intercedit. Revelata mihi etiam fuit potestas, quâ est præditus Pontifex, ut concedat Indulgentias, & potestas clavium, quarum usus est in Sacramento Pœnitentiæ.

§. II.

DEinde Divinus ille Spiritus ad me appropinquavit, & alloquendo secretè meam animam, atque quàm spiritualissimè verbis divinis, mysticis, & arcanissimis, adeò ut vix ab anima possent percipi, mihi dixit: *Anima, deinceps eris tota mea, & ego ero totus tuus.* Statim autem ac DEUS illi hoc tam secretè dixerat, quasi ipsam propter ejus timiditatem disponeret, ut illam alloqueretur verbis clarioribus, & quæ faciliùs atque manifestiùs posset percipere, ac intelligere, dixit: Tu Anima, eris mea Sponsa, & ego te amabo, atque tu amabis me, nec unquam à me separaberis, neque te quidquam poterit separare à me, sed nec ego unquam te derelinquam. Quando mea anima audivit suum DEUM, & illum Divinum Spiritum, tanta ac tam admiranda proferentem, vehementissimè obstupuit, & plena affectibus profundissimæ humilitatis, gratámque se exhibens pro tanto beneficio & gratia, quam illi DEUS præstiterat, respondit: Domine, & DEUS mi, sum tua indigna ancilla, & paupercula creatura, atque talem me reputo, & agnosco, coram tuo Divino conspectu. Quæ verba cùm anima dixisset suo DEO, statim fuit exornata pallio, quod totum erat coopertum auro, ac gemmis splendidissimis, & Divinus ille Spiritus possedit totam meâ animam, méque secum univit fortissimâ & extraordinariâ unione, ac intereà me unà duxit ad cœlestem Jerosolymam, præsentavitque toti Beatissimæ Trinitati, eadémque sacratissima Persona Spiritus sancti unita cum illo Divino Esse, me retinebat quasi in te ipsa, & in suis Divinis brachijs, ubi tam diu permansi, ut me multis diebus non potuerim separare à meo DEO, vixque potuerim quidquam aliud agere. Rememorabam sæpè & conservabá in meo corde veritatem eorum verborum, quæ mihi Dominus dixerat: *Deinceps eris tota mea, & ego ero totus tuus, neque te quidquam poterit separare à me.* Propterea enim magno affluebam solatio, & confidebam in ejus bonitate, ità ut mihi esset quasi certissimum quoddam illius pignus; aliunde verò, hæc ipsa misericordia, & gratia, quam DEUS mihi præstabat, me deprimebat & humiliabat usque ad abyssum mearum miseriarum, timentem ac trementem cum amore ac fiducia, ne mea anima unquam careret fidelitate, puritate, & fide debitâ tantæ gratiæ, & misericordiæ, quam susceperat. Cum his pijs motibus & affectibus interogavi meum sanctum Angelum Custodem, quomodo essent intelligendi isti affectus, quos mihi DEUS communicabat, ità ut secura conquiescerè & confiderem in ipso, unáq; filialiter metuerem de eo perdendo, & nè mea deficeret fidelitas atq; gratitudo, quam debeo pro gratijs & beneficijs ab illo susceptis. Respondit mihi sanctus Angelus, dixitq;: Dum aliquis sponsus magno prosequitur amore suam dilectam Sponsam, ipsique tene-

tenerè & fideliter afficitur, illa respondens huic favori, & gratiæ, quâ eam Dilectus ipsius sponsus dignatur, ijsdem semper affectibus illum amat, omnémque ejus quodammodo observat nutum, præ desiderio, quo tenetur, ut ipsi placeat ac obsequatur, séque exhibeat fidelem, & in amore constantem: interea tamen quodámodo etiá timet, nè illum perturbet, ac vel in minimo offendat, quamvis confidat, sítq; quasi secura, Sponsum tantâ circumspectione cum ea acturum, ut illam sit pro sua prudentia gnaviter ac amanter adjuturus, talitérque directurus, ut ipsa licèt imbecillis, permaneat semper & perseveret in ejus gratia & amore. Ità se suo modo habet hoc cœleste Ænigma, de quo me interrogas. Esto bono animo, & age magnas DEO gratias, pro tanta misericordia, & favore tibi concesso: est enim unus è maximis, quos unquam suis creaturis exhibuit. Ipse sit benedictus in æternum!

§. III.

PEractis his mysterijs biduo post, agens cum DEO, vidi me quasi circumdatam quibusdam muris, ex purissimo & splendidissimo exstructis auro, in quibus erat parva arcuata portula, pariter aurea. Incepi cogitare, quale id esset mysterium, & statim vidi per illam portulam prodeuntes singillatim quatuor Angelos, qui me consueverunt quandoque visitare, ac descendentes per quosdam quasi gradus aureos. Venerunt ad cæteros, qui mihi ordinariè assistunt, & postquam sibi invicem exhibuissent honorem, conversabantur secum modo quodam spiritualissimo; quatuor verò Angeli, qui advenerant, obtulerunt quatuor pretiosos grandes, præstantissimos & splendidissimos lapides quatuor, illic residentibus Angelis, valdè modestè, jucundè, & admirabiliter. Sancti verò Angeli susceperunt eodem modo illos pretiosos lapides, & gratias agentes DEO, pro ejus misericordijs ac favoribus mihi ab ipso exhibitis, atq; exosculantes eum thesaurum, observaverunt illum. Post hoc Sancti ij quatuor Angeli ab ipsis discesserunt, & ab anima mea, dicentes: Vale, Soror nostra; statimq; ascenderunt per gradus aureos, & ingressi sunt portulam, nec illos ultrà vidi. Post multum temporis deinde interrogavi meum sanctum Angelú Custodem: Angele mi, & Domine, rogo te per Dominum, quem amamus, & cui servis, ut, si id vult Divina Majestas, mihi dicas, quæ mysteria sint ista, horum graduum ac murorum aureorum. Sanctus Angelus quàm libentissimè respondit: Noveris, quòd postquam Divina Majestas, & sacratissima Persona Spiritus sancti, fecit admirabile illud opus, dignum suâ infinitâ Bonitate & Sapientiâ, quandò te sibi desponsauit per illam cœlestem ac Divinam unionem, in qua te possedit, secumque univit, in eodem momento te circumdederit quibusdam parietibus & muris ex solido auro, quod est symbolum charitatis, ut nè te in posterum quidquam posset offendere, neque impugnare tuam perfectionem, aut violare puritatem tuæ animæ, & fidem, quam debes tuo DEO ac Domino, & Divino Sponso. Quatuor pretiosi lapides, quos vidisti allatos à quatuor Angelis DEI, & oblatos quatuor tibi assistentibus, quósque ego habeo in meâ potestate, fuerunt cœlestis thesaurus, quem tibi Divinus Sponsus dederat, ut te locupletaret, & exornaret, tanquam suam Sponsam, reddens te ità gratam suis Divinis oculis. Hi sunt Symbolum & repræsentatio illarum quatuor admirabilium virtutú ac donorum cœlestium, Charitatis, Puritatis animæ, Fidei & Confidentiæ, atque admirandi doni Perseverantiæ. Ista sunt, Anima, mysteria, quæ Omnipotens DEUS, qui est is, qui est, operatus est in te; age ei idcirco magnas gratias, & laudà ipsum.

§. IV.

NOn multò post (in Januario anni 1623.) vidi in meo cubiculo quosdá splendores exteriores, qui me rapuerunt in aliquam admirationem. Sanctus meus Angelus Custos dixit: Isti sancti Angeli, mei socij, se commoverunt, & emiserunt ex se hos splendores, instar stellarum, quas vidi-

vidisti. Accesserunt ad me sancti Angeli, & dixerunt: Magnus Rex Majestatis venit ad invisendam suam Sponsam. Cùm audivissem nominari Sponsam, fui valde confusa, ac dixi: Per amorem DEI illos rogo, & obsecro, mei Domini, non loquantur taliter: Ego sum ancilla Domini, & sic me debent appellare. Responderunt: Soror, nobis non est loquendum, sicut tu vis, & nobis dicis, sed sicut nobis Dominus injungit & præcipit. Durante isto colloquio, audivi quendam tumultum, acsi adveniret ingens aliqua multitudo, & oriebatur ex eo, quòd veniret sacratissima Persona Spiritûs sancti, cum magna majestate, & pompa, comitantibus ipsam plurimis Angelis: quâ adveniente, excitabatur ille strepitus. Quando pervenit ad meum cubiculum, intravit Divina Majestas cum eo comitatu, & perbenignè atque amanter me est alloquuta, dicendo: Anima, veni mecum, & quiesce in me, es enim afflicta. Statímque me possedit, abripiendo me potenter & suaviter, ac univit secum forti & potenti unione, atq; ità unitam me duxit in spiritu ad cœlestem Patriam. Postquam eò pervenisset, dimisit me, dixítque sanctis Angelis: Accipite istam Animam, & circumducite ipsam per totam istam cœlestè Patriam, ac ostendite illi, quæcunque in ea reperiuntur, & recreate ipsam. Circumduxerunt me per totam illam supernam Civitatem, monstraverunt mihi totam ipsius amplitudinem, ac thesauros Divinos, & gloriam Beatorum Spirituum, quasi in momento, juxta lumen, quod mihi DEUS dedit ad videndos illos thesauros, atque ad contemplandam gloriam, quâ fruebantur. Post hoc me reduxerunt ad locum, in quo erat Dominus, qui illis mandavit, ut me inducerent in regium ipsius Palatium. Ingressa sum in illud, ubi mihi fuerunt exhibiti thesauri, ac divitiæ illius cœlestis Domûs DEI, & diu fum juxta humanum mortalem captum contemplata ipsum DEUM, ac Divinum Dominum, & illius Divina attributa, ejus Bonitatem, Sapientiam, Potentiam, & Magnitudinem, atque ea, quæ non capit, neque capere potest ullus intellectus creatus. Ibi me diu detinui, perfruendo istis beatis bonis, cum magna admiratione. Reducta sum ad locum, in quo erat sacratissima Persona Spiritûs sancti, qui se rursum mecum univit, uti priùs, & sic unitam me reduxit ad meum angulum.

CAPUT XXIV.

Quomodo ipsam Persona Spiritûs Sancti visitaverit alijs multis vicibus, ducendo illam in spiritu ad cœlestem Curiam, eandémque ipsi ostendendo, nec non reliquas Personas, & exhibendo alios magnos favores.

§. I.

Btentum favorem, de quo in præcedenti capite dictũ est, secutæ sunt frequentiores visitationes. Quâdam die (in Martio anni 1623.) *ait*, animadverti in oratione, quòd mihi DEUS esset concessurus aliquam extraordinariam gratiam, & audivi meos Dominos Angelos colloquentes ac dicentes: Magnus DEUS Majestatis venit ad suam Sponsam, disponamus nos. Aliquantò pòst audivi ingentem strepitum tympanorum, ac tubarum, & musicam cœlestem omnibus absolutam numeris, ac auditu jucundam, vidíque aperiri Cœlos, & omnem illam cœlestem Angelorum, ac animarum Beatarum Aulam descendentium ad terram, meum cubiculum versùs, quasi se paulatim demitterent cum gravitate & authoritate. Angeli veniebant splen-

splendidissimè, & elegantissimè ornati, alij armati lucidissimis armis, habentes in manibus lanceas; alij ferentes evaginatos gladios: alij apparebant sapientissimi; alij clementissimi; alij ardentissimi amore DEI; uno verbo, omnes portabant quædam quasi insignia Divinorum attributorum, quæ relucebant, & ego videbam in DEO. Omnes sequebatur sacratissima Persona Spiritûs Sancti, cum maxima Majestate. Et semper, quando me visitat, venit cum magno tumultu, ac suavi strepitu. Antequam ad me veniret Divina Majestas, mei Domini me erexerunt in pedes, & induerunt eleganti veste albâ, cujus manicæ erant cæruleæ, texerúntque pretioso pallio cæruleo. Advenit Dominus, & salutavit me quàm amantissimè, dicendo: Bene tibi sit Sponsa, & Anima mea. Ego adeò stupebam, videndo tantam magnificentiam, ut illam tantùm fuerim contemplata, nihílque responderim. Divina quoque Majestas circumspectabat assistentes sibi duos Angelos cum duobus calathis, in quibus erant multa pretiosa cimelia. Accessit ad me Dominus, ac tum vidi comparentem quasi quandam manum, quâ ipse Dominus imposuit torquem meo collo, & pectori pretiosissimum cimelium, nec non septem annulos manibus, coronam capiti, & inaures auriculis. Omnia sunt facta spiritualiter, cum magna gravitate & authoritate, atque ad singula, quæ mihi imponebat, dicebat Divina Majestas verba latina, quæ ego non intelligebam, sed tantùm audiebam. Stupebam spectando talia mysteria, & sancti Angeli recreabantur videntes id, quod in me DEUS operabatur, qui se mecum subitò arctè univit, & sic unitam me duxit secum ad cœlestem Jerosolymam, ascendente simul totâ illâ cœlesti Aulâ, eodem modo, quo descenderat, & omnibus mirantibus ac stupentibus, dum viderent talia opera DEI. Postquam eò pervenissemus, ostendit mihi Dominus totam illam cœlestem Civitatem. Fruita sum pro meo captu Divinâ illâ Essentiâ, cum qua eram unita satis diu, & quia fueram sopita quodam somno spiritualissimo, quando fui expergefacta, seu redij ad me ex raptu, inveni me in meo angulo.

§. II.

ALio proximo die (in eodem Martio anni 1623.) Sanctus Angelus Custos videns me adeò afflictam à meis continuis doloribus, dixit mihi: Anima mea, quid facis? quid habes? Noveris, Dominum ad te venire, ac adferre multa tibi donanda. Ego respondi: Angele sancte, Dominus se ipsum mihi donavit, quid mihi potest ampliùs dare? Ità est, ficut ais, dixit Angelus, sed DEUS se donat multifariam, multísque modis. Post longum deinde spatium temporis vidi patefieri Cœlos, & omnem illam cœlestem Aulam descendêtem ad terram, venientémque Dominum cum comitatu plurimorum Angelorum, qui erant nitidissimè exornati modis diversis, ab ijs, quibus ipsos exornatos fuisse dixi aliàs. Et Divina Majestas progrediebatur in specie lucidissimi Solis, qui habebat quasi duas facies, & emittebat Divinos radios, alios quidem directos, alios autem laterales, in medio verò veniebat spiritualissima Imago sacratissimæ Personæ Spiritûs sancti. Radijs lateralibus feriebat adstantes Angelos, irradiando eorum pectora, & ibi illis imprimendo suam Divinam Essentiam, ac Divina attributa, speciatim verò alijs insigne suæ misericordiæ, alijs Clementiæ, Benignitatis, Bonitatis, Amoris, Potentiæ, Pulchritudinis, Sapientiæ, & Justitiæ. Cum hac pompa mihi appropinquabat Sol iste Divinus, constitítq; duabus circiter vel tribus ulnis à loco, in quo ego eram, & indè radijs directis, quos evibrabat, attigit meam animam, possedítq; me fortiter & suaviter. Illi autem sancti Angeli, qui habebant insignia Divinorum attributorum, veniebant singillatim, & communicabant mihi eundem Dominum, imprimebántque meæ animæ insigne, quod unusquisq; habebat, Divini Attributi. Ultimus adfuit Angelus, qui gerebat insigne Justitiæ, duos nimirum evaginatos gladios, & postquam accessisset ad me, collocavit decussatos gladios humi, dicendo: Anima, effectus Divinæ Justitiæ non habet

bet in te locum; sed communicavit mihi ipsummet DEUM Justitiæ, Divinam virtutem, ejusdémque attributum. Dum ego me viderem adeò plenam ipso DEO, ac Divinis illius attributis, mea anima summè prætérque morem admirabatur bonitatem hujus magni DEI, ac Domini, & cum hac admiratione, dixi: Domine, ac DEUS mi, quid facit tua Majestas in me? & addidi, quod sentiebam, vilipendendo me ipsam, meámque exiguitatem. Dominus autem mihi respondit: Ad capiendum tam sanctum, quàm est DEUS, exiguus erat locus præsepe: hoc tibi sufficit. Deinde me Dominus attraxit ad se per illos Divinos radios, quibus me introduxit in se ipsum, & Divinam suam Essentiam, ubi me perdidi, ut me non agnoscerem. Hoc modo me duxit Dominus secum ad cœlestem Jerosolymam, paulatim ascendendo cum toto illo comitatu. Postquam pervenissem ad Cœlum, iterum me reperi in Divinitate, fruebárque meo DEO, ac Domino, & subitò me rursũ perdidi, ignorando me, atque ità perditam, me Dominus reduxit ad meum angulũ: quia quando mihi fui reddita, inveni me in illo. Reduci mihi dixit meus sanctus Angelus Custos: Anima, unde venis? Apprehenditque meam manum dextram, & dixit: Anima, quid hîc fers? qualia signa sunt ista? aspice tuas manus, pedes, latus, & caput. Aspexi, sicut mihi à Domino Angelo dictũ fuerat, & quando vidi vulnera tam recentia, quæ gerebam in manibus, pedibus, latere, & capite, obstupui vehementer, & consternata extimui, fuíque quasi turbata, cogitans esse vulnera exteriora, ac dixi: Sancte Angele, quid est hoc, quod habeo? & quando me Dominus taliter signavit? Sanctus Angelus mihi respondit: Noli turbari anima, non sunt vulnera exteriora, sed interna. Quando DEUS te irradiavit Divinis radijs sui luminis ac splendoris, tunc illis tetigit has partes, & renovavit tua vulnera interna antiqua, quæ habes: hoc est Sorot. Ego verò respondi: Et quomodo id potuit fieri? Angelus dixit: Et quomodo potest ignis Purgatorij tangere, ac adurere animas? Huic dicto acquievi.

§. III.

ALiâ vice, adverti venientem ad me sacratissimam Personam Spiritûs sancti, quasi sub pretiosissima umbella, plena intrinsecus stellis, & supernè aperta, à qua fui undequaque cooperta, & inveni me intra illam ac ipsum DEUM, qui erat intus, meámque animam totam potenter possedit, & me duxit ad cœlestem Jerosolymã: priusquam autem ad illam pervenissemus, vidi in imagine alias duas Divinas Personas, quæ se conjunxerunt, nostro modo loquendi, cum Spiritu sancto, & omnes tres me secum univerunt, constituerúntq; in Cœlo, ubi diu mansi, perfruens illis Divinis mysterijs. *Alias multas hoc tempore habuit visiones, quas omitto, eò quòd sint istis similes.*

CAPUT XXV.

De Sanctissimo Sacramento, ipsiúsque Institutione, ac de modo, quo in illo existit Christus Dominus, per Transsubstantiationem.

POst Pentecosten celebrat Ecclesia Festum Sanctissimi Sacramenti, eò quòd id non possit facere die Jovis Sancto. Utroque tempore habuit Venerabilis Marinæ insignes revelationes ac visiones de hoc mysterio, quas recensebimus, incipiendo ab admirabilioribus, de modo, quo re ipsâ & verè Christus Dominus existit in Sacramento: quas mihi enarravit, deditque scriptas, dum docerem Theologiam anno 1995. in nostro Collegio Vallisoletano. Docebam autem tunc materiam de Eucharistia, atque hoc punctum de Transsubstantiatione. Referebat mihi id talibus verbis, & cordis affectibus, ut obstupescens, conferendo meas tenebras cum tanta luce, dicerem DEO: Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & revelâsti ea parvulis: ità Pater, quoniam sic placitum fuit ante te.

§. I.

DUm, *ait*, essem meo more collecta, conspexi Christú Dominum indutú veste magnæ Majestatis, tenentem in suis sanctissimis manibus Hierothecam Eucharisticam, qualem solet etiam gestare Sacerdos in quibusdam supplicationibus fieri solitis in Festo Corporis Christi. Videbatur sacrum illud ferculum esse ex auro purissimo, & habere duo tantùm utrinque vitra crystallina, unum ante pectus Christi Domini, & alterum oppositum, ità ut solùm in illis duabus partibus posset videri id, quod erat intus: neque ego hoc poteram bene discernere, quia Dominus erat aliquantùm à me aversus ad Apostolos, qui etiam ibi considebant, quasi sibi invicem innixi. Mirabar, & stupebam, dum contemplarer Salvatorem & sacrum ipsius ferculum, intra quod mihi videbatur esse sacratissimum Christi Corpus, sicut est in Augustissimo Altaris Sacramento, quamvis id non bene discreverim, quéadmodú dixi. Aliquantò post mihi dixit ipse Dominus quàm amantissimè: Nescis, quid hoc sit, intelligo igitur Institutionem esse Sacramenti Corporis mei & Sanguinis, quod die Cœnæ institui pro vestro bono, ac remedio. Hoc audito magnopere ipsius amore exarsi, tanto cum solatio, ut ei dixerim: Mi Domine, quare tua Majestas hujus rei curam gerit? Non enim indiget tantis favoribus ista mendica & miserabilis. Respondítque Divina Majestas: Ego volo, ut mei Amici hic aliquantùm degustent, & cognoscant mysteria, quæ pro illis, & pro ipsorum bono ac remedio sum operatus in mundo. Unde majus cepi solatium, & gratias illi egi pro tot favoribus, quos mihi exhibebat.

§. II.

ALiàs manè, collecta more solito, sustuli oculos animæ, & conspexi Majestátem Christi Domini, stantis cum multis sanctis Angelis, summâ veneratione prosequentibus ac admirantibus sacratissimú mysterium, quod contemplabantur. Dominus tenebat in suis manibus hostiam, quæ in ipsis fuerat miraculosè confecta, & statim vidi ex ejus sacratissima Persona, & ex illius Divino pectore prodeuntem quâdam Divinam virtutem, quâ transubstantiabatur tota illa sacra Hostia modo tam admirabili, ac Divino, ut totus ille idem Dominus noster JESUS Christus, DEUS & Homo verus, qui ibi stabat, & tota ipsius virtus, ac Essentia Divina, & infinita, manens in suámet Persona, fuerit pariter in illa Hostia, quam in suis manibus habebat. Obstupui, & fui consternata, dixíq; intra me:

me: Quale est hoc mysterium? Christus Dominus stat ibi, unáque est in suis manibus? Huic meæ cogitationi respondit Dominus, dicendo: Quid consternaris? videtúrne tibi aliquid novi, quod vides? Nónne scis, quòd in ultima Cœna ipse ego consecraverim panem, & illam transsubstantiaverim in meum corpus, & sanguinem, ac in me ipsum? Hoc est mysterium, cujus tibi imago modò exhibetur. Fui attonita, dum aspiceré & intelligerem istud mysterium, ità ut possem dicere de hac veritate, quam credimus, atque confitemur de Consecratione Corporis & Sanguinis Christi Domini, non solùm esse veritatem Catholicam, sed fuisse illam à me visam oculis animæ adeò, ut de ipsa dubitari nequeat. Deditque mihi Divina Majestas tunc lumen, quo illustrata agnovi, quàm conveniens & necessarium fuerit, pro bono & remedio nostrarum animarum, hoc Divinum & excellentissimum Sacramentum.

§. III.

ALiâ vice, dum versarer coram sanctissimo Sacramento, contulit Dominus meæ animæ lumen, cum quo vidi sub illo sacro velo, & illis speciebus sacramentalibus existentem Christum JESUM Dominum nostrum, DEUM & Hominem vivum, & verum, totum ac integrum ipsius sacratissimum Corpus, & Sanguinem, atq; sanctissimam ejusdem animam, ac Divinitatem, totámque virtutem, modo tam sublimi & eminenti, ut ego illum nesciam verbis exprimere, aut declarare: quia ipsũ non vidi, sicut aliàs soleo, in specie Infantis, qualis erat in utero suæ Matris, neque in statura Viri adulti, qualis erat, dum cóversaretur cum hominibus; sed vidi illum totum ac integrum cum suo corpore, anima, & Divinitate, totáque suâ virtute ibi existentem; quæ res secundùm se est tam Divina, ac sublimis, ut non reperiam verba, vel figuras, quibus possim indicare aut exponere magnitudinem tam eminentis mysterij, ideoque licèt prædita essem magnâ scientiâ, si vellem quærere figuras & similitudines ad declarandum id, quod ibi vidi, mihi eveniret, quod pictori, qui artificiosissimè & ingeniosissimè vellet pingere quàm maximè repræsentativam imaginem cujuspiam Regis vel Principis, quæ tamen absoluta & effigiata quàm accuratissimè ac elegantissimè, nihilominus esset imperfecta, ac defectuosa in referendo, & repræsentando Principe vivo: quia est impossibile, ut figura æquiparetur figurato, aut sit verè ipsum illud, quod repræsentat, vel ut tribuatur vita ac substantia vivi Principis imagini, nec eo usque potest pertingere ars humana, cum quantacunque sua subtilitate, ac scientia. Hoc supposito, ut explicem aliquid de sacratissimo isto mysterio, quod vidi, volo uti comparatione & similitudine alicujus figuræ ex ijs, quas vocant anathemata, & quæ offeruntur Sanctis, confectæ ex cera Virgine pura & candida instar nivis, quæ applicata ad calorem ignis, dissolveretur converteretúrque tota in liquorem ejusdem cum ipsa substantiæ ac naturæ, ut de ipso posset verè dici, hac ratione esse in eo liquore totam substantiam illius figuræ, & ipsammet figuram. Ista comparatio licet aliquantùm conveniat huic mysterio, cùm in sanctissimo Sacramento per modum substantiæ sit tota virtus, & natura Divina Christi Domini, atque idem Dominus re ipsâ & personaliter, non tamen undequaque quadrat, tametsi illa figura, de qua sum loquuta, haberet vitam, & ipsam communicaret illi liquori, una cum sua substantia: quia in hoc Divino Sacramento non est Christus JESUS Dominus noster destructus, sicut destrueretur ea figura liquefacta, neque compressus vel compactus, sed integer, potens, & gloriosus, qualis existit in Cœlo ad dexteram sui Æterni Patris, ac proinde licet sit aliqua similitudo, nec tamen ista, neque ullæ aliæ similitudines humanæ possunt quadrare, & plenè exprimere istud sacratissimum mysterium. Atq; ampliùs dico, aliam adhibendo comparationem. Sol materialis, dum semper ad terram, & creaturas, quæ in ea reperiuntur, propagat suos radios, lucem, calorem, virtutem, & omnes suos influxus, vivificat illas, & conservat, in quo se videtur, nostro

modo loquendi, continuò Sol eviscerare, ac impendere & communicare cum suis effectibus ac influentijs, totam suam virtutem & substantiam ijsdem creaturis, dum ità illis dat vitam, quæ sunt ipsius capaces, producitque aurum, argentum, ac gemmas, & exequitur reliquos effectus: quos tamen producendo, manet integer in sua sphæra cœlesti, absque ulla diminutione, aut jactura sui, seu suæ substantiæ. Quod si præterea diceremus hunc eundem Solem manentem ità in Cœlo, dum influit, ac derivat suos radios in mundum, eidem influxui, & radijs, ac lumini suo substantialiter & verè incorporari, ità ut suscipiens radios Solis, susciperet in illis realiter & verè ipsum Solem, hoc sine dubio foret multum. Id verò ego dico, suo modo fieri in nostro sacratissimo mysterio, quia dum Sol Justitiæ Christus Dominus derivat influentias & radios suæ sacratissimæ virtutis, & sublimissimorum meritorum in sanctissimum Sacramentum Evcharistiæ, quo vivificat, & dat Esse, ac Divinam vitam gratiæ, illámque conservat omnibus creaturis, volentibus ipsum suscipere, quemadmodum debent, & infundit ac producit aurum pretiosissimum Amoris Divini, quo ditat animas, quæ illud in eo quærunt, atque argentum & gemmas absolutarum virtutum; non solùm producit hos effectus, sicut facit Sol materialis, atque etiam Divina ipsius Majestas in reliquis Sacramentis, verùm præterea patrat simul maximum illud prodigium, dignum suâ potentiâ, & bonitate infinitâ, superando vires omnis puræ creaturæ, quòd in his Divinis radijs & influentijs Divinæ ipsius virtutis, atque sublimissimorum meritorum, veniat personaliter ac realiter ipsemet Christus, unicum Bonum nostrum, & Dominus noster, totáque ejus sacratissima Virtus, & Corpus unà cum anima, ac Divinitate, præstantissimo illo modo, de quo disserui.

Hac ratione se explicabat Venerabilis Marina, confitendo se propterea, quòd nesciret, neque posset declarare ea, quæ sentiebat, quia in omnibus commemoratis advertebat se dicere minùs, quàm par esset.

§. IV.

SEd ampliùs illam DEUS erudivit, quia postquam intellexisset Christum Dominum existentem in Venerabili Sacramento, & in qualibet illius parte totum ac integrũ, non uti ibi suis potentijs externis, cùm id miraretur, dixit illi Divina Majestas: Quando existo in Divino Sacramento per admirabilem modum Divinæ Substantiæ, quem tibi exposui, intermitto sponte, & absque mei constrictione usum humanarum actionum, quem tamen habeo divinè & perfectè, ac proinde non oportet concipere carentiam usus harum actionum esse talem, qualis foret in quopiam humano corpore, quod earundem exercitio propter aliquam causam privaretur, ideóque esset valde imperfectum ac defectuosum: nam in me nec est, nec reperiri potest ullus defectus, vel imperfectio.

§. V.

ALiam visionem admirabilem ejusdem argumenti, & cum circumstantijs notatu dignis habuit multo tempore post prædicta, anno 1614, in Octava Corporis Christi.

Cùm, *inquit*, decumberem infirma in meo lecto, circa horam primam noctis; vidi aperiri parietem mei cubiculi, ac per illam aperturam, licèt esset parva, ingredientem Angelum, magnæ majestatis ac splendoris, habentem in manu sceptrum. Intellexi esse sanctum Gabrielem, qui adferebat nuntiũ nomine DEI sanctis quatuor Angelis meis contubernalibus, indicando ipsis, eos avocari: cúmque mihi humaniter valedixisset, discessit. Fui vehementer afflicta, timens, nè me DEUS vellet propter mea peccata privare tam bonâ societate, quâ fruebar; sed ipsi me sunt consolati, reddentes me certum, suum abitum cessurum ad meum solatium. Abiverunt Angeli, & ego mansi in hac afflictione ultra duas horas, postea verò vidi reserari Cœlos, & illam cœlestem Civitatem ardere totam Divino igne relucente, ac vehementi, resonante admirabili musica Angelorum; atque tum meus Custos, qui mihi assistebat, me abripuit in spiritu, & duxit

duxit ad Cœlum, ubi se mihi cum magno lumine manifestavit sanctissima Trinitas, Pater in specie ordinaria, in qua illum soleo videre; Spiritus sanctus coopertus nube, & Filius DEI eo ipso modo, quo existit in consecrata Hostia, qui est mirabilis, ùt fuit dictum: non potui tamen videre modum, quo se ibi constituit; sicuti, si quis videat valde artificiosum quodpiam opus alicujus fæminæ, & ignoret modum, quo illud fecerit, desideretque ipsum intelligere. Interea vidi Altare aliquantò demissiùs, ac meos quatuor Angelos ad quatuor angulos, quos agnovi, & Christus Dominus descendit propè ad altare, quo conspecto, præter morem sum mirata, & stupui tam infinitam majestatem, & magnificentiam. Infudit mihi Dominus magnum lumen, ut agnoscerem in ea repræsentatione hujus excellentissimi Sacramẽti, modum, quo perageretur transubstantiatio, atque sic mihi fuit plurimùm satisfactum, eò quòd viderim non solùm opus, sed modum etiam, quo peractum fuit, quem nulla valet lingua explicare. Eram quasi mihi ipsi erepta, eò quòd non possem sustinere tantam lucem, dum cognoscerem magnitudinem DEI, & meam vilitatem, quoadusq; finiretur visio. Tum mei sancti Angeli redierunt cum meo spiritu, méque edocuerunt, se non abivisse, ut emanerent, & me desererent, sed ut pro me præpararent aliquid ex ijs bonis, quibus fruuntur Cœlites.

CAPVT XXVI.

De alijs stupendis Visionibus, concernentibus idem mysterium Sanctissimi Sacramenti, nec non Divinitatem Christi Domini, & quomodo Pater ac Spiritus Sanctus ibidem unà cum ipso existant.

DEanno in annum DEUS augebat magnitudinem visionum, revelando illi id, quod est gloriosissimum, & arcanissimum, de hoc Divino Sacramento, ùt ipsa refert hunc in modum,

§. I.

SEquenti anno 1615. dum die Jovis sancto agerem cum DEO, audivi in supremo Cœlo, ubi erat Divina Majestas, cum beatis spiritibus resonantem cœlestẽ musicam, & cantum lætitiæ, jubili, ac laudis, intermixtis luctuosis lamentationibus: quibus auditis, fui rapta in ecstasim, & reperi me in supremo illo Cœlo, cum meis quinque Angelis. Incepi contemplari illa cœlestia tabernacula, & admirabilia, quæ mihi in ea cœlesti Jerosolyma manifestabantur. Subitò vidi circa magnam Arcem, & Palatium (in cujus medio erat Castellum elegantissimum) ambulantes optimè coordinatos ac dispositos multos Angelos, indutos splendidissimis vestibus, quamvis non absque admixta aliquâ tristitiâ ac dolore, qui instrumentis musicis, & vocibus suavibus edebant illam cœlestem musicam. Postquam transivissent quasi infiniti; vidi venientem aliam maximam multitudinem eminentissimorum spirituum, qui omnes erant induti veste candidâ instar nivis, & gestabant manibus candelas accensas. In medio illorum procedebat quidam Dominus infinitæ majestatis, quem nunquam videram; sacræ ejus vestes erant adeò mysticæ, & tam significativæ ipsius magnitudinis, ut nunquam potuerim intelligere, aut advertere, quales fuerint: habebat caput discoopertum, capillum protensum, & compositum, atque in suis sanctissimis manibus portabat juxta suum divinum pectus Hierothecam Eucharisticam, eleganter coopertam, cui imminebat Spiritus sanctus, in specie parvæ Co-

væ Columbæ, speciosissimæ ac Divinæ, & candidæ, instar nivis. Dum quàm attentissimè aspicerem Majestatem tanti Domini, cognovi ex illustratione, quam tunc habui, esse sacratissimam Personam DEI Patris. Hunc Dominum sequebatur infinitus populus Civium & Palatinorum illius cœlestis Patriæ, Regum, Imperatorũ, Principum ac Magnatum, ex diversis statibus, qui omnes gestabant sua insignia in pectore, conformia virtutibus ac donis, quæ acceperant à DEO, viventes vitâ mortali. Hunc in modum procedebant etiam infiniti Beati ex statu Ecclesiastico, & similiter ex omni hominum conditione. Ex fæmineo sexu erant infinitæ animæ beatæ, quibuscum ibat sacratissima Virgo Domina nostra, quam tota ista multitudo comitabatur. Taliter pervenerunt ad portam illius magni Castelli, ubi omnes substiterunt, seque suo ordine collocaverunt, ille verò Dominus Majestatis pervenit ad portam, & ingressus est solus intrò, quasi ad unum passum, ibique in quodam theatro, seu altari reliquit operimentum Hierothecæ, quam in suis sacratissimis manibus portabat, & conversus ad totam illam infinitatem Beatorum Spirituum, qui omnes erant prostrati, & canebant, atque tractabant instrumenta musica cum insigni harmonia & suavitate, ostendit illis quandam imaginem ac repræsentationem sublimissimi Sacramenti Eucharistiæ, & ego ex speciali illustratione agnovi Christum JESUM, Dominum nostrum, DEUM ac Hominem verum, existentem in Sacramento, ejusque sacratissimum Corpus, & Animam ac Divinitatem, & totam Divinam virtutem, illius merita, & valorem ac pretium infinitum ipsius sanguinis, effusi pro nostra salute ac remedio, tam mysticè ac eo modo, ut cùm illustrata à DEO, ista ibi omnia & Magnalia Christi Domini, unico puro & simplici intuitu perspicerem, tamen quasi nihil viderem aliud quàm solum mysterium hujus Divini Sacramenti, etiam viderim altissimum mysterium Beatissimæ Trinitatis, & dictum Dominum non contractum, neque confusè, sed admodum distinctè, & in eadem magnitudine, eáque omnipotentiâ præditum, nec non majestate, & authoritate, cum qua existit in cœlo, ubi adoratur ad dextram sui æterni Patris. Postquam hoc vidi, resonante illâ Divinâ musicâ, Majestas illius Domini, se vertit secundò, junctis suis sacris manibus, ad omnes illos Beatos Spiritus, & animas sanctas; datáque omnibus suâ benedictione, cum singulari majestate & amore, redivit ad suum Regium Castellum, ego autem fui rapta in magnam ecstasim, cum meis sanctis quinque Angelis, & paulò pòst me reperi in meo angulo.

§. II.

ALiàs mihi Christus Dominus ostendit in isto sanctissimo Sacramento magnitudinem suæ Divinæ Essentiæ, hoc modo: Cùm me præpararem ad communicandum, adverti & vidi in intimo meo corde præsentem Christum JESUM Dominum nostrum, DEUM & Hominem verum, cum longè ardentioribus affectibus, quàm dum sumo Divinam Majestatem sacramentaliter. Tunc temporis venit Sacerdos, ut mihi porrigeret Sacram Eucharistiam, atque suscepto Domino, vidi illum multò apertiùs, & clariùs, ac distinctiùs, & obstupescens, quod viderem Majestatem tanti Domini, tantùmmodo ipsum aspiciebam admirabundà, cum amore, & reverentia, nihil illi dicendo. Ille quoque me amanter intuebatur, & cum magna majestate, atque graviter; & similiter mihi nihil dicebat. Aliquantò pòst mihi dixit cum exhibitione amoris, & modo gravi: Quid vis? visne aliquid? Tum eram modicùm turbata; siquidem ea animum meum subibat cogitatio, quòd mihi fuerit aliquid pro meo solatio petendum, cùm me de eo Dominus interrogaret, ideóque respondi celerrimè, desiderans nihil velle aliud, quàm quod vellet DEUS: Non Domine, ego nihil volo. Divina Majestas verò, ostendens vultum hilarem, & gravem, mihi dixit: Adverte bene, utrùm aliquid velis. Dum audirem id, quod mihi eo modo dicebat Dominus, attonita ipsum reverenter aspexi, ac dixi: Tu Domine

mine novisti meum cor, & intima mea. Tunc Dominus respondit: Modò igitur à me suscipe hanc misericordiam. Et ostendit mihi subitò, ac manifestavit pro meo captu, suum Divinum Esse, suam magnitudinem & potentiam infinitam, adeò ut hîc mihi fuerit communicata magna cognitio Majestatis JESU Christi Domini nostri, DEI & Hominis veri: atque ità fui repleta solatio, sed & egregiè humiliata, nec non confusa, eò quòd susciperem à Divina Majestate tantas misericordias.

§. III.

FEriâ quintâ Cœnæ Domini (in Martio anno 1622.) graviter ægrotans, vidi prorsus inopinatè quoddâ quasi conclave plenum Angelis elegantissimis, & splendidè vestitis, atque intrà illud repræsentatam hostiam ejus magnitudinis, cujus sunt illæ, quas consecrant Sacerdotes, & in ipsa conspexi tres particulas sanguinolentæ carnis, quarum duæ erant majores, una verò minor, sub cæteris. Ibi ex Divina illuminatione cognovi, in singulis illis tribus particulis carnis existere Christum Dominum integerrimum, & esse tamen unicum. Existebat autem ibidem integer ac distinctus modo admirabili ac Divino, quem equidem nescio explicare: sed in eo, quod erat album in hostia, nihil præter carnem conspexi, verùm è regione ipsius vidi mysterium Sanctissimæ Trinitatis, sub quadam spiritualissima ac Divinissima specie, & tres Divinas Personas distinctissimas, quæ licèt sint tres, sunt tamen una Divina Essentia, atq; hoc mihi DEUS clarè manifestavit. Ab isto sacro mysterio Sanctissimæ Trinitatis, derivabatur ad eam sacram Hostiam tota virtus & sublimitas illius Divinæ naturæ, modo quodam ineffabili, quod me majore affecit stupore, & rapuit in majorem ecstasim, in qua diu perduravi. Deinde vidi Beatissimam Trinitatem paulatim appropinquantem Hostiæ, quoad usque se tota cum illa conjungeret, ipsique communicaret. Ubi vidi Personam Filij DEI unitam sanctissimo Corpori Christi Domini, eidémque quasi principaliùs assistentem, duæ verò Personæ Patris, & Spiritûs Sancti, illic etiam erant modo quodam speciali, ac tam admirando, ut ego ipsum nesciam declarare. Erat magna majestas & magnificentia, quam ibi præseferebat Christus Dominus. Angeli, qui aderant, cantabant pulchro tono hymnum: *Pange lingua gloriosi, &c.* quamvis ego non attenderim magnopere ad musicam, cùm essem tota absorpta in mysterio.

§. IV.

ALiàs, in Festo Corporis Christi (in Junio, anni 1618.) agens quadam nocte cum DEO, passa sum ecstasim, intereáq; me reperi in cœlesti Jerosolyma, ubi vidi gloriam, & beatitudinem, quantùm mihi illam pro meo captu DEUS voluit communicare. Post duas horas redij ad me, agénsque cum Domino, vidi oculis meæ animæ, quasi illucesceret, ac oriretur quidam Sol mysticus, habens plurimos radios ex purissimo auro, relucentes & claros, qui suis cuspidibus feriebant & incendebant universam Christianitatem; totus rotundus discus istius Solis apparebat instar pretiosæ & purissimæ carnis, mirè coruscantis, instar præstantissimi ac pellucidi rubini, in cujus medio conspexi Majestatem Christi Domini, DEI ac Hominis veri, totam ipsius virtutem, sacrum ejus corpus, animámque sanctissimam, & ejusdem Divinitatem, ac totam Beatissimam Trinitatem, quasi per concomitantiam. Existebat ibi Divinus iste Dominus, sicut existit in Venerabili Sacramento, obvelatus in eo mysterio purissimæ & splendidæ carnis: non vidi ullam ibi speciem & figuram humani corporis, verùm admirabiliter cœlitus à DEO illuminata, vidi eundem Dominum integerrimum, & gloriosum, qualiter à me visum dixi aliàs, ad eum modũ, quo videretur, neque agnosceretur Persona Regia; ità nimirum, adeóque tectè ac dissimulanter absconditum intrà ejusmodi ornatus, figuras ac formas quasdam transparentes, ut quamvis ipsum viderem & agnoscerem, meus tamen intellectus non potest assequi vel percipere, quali modo

do & arte illic existeret Persona Regia, quia dum illam intueretur & cognosceret, ità sese occultabat, ut unà existimaret, eam à se non videri. Durante eo spectaculo, vidi infinitos Angelos, cum magna admiratione & reverentia adorantes illud sacrum mysterium, ac Divinam Sapientiam, & Potentiam DEI Domini nostri, qui talia mysteria est operatus pro sua infinita bonitate, & amore, quo amavit hominem. Subitò inceperunt ex eodem Domino erumpere ac prodire radij Divini splendoris, qui ità se extenderunt, ut cùm pertingerent ad meum pectus & animam, totus hic Dominus eam intimè penetraverit, séque illi impresserit in eadem specie, in qua ipsum extra me videram: atque biduo vel triduo semper ipsum intuebar intrà me taliter existentem. Post unam horam adfuit tempus sacræ Communionis, quâ peractâ, vidi Majestatem Christi Domini intrà meâmet animam, in illa Hostia consecrata. Non erat ibi constrictus, neque parvus, sed magnus, & in sua statura gloriosa, non occupando locum, quem videtur alioquin requirere ipsius magna Majestas. Dum simul contemplarer intra me hunc Dominum dictis duobus admirandis modis existentem, mea anima vehementer affligebatur, ac timebat, & amplectebatur veritatem nostræ Fidei de Divino Sacramento, dicebátque: Hic existit meus DEUS, ipsum ego sumpsi sacramentaliter, sicut me docet Fides: & conabar me distrahere, ac avertere oculos à mysterio, quamvis mihi id parùm prodesset. Cùm Dominus animadverteret illum meum timorem, dixit mihi: Marina, magnopere times; verùm ità perge, & esto certa, quòd, si taliter timerent animæ, non circumvenirentur tot illusionibus, utì fit. Post longum deinde tempus mihi dixit Divina Majestas quàm amantissimè: Agè Marina, cessent jam tui timores ac turbationes, non enim habes, quod timeas. Dic, quare turberis? ideóne, quòd me videas in tua anima duobus miris modis existentem? Et nónne me vidisti aliàs extra te ipsam, tuâ opinione, etiam duobus admirandis modis, ut dum tibi manifestavi Beatissimam Trinitatem, & vidisti tres Divinas Personas, unáque me DEUM ac Hominem verum in mea specie gloriosa. Cùm ità sit, cur tantopere times? Hoc audito, fui internè pacata, egíque ipsi gratias pro tantis misericordijs.

CAPUT XXVII.

Quomodo viderit Christum Dominum in Sacra Hostia, in varijs admirabilissimis figuris, & quâ ratione super omnia æstimaverit vivam Fidem hujus Mysterij atque principalem fructum Communionis.

ALias visiones habuit admirabilissimas, dum se illi Christus Dominus præbuit spectandum in sacra Hostia, varijs in figuris & speciebus, quas propterea assumebat.

§. I.

INprimis in Sacrificio Missæ habuit multas visiones, tametsi bene sibi esset præsens quando erat audienda ex præcepto, die Festo, adeò ut pro viribus conaretur ad illam attendere, nè penitus à sensibus alienaretur, id, quod illi Dominus concedebat.

Quodam die Quadragesimæ, *inquit*, eo tempore, quo elevabatur consecrata Hostia, vidi Christum Dominum exhibentè in suo Divino vultu indicia gravis tristitiæ ac doloris, ità verò vivacissimè demonstrabat magnam afflictionem, quam ipsius anima senserat illis diebus proximis sacræ ejus Passioni, dum animo revolveret tanta tormenta, quæ tunc erat passurus pro nostris peccatis. Et verò erat vultus tam lamentabilis, ut præ commiseratione, ad quam

quam movebat, cor disrumperet. Sed alio die, dum attolleretur sacra Hostia, ostendit mihi in illa Dominus, modo Divino, expressa ac designata mysteria & gesta sacræ suæ Passionis, adeò ut clarissimè repræsentarent dolores Salvatoris. Dum essem intenta huic spectaculo, vidi ex illa imagine, quæ erat in Hostia, prodeuntem quandam virtutem, & radios, suis cuspidibus ferientes mei cordis medium, & animæ, quam reddebant participem bonorũ ac thesaurorum, quos Christus Dominus acquisivit ijs doloribus ac tormentis: id quod ego vehementer sum mirata, exarsique idcirco Divino Amore cum tanta vi affectuum, ut mysticè, non sine acri dolore fuerim ab Amore Divino vulnerata, ac transverberata, forti quodam clavo, qui cor meum confixit.

Aliàs mihi dixerat DEUS, quod mihi esset manifestaturus arcana suæ Justitiæ, atque dum aliquando manè essem collecta, vidi calicem ex auro conflatum & argento purissimo, cui imminebat sacra Hostia, & quamvis illam aspicerem, non poteram intelligere, qualis esset: quia partim apparebat instar candidæ & elegantissimæ nubeculæ, partim verò eadem nubecula ità suavissimo & vehementissimo, ac efficacissimo igne ardebat, ut videretur tota in ignem illum esse transmutata. Subitò autem elevatis oculis, vidi circa eã sublimes in aere Angelos, qui ipsam aspiciebant cum magna reverentia & attentione, obstupefacti ac attoniti, & conficiebãt quoddam quasi tabernaculum, aureo coopertum tegumento, elegantissimè exornato, ex cujus quibusdam partibus prodibant velut igneæ linguæ, imminentes illi calici, & superpositæ Hostiæ. Circumspexi deinde, & vidi juxta sanctum istum Calicem Christum Dominum, suâ solitâ conspicuũ gravitate & majestate, qui aspiciebat dictum calicem, & superpositam ipsi Hostiam. Atque dum contemplarer omnia ista mysteria, vehementer obstupescens, & nescirem, quid significarent, dixit mihi Dominus: Attolle oculos, & aspice, quia plura tibi supersunt videnda. Elevatis igitur oculis animæ usque ad Cœlum, vidi Majestatem DEI Omnipotentis, cujus Divina Justitia quodammmodo irascebatur, terribiles intentans minas quibusdam populis, qui erant obstricti gravibus peccatis, & miserabiles, quorum miseriam ego agnoscebam. Vehementer dolebam & affligebar; atque tunc mihi Christus Dominus aperuit significationem horum omnium, dicens, mysterio illius sacræ Hostiæ superpositæ calici, significari pretiosum ipsius sanguinem, qui profusus tanto cum amore & misericordia pro peccatoribus, clamat ac intercedit semper pro illis apud Divinam Justitiam. Atque hic, *ajebat*, sacratissimus sanguis, unâque Divinum Corpus oblatum quotidie in sancto Missæ Sacrificio, est tantæ virtutis & valoris, ut propter ipsum ignoscatur peccatoribus, ac tolerentur populi, qui mererentur destrui propter sua enormia peccata. Quibus auditis, dixi ad Dominum cum lachrymis, & magno dolore: Quid ergo Domine mi, & Dilecte animæ meæ, jubet Tua Majestas me facere? aut quid petit à me, postquam mihi ostendit hæc mysteria? Respondit mihi Divina Majestas: Nè te affligas: Scias tibi id à me esse ostensum, ut ores pro his afflictis, atque in necessitate constitutis populis, quos vidisti. Et cùm animo revolverem magnitudinem Divinæ Justitiæ, quam non videbam ampliùs, respondi: Sacratissime mi Domine, quid poterit vilis vermiculus terræ facere, aut obtinere ab illa suprema Celsitudine & Majestate nostri DEI ac Domini? Noveris, *ajebat Dominus*, Orationes Fidelium, quæ peraguntur in charitate, & gratia DEI, quam acceperunt à me, & propter quam sunt grati & accepti Æterno Patri, multùm valere, & multùm prodesse, propter amorẽ, quo DEUS ipsos complectitur, & ex quo dignatur illis gratificari, ac implere eorum bona desideria, & voluntatem in eo, quod ab ipso petunt. Hoc dicto abivit Dominus, & ego vehementer compatiebar illis desolatis populis, rogando perpetuò Divinam Majestatem, ut eorum misereretur, atque præterea novâ & speciali devotione

ferebar erga sanctum Sacrificium Missæ, adeò ut per multos dies pòst, nunquam potuerim satiari audiendis Missis.

Hinc etiam proveniebat ingens aviditas, quâ desiderabat videre sacram Hostiam, quando elevabatur tempore Missæ.

Quadam vice, *inquit*, cùm essem in Templo Domûs Professæ, acclinato capite, propter meam debilitatem, ad primum murum arcûs Sacelli Beatæ Virginis Lauretanæ, adeò ut alter murus mihi tolleret conspectum summi Altaris, ubi tunc dicebatur Missa, dum pulsaretur campanula, quæ pulsari consuevit, quando elevatur sacra Hostia, dixi ad Dominum: Ah mi Domine, non possum te hîc videre, & vix me possum erigere. Tunc mihi Dominus respondit: Manè hîc, quia hîc me videbis; & ecce cùm elevaretur Hostia sacra, conspexi illam oculis animæ, atque Christum Dominum inde ubi sedebam, quod me affecit solatio, reddiditque pacatam, & liberavit ab omni turbatione, quam anteà habueram.

§. II.

APpropinquante Festo Corporis Christi, postquam fuissem valde afflicta aliquot diebus, dixit mihi Dominus quàm amantissimè: Consolabor te speciali visitatione in Festo, quod celebratis ob memoriam Instituti Sacramenti Corporis mei & Sanguinis. Hæc promissio mihi attulit solatium, & expectabam ut impleretur, jam enim sciebam id velle DEUM. Festum autem non fuit celebratum nisi post duos menses, & quinque diebus antè vidi in oratione oculis animæ, Christum Dominum sedentem in valde pretiosa sella, ac vestitum sumptuosissimâ & elegantissimâ togâ talari, quantumcunq; autem illam aspexerim, nunquam potui intelligere, qualis esset, sed videbatur esse ex pretiosissima purpura. Facies Domini ità resplendebat, ut illum non potuerim intueri, & circa ipsum stabant multi Angeli, quos tamen non aspexi, siquidem totus animæ obtutus erat intentus contemplando Domino, & quia illum necdum eo modo videram, dixi: Mi Domine, quid est hoc? Quare tua Majestas sic est ornata? Propter Festum, *inquiebat*, quod celebratis, mei Corporis & Sanguinis, ut intelligatis, esse mihi gratum, ac placere. Et qualis est, ajebam ego, Domine hæc toga, tam sumptuosa, ac elegans? Respondit mihi Divina Majestas: Hæc toga repræsentat ac significat gloriam æternam, & virtutes meæ Humanitatis; unde non est mirum, quòd nequeas intelligere ipsius colores & pretium. Hoc dicto, Dominus à me abijt, & ego mirabar id, quod videram; sed in Festo sanctissimi Sacramenti stetit promissis, quo mihi ter quatérve comparuit in Hostia consecrata, cum illo splendore, & eâ veste pretiosâ, in qua illum videram ante quinque dies, in mea collectione; & dum ipsum contemplarer tantâ præditum majestate, abripiebatur ab illo mea anima, gaudens, quòd ipsum videret coli, & honorari, atque glorificari à suis creaturis, videbárque mihi illum semper conspicere oculis animæ, in illa specie, per totam octavam, & interdum mihi loquebatur, pandebátque sua arcana.

§. III.

ALio anno, in generali supplicatione, quæ eo die instituitur Vallisoleti, manè vidi intrà Hierothecam Eucharisticam in sacra Hostia Christum Dominum, indutum veste candidâ pretiosissimâ, totâ elaboratâ opere Phrygio, & exornatâ purissimo auro, ac pretiosissimis lapidibus. Ibat pedes, manibus aliquantùm elevatis, & ab invicem sejunctis, cum magna gravitate & majestate. Licèt autem Hierotheca esset exigua, erat tamen & habebat in eo locum sacratissimum ipsius Corpus totum, illius staturæ, quam Divina Majestas habet, & qualem ordinariè video competentem ætati triginta ac trium annorum: circumdabatur ab Angelis, qui erant induti candidis vestibus, & progrediebantur aliquantùm ab illo remoti, cum summa veneratione. Videns igitur ego meum Dominum in medio suarum cœlestium & terrestriâ

restrium creaturarũ adeò ab omnibus honorari, adeóque suâ propriâ abundantem gloriâ ac majestate, affluebam summo gaudio, toto tempore, quo duravit ea visio, ità ut nullius possem tunc alterius rei meminisse.

Hoc modo ipsum spectavi sex septémve vicibus intrà istam Octavam in supplicationibus; & quodam die, dum sacrum Ferculum, finitâ supplicatione, esset repositũ ad Altare, conjectis oculis in sanctissimum Sacramentum, vidi Majestatem Christi Domini, sicut illam videre consuevi: verùm sacratissimus ipsius vultus erat quasi accensus, & inflammatus, eum in modum, quo gravis aliqua Persona & prudens, peracto quopiam exercitio corporali, se ostenderet nonnihil fatigatam: demonstrabat tamen etiam in suo vultu tantam authoritatem, imperium, & potentiam, ut mirarer. Consternata hac novitate, dixi illi, quamvis me summè puderet istius alloquij: Mi Domine, & Dilecte animæ meæ, unde provenit hæc fatigatio quam præ te fers, cùm in tua sacratissima Persona non habeat, nec possit habere locum lassitudo, vel labor? Respondit Divina Majestas: Exhibui me talem, ut videres, quomodo tui causâ fatigatus fuerim, cùm viverem in terra, scirésque me tunc fuisse solitum fatigari, tanquam verum Hominem. Postea Sacerdos accessit exempturus ex Hierotheca sacram Hostiam, neque sinè magna difficultate illam eximebat, eò quòd valdè arctè esset conclusa, erátque mirum visu, quòd etiamsi Sacerdos multùm moveret Hostiam, Christus tamen Dominus in ea specie, in qua ego ipsum ibi videbam, non moveretur, sed semper maneret quietus, summa cum serenitate, & gravitate; atque eodem modo, quando incedebat in humeris Sacerdotum, tempore supplicationis, non se movebat ex una parte ad alteram, sed continuè procedebat æquabiliter, cum magna majestate. Dum autem viderem præsente hoc Domino quosdam colloquentes de rebus tametsi inculpabilibus, & incuriam, cum qua nonnulli versabantur coram tam Excelso Monarcha, videremque Divinam Majestatem tacentẽ, ac omnia dissimulantem, quasi non videret, vel non audiret, quæ agerentur vel dicerentur, consternabar eâ bonitate, patientiâ, & mansuetudine, quam demonstrabat, eáque ratione agendi cum suis creaturis, & quòd se ità permitteret ab illis tractari: siquidem se Christus Dominus, erga omnes illos, eo, & incomparabiliter benigniore gerebat modo, quo magnus aliquis, sapiens ac potens, & clemens, inprimísque affabilis Dominus, ex mera sua bonitate toleraret suos famulos, quos singulariter amaret, atque licèt ab ipsis videret inadvertenter & inconsideratè committi errores, se præsente, illos tamen dissimularet, ac præseferret eos à se ignorari, séque nihil audire, nè castigaret delinquentes.

Alio præterea anno, in una harum Processionum, vidi Christum Dominum intrà sacram Hostiam, tanquam Regem pretiosissimâ redimitum coronâ, indutum splendidissimè vestitu Regio: comitabantur illum, serviebántque ipsi plurimi Angeli, ac Spiritus Beati; sed ij, qui ipsum videbantur gestare quasi in humeris, & à quibus se permittebat bajulari, erant homines, quod ego haud parùm admirans, dixi illi: Itáne se tua Majestas tradit hominibus? séque dignatur committere eorum manibus? siccine Domine, cùm tibi inserviant, téq; comitentur Angeli, te tradis hominibus, & in eorum collocas manibus? Respondit Dominus: Ità me trado, volóq; me illis tradere in cibum & escam, ut hac ratione vivant vitâ Divinâ, transformentúrque in me. Propterea enim veni in mundum, ut eos quærerem ac redimerem, ideóque me ipsis quàm libentissimè donare volo. Finitâ supplicatione, Sacerdotes reposuerunt Dominum, cum magna reverentia, in sacro Tabernaculo: sed quia ità eram incensa, & absorpta eo, quod videram ac audiveram, dixi, nesciens quid dicerem, ùt mihi in hujusmodi rebus solet accidere, siquidem mihi ipse Dominus suggerit verba: Domine mi, & Dilecte animæ meæ, nónne Tua Majestas venit fatigata?

tigata? Respondit mihi: Non, Amica, sed venio omnino indefessus. Itane, ajebam ego, indefessus & contentus? sed exiguo nostro comitatu, qui sumus tuæ pauperes creaturæ. Tum Dominus dixit, quod me magno affecit solatio: Animæ, plus valent, mihique placent, sinè comparatione, pauci boni, & pauperes, quàm multi divites hujus mundi: quia priores me delectant, recreant, mihique satisfaciunt, & in ipsis conquiesco: posteriores autem me molestant, mihique vehementer displicent. Hi namque sunt picti Gigantes, quos videris efformatos pro solennitate meæ Processionis, qui apparent magni, robusti, pulchri, & elegantes, ac adornati, cùm tamen sint nihil, paxilli, bractea, ac falsum sericum, careántque vigore ac vitâ. Quibus verbis auditis, valde fui confusa, & istis sum compassa, illis verò gratulata.

§. IV.

Non omittam tamen monere, quòd, licèt istæ visiones essent tam æstimabiles, cor ipsius fuerit longè magis intentum Regiæ ac veræ præsentiæ, quâ Christus Dominus existit in Sanctissimo Sacramento, quod nos docet Fides: in hac enim nequit vel umbra requiri fallaciæ. Ut id confirmem, dicam, quod ipsi contigit, dum quidam Pater Societatis diceret Sacrum pro illa communicanda in ipsius Oratorio. (Anno 1617.) Vidi, *inquit*, venientem ex cœlo Christum Dominũ cum magna majestate, qui se incorporavit cum Sacerdote, sicut solet ignis penetrare ferrum, impositum ustrinæ, adeò ut cùm aspicerem Sacerdotè, viderem in ipso Christum Dominum. Talis erat, donec veniret ad porrigendam mihi sacram Hostiam, non absque magna consternatione, ac timore meo, propter novitatem hujus visionis. Communicavi autem quietè, vehementérque gaudens, quòd haberem intrà me Christum Dominum, & dixi: Hoc utique est certum, ac securum, & sunt veritates fidei, cui non potest subesse deceptio. Respondit vero Dominus: Quamvis ità se res habeat, est nihilominus etiam, quidquid ego dico & facio, indubitanter verum: sum enim ipsa veritas. Tunc vidi Christum Dominum intrà me tantâ majestate mihi exhibentem suam Omnipotentiam, ut idcirco magnopere timuerim, fuerimque attonita, sicut si aliqua formicula esset apud pedes Gigantis, à quo posset conculcari.

Magis mystica fuit alia revelatio, in qua ipsi una manifestavit Christus Dominus fructum & effectum principalem Communionis esse, quòd DEUS inhabitet animam in hac vita, & in æterna per magnam unionem amoris.

In Octobri anni 1622. postquam, *ait*, suscepissem à Domino extraordinarias misericordias, per varias apparitiones, dum communicarem cum meis timoribus, dixi ad Dominum: Saltèm, Domine, hoc est infallibile, quod me docet fides, te hic existere. Divina Majestas mihi respondit: Ità, verum est, sed etiam veræ sunt gratiæ, quas tibi confero. Et postquam communicavissem, vidi intrà me Christum JESUM Dominum Nostrum, in illa specie, in qua ipsum sumpseram, cum tanta claritate, & certitudine, ut viderer mihi non amplius credere illud mysterium, quod mihi videbar intueri, quamvis Fides nunquam imminuatur. Tunc mihi dixit Dominus: Anima, *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Post quod dictum mihi fuit repræsentatum intrà me totum mysterium Sanctissimæ Trinitatis, adeò ut illud viderim, & clarè agnoverim, quantùm in hac vita mortali DEUS se solet manifestare, & vidi, quòd Divinus ille Dominus fabricaverit intrà meam animam quandam habitationem ac domum, quam incolebat tota Beatissima Trinitas stabilissimè, & in eo denique conclavi collocabatur quædam grandis mensa, epulum vero, quod in ea proponebatur, erat ipse DEUS, & Essentia Divina, atque Gloria Domini, qui me invitavit ad eam Divinam Cœnam Agni. Ego me humi prostravi, non audens accedere: sed fui ab eo coacta, ut denique illam adiverim. Collocavi me fe-

xis genibus ad eam mensam, & Dominus ab illa assurrexit, méque spiritualiter communicavit. Tota fui absorpta, quòd viderem tale mysterium, & quando sum ad me reversa, reperi me cum meo Domino, sicut antea.

CAPUT XXVIII.

Quomodo illi Christus Dominus ostenderit solennitates & processiones, quas Beati celebrant in Cœlo, ob honorem Sanctissimi Sacramenti, & modum quo celebrantur.

CUm Venerabilis Marina tantis cumularetur gratijs à DEO, in supplicationibus Sanctissimi Sacramenti, quando propter suas continuas infirmitates illis non potuit interesse, voluit ipsam ejusdem Majestas recreare eo tempore, repræsentando illi Processiones, quæ in cœlo mysticè ab Angelis celebrantur, & Beatis, gaudentibus propter beneficium, quo sunt fruiti, & nos fruimur in mundo. Hoc ipsi dixerunt sancti Angeli, illi cohabitantes, quos in quadam Vigilia Corporis Christi (anno 1617.) Vidi, *ait*, exornatos elegantissimis monilibus, quæ erant confecta ex pretiosis lapidibus diversorum colorum, in quorum singulis erat quasi impressum modo quodam mirabili aliquod mysterium Christi Domini, in hoc Incarnatio, in illo Nativitas, atque ità reliqua in alijs. Dum id mirarer, dixerunt mihi: Nos sumus tanquam ephebi Regis cœlestis; & sicut Reges solent dare quibusdam suis specialiter dilectis ephebis aliquid ex suo vestitu, ità Rex noster nobis dedit hæc vestimenta, quæ vides. Constet tibi hoc vespere inchoari magnam solennitatem in Cœlo, propter singularissimam misericordiam, quam DEUS hominibus exhibet, manendo cum ipsis in sanctissimo Sacramento; & in Beatissimam Virginem Dominam nostram redundare magnum honorem in hoc festo, eò quòd fuerit Arca, in qua fuit clausus Filius DEI, factúsq; est homo, idem ipse, qui existit in sanctissimo Sacramento. Tum subitò inceperunt magnificè deprædicare Beatissimá Virginem, *atque ipsius Immunitatem à peccato, jam indè ab ejus Conceptione*, ac deinceps per totam vitam, assumptísque suis instrumentis musicis cecinerunt divinè.

§. I.

IN Festo Sanctissimi Sacramenti (in Martio anni 1622.) mei Domini Angeli mihi cohabitantes, me duxerunt in spiritu ad cœlestem Jerosolymam, & præsentaverunt DEO Domino nostro Trino & Uni, ubi mihi Divina Majestas dignata est ostendere clarissimè mysterium sanctissimæ Trinitatis sub certa specie, & figura, & in medio illius Divini pectoris, modo quodam admirabili, vidi mysterium Sanctissimi Sacramenti Altaris. Paulò pòst conspexi sanctum Archangelum Michaëlem, indutum pretiosâ veste gloriæ. Habebat is in suis manibus vexillum eorundem colorum, & in ipsius apice Crucem ex pretiosissimo auro, atque in illa designatam Hostiam, quæ erat Figura hujus Divini Sacramenti, videbatúrque esse in ea Dominus. Hoc modo sanctus Archangelus, cum comitatu multorum Angelorum, similiter vestitorum, dulcitérque concinentium, circumibat totam illam Patriam cœlestè, & per viam erant utrinque Ordines Angelorum prostratorum in pavimento illius Cœli, qui quàm humillimè adorabant illum Dominum, & sanctus Archangelus utrinque tangebat Angelos vexillo. Finitâ hac Processione, Sanctus Archangelus Michaël constitit coram Beatissima Trinitate, ibique in Cœlo inclinavit hastam vexilli,

li, quod prostravit coram Divina Majestate, unáque omnes sancti Angeli, & sanctus Archangelus peroravit, dicendo: supplex te oro, DEUS ac Domine noster magnæ majestatis, Omnipotens, Infinite, Immense, nomine omnium spirituum cœlestium, ut in nostri gratiam digneris conservare & augere in tua sancta Ecclesia, atque in tuis fidelibus devotionem & venerationé erga hoc Divinum Sacramentum. DEUS auditâ ipsius oratione, quàm gravissimè & affabilissimè respondit, esse exauditas à se ipsius & Spirituum Beatorũ preces, ostenditque ità fore, ac dedit illis suam Benedictionem. Statim se omnes erexerunt, atque singuli comparuerunt adornati veste splendidiore mille Solibus, & unusquisque seorsim visus mihi est tantus, ut fuerim consternata, dixerímque: Si unicus Angelus, creatura istius Domini est talis, qualis erit ipse Dominus, à quo sunt omnes conditi? nam non tantùm vidi, quod exteriùs comparebat, sed etiam mihi Dominus manifestavit, illuminando me, excellentiam naturæ Angelicæ. Insuper me exornavit Dominus eodem vestitu, eodémque indumento, quamvis diversimodè. Taliter ibi sum satis diu morata, fruendo illis Divinis & fortunatis bonis.

Alio die, intrà octavam, vidi descendentes ex Cœlo innumerabiles Angelos, splendidè ornatos, qui omnes simul adhibitis musicis instrumentis concinebant laudes DEI, ac Hymnum de sanctissimo Sacramento: *Pange lingua*, exquisitâ melodiâ, & cœlesti musicâ: instituerunt longissimam Processionem, alij verò quandá repræsentationem Mortis ac Passionis Dominicæ, nec non institutionis sanctissimi Sacramenti, quæ Divina mysteria ego à DEO illuminata cognoscebam. Et subitò vidi Christum Dominum in ea specie, quam habuit vivens in mundo, erátque tanta magnificentia & majestas Divini ipsius vultus, ut bene adverteretur esse DEUS & Homo verus. In manibus autem illius conspexi imaginem ac repræsentationem Sanctissimi Sacramenti, intrà quandam Hierothecam auream, & omnes Angeli adorabant illum Dominum, existentem in Sacramento, ac postea me adduxerunt, quæ ipsum etiam adoravi, dedítque nobis suam benedictionem. Postridie, ijsdem præmissis, & cantato eodem Hymno, dum perventum esset ad Versum: *Tantum ergo Sacramentum*, omnes se provolverunt in genua ad illum cantandum, & continuò vidi hoc mysterium in DEO Trino ac Uno, sicut in antecedenti visione.

§. II.

ALiam pompam ac triumphum solennissimum Angelorum illi spectandum exhibuit Dominus, postquam ipsi priùs manifestavisset bellum, quod gerunt cum dæmonibus, per hærecicos nostrorum temporum, crudeliter oppugnantibus fidem Sanctissimi Sacramenti, de quibus Angeli referunt gloriosam victoriam.

Cùm hoc vidissem, *prosequitur*, reperi me in conspectu cælestis Jerosolymæ, aliquantùm remotam, ubi vidi, quòd omnes ij Angeli, qui istam victoriam obtinuerant, flexis coram Domino genibus ei præsentaverint opus ipsius: Dominus autem illis fuerit bene precatus, qui subitò consurgentes, admirandis instrumentis atq; cantibus edebant suavem atq; cœlestem musicam, ut videretur ardere & conflagrare Cœlum amore DEI, ac laudibus mysterij Sanctissimi Sacramenti. Atque hoc modo pulcherrimè coordinati ac dispositi circumiverunt totam illam cœlestem Jerosolymam, unà cum infinitis Sanctis utriusq; sexus, Aulicis ejusdem & incolis ipsos sequentibus, in quorum medio procedebat Majestas Christi Domini, qui indutus erat vestibus regijs, & habebat coronam ex auro purissimo, ac pretiosis lapidibus, in suo sacratissimo capite, & in medio sui sacri pectoris, atque juxta Divinum suum cor gerebat impressum, & quasi intimè secum penetratum, admirabile & sanctissimum Sacramentum, in quo erat ipsemet Dominus. Et hoc mysterium ego videbam atque cognoscebam quasi per aliquam fenestram, quam habebat Dominus ante se, erátque ex auro obrizo, quod resplendebat instar Divini Solis. Tunc temporis jam mea

mea anima erat intrà cœlestem Jerosolymam, videns & agnoscens clarissimè, sibi à Domino communicatum esse illud Divinum Mysterium. Postquam omnes circumivissent illam Divinam Civitatem, steterunt in quodam loco maximæ majestatis & fortitudinis, ut videretur esse Divinũ quoddam & cœleste Castellum, ac sedes ipsius DEI, ubi Christus Dominus etiam stitit, vertitque se ad omnes illos Beatos Spiritus, qui ei inserviebant, & ipsum laudabant. Cùmque se omnes demisissent, Dominus Majestatis dedit illis suam sacratissimam benedictionem, ac tum mei Domini Angeli, meúsque Angelus Custos me duxerunt, penetrando per omnes alios, donec pervenirent ad pedes Christi Domini, prostraveruntque me coram ipsius Divino conspectu. Dum autem me rursum modicùm elevarent, Dominus admovit suam manum suo sacro pectori, & illi Divino mysterio, ac deinde ipsam imposuit meo capiti, impertiensque mihi suam sanctissimam benedictionem, dixit: Anima mea, ego tibi applico virtutem meæ Passionis & Sanguinis profusi ad majus tuum bonum: deinde dixit Dominis Angelis, à quibus eò fueram adducta, & meo Custodi: Accipite istam meam creaturam, Angeli mei, & constituite illam in suo loco, ac habete illius curam, sicut vobis mandavi, & nunc denuò mando, cum speciali vigilantia. Statim ac Dominus hoc dixit, illi Spiritus beati quàm citissimè me voluerunt abducere, sicut erant jussi à Domino: sed ego, cui bene erat in eo loco, sentiebã difficultatem in abeundo, & aspiciebam Dominum, ut viderem, quid diceret. Advertens autem infinita ipsius Bonitas meã imbecillitatem, dixit sanctis Angelis: Expectate nunc modicùm, quia dum & ego abivero, reducemus illam ad ejus locum, cum minore ipsius difficultate ac desolatione. Ità mea anima mansit aliquantum affixa pedibus Domini, ubi est passa ecstasim valde mirabilem, instar somni spiritualis, non subducente se ejus conspectui Domino, elicuitque intentissimos affectus intimi amoris & agnitionis infinitæ illius Bonitatis Domini DEI nostri. Cùmq; ità essem constituta, reperi me eodem modo in meo angello, ubi aliter abrepta, quasi aliâ viâ pergerem ad Dominum, desij videre Divinam Majestatem in eo mysterio, in quo erat, ac deinde aliquantò post integrè mihi reddita, me reperi in meo angello, cum meis sanctis Angelis, sicut soleo.

§. III.

ALiam solennissimam Processionem ipsi ostendit Dominus, indicando illi arcanum modum, quo id fiat. Quodam die, *inquit*, post octavam Corporis Christi, vidi Sanctum Patrem Nostrum Ignatium indutum, non, prout illum consuevi videre, vestibus, quales ordinariè gerunt ipsius Religiosi, sed more Sacerdotum, in veste supernè plicata, cujus est usus, quando defertur sanctissimum Sacramentum ad infirmum, quæ tota erat plena & exornata multis nominibus JESU, formatis atque elaboratis ex auro tam pretioso & splendido, ut quodlibet nomen appareret instar clarissimi & splendidissimi Solis, atque singula erant incincta multis radijs. Tenebat Sanctus in suis manibus Hostiam, quæ mihi modò apparebat propriam retinens formam, modò ità, ut in illa intuerer sanctissimum Parvulum, quem species sacramentales tegebant instar veli. Quando vidi hoc tam novo modo Sanctum Patriarcham, abstrahebam me, sicut soleo facere, & avertebam oculos ab eo, quod mihi repræsentabatur, atque cogitabam, quidnam id esse posset. Gloriosus Sanctus, etsi videret ac penetraret, quid fieret in meo corde, tacebat ac factum meum dissimulabat, non me multùm cogendo ad aspiciendum, imò recedebat modicùm, donec Dominus, quemadmodum facere consuevit, mihi auferret illum timorem, quem habebam, méq; disponeret, ut possem videre mysterium, quod statuerat mihi ostendere. Aliquantò pòst, cùm me jam Dominus disposuisset, denuò Sanctus Pater noster Ignatius se mihi taliter spectãdum exhibuit, vidique ipsum longè manifestiùs & clariùs, atque etiam dictum mysterium, & præterea adesse multos homi-

nes, ſicut dum multi in aliquo Templo cõveniunt, ubi celebratur ſolenne Feſtum, vel ſupplicatio. Sed non attendi, quales homines eſſent, quia tota eram abrepta in contemplando myſterio, quod meis oculis objiciebatur, non ſatis ſciens, quid eſſet. Tunc mihi dixit Dominus: Hoc tibi volui oſtendere, ut ſcires, hodie in cœlo à ſanctis Beatis, qui vixerunt in terra, & fruiti ſunt admirandis fructibus hujus Divini Sacramenti, etiam celebrari Feſtum Inſtitutionis ipſius, cum maximo gaudio, ac lætitia, & gratiarum actione pro tam ſpecialibus donis, eximióque favore ſibi præſtito, & collato in terra: quia verò meus ſervus Ignatius adeò excelluit in devotione, quâ ſemper fuit addictus Nomini JESU, quod nomen gerit Dominus hujus Feſti, & ipſe ob hanc ſuam devotionem aſſumpſit, ut ſibi eſſet auxilio in omnibus, quæ egit, appellavitque ab eo ſuam Religionẽ, ideo illi exhibetur hic ſpecialis honor, ut inter cœlites peragat iſtud myſterium.

Hoc dicit Serva iſta DEI, éſtque admodum conforme doctrinæ Theologorum, de gloria accidentali, & ſpecialibus gaudijs, quibus fruuntur Beati in Cœlo, propter quædam peculiaria ipſorum opera, vel ab ijs inſtituta in terra, aut quibus hic viventes fuerunt delectati. Et quia Sanctus Pater noſter Ignatius etiam ſpecialiſsimo eſt proſequutus cultu ſanctiſsimum Sacramentum, innovavitque frequentem ſacræ Communionis uſum, qui prorſus fuerat in mundo datus oblivioni, & ipſius Filij eundem promoverunt, tuitique ſunt hoc myſterium ſtrenuè contra hæreticos noſtrorum temporum, in regionibus ſeptentrionalibus; ob has omnes cauſas, cum ijs, quas Dominus dixit, habet ſpecialem gloriã accidentalem in cœlo, quam manifeſtavit taliter geſtando Hoſtiã cum ea veſte reſperſa nominibus JESU, quemadmodum vidimus.

CAPVT XXIX.

De puritate neceſſaria pro ſacra Synaxi, & de Sacramento Pœnitentiæ, quo obtinetur.

SUmmâ opus eſt animæ & corporis puritate, ut accedatur ad ſuſcipiendum DEUM, in admirabili Sacramento Euchariſtiæ. Ad obtinendam verò hanc puritatem ordinatur Sacramentum Pœnitentiæ, quod præcedit Communionem, quando adſunt maculæ eluendæ, atque de hoc habuit ſequentem viſionem quodam feſto Epiphaniæ, in quo Eccleſia etiam celebrat Baptiſmũ Chriſti Domini. Cùm eſſem, *inquit*, hoc die afflicta à doloribus, & paterer ingentem ſitim, derepente ſum paſſa ecſtaſim, duxerúntque me Domini mei Angeli ad crepidinem cujusdam fontis, qui erat hujusmodi: Deſcendebat rivus anguſtus, ſed valde profundus ex colle, & incidebat in concham fontis: ex concha prodibant duo magni canales aquæ defluentis in ſtagnũ circumdatum lapidibus, inſtar lavacri, quod totum erat conſtructum ex elegantiſſimis, optimèque formatis lapidibus. Vidi in eo lavacro multos Angelos DEI, qui eluebant pannos, & aliquantò inferiùs in alia lotrina conſpexi quasdam Virgines, quæ videbantur aliquid lavare, tametſi nihil lavarent, ſed quaſi contorquebant pannos lotos. Evanuerunt è meis oculis mei Domini Angeli, & circumſpexi quaquaverſum, nec eos vidi. Fui afflicta, quòd me viderem ſolam, & præ magna ſiti, quâ patiebar, tentavi tranſire rivum, ut biberem aquam defluentem ex canalibus. Sed detinuit me unus ex ſanctis Angelis, occupatis lotione, ac dixit: Quid facis? cave, nè ſubmergaris. Hoc audito, ſubſtiti, & retroceſſi, atque aſcendi per unum latus collis ſecundùm orã rivi, quæſitura transitum; quo tandem invento, tranſivi, ſemperque aſpiciens, an viderem meos Dominos, non vidi illos, & attollens oculos ad cœlum, vidi illum rivum oriri ex quodam throno & ſede, ubi erat Agnus Divinus in Cœlo,

Cœlo, ac defluere in eam concham. Eram vehementer attonita, dum contemplarer istud mysterium, spectarémque Angelos lavantes, neque scirem, quidnam id significaret. Quidam illorum mihi dixit: Quare hæres, contemplando hoc mysterium? Nónne scis, Sacerdotes esse Angelos DEI, ità enim illos vocat Scriptura sacra? Et Ecclesia Catholica, significata per hunc fontem, atque istud lavacrum, est plena sanguine Agni, unáq; Divinis ejus meritis & gratijs, qui ad ipsam defluit ab illo Divino throno, & à Divino Agno: atque in isto sanguine Sacerdotes lavant animas per Sacramentum Pœnitentiæ. Hoc significat id, quod vidisti, quia hodie fuerunt multæ ablutæ, quæ sunt bene confessæ. Tum ego interrogavi: Domine, Virgines autem quid lavant? Respondit mihi: Non lavant, quod bene vides, sed quasi clarificant pannos jam lotos & mundos; quia eædem animæ jam purgatæ per Sacramentum, dum & ipsæ cooperantur gratiæ, addicendo se mortificationi ac bonis operibus, se puriores reddunt, & clariores. Quod fueris monita, nè transires illud stagnum aquæ, profundum & angustum, nè mergereris, ideò factum est, ut non tentares temerè, quoad ista perscrutari secreta judicia DEI: quia te perderes hac temerariâ audaciâ. Hoc tibi Dominus voluit patefacere in ista visione.

A. M. D. G.

LIBER III.

MIRABILIS VITÆ VENERABILIS VIRGINIS

MARINÆ DE ESCOBAR.

De insignibus revelationibus, quibus illi DEUS manifestavit suam Divinitatem ac Trinitatem Personarum, æternam Beatitudinem, & modum ad illam pertingendi per crucem, cum raris gratijs.

SEquentes Revelationes pertinent ad Majestatem DEI unius in Essentia, & Trini in Personis, in cujus visione consistit Gloria & Beatitudo Sanctorum, ac proinde sunt optimè connexæ, ut per semet mutuò innotescant, simúlque Regia via Crucis ac tolerantiæ magnarum afflictionum, quâ pervenitur ad fruitionem hujus gloriæ. Quæ omnia hæc Venembilis Virgo divinitus non solùm utcunque cognovit, sed etiam delibavit, & experientiâ comperit, ut eorum, quæ videbat, miris prorsus fieret particeps modis, qui referentur.

CAPUT

CAPUT I.

Quomodo illi DEUS ostenderit immensitatem Divinæ Essentiæ, ac suarum Divinarum perfectionum: quámque sit incomprehensibilis à suis creaturis.

PRo fundamento harum Revelationum juverit referre, quòd Venerabilis Marina in prima earum hunc in modum proponit. Revocavit mihi in memoriam Dominus illos Seraphinos, qui duabus alis tegebant capita, & alijs duabus pedes, atq; unà, quid hoc significaret; & vidi clarissimè totam Majestatem DEI, ut ità dicam, à tergo, adeò ut fuerim vehementer consternata, contemplando tantam gloriam, qualis mihi ibi apparuit. Erat ea res inusitatior, quàm quæ mihi unquam acciderit. Neque verò ego miserabilis ausim aliud dicere, quàm fuisse à me visam totam DEI Majestatem. Unde quisque intelligat, quidnam viderit, quæ id vidit.

Hæc visio fuit similis visioni Moysis, cui dixit DEUS: Videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris. *Quia quantumcunq; magnus sit in contemplatione gustûs, nunquam tamen in hac vita mortali, de lege ordinaria, ullus videt DEUM facie ad faciem, eâ claritate, quâ videtur in cœlesti gloria, sed aliâ visione minore, tametsi respectu obscuræ fidei vocetur clara, quod est, videre illius posteriora. Atq; hunc in modum sunt intelligendæ sequentes visiones.*

§. I.

DUm, *inquit*, quadam nocte agerem cum DEO, dixit mihi ipsius Majestas: Amica, vísne venire mecum, quo te ego ducam? Et nescio, qualem mihi tunc audaciam, quam non soleo habere, DEUS indiderit, cum qua statim respondi: Ità, Domine; ità Domine. O quàm volo ire tecum! Dominus autem tacuit, & ego etiâ silui, animadvertendo, quòd tantum in me sentirem naturalium virium defectum, ut mihi non viderentur suffecturæ ad acceptandam gratiam, quam mihi Dominus volebat præstare. Paulò pòst iterum mihi Dominus dixit: Vísne tandem venire mecum? Veni igitur feliciter, Amica, & noli timere. Tum illi dixi: Ità, Domine; quid enim potest felicius aut melius accidere meæ animæ, quàm vivere, & mori in tuis manibus? Subitò se moverunt multi Angeli, illic præsentes, coram Christo Domino, qui propiùs me stantibus præcepit, ut me constituerent in eo loco, & eo modo, quo scirent ipsum velle. Et ecce in momento fuit extructus quidam instar nivis candidus suggestus, speciem referens sellæ, ubi me collocaverunt, tectam etiam candidissimo velo, instar pallij. Et cùm oculis animæ meæ me ipsam intuerer, vidi me esse ligatam quibusdam vinculis, quasi cingulis, in duobus vel tribus locis; atque dum id mirarer, concepi desiderium intelligendi mvsterij istorum vinculorum, quod penetrans Dominus, manifestavit mihi, id fieri, ut intelligerè, quod speciali suo auxilio esset conservaturus naturæ meæ imbecillitatem; nè deficiam, néve disrumpar, propter vehementiam & volatum spiritûs, quo brevì eram abripienda. Hoc facto, illi sancti Angeli me circumdederunt, & præcedente Domino Majestatis, tulerunt quàm altissimè, permeando quasi omnes cœlos, posuerúntque me ad littus cujusdam immensi Maris, quod erat Magnitudo, Bonitas, Sapientia, & Essentia ipsiusmet DEI, atque præsente Majestate Christi JESU subitò me illuc injecerunt, & anima fuit submersa ac perdita in illo immenso mari Divinæ caliginis, ac Essentiæ illius incogniti & incomprehensi DEI. Quale sit hoc secretum admirabile, quod intercedit inter DEUM & animam, atque istam Magnitudinem DEI, qui ibi cognoscitur, nec suppetunt verba, neque reperitur ullus creatus intellectus,

lectus, qui possit sufficienter declarare. DEUS det, cui voluerit, ut id experiatur, & agnoscat ità esse. Fuit porrò opus ipsius, quòd ibi non manserim, nec anima sit separata à corpore, cùm fuerit ingens & vehemens excessus illius Divini operis in anima. Hæsi immersa in eo immenso mari per aliquod tempus, quod ignorabam fuisse tam longum; ac deinde me extraxerunt ad littus. Voco autem littus, egressum ex hac immensitate, non quòd ibi viderim mare, vel littus, aut aliam speciem corpoream. Quievi modicùm in hoc littore, ut quasi aliquantùm respiraret natura, & injecerunt me secundò majore impetu ac vi, adeò ut longè magis fuerim perdita, & submersa in illa Divina Essentia, quàm priùs. Postea me rursum extraxerunt ad littus, cum longè majore periculo, meâ opinione, nè penitus deficerent vires naturales, si illas DEUS non conservavisset. Iterum ibi modicùm quievi, utì priùs, & continuò me injecerunt tertiò, sicut alijs vicibus: Voco verò injicere modum quédam singularem & admirabilem, quem habet DEUS, & sancti Angeli, intromittendi animam in immensitatem Divinarũ Perfectionum, non quòd illa injectio sit instar corporeæ. In hoc immenso mari mansi aliquo tempore, etsi nesciam quantum fuerit; sed hæc vis & submersio fuit minor, quàm duæ priores, ideóque non sum tantopere debilitata. Postea acceptâ benedictione à DEO, illi sancti Angeli, qui me eò attulerant, me reportaverunt ad locum mei lectuli, eodem modo, eadémque ratione, quâ me abstulerant. Et quando mihi fui restituta, sentiebam ingentem debilitatem, ac vehementer mirabar, tantúmque attollebam oculos, aspiciendo illos sanctos Angelos, cum aliquo dolore, quamvis me conformarem Divinæ voluntati, quòd me viderem in isto exilio. *Hæc visio continet id, quod est summum in scientia mystica, quódque magnopere exaggerat Sanctus Dionysius Areopagita, & vocat ingressum in* Divinam Caliginem, *in Divinam quandã obscuritatem immensi & non cogniti DEI: non quòd in hoc raptu non habeatur ingens lumen & cognitio DEI, sed quia cognoscitur esse tam immensa ipsius magnitudo, & tam incomprehensibile id, quod in illa reperitur; ut quidquid concipitur, videatur obscuritas, tenebræ, atque ignorantia Essentiæ Divinæ; & quia* DEUS *non cognoscitur, sicut est, nec potest cognosci, quoad videatur in Cælo, per clarum lumen ipsius gloriæ. Propterea etiam fuit injecta tertiò in istud immensum mare; quia natura debilis nequit unâ vice cognoscere, quantum illi manifestatur: sed neque hoc ipsum potest absque speciali DEI gratia. Quia præterea fuit injecta tribus vicibus, voluit ipsam etiam toties alligari illi subsellio, quo indicavit, quòd ipsam quâvis vice esset adjuturus, nè deficeret viribus.*

§. II.

SEd quia medulla hujus cognitionis & raptûs consistit in unione Spiritûs cum DEO, videbimus, quomodo id fiat, in alia admirabili visione, quam habuit aliquantò post præcedentem. Dum, *inquit*, aliquando agerem cum DEO, deliberans de desiderio, quod habebam valde ardens, permittendo me tamen Divinæ dispositioni, emigrandi ex hoc exilio ad cœlestem Patriam, vidi venientes ad me cum quadam lætitia, & gravitate, atque aliqua festinatione, quatuor sanctos Angelos, qui mihi dixerunt hilari vultu: Soror nostra, adferimus tibi bona nova à DEO. Hoc audito, derepentè, quamvis essem intenta prædictæ cogitationi, natura se aliquantùm exeruit, & fui nonnihil turbata, quia existimabam esse nova, quòd me DEUS vellet hinc auferre: sed sancti Angeli intellecto eo, quod agebatur in meo corde, quamvis fuerit quasi momentaneum, dixerunt mihi: Noli timere, Soror, nam causa nostri adventûs, non est id, quod tu cogitavisti, sed quia DEUS tibi vult præstare unam ex summis gratijs, quas unquà præstitit puræ creaturæ. Et postquam hoc dixissent, ipse DEUS circumdedit totam animam meam quodam lumine, contulitque illi specialem cognitionem infinitæ suæ Magnitudinis, & plenitudinis suæ Omnipotentiæ ac Naturæ Divinæ, quà omnia

nia complectitur, & replet: fuitque unà abrepta in hanc Divinam Essentiam, per fortissimam ac potentissimam unionem, atque ab eodem Domino ducta ad cœlestè Jerosolymam, ubi intra exiguum temporis spatium, ùt mihi videbatur, ipsi fuerunt ostensi & patefacti mysticè thesauri Archivi Sapientiæ, Magnitudinis, Omnipotentiæ, Immensitatis, Misericordiæ, & Bonitatis nostri Magni DEI, ac Domini. Postquam autem vidisset hæc tanta magnalia, ducta est ad illud immensum mare Divinæ Essentiæ, ibique projecta in illud profundum & infinitum pelagus, ubi fuit submersa, obruta ac perdita penitus, ut ignoraret se ipsam, neque sciret, aut intelligeret de hoc immenso mari Divinæ Essentiæ aliud, quàm: *Ampliùs est, quàm hoc, ampliùs est, quàm hoc*, quod non comprehendebat. Immersa enim huic Divinæ caligini, dum illius aspectum effugiunt tantæ DEI perfectiones, quibus tamen quodammodo innatat, nescit explicare, quid videat, sed solùm dicere: Vidi arcana DEI grandia, tremenda, & admirabilia, quæ nec ullus intellectus potest assequi, neque lingua exponere. Postquam mea anima in hoc mentis excessu mansisset aliquanto tempore, neque enim scio, quàm diu duraverit, fuit extracta ad littus hujus maris; & indè secundò ducta ad Archivum Divinorum thesaurorum Domini DEI nostri, ubi illi fuerunt ostensi per Divinam illustrationem & communicationem thesauri illic inclusi, sicut primò, atque hinc rursum est ducta ad illam fortem, potentem & admirabilem Unionem cum DEO Domino nostro, quæ fuit similis primæ, ità ut descenderit per eosdem tres gradus mysticos, per quos à DEO fuerat elevata, ac educta: quia ab Unione ascendit ad Archiva Divinæ Sapientiæ & Omnipotentiæ, atque indè ad immensitatem Essentiæ Divinæ, unde descendit ad eadem Archiva ac thesauros, & postea ad eandem unionem cum suo DEO. Post raptum admirabar ea magnalia, agens DEO magnas gratias per id, quod est in se ipso, & per id, quod est pro nobis suis pauperculis creaturis, neque minùs fui humiliata, quòd tam parùm responderem tantis miserationibus. Angeli autem venerunt ad me, & me confortaverunt, quia eram debilitata, & perfusa sudore.

§. III.

A*liam similem visionem habuit, in qua distinctiùs omnia proponuntur, & excellentior continetur doctrina.* Post permolestè transactâ (in Martio anni 1615.) *inquit*, noctem unam ac diem, oppressa à doloribus, quasi horâ sextâ vespertinâ adverti meam animam à DEO commonefieri, quòd illi esset præstiturus quandam prorsus extraordinariam gratiam, & incepi me ad eam præparare, petendo à Divina Majestate lumen, ut me in omnibus sanctissimæ ipsius conformarem voluntati, conabárque me modicùm abstrahere ab ista inspiratione. Post septimam, vel octavam noctis horam me vehementer afflixit ingens sitis, & cùm viderem adesse meos Dominos Angelos, nesciens quid loquerer, dixi illis: Mei Domini, patior ingentem sitim, si ipsi mihi præberent aquâ, ego illam susciperem. Quamvis autem hoc dixerim, non desiderabam mihi ab illis exhiberi istum favorem, sed nescio, quomodo id dixerim. Responderunt mihi subitò peramanter: Quàm libentissimè tibi illam dabimus, & erit aqua talis, quæ recreabit, & corroborabit tuam animam, ac satisfaciet tuæ indigentiæ. Hoc audito, plurimùm obstupui, & cùm conticuissem, quia hoc non ideò dixeram, illi Domini etiam siluerunt; paulò verò post iterum me sunt alloquuti, dicendo mihi: Noveris, nos venire nomine DEI, & ipsius jussu, ut te ducamus eò, ubi tuæ siti satisfacias, quéadmodum diximus: Veni nobiscum, Soror. Et appropinquantes meæ animæ, abstraxerunt ipsam à sensibus, quæ se reperit ante cœlestem Jerosolymam, ubi circa illam vidit vastissimum, pellucidissimum, pulcherrimum fluvium, cujus littus erat valdè umbrosum, & amœnum, ac repletum sanctis Angelis, qui adhibitis instrumentis musicis, admirabiliter canebant: *Gloria in Excelsis DEO.* Ex hoc fluvio hinc & indè fluebat, quasi per quosdam

cana-

canales, & veluti rivulos, illa cœlestis aqua, ac decidebat ad terram, irrorabátque magnam ipsius partem, & suis Divinis influxibus ac rore refocillabat, & confortabat animas Justorum. Hæc mea visio diu duravit, post quam fui in momento abducta ab ijs Angelis, & collocata in littore magni illius & mystici fluminis, in quem me derepétè quàm profundissimè immerserunt, ubi mihi fuit communicata magna & extraordinaria cognitio Divinæ Magnitudinis, Omnipotentiæ, Sapientiæ, & Immensitatis. Illi verò Angelici Spiritus mihi subitò dixerunt voce aliquantùm altâ & cócitatâ: *Nónne est ampliùs, quàm hoc?* Tunc mea anima denuò illuminata, ut cognosceret illud modicum de Immensitate Dei, respectu infinitorum, quæ illi restabant cognoscenda, ità ut tota absorpta, prorsus obliviscereturomnium, quæ cognoverat, respondit: *Ampliùs est, quàm hoc.* Et cum summa admiratione similiter altâ & acceleratâ voce iteratò dicebat: *Ampliùs est, quàm hoc.* Immerserunt me deinde paulò ulteriùs in illum fluvium, ubi mihi fuit collatum majus lumen, & cognitio illius Divinæ Essentiæ ejusdémque Divinæ caliginis. Et fui statim interrogata, sicut priùs ab ijsdem Angelis, altiore voce: *Estne ampliùs, quàm hoc?* Respondi, ut priùs, eodem modo, postquam longè plura cognovi, magisque fui illuminata: *Ampliùs est, quàm hoc.* Immerserunt me tertiò usque ad fundum ac abyssum illius Mysterij, fuique continuò interrogata ab Angelis, attollentibus semper aliquantò magis vocem: *Estne ampliùs, quàm hoc?* Mea verò anima magis ac magis illustrata, ampliúsque cognoscens Divinum illud Esse, non secùs ac initio, quasi nihil eorum nósset, quæ cognoverat, propter infinita, quæ videnda supererant, & cognoscenda, respondit: *Ampliùs est, quàm hoc.* Tum Angeli extraxerunt meam animam ex illo profundo & mystico mari, elevatámque in altum, tribus adhuc vicibus, & quavis vice altiùs, quæsiverunt eo modo arcano: *Estne ampliùs, quàm hoc?* Mea quoque anima semper lumine & cognitione majore prædita, jam quasi perdita & submersa in illo Divino Esse, reposuit: *Ampliùs est, quàm hoc.* tertiò verò respondit: *Quàm maximè ampliùs est, quàm hoc.* Tandem ipsam magis elevaverunt ad quandam infinitam & incomprehensibilem magitudinem luminis & claritatis, ac immensitatis bonorum, quæ nulla satis potest lingua explicare aut eloqui, ibíque Dominus Majestatis ostendit meæ animæ momentaneè, quasi mihi illucesceret fulgur, vel amotâ cortinâ spectandi exhiberentur maximi thesauri, eidémq; subitò reductâ rursum subducerentur oculis infinitam ac incomprehensibilé immensitatém illius Divini Esse nostri magni DEI ac Domini Majestatis, adeò ut, cùm exigua meæ animæ capacitas non posset sufferre tanta bona, quanta in eo momento vidit, & cognovit, viribus deficeret, atq; ideò totum meũ corpus contremisceret. In eo verò puncto temporis Angeli me apprehenderunt, & confortaverunt in mea debilitate ac deliquio, collocaverintque in meo angulo.

Propter hæc opera, & miserationes Divinas, quæ his diebus usque adeò continuabantur, & quia ab ijs conscribendis abstinere non poteram, ut idcirco omnium innovaret memoriam (nam DEUS ità mihi ob oculos ponit mysterium, quod à me describitur, ut quodammodo perinde sit, acsi mihi denuò repræsentaretur) ità mihi videor immutata, ut difficulter possim agere cum creaturis, & ulli alteri negotio me impendere. Quando verò ad me sum reversa ex hoc raptu, non solùm sedata erat sitis mea naturalis, quam fueram passa, verùm etiam quasi nauseavi, & quodammodo horrui aquam naturalem, quam bibimus, quod sum aliquot diebus experta, licèt perpetuò paterer vehementem sitim, propter ingentes calores, quos sentiebam.

§. IV.

POst hanc visionem DEUS voluit, ut conscriberem contentam in illa doctrinam, & instructionem, quam mihi inspiravit hunc in modum: Quando DEUS animam abalienat à sensibus per extraordinariam ecstasim, & abstrahit atq; submergit

mergit in illa profunda & infinita abyſſo Divini ſui Eſſe, obrutam eâ Divinâ ipſius ac admirabili caligine, ibique abſorptam, ubi nihil ampliùs ſcit, nec intelligit, neque cognoſcit de illa infinitate immenſorum & incomprehenſibilium bonorum, adeò ut ſe ipſum ignoret, atque id ſolum percipiat, quòd *ampliùs ſit quàm hoc*, ſempérq; profundiùs ac ſublimiùs plura intelligendo, quaſi ſolicita, nè ſibi in caſſum elabatur tempus, quo illa beatitudo durat, dicit eâ phraſi & ſenſu, quo illic agitur: *Ampliùs eſt, quàm hoc;* iſte ipſe modus loquendi indicat majorem immenſitatem, quàm fuerit præcedens, adeò ut non ſolùm cum eo lumine, quod anima accipit, non aſſequatur illam immenſitatem, ſed potiùs inveniat longè ſibi plura & grandiora ſupereſſe cognoſcenda, quàm priùs perceperit, ſéq; magis diſtare ab illis comprehendendis, & ſuum lumen eſſe inſufficiens reſpectu ejus amplitudinis, ac ſe minùs advertit capacem, ut ingrediatur in illam Divinam caliginem, & in illud immenſum, non intellectum, & incognitum penetrale Tabernaculi Beatiſſimæ & Sanctiſſimæ Trinitatis. Atque ſi aliquando ex Divina diſpenſatione Dominus Majeſtatis dignatur amovere momentaneè cortinam à theſauro ſuæ Divinitatis, ſubitóque illam reducere, tanta eſt Divina illius Solis Juſtitiæ lux, quâ irradiatur anima, cui DEUS exhibet hanc miſericordiam, ut ſimul ſit illuſtrata, & cæca, abundétque lumine, & magnâ claráque ſit prædita cognitione, in hac Divina caligine, adeóque cœleſtium myſteriorum admiratione abripiatur, ut non poſſit loqui, nec aliud dicere, quàm: Vidi arcana DEI, vidi arcana DEI, ac ità à ſe ipſa abalienetur, præ hoc ſtupore, & ob tot res admirandas, ut nisi interveniret Divina diſpenſatio, in eo momento deſereret corpus exanime, ob vehementem vim illius Divini luminis, quod tum animæ cõmunicatur.

Ordinaria diſpoſitio, quâ DEUS præparat animam, ut conſcendat prædictum gradum, eſt lumen & cognitio, quam à Divina Majeſtate obtinet, ut Divina ejus intelligat attributa, qualia in ſe ipſis ſunt: ità ut, ſicut DEUS, & illius Bonitas eſt ipſamet ejus Deitas, paritérque omnia ejusdem Divina attributa, dum anima ſimul illa cognoſcit, colligat totum illum admirabilem theſaurum Divinorum attributorum in eodem Domino Trino in Perſonis, & Uno in Eſſentia, cúmque hac infinitate communicati luminis, his gradibus per Divinam diſpenſationem deveniat, prædicto modo in eam illuſtrem & claram cognitionem, intrà Divinam caliginé immenſi ac incomprehenſibilis DEI, (id enim voco caliginem Divinam, ſiquidem Divina attributa nequeunt clarè cognoſci in iſta vita mortali) tantorúmque theſaurorum, tam ſecretorum & reconditorum, propter limitatam animæ capacitatem, ut idcirco nequeat comprehendere magnitudinem Eſſentiæ Divinæ.

Hæc ſunt, quæ à DEO juſſa fui ſcribere; & cùm peregre valdéq; timidè conſcriberem res uſque adeò profundas, eò quòd ignorarem, an illas ſcirem explicare, ſicut meæ animæ fuerant à DEO impreſſæ, interrogavi meos Dominos Angelos, quis me eſſet inſtructurus, quomodo talia ſint ſcribenda? Illi verò mihi reſponderunt: Is, qui exiſtit intrà te, eſtque Divina Sapientia, te inſtruet.

CAPUT II.

De alijs visionibus Divinæ Essentiæ, & ad quem gradum pertingat earundem claritas.

Aliquot annis post habuit alias duas hujusmodi visiones, cum quibusdam notabilibus circumstantijs. Atq; una doctrinam continet utilissimam: fuit verò talis.

§. I.

DIxit mihi Dominus: (anno 1618.) Anima vehementer es afflicta, veni mecum; ducámque te ad sanctum montem meum, & recreaberis à me in Domo Orationis meæ. Subitò fui ducta in spiritu ad altum montem, ubi apparebat totus mundus, illuxitque cœlestis quædam lux instar momentanei fulguris, cujus adminiculo vidi immensitatem Divinæ Essentiæ, plurimùm admirans tam immensam Majestatem. Dixit autem mihi statim DEUS: Bono esto animo, quia tibi altiùs est ascendendum; modicùm enim vidisti respectu eorum, quæ tibi videnda supersunt. Et ducta sum ad alium altiorem montem, ubi adveniens alia longè major lux instar fulguris, mihi revelavit eandem Divinam Essentiam clariùs, siquidem tunc vidi multò plùs, quàm antea. Dixitque mihi Dominus: Confortare, quia adhuc te oportet altiùs ascendere. Et fui continuò ducta ad alium montem altiorem, qui videbatur pertingere ad fastigium supremi cœli, atque superveniente aliâ luce, per modum fulguris, longè tamen majore quàm priùs, vidi ipsam Divinam Essentiam, & perfectiones Divinas, ac secretissima judicia DEI, obstupescens tantam immensitatem; quin etiâ DEUS mihi, uniendo me secum, manifestavit mysterium Sanctissimæ Trinitatis. Semper tamen intrà me dicebam: O Domine, quàm incomprehensibilia sunt judicia tua, quis illa poterit cognoscere? Respondit; Dominus: Parvuli & humiles corde, qui propter me derelinquunt omnia, & solùm mihi placere satagunt. Tum dixi: Si ità est, Domine, ego non potero: quia plena sum superbiâ, neque propter te quidquam dereliqui, nec aliquid facio; necdum enim me posuisti in sterquilinio sicut Jobum; atque si me in illo poneres, nescio quid essem factura. Et Dominus respondit: Exiguam haberes in me confidentiam, nisi cogitares, quòd, si te collocarem in sterquilinio sicut Jobum, tibi esset profutura hæc afflictio; siquidem ego meis electis immitto afflictiones, juxta mea occulta judicia, sicut mihi videtur, præbendo ipsis auxilia, quibus ad illas sustinendas indigent.

§. II.

POst paucos deinde menses (in Decébri anni 1618.) dum aliquando agerem cum DEO modo ordinario, quo soleo, dixit mihi Divina Majestas: Anima, quid nunc facis? Vellésne ire mecum? Auditis his Domini verbis, fui mihi quodammodo erepta. Et Divina Majestas mihi iteratò dixit: Anima, considera, an velis mecum ire. Tum, quasi expergiscerer, redij ad me, vehementer optans comitari meum Dominum, & dixi: Domine mi, ac DEUS mi, eamus, volo enim te sequi. Respondítque Dominus quàm amabilissimè: Sit ità, licèt, veni mecum. Et mea anima se continuò reperit in illa cœlesti Jerosolyma cum suo DEO, ibique immissa & immersa in illud immensum mare Divinæ Essentiæ, non inveniebat, ubi innateretur, erâtque à se ipsa abalienata, & Divinis illis aquis atque tenebris Divinitatis obruta, ubi apprehendendo Divinam Magnitudinem, quantùm ipsi erat possibile, non tamen poterat illam comprehendere, eò quòd

quòd esset magis ac magis infinita. Sic demersæ & obrutæ in hac DEI infinitate, ut sibi videretur viribus deficere, Dominus dixit, quasi ipsam alloquendo quàm spiritualissimè: Eja, Anima, noli deficere, confortare, & ascende uno gradu altiùs. Ascendit mea anima uno gradu altiùs, sicut dixerat Dominus, ubi illi fuit ostensa major immensitas ac magnitudo DEI, & quiddam ampliùs, quàm hoc. Iterum dixit DEUS secundò: Anima, conscende alium gradum altiorem, & noli deficere. Mea anima conscendit aliam majorem altitudinem Divinæ illius Essentiæ, & obscuræ cognitionis Divini Esse sui DEI, ubi sibi jam videbatur prorsus viribus destitui, in istis ascensionibus, atque conjunctione cum suo DEO. Subitò illi fuit communicatum à DEO clarum & illustre lumen, quo ità erat tranformata in DEUM, ut esset similis lucidissimo Soli, sicut dum Sol suo calore ac radijs potenter ferit fenestram vitream, vel clarissimum speculum, ut videatur illud in se transformare, ipsique communicare suum calorē & lumen, ideòque appareat similis Soli. Ex ea Divina altitudine est à Domino deducta per eosdem gradus, per quos cum ipso ascenderat, donec ipsam reponeret in primo, ubi illam secum diverso modo univit, tradiditque Angelis, à quibus fuit deducta ex ea altitudine Cœlorum, & restituta suo loco. Atque licèt privata fuerit lumine & claritate, sibi à DEO communicata, per multas tamen horas retinuit accidentia illius Divinæ lucis, nimirum calorem & splendorem.

§. III.

ALiâ vice (in Majo 1616.) dum dicerem Domino, nè, cùm tantam sentiam difficultatem, in declarandis rebus, quæ contingebant in mea anima, mihi cōmunicaret res tam sublimes, respondit Divina Majestas: se potiùs cogitare de communicandis mihi rebus sublimioribus, ac difficultatibus, quas non possem exponere, id enim se velle, ex suis occultis judicijs. Et hoc dicto me immersit in profundissimam abyssum suæ immensæ Essentiæ, ubi tam multum vidi & cognovi, ut mihi enarratæ hactenus visiones fuerint visæ similes aspectui, quo videtur immensitas maris superficie tenus, ista verò illi, quo aliquis ingressus in profunditatem maris videret thesauros intus reconditos.

His visionibus adeò immutatur anima, ut sibi videatur tota esse alia, & vivere novâ vitâ spirituali, prorsus diversâ ab ordinaria. Sicut, si quæpiam rustica, nata & educata in suo pago, assueta cibis, & pronunciationi ac moribus ibi usitatis, derepentè adduceretur ad aulam, & palatium Regis, atque omnia illam ipsi auferrentur, ingeneratâ illi novâ naturâ, & novâ gratiâ, ac modo novo loquendi & intelligendi, penitusque diversâ morum Civilitate; ità suo modo, quemadmodum ego rem ruditer possum explicare, fit in mea anima.

§. IV.

ANtequam ulteriùs progrediamur in istis visionibus, juverit animadvertere quoad id, quòd Venerabilis Marina subindè dicat, se vidisse clarè Essentiam & faciem DEI Trini & Unius, ipsam Beatitudinem Sanctorum, & modum, quo se hæc omnia habent, fuisse illam à me interrogatam, an loqueretur de ea claritate, quâ DEUM vident Beati, & S. Paulus illum ex speciali privilegio, ùt quidam Sancti dicunt, vidit in suo raptu, an verò id intelligeret de alia minore claritate, licèt in se magna, quam compatitur præsens status Viatorum mortalium? Cui meæ quæstioni scripto respondit, sequentibus verbis: Dico, lumen & claritatem meæ animæ, quâ cognovit ista mysteria, fuisse tantam, quantæ est capax, dum vivit in carne mortali, ità tamen, ut habuerim cognitionem valdè distinctam & claram. Bene scio, me idem videre, quod vident incolæ cœlestis Jerosolymæ, tam multum tamen, atque eò modo, quo ipsi id vident, tunc non revelatur meæ animæ: quamvis aliàs, quando vidi quorundam Sanctorum Beatitudinem, quâ sunt præditæ illorum animæ, ejusdemque causam, quæ est ipse DEUS, comparando illam

cum eo, quod experior, quando mihi Divina Majestas revelat magnitudinem suæ Divinæ Essentiæ, mihi videretur prorsus idem, quod illis revelatur. Et verò existimo, me semel atque iterum non procul abfuisse, ab illa extraordinaria visionis claritate, de qua Vestra Paternitas loquitur, dú adfert pro exemplo S. Paulum, quando fuit raptus ad tertium cœlum. *Hoc respondit ad meam interrogationem, & cùm illi dixissem, ut ageret cum suis sanctis Angelis, an aliquâ tali occasione vidisset DEUM eo modo, quo ipsi illum vident, nunquã reperit opportunitatem id interrogandi, neque enim est in ipsius potestate, conferre cum illis, quidquid optatur, eam fortè ob causam, quòd illam DEUS noluerit magis quoad hoc illuminare, quàm dictum sit. Quod verò dicit de visione simili visioni S. Pauli, non asserit tam asseveranter & firmiter, sicut alia; sed cùm sit tam magnum illud lumen, videtur esse ipsa claritas gloriæ, quamvis ad ipsam non pertingat. Verùm, quia est possibile DEO, valdéq; probabile, collatam fuisse istam gratiam quibusdam Sanctis in hac vita; permitto pio Lectoris affectui, ut judicet, contuleritne illam isti suæ famulæ, id quod ipsius verba indicare videntur. Atq; si hoc unquam evenit, evenerit in visione Divinæ faciei, quæ mox referetur.*

CAPUT III.

Quomodo illi DEUS manifestaverit alio modo suam Divinam Essentiam, & Faciem, ac Trinitatem Personarum, & nonnulla sua attributa, atque de modo pertingendi ad tam sublimem communicationem.

§. I.

DUm aliquando agerem cum DEO (in Septembri anni 1619.) vidi me ipsam, & interiora meæ animæ, acsi reseraretur porta aliqua clausa, ubi repositæ essent multæ res valde pretiosæ. Quare vehementer obstupescens, conspexi intrà me omnia mysteria jam descripta, quæ DEUS operatus est in mea anima, & erant digesta quàm ordinatissimè ac elegantissimè. Elevavi oculos mentis, & vidi totam Beatissimam Trinitatem contéplantem attentè, & cum approbatione totum illud opus, ac mysteria, quæ operata fuerunt suâ manu in mea anima: quam visionem multò magis obstupui. Tum dixit Dominus modo quodam mirabili: Bonum est opus, quod peregi in ista anima. Deinde conjectis oculis in meos Dominos Angelos, dixit illis: Adducite ad me istam animam, ducetis enim illam mecum, quò ego vobis mandavero, ut modicùm quiescat, fruatúrque me. Et fui subitò ab illis arrepta, ac in momento translata ad cœlestem Jerosolymam, & constituta apud radicem magni ac alti montis argenti & auri, ac pretiosorum lapidum, ubi mihi dixerunt: Anima, esto bono animo, hàc enim sursum, per istum montem, quem vides, tibi est ascendendum, nos autem te juvabimus. Accidit mihi id difficile, quia mihi videbatur asper & arduus ascensus, tandem tamen animata à sanctis Angelis incepi ascendere, ipsis adjuvantibus. Perveni ad cacumen illius sancti montis, ubi juxta quosdam altos & mirabiles muros modicùm stetimus, quia sancti illi Angelis & meus Custos ægrè poterant, propter meam debilitatem progredi ad majorem & eminentiorem altitudinem. Iterum denique, DEO opitulante, sunt prosecuti volatum seu ascensum mysticu, ad quoddam munitissimum, & valde altú castellum, in quo mea anima usque adeò fuit absorpta, ut existimaret, se non posse ampliùs inde abire, destitueretúrque viribus, in ea DEI immensitate. Postquam hoc

hoc modo fuissem aliquamdiu comparata, vidi, quòd sancti Angeli adhuc conjicerent oculos ad alium altioré ascensum, & verò resumentes suum quasi volatum mysticum, me deduxerunt ad altitudiné illarum Divinarum caliginum nostri magni DEI ac Domini, ubi fui immersa ac perdita in quadam infinita immensitate, neq; ampliùs mei eram compos, tantúmque dicebam: *Ampliùs est, quàm hoc: Ampliùs est, quàm hoc.* Post modicam quietem sum ab illis ducta ad eminentiorem altitudinem, dictúmque mihi fuit: Confortare anima, quia hic videbis faciem DEI: Videbatur mihi esse Divinum miraculum, quòd non exanimarer in illa altitudine. Tum Dominus subitò dixit meis Angelis: Confortate modò istam animá. Et continuò vidi quandam faciem instar Solis, sed ità, ut mihi derepentè evanesceret ex oculis, quia mihi non est visa comparuisse ultra momentum: sicut, quando obscurissimâ nocte emicat fulgur tam lucidum, ut in ictu oculi revelet ea, quæ sunt in via, ità revelavit DEUS meæ animæ incomprehensibilem magnitudinem suæ Divinæ & infinitæ Essentiæ, adeò ut vehementer fuerit absorpta, attonita, & quodammodo sibi erepta. Atque in eo momento pessumivisset natura, nisi à DEO fuisset corroborata; fuit enim istud opus majus, quàm dici, intelligi, vel explicari possit. Ob hanc visionem talis meæ animæ fuit status, qualem fuisse credi potest, cùm illi videretur jam esse impossibile redire deorsum, seu descendere ad terram. Interea illam in momento perduxerunt ad quandam infinitatem altiorem, ubi ei est à Domino ostensa quædam summa claritas, & lux inaccessibilis, in qua vidit & cognovit magnitudinem Divinorum Attributorum. Erat absorpta, abrepta, & attonita, dum modò hic, modò ibi contemplaretur illam Majestatem, & quidquid videbat, erat DEUS, atque magis DEUS, & unus solus DEUS, intuebatur quoque suos sanctos Angelos, vixque sibi illos videbatur cognoscere. Tunc, nescio quomodo, conspexit Majestatem Christi Domini, qui ad ipsam veniebat. Hoc Divino aspectu mea anima summè fuit exhilarata, quia sibi videbatur conspexisse suum Dominum, oriundum ex eadem patria, & in terris natum. Accessit ad me, dixítque mihi valdè affabiliter, & amanter: Esne hic mea Anima? dic agè, quomodo te hic invenio? Nesciens ego, quid responderem, dixi: Domine, duc me tecum. Veni huc, mea Anima, reposuit Dominus; & assumptò meo spiritu ad sua Divina brachia, cum suavissima quadam unione, me deduxit ex illis altis cacuminibus, nunquá visis, aut cognitis. Quia eram mortalis, & Dominus me volebat relinquere in illis pretiosis aureis montibus, cum meis sanctis Angelis, reflexi me modicùm, & dixi: Noli Domine, noli me hic relinquere, sed repone me in loco, in quo me vis esse. Sit ità licèt, Anima, respondit Dominus, duxítque me Divina Majestas eo modo, donec me collocaret in angulo mei lectuli.

Per complures mihi dies inhæsit ea visio, ut quotiescunque loquerer, vel scriberem, mihi viderer quodammodo esse in illis altissimis fastigijs, in quibus fueram. Statim autem acpræterijt mysterium, cósideravi, quid significarent illi alti montes auri & pretiosorum lapidum, quia mihi tunc DEUS hoc non manifestaverat. Dum id cogitarem, dixit mihi Dominus: Anima, modò tibi dicam, quod optas. Noveris, illos aureos & gemmeos montes, per quos ascendebas, & progrediebaris difficulter, quamvis fueris adjuta à meis Angelis, ut pertingeres ad illum vertieem, & altissima fastigia Essentiæ Divinæ, quo fuisti perducta, significavisse, quòd animæ, priusquam evehatur ad tam altum & felicem statum tam Divinæ communicationis, sint pertranseunda, conculcanda, & oblivioni mandanda omnia, quæ non sunt purè DEUS, ipsiúsque Divinus Amor, ac beneplacitum, cujuscunque ea sint conditionis, sive parva sint, sive magna, sublimia vel humilia, naturalia aut spiritualia, ità ut nihil aliud magis, quàm DEUM appretiet, amet, æstimet, ac diligat anima, sincero & constanti amore, nulli unquam rei, utcunque bonæ, nè quidem ipsis Divinis donis tantùm inhærendo, quantùm eorun-

orundem datori, qui est ipse DEUS. Hi fuerunt aurei montes, per quos oportet ascendere ad cognoscendam altitudinem Divinæ Essentiæ.

§. II.

DUm aliàs manè agerem cum DEO (in Octobri anni 1622.) postquam exegissem noctem unam in gravissimis doloribus, dixit mihi Dominus: Quid agis, Anima? quomodo vales Creatura mea? Et respiciens meos Dominos Angelos: Accipite, *ajebat*, istam creaturam, & collocate in ipsius loco ac sede mystica, quam jam novistis, atque adferte illam ad me. Subitò me posuerunt in ea sella, indutam veste albâ, & coopertam pallio cœlestis coloris. Hoc modo me stiterunt conspectui DEI, qui me abripuit ex ea sede, in qua eram, & univit secum meam animam, intromissâmq; in suam ipsius Essentiam Divinam, tulit ad cœlestem Jerosolymam, & ex se ipso expositam, collocatámque intrà illam supernam civitatem, sic est alloquutus: Attolle oculos, Anima mea, & aspice hos Cœlos Cœlorum, istas divitias & thesauros meæ magnificentiæ, ac majestatis. Postquam elevavissem oculos meæ animæ, sicut fueram à Domino jussa, vidi quoddam Divinum & præstantissimum, pulcherrimum ac resplendens Cœlum, totum auro, unionibus, & pretiosis lapidibus, miro ac multiplici artificio exornatũ, quod erat intrà Cœlos materiales, quasi in quodam tabernaculo, ac throno. Et hæc repræsentabant inæstimabiles divitias Magnificentiæ, & Omnipotentiæ ac Majestatis nostri magni DEI & Domini. Ista visio duravit aliquamdiu, affecítque summo stupore meam animam, unáque replevit solatio, & Dominus illam continuò reassumpsit in se ipsam, indéque tulit ad quendam magnum & eminentissimum montem, ubi ipsi ostendit Divinam & cœlestem gloriam, exhibendo illi quoddam Cœlum, in quo erat & morabatur ipsemet DEUS, cum magna Majestate. Postquam autem ibi aliquo tempore mansisset, satísque perspicuè cognovisset Divinam Magnificentiam, denuò illam recepit in se ipsum, subitóque transtulit ad amplum & elegans palatium, atque cùm eam exposuisset ex se ipso, ostendit illi quàm optimè coordinatum, fortissimum, lucidissimum, stupendum & illustre armamentarium, quod significabat, & quàm vivacissimè repræsentabat immensam nostri magni DEI ac Domini Potentiam, ejusdémque Divinam Justitiam. Huic iterum visioni mea anima est diu immorata, cum magno stupore suo ac solatio. Deinde illam Dominus derepente in se ipsum resumpsit, sicut reliquis duabus vicibus, tulítque ad quendam locum magnæ gloriæ, ubi ipsi ostendit mysticum, elegantissimum & pretiosissimum librum clausum, ac signatum septem sigillis, quæ erant ex purissimo & splendidissimo auro. Hic Divinus Liber hærebat in eo loco gloriæ quasi in aëre, sustentatus arcano modo, suâ propriâ virtute, & Divinâ potentiâ. Hoc mysterio conspecto mea anima præter omnem morem obstupuit, & repleta est inconsueto solatio, lustrabátque illum omni ex parte, neque unquam avertebat oculos ab eo contemplando, sed nec avertere voluisset: quia ibi videbat & cognoscebat speciali & cœlesti perfusa lumine, quod illi DEUS ipsius communicabat, infinitam Sapientiam, & summam Bonitatem sui Magni DEI ac Domini, quam nulla potest assequi creatura, vel intelligere. Atque hoc significabant sigilla mystica, & clausura illius libri, cui assistebat ipse DEUS. Iste raptus meæ animæ admirabundæ, diu duravit. Deinde illi Dominus manifestavit sublimitatẽ Chororum Angelicorum, & ab eo illuminata cognovit Potentiam, Sapientiam, ac Naturam illorum Beatorum Spirituum, unáque gloriam, quâ perfruuntur animæ Sanctorum. Et subitò ipsi dixit Dominus: Veni, Anima, veni, & videbis meam sanctissimam Matrem, quod te summo afficiet solatio. Perveni eò, ubi erat illa sacratissima Domina, & postquam me coram ipsa prostravissem, sacratissima ista Domina me elevavit perbenignè & amanter, allocutáque est quàm affabilissimè, & amplexata suis sacratissimis brachijs meũ collũ.

collum. Fuit maxima consolatio, quam mea anima percepit ex ista gratia, & ingens lumen, mihi à DEO communicatum, de excellentia, puritate, & gloria hujus sanctissimæ Dominæ nostræ. Mansi aliquamdiu quasi absorpta & sopita in illis sacratissimis brachijs, & quando fui expergefacta, inveni me unitam meo DEO, in illo ipsius Divino Esse, atque Dominus mandavit Angelis, ut me referrent ad meum locellum eodem modo, quo me abstulerant.

§. III.

ALio die (in Junio anni 1622) vidi Majestatem DEI Domini nostri summâ conspicuam magnificentiâ, undique circumdatam quâdam catenâ, quæ erat ex pretiosissimo auro, & in illa catena conspexi totum mundum, omnes res creatas, & meam animam. Vehementer mirabar, quòd viderem talem DEI magnificentiâ, omnésque creaturas unitas huic Domino, suo Creatori, & magnæ ipsius Majestati. Contemplata sum aliquamdiu hoc mysterium, & postea vidi, me illâ grandi catenâ circumdari à Domino triplici circumvolutione tam arctè, ut mea anima fuerit summè conjuncta DEO, penitúsq; ac totaliter me univerim cum Divina ipsius Essentia, ut per eam unionem quasi cum ejusdem Majestate coaluerim. Sic unita mansi satis diu, quoadusque me Dominus paulatim dimisit, & reliquit in eodem statu. Denique agendo alia vice cum DEO, vidi tria elegátissima specula; in duobus erant duæ facies, & in tertio Sol splendidissimus, in quo mihi Dominus per specialissimum lumen manifestavit mysterium Sanctissimæ Trinitatis. In duobus speculis cognovi, quomodo Pater generet Filium, communicando illi totam suam Divinitatem, ità ut sint unus DEUS; in tertio, quomodo Pater & Filius producant Spiritum Sanctum, qui est unus DEUS cum ipsis, deditque mihi ejusdem Majestas specialissimam secum unionem in his tribus Divinis Personis, durantem multis diebus, quibus continuò intrà DEUM manebam.

Ista visio trium speculorum, quæ significabant distinctionem trium Divinarum Personarum, magis declarata hoc addito, quòd duæ facies repræsentaverint, Filium, per æternam generationem, esse quasi imaginem & similitudinem sui Patris, in sua Divina Essentia, quæ est beatissima Facies DEI; Spiritum sanctum verò, spectatâ ejus Processione non procedere tanquam imaginem Patris & Filij, sed tanquam infinitum ignē amoris, repræsentatum per Solem, quamvis sit idem DEUS cum utroque, & habeat eandem cum ipsis faciem.

CAPVT IV.

De Magnitudine DEI, ùt est infinitus ignis, ac de spirituali quadam cum ipso lucta animæ illum tenentis, & nolentis dimittere, nisi ei benedicat.

MIrabiles sunt luctæ, & pugnæ spirituales DEUM inter & animam, quæ seriò addicta est orationi & contemplationi, præsertim quando elevatur ad eas cognitiones, & bona tam sublimia, qualia sunt commemorata. Modò anima adhæret DEO, & non vult ipsum dimittere, nisi illi benedicat; modò vice versâ tam fortiter est unita DEO, ut tantam unionem nequeat sustinere, obsecrétq; illum, ut ipsam relinquat ac dimittat; idque modis mysticis, qui deinceps referentur.

§. I.

DUm versarer quâdam nocte coram DEO (in Martio anni 1621.) videbam interruptè quendam magnum & pulchrum campum, in quo stabat valde alta & mirabilis scala, pertingens à terra usque ad cœ-

ad Cœlum, & descendebant ac ascendebant in illa Angeli DEI, dicebántque mihi: Hæc est scala Jacob. Ego, quia agebam cum DEO, modo meo ordinario, neque memineram talis scalæ, attribuebam totum, sicut poteram, imaginationi: sed in momento me inveni ad pedé ipsius, cum nonnullis sanctis Angelis. Contemplabar illam à summitate deorsum, & ab infima parte sursum, vidique juxta ipsam magnæ authoritatis Personam, indutam vestibus valde pretiosis, & ejus coloris, qué habet ardens ignis. Videbatur mihi esse magnus aliquis Sanctus, & optabam scire, quisnam esset. Tum accessit quidam Angelus ad meam aurem, dixitque mihi: Iste est quidam sanctus Propheta: Mirabar hoc audiens, & dicebam tacitè: Quid ad rem facit, videre Prophetam cum scala Jacob? Tunc mihi dixit Sanctus, manifestans se mihi, quis esset, per speciale lumen: Anima, ego sum Propheta, nè dubites, & veni huc jubente DEO, ut te docerem, quomodo hæc scala conscendatur, animarémque ad ipsam conscendendam, ac proinde inchoabis ascensum: & quamvis videatur arduus ac difficilis; nè timeas, ego enim, & hi sancti Angeli, hîc præsentes, te juvabimus in Nomine Domini. Atq; hoc dicto Sanctus & Angeli me constituerunt in primo gradu scalæ, ac incepi illam unà cum ipsis conscendere. Ascendebam lentè cum magno timore, quantóque progrediebar ulteriùs, tantò timebam ampliùs illius altitudinem: videbar enim mihi posse ruere, nisi à comitibus meis sustinerer. Hoc modo perveni usque ad Cœlum, quod statim, ac à Gloriosi illius Sancti manu cú benedictione fuit attactum, patuit, & apparuit in ea cœlesti Jerosolyma quidam magnus, vehemens, potens & comburens ignis, ut tota illa cœlestis Patria videretur ardere, & conflagrare Divino, terribili, admirabili, immenso, infinito ac potenti igne, in quo aderat ipse DEUS, & tota Beatissima Trinitas, se in ea specie ignis comburentis ostendens meæ animæ, quæ maximo correpta timore, tremebat. Subitò mihi fuit ab eo Sancto dictum: Anima, intra in gaudium Domini tui, & confide in illo, ac noli timere. Audiens hæc ejus verba, incepi magis timere, & tremere, ac dixi: Quid mihi dicis: quomodo intrarem ego, quæ sum debilis ac miserabilis, exiguáque capacitatis, in illam summam Majestatem, in eum ignem infinitú & comburentem, in illum DEUM fortem & potentem? Nónne animadvertis à me nequaquam sustinendum tantum DEUM, méque interituram, consumendam, & in cinerem redigendam, in ipsius conspectu? Anima, ajebat Sanctus, noli turbari, noli languere, vel pigre cere: licèt enim verum sit, DEUM esse fortem, terribilem, omnipotentem, & infinitum, est tamen etiam benignus, mansuetus, & suavis, ac infinitè bonus & misericors, humiliavítque se, & factus est parvulus, ut ipsum anima posset complecti, & eo replere suam exiguam capacitatem. His dictis fui corroborata, & animata, dixique: Sancte mi; quid quæso mihi faciendum est in hoc ingressu, ecce enim jam eo. Respondit Sanctus: Ingredieris ad tuum DEUM, & statim ipsum fortiter amplectèris, stringésque, ac dices: DEUS mi, ad te venio, & in te volo manere, neque te unquam dimittam, nisi benedixeris mihi: Tecum luctabor, mi DEUS, sicut Jacob, donec mihi benedicas. Et si tibi dixerit in hac lucta: Quid vis, Anima, quid à me petis? relinque me, ac dimitte ex tuis brachijs; noli propterea desistere à tuo proposito, vel concidere animo, & esto constans; hoc namque vult DEUS tuus, & dic illi, quod tibi dixi, sunt enim verba ipsius. Atq; cùm hoc diceret ille benedictus Sanctus, introduxit me suavi quâdam violentiâ in illam immensitatem mei DEI, & in illum ignè comburentem, intrà quem fui fortiter unita illi summo Bono, quod sum arctè cóplexa, ibique mihi evenerunt ea, quæ Sanctus dixerat, in illis colloquijs DEUM inter ac meam animam, & in Divino illo certamine, quod diu duravit, tandémque victus à sua bonitate, & misericordia, magnus ille DEUS mihi dixit: Anima mea, bene certavisti, pro obtinenda mea nova benedictione, quam tibi ego libenter volo dare meo nomine, & mei Filij, ac Spiritus sancti,

sancti, suscipe ipsam. Et dedit mihi suam sanctam benedictionem, dicendo: Benedicta eris anima in Cœlo, & in terra, & in omnibus tuis operibus ac desiderijs, ac in quovis loco, & ubicunque fueris, in omni eo, quod toleraveris & possederis, totáque eris in me benedicta. Summo me solatio affecit hæc admiranda misericordia mei DEI ac Domini, & occupata fui à quodá somno spiritualissimo, acsi quiescerem post luctam, & fortem unionem, quam habueram. Deinde me Angeli paulatim reduxerunt per scalam, ad cujus finem iterum vidi sanctum Prophetam, ac humi prostrata petivi ab illo sanctissimam ipsius benedictionem, quam mihi ipse peramanter est impertitus, & indè fui ducta ad meum angulum.

§. II.

ALiam luctam cum suo DEO, similem præcedenti, habuit sequenti anno, hunc in modum: Cognoscebat, *inquit*, mea anima DEUM, habito speciali ipsius lumine, amabátque ipsum, & magnâ vi ac fervore volebat amplecti, atque comprehendere totum illud summum Bonum ac DEUM suum, & ità ei uniri. Luctabatur cum his affectibus, & quia ingentia experiebatur bona, virtutem ac solatium, nolebat ipsum ullo modo dimittere, quantumcunque illum non posset comprehendere, dicebátque suo DEO: Non dimittam te, Dilecte meæ animæ, neque te debeo dimittere, nisi benedixeris mihi. Tum Dominus magni cujusdam & ardentis amoris præferens indicia: Quid petis, ajebat, à me Anima? dimitte me jam, & noli mihi vim inferre. Iterúmque dicebat Divina Majestas cum ejusmodi amore: Quid à me vis Anima? vidésne me hîc? amplectere me, & quantum potes, reple tuam vacuitatem. Jam hoc dicebat, jam illud, & anima adhærebat suo DEO, cum quo luctabatur, dicebátque: Non te relinquâ, neque dimittam ex meis brachijs, DEUS meus, nisi benedixeris mihi. Dominus autem respondit: Cave tibi, Anima, dimitte me, alioquin te sauciabo, & transfigam cor tuum. Fiat licet, ajebam ego, ità mi DEUS, fac, quidquid volueris, de me, quia ego te non dimittam: neque enim aliud scio, vel possum facere. Post hoc se mea anima sensit transfixam & vulneratá à suo DEO affectu amoris, quasi quâdam sagittâ, fuitque continuò, cum ingenti solatio, sopita somno quodam spirituali, ac unita suo DEO; & quando evigilavit ex hac Divina communicatione, atque illa lucta, vehementer admirabatur talia Divinæ Bonitatis opera.

Benedictio quam anima petit, dum ità luctatur, & certat cum suo DEO, est plenitudo cognitionis, & amor, quem tam avidè exoptat, & assequi conatur, tametsi nequeat comprehendere omnia quæ vellet, uti expressiùs apparebit in sequenti visione.

§. III.

DUm, *inquit*, agerem aliquando manè cum DEO, fui, cum magno meo solatio, tota comprehensa à DEO, atque ità in ipso conclusa, ut in amplo spacio loci, quod videbam & aspiciebam, fuerit DEUS, ac ampliùs DEUS, & ego manserim in medio illius summi Boni, quasi in medio vasti maris, ubi, quidquid videtur & aspicitur, est aqua, & ampliùs aqua. Postquam ità fuissem aliquamdiu constituta, recessit à me paulatim Dominus, ac dixit quibusdam Angelis ibi præsentibus: Suscipite istam creaturam, quæ est fatigata, & debilis, ad vestra brachia, ut resumat vires, ac adferte illam huc ad me citò. Sancti Angeli me aspexerunt, & videntes me adeò debilitatam, quasi dolerent meas vices, ostenderunt se quodammodo confusos, aspicientésque se invicem, contrahebant suos humeros, ac deinde dixerunt ad Dominum: Magne DEUS noster, faciemus, quod nobis mandas; sed debilitas hujus creaturæ nos reddit solicitos, quia est tanta, ut nisi tu illam confortes, exanimandam putemus in ascensu. Ferte illam ad me, dixit denuò Dominus. Dum autem me vellent excipere suis brachijs, videbatur illis esse difficile, ut me possent movere ex loco, in quo eram, acsi esset, vel posset aliquod esse pondus, excedens eorú

vires. Hunc in modum, me obstupescente, aliquamdiu ostendebant se illam quasi difficultatem sentire. Dominus autem descendit ad locum, in quo ego manebam, dixitque illis sanctis Angelis: Relinquite istam creaturam, quia ego ipsam movebo, ac deducam ad me. Illi continuò discesserunt, & accedens Divina Majestas assumpsit ad se meam animam, atque diu subsistendo in eodem loco, dignatus est & ipse ostendere, me absq; notabili damno difficulter moveri posse, & elevari, spectatâ meâ debilitate. Post hunc raptum, Dominus Majestatis, tulit suâ infinitâ potentiâ meâ animam in ecstasi, ad cœlestem Jerosolymam, ubi illi constitutæ in secretissimo penetrali Divinæ Essentiæ sui DEI fuit ostensum, per lumen quoddam altioris ordinis, & eo modo, quo aliàs, Sacratissimũ mysterium Beatissimæ Trinitatis, illa Processio Divini Verbi à Patre, & Processio Spiritus sancti à duabus Divinis Personis. Præterea ipsi fuerunt ostensa in hoc magno Domino ac DEO omnia principaliora mysteria nostræ fidei, eorundemque valor, quantùm anima potuit capere, ac DEUS illi voluit declarare, ut sunt, mysterium Incarnationis, Ortus ex Matre Virgine, Passio & Mors JESU Christi Domini nostri, gloriosa ipsius Resurrectio, & Ascensio ad Cœlos. In his illustrationibus mansit diu, & Dominus ipsam deinde quasi à se paulatim dimittendo, posuit in manibus quorundam sanctorum Angelorum, ibi præsentium. Illi, exhibitâ magnâ reverentiâ Domino, ipsam susceperunt, & abduxerunt modicum à Divina Majestate, ac inceperunt sensim sinè sensu elevare, usque dum illam constituerent in altissimo loco, ubi admirabunda sustulit oculos in altum, & conspexit amplam quandam ac eminentem bonorum infinitorum immensitatem, vidit immensam Potentiam, magnam Majestatem, summam Veritatem, & quædam nescio qualia bona, ac thesauros, quibus pares nunquam est comtemplata, neque cognovit. Cùm specularetur istam magnificentiâ, ac tanta bona, incepit illa exoptare, extendebátque procul brachia sursum, ut ea assequeretur, & obtineret, plurimúmque idcirco fatigabatur, neque tamen se poterat reddere ipsorum capacem, nec tanti thesauri locum habebant in ejus inanitate; quantòque magis illos aspiciebat, & cognoscebat; tantò ipsi magis evadebant immensi; & magis se advertebat esse incapacem ad assequendam vel penetrandam magnitudinem illorum Divinorum arcanorum. Sic diu luctabatur, & certabat cum suo DEO, donec illam tandem Dominus magnarum miserationum, accommodans se ipsius debilitati, & impotentiæ, in se ipso est complexus, instar suavis & accommodatæ ejus capacitati Unionis, atque hác ratione illam paulatim dereliquit in manibus suorum sanctorum Angelorum, qui ipsam susceperunt cum summa admiratione, & cooperuerunt quodam velo, tulerúntque ad conspectum Christi Domini; cujus Divina Majestas illam intuita est benignissimis oculis, & cùm eam videret ità accensam, & quasi ardentem, vehementérque sudantem, dixit Angelis: Abstergite hoc velo sudorem istius Creaturæ, & confortate ipsam, neque abeat vacua ex ista Cœlesti Civitate, ac sinè aliquo dono. Ego ipse hoc illi dare volo; acceptòque ramo palmæ ex manu Angeli, qui stabat juxta ipsius latus aliquantùm retrò, dedit mihi illum, posuitque suâmet manu in pectore, dicendo: Accipe, Anima, istud donũ; quod ego suscepi cum maxima reverentiâ & admiratione, venerabárque illud, & apprimebam mihi fortiter. Deinde dixit Dominus meis Angelis: Accipite hanc Animam sic à me exornatam, ac deducite illam sollicitè, & reponite in suo loco, donec adveniat tempus à me constituturum, pro ipsius migratione; fecerúntque ità.

CAPUT

CAPUT V.

De alia spirituali lucta DEI cum Anima, petente dimitti à DEO, eò quòd non posit comprehendere omnia illius dona, & quomodo ei dederit mysticam clavim, ut ingrederetur, ad cognoscenda ipsius arcana.

Vice versâ habuit dissimilem præcedenti luctam, quasi certando cum DEO, ut se dimitteret, eò quòd non posset comprehendere omnia ipsius dona, in gratiosissima visione, quæ contigit hâc nocte.

§ I.

SEx diebus ante Pentecosten (anno 1622.) mihi dixit Dominus: Veni mecum anima, & permanebis in meis cœlestibus habitaculis, atque in mea præsentia, usque ad festum Pentecostes, ac tum redibis ad tuum locum, & præstabo tibi novas gratias. Subitò se advertit mea anima esse in illa cœlesti Patria, & in quadam actualissima præsentia sui DEI, ubi ijs diebus ipsi Dominus multoties per speciale lumen manifestavit sacratissimum mysterium Sanctissimæ Trinitatis, habebátque frequenter peculiares uniones cum suo DEO, & erat ab illo magnâ vi abrepta, atque per modum cujusdam plenæ possessionis, ut videretur tota occupata, & circumdata ab eo summo Bono, & sic mansit usque ad vigiliam Pentecostes, quo die sub noctem me inveni in meo locello, sicut mihi Dominus dixerat.

Interea mihi Dominus eam præstitit gratiam, ut me inviseret Sacratissima Virgo MARIA, Domina nostra, solaretúrque in quadam afflictiuncula, & cruce, quam patiebar. Atque ubi ea de re cum ipsa nonnulla contulissem, inveni me in cœlesti Jerosolyma, juxta eandem sacratissimam Dominam, quæ, postquam mihi mandavisset, ut me in eo cœlo prosternerem, dixit ad Majestatem DEI, Trini in Personis, & Unius in Essentia: Domine, & DEUS mi, hic tibi adduco istam creaturam, ut te adoret ac veneretur, atque ut tu Domine isto sanctissimo die illi conferas novas gratias. Faciam, respondit Dominus, attollensque tunc ego oculos animæ, vidi clarissimè, communicatum mihi esse mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & agnovi specialissimè infinitam Potentiam, & immensam Majestatem nostri magni DEI ac Domini, in sacratissima Persona Spiritus sancti, qui abripuit animam impetu suæ magnæ virtutis, ac Divinæ fortitudinis, unitámque secum possedit adeò, ut videretur prorsus exinanita; magna enim ea Potentia & Majestas illam transformaverat in se ipsam, possidendo ipsam, sicut si vehementes & impetuosi fluctus maris comprehenderent aliquam rem imbecillem ac debilem, quæ quia non posset illis resistere, videretur esse perdita ac submersa, & quasi oppressa in illis tam terribilibus, ac potentibus aquis. Et sic mea anima conquerebatur, non absque solatio; eò quòd obtineret ingentia bona à suo DEO, in medio illius sui magni certaminis & angustiæ, dicebátque: *Dimitte me, Domine mi; & DEUS mi; dimitte me, quia non possum amplius.* Ecce ego sum debilis, & potentia tua est infinita, atque ità succumbet debilitas, vincet fortitudo. Taliter mea anima diu certabat cum suo DEO, suscipiebátque ab ipso illa grandia bona, donec magnus DEUS ac Dominus, qui operabatur ea miracula, quasi compatiens debilitati meæ animæ, & exoratus à meis sanctis Angelis, illam sensim ac suaviter reliquit paulatim in unione magis ordinaria. Quando autem redij ex hoc raptu, reperi me plenam solatio, etsi miserabile corpus sentiret dolores, essetque quasi fatigatum & confractum. Benedictus sit

DEUS, propter omnia sua opera & misericordias! Amen.

§. II.

HIs ipsis diebus, quodam tempore matutino, post sacram Communionē, cum rogarem DEUM specialibus affectibus, ut me doceret, adjuvaret, ac illuminaret, quò in omnibus & per omnia me conformarem ipsius sanctissimæ voluntati, orarémque etiam pro alijs particularibus rebus, dixi illi cum ijsdem affectibus: Dilecte animæ meæ, & Domine mi, verè es infinitè bonus & misericors, ideóq; tu me desideras, ut habeas, cui aliquid elargiaris, & ego, tanquam pauper & indiga, desidero te, ut habeam, qui se mihi beneficū exhibeat, quia es summè dives. Dum hac ratione anima mea ista repeteret, dixit illi ipsius DEUS: Verum omnino est, Anima, quod dicis; sed quia à me petis gratias, da mihi tu etiam aliquid: tametsi enim non possim esse ditior, cùm sim infinitè dives, volo nihilominus tuum teruntiolum. Turbata fuit mea anima, audiens sic suum DEUM loquentem, & dixit: Hoc non, Domine, sum enim pauperrima, nec habeo, quod tibi dem, tota sum miserabilis, & plena peccatis. Cùm denuò iterarem, me non habere, quod dem Divinæ ejus Majestati, reposuit Dominus: Impone manum ad tuum sinum, & offer mihi, quod ibi reperies. Cúmque posuissem manum ad sinum, extraxi inde crucem ex auro purissimo, perelegantem & pretiosam, in cujus medio erat affixum & acclavatum quoddam pulcherrimum & splendidissimum cor, coloris ruberrimi, ut appareret simile lucidissimo rubino. Aspexi illud semel iterúmque cum magno affectu & stupore, ac adverti in ea cruce mystica & corde quandam immensitatem majestatis, in qua videbat anima, & cognoscebat ipsúmmet DEUM, atque Divinū & infinitum ejus Esse, simúlque mysteriū illud crucis & cordis, crucifixa per arctam cum suo DEO unionem, ut videretur illi esse acclavata per vehementem affectum amoris, esseque transformata in suum DEUM, & ipsius DEUS in illam, modo quodam inusitato, & altissimâ unione, atque conjunctione DEI cum anima, & animæ cum DEO. Dum ità esset absorpta in visione hujus mysterij, dixit illi Dominus: Eja, Anima, offer mihi modò, quod invenisti intrà te. Constituta sic mea anima, non poterat respondere suo DEO, neq; sciebat, vel intelligebat, quid sibi esset agendum. Dominus autem iteratò dixit: Eja tandem, Anima, offer mihi thesaurum, quem habes in tuis manibus, age, quod agendum est. Mea anima non respondit suo Domino: quia nesciebat nec poterat respondere. Quare Sanctus meus Angelus Custos flexis humi genibus coram Domino, & junctis suis manibus, petivit à Divina Majestate facultatem, offerendi ipsi loco mei istud mysterium, dicendo ad Dominum: Hæc Anima est turbata ac absorpta, ac proinde non potest, nec videtur esse capax, propter suā ecstasim, ut intelligat tuam Divinam Majestatem. Non, Angele mi, dixit Dominus, non ità oportet fieri, ipsa mihi illud debet offerre, atque ego scio quomodo, & quando. Non diu mea anima sic mansit abrepta, ac deinde ducta est ex Divina dispositione quàm admirabilissimè & suavissimè sensim sinè sensu, absque ulla commotione, sicut dum suffitus ascendit in altum, atque ità pervenit ad suum DEUM, ac intravit, séq; intimè intromisit in illum ipsum, & in ejus Divinum Esse, ibique est submersa & perdita, ut tamen se lucraretur, neq; fuit sui compos, donec aliquantò pòst redirem ad meum Dilectum, admirans profectò talia DEI opera, & bonitatem ejus infinitam, defatigatā miserabili naturâ, quam confortavit Angelus Domini, eò quòd vehementer languerct, esseque debilis.

§. III.

ULteriùs progressa est immensa Charitas DEI erga suam famulam; quia illam non solùm duxit ad suam cœlestem Aulam, sed etiam voluit esse quasi à suo Regio cubiculo, conferendo ipsi, per claves mysticas, potestatem ingrediendi in abdita DEI, ac Divini

vini cordis, penetralia ad cognoscenda arcana Divinorum Judiciorum. Quodam die, *inquit*, post sacram Communionem, vidi Majestatem DEI Trini in Personis, & unius in Essentia, qui mihi subitò dixit: Anima, visne venire mecum? ego tacui, & Dominus accessit, cùmque se Persona Patris collocavisset à dextris, Persona verò Filij à sinistris, elevaverunt me: sed quasi id illis accideret difficile, reposuerunt me in meo loco. Hoc Dominus fecit tertiò, & ultimò me secum duxit ad cœlestem Jerosolymam in specie parvulæ puellæ, quasi totam igneam, tradidítque me multis Angelis, ut me recrearent, circumducendo per illam cœlestem Civitatem. Illi id fecerunt, collaudantes musicâ & cantibus suum DEUM, tantopere amantem suas creaturas, & redierunt sistentes in loco, in quo ipsis fuerat tradita. Ibi constituta, nescio quomodo, demisit oculos, & vidit inferiùs quoddam munitum castellum, quod inhabitabat Dominus, & sub sede Agni erat fluvius pulcherrimus, ac mirè pellucidus, qui videbatur circumdare illam civitatem, & alicubi effundebatur usq; ad terram. Videns mea anima illud mysticum flumen, & cognoscens ipsius virtutè, proripuit se celerrimè, evadendo ex manibus illorum Sanctorum Angelorum, quávis ipsi eam non dimiserint, sed comitati fuerint. Procubuit in illud prona, bibebátque pro suo libitu, & immergebat se ac perfundebat semel atque iterum illis pretiosis ac Divinis aquis, significantibus pretiosum sanguinem Agni, fusum pro nostra salute & remedio, nec non virtutem ipsius meritorum. Vix poterat mea anima cessare, ut indè abiret, ubi consequebatur tanta bona. Verùm tandem illi Domini Angeli ipsam abstraxerunt, duxerúntque ad conspectum DEI, ubi illam suscepit Dominus peramanter ac benevolè, reclinavitque in suo pectore & corde, conferendo ipsi magnum lumen, & cognitionem infinitæ suæ Divinæ Essentiæ. Mansit ibi, nescio quàm diu. Posteà me tradidit Sanctis illis suis Angelis, ut me reducerent ad locum, unde veneram, quod ipsi fecerunt. Sed postquam perveni ad portas illius Civitatis, venit quidam Angelus ad me, & dans mihi quandam claviculam, quæ, ut puto, erat argentea, & pendens ex quodam cingulo, dixit: Accipe, Anima, hanc pretiosam clavim, quam tibi mittit Dominus, quia non vult Divina Majestas te abire ex sua Civitate vacuam, sed quàm repletissimam suis gratijs. Suscepi clavim ex manu Angeli, cum magna reverentia, & verecundia, agendo magnas gratias Domino DEO, pro illo tanto favore. Et postquam illam suscepissem, vidi conversam in aurum. Servavi ipsam intrà me cum magno solatio, atque tum illi sancti Angeli me duxerunt, constituerúntque in meo loco. Postquam redij ad me ex hoc raptu, considerabam, qualisnam clavis mystica esset illa, quæ mihi fuerat data in cœlo, & quale esset illud mysterium, quòd me DEUS elevaverit tribus vicibus, iterúmque reposuerit, quasi ipsi aliquid posset accidere difficile. Nam mysterium fluvij mystici ibi intellexi, quando contigit, ut dictum est. Dum id cogitarem, dixit mihi Dominus: Adverte, Anima, mysterium: quòd te videris elevatam toties, significat, me præstare gratias & bona meis Creaturis; sed velle etiam, esseque necessarium, ut illæ unà velint cooperari suo libero arbitrio. Hac enim ratione disposui, & decrevi salutem animarum. Clavis, quæ tibi fuit data, est figura specialis gratiæ, quam tibi confero, ut quando volueris (conformando te in hoc meæ voluntati) scire aliquod secretum, quod mihi soli est reservatum, possis illud intelligere, accedendo ad me, sicut qui aperiret clavi datâ sibi à Rege, ipsius thesaurum. *Modus utendi istâ clavi, exponitur in sequenti capite.*

CAPVT VI.

De arcanis DEI Perfectionibus, déque ipsius Divinis attributis, & occultis judicijs.

NEqueunt satis comprehendi arcana Perfectiones Divinæ Essentiæ, ipsiúsque Attributorum, & occultorum judiciorum, quæ ex ijs procedunt. De singulis nonnullas referemus admirabiles visiones.

§. I.

DUm aliquando manè agerem cum DEO (in Martio anni 1621.) dignatus est mę deducere ad Cœlestem Jerosolymam per sanctos Angelos, qui me constituerunt coram throno Beatissimæ Trinitatis, dicendo: Vides hîc, Domine DEUS Majestatis, istam animam, quam nos jussisti ad te adducere. Aspexit me Dominus benignè ac amanter, dixitque mihi: Nunquid non meministi, te habere auream clavim, ut ingrediaris in meum Divinum penetrale, quotiescunque tibi placuerit, & ego voluero, ubi te priùs ad id disposuero. *(quo ipsi quodammodo declamavit, quâ ratione sit intelligendus usus aureæ clavis; si nimirum Divina Majestas priùs inspiret voluntatem ingrediendi, quemadmodum statim addidit:)* Intra, licet, in meum Divinum conclave, & videbis res admirandas. Intravi celeriter in meum DEUM, & quasi festinanter transeundo per illud summum Bonum, vidi quoddam sacrarium instar pulcherrimi, elegantis, & pretiosi palatij, quamvis non esset valde amplum. Aspexi quaquaversùm, cognovíque ibi maxima arcana, Magnitudinis, Bonitatis, ac Sapientiæ Divinæ, & alia admiranda mysteria, nec non eventus rerum futurarum, & res tam sublimes, ut excederent meam exilem capacitatem. Fuerunt autem mihi taliter manifestata hæc mysteria, ut, tametsi illa distinctè & clarè viderem & cognoscerem, non possem tamen ea comprehendere: sed animadvertebam quandam claritatem & caliginem Divinam, ut nullo modo potuerim explicare, vel dicere, quid ibi viderim & intellexerim. Transivi hac ratione per istud Sacrarium, ac deinde me reperi cum multis sanctis Angelis, & meo Custode, juxtà quâdâ infinitatem graduũ summæ altitudinis, & pulchritudinis. Vehementer obstupui, dum viderem illâ magnificentiâ, quia mihi in illis fuit repræsentata Immensitas DEI, & ipsius Divinæ Naturæ. Dixerunt verò mihi Angeli: Conscende, Anima, hos gradus, & intra in cognitionem tui DEI, Divinarùmq; ejus Perfectionum, & Attributorum infinitæ ejus Essentiæ. Incepi alacriter & animosè, movente me ad id ipso DEO, conscendere velociter, gradatim, & semper cum aviditate ascendendi ulteriùs ac ulteriùs, quia meus DEUS me sui cognitione impellebat, ac ostendebat mihi suo lumine quiddâ amplius quàm hoc; quantóque magis ascendebam, tantò magis advertebam multò ampliùs esse ascendendum, longéque mihi major evadebat graduum altitũdo, & immensitas. Perveni usque ad quandam summam altitudinem, semper tamen supererat ampliùs & ampliùs. Dum eo pertingerem, occurrerunt mihi duo gravissimi Angeli, & cum authoritate, acsi me vellent terrefacere, mihi dixerunt: Quò vadis? quò vadis, tam velociter & festinanter? Siste, & nè hinc ultrà progrediaris, quia rues præceps, ascendendo ad tantam altitudinem. Visis his Angelis, vehementer sum mirata, & fui rapta in ecstasim, atque reversa modicùm ad me, dixi illis: Quid dicunt Domini? permittant me ascendere, non ruã enim, siquidem DEUS, in quo vivo, me tenebit. Præcipitaberis omnino, Anima, reposuerunt illi, si vis comprehendere, quod tuum excedit captum. Hactenus te duxit DEUS, quod satis ostendis; Verùm nunc revertere, ut descendas, non tamen

men eâdem viâ, quâ ascendisti, sed istâ. Monstrabant verò mihi quandam scalam, in qua me Domini mei Angeli constituerunt, ac deduxerunt paulatim, & suaviter: atque inferiùs apud postremum hujus scalæ gradum mihi dixerunt, & significaverunt, quòd, ut anima ascendat ad supremam sui DEI cognitionem, pro suo captu, sit necessarius hic descensus, neq; expediat id velle aliter facere, sed quòd ipse DEUS debeat esse author, ac effector hujus operis, quódque animæ, postquam illi DEUS præstitit istam gratiam, & ipsa id potest facere, sit descendendum in suum nihilum, & cognitionem suæ miseriæ ac vilitatis.

§. II.

ALio die (in Majo anni 1617.) *inquit*, fui deducta per meos sanctos Angelos ad Aulam cœlestem, quæ erat immensæ magnitudinis, & in ejus medio erat maximum quoddam castellú, in cujus summitate lucebat Sol speciosissimus, qui suis radijs illuminabat omnes Beatos, illósque beatificabat. In circuitu hujus magni Castelli erant alia illi adhærentia, in quorum uno, quod apparebat valde præclarum, fuit patefacta porta, per quam introspiciens, vidi in abstrusissimo & remotissimo loco sanctissimam Trinitatem, quasi in secretissimis penetralibus suæ Divinæ Naturæ. Postquam hoc spectaculo aliquamdiu me oblectavissem, duxerunt me Angeli ad aliud castellum huic vicinum, ubi mihi videbatur videre Divinitatẽ DEI, & hunc in modum me circumduxerunt per omnia alia. Interrogantibus me Angelis, an scirem quidnam id esset, dixi, quòd in singulis eorum castellorum viderim DEUM. Illi autem mihi hoc magis explicuerunt, dicentes, per illa castella repræsentari Divina attributa, quæ sunt ipsemet DEUS: vicinissimum illi excellentiori erat Divina Bonitas; alterum, in altera parte, Divina Misericordia; posteà sequebantur alia, Divinæ Fortitudinis, Justitiæ, & reliqua, videórque mihi vidisse, quomodo DEUS in singulis ijs castellis operetur aliquid in suis creaturis, juxta illud attributum Divinum, quod ibi mihi repræsentabatur. Deinde vidi, quòd Persona Patris æterni, in specie humana, etsi valde diversa ab illa, quam habet Filius, quem video esse verum hominem, ascenderit ex eo minore Castello intus ad aliud maximum usque ad summitatem, conjunxeritque caput cum illo Sole, qui erat Divinum Verbum Incarnatum; indicando mihi, se propter merita hujus Domini benefacere omnibus Beatis, ac reliquis hominibus. Et cùm eâdem viâ descenderet, quâ ascenderat, vidi eundem magnum DEUM, descendentem usque ad infernum damnatorum, & ibi per attributum suæ Divinæ Justitiæ illos punientem, licèt quodammodo illibenter, & quasi coactè, quòd id nollet facere, nisi exigeret ipsius Justitia, ac proinde adverti etiam ibi aliquid operari ejus Misericordiam, & abstrahebam me ab hoc videndo: quia non intelligebam, quomodo id fieret. *Ego illi id dixi: esse, quod docent Theologi, nimirum, DEUM punire citra condignum, minùs quàm illos posset punire, & in eo reperiri aliquid Misericordiæ, statimque intellexit hoc ipsum esse, quod videmus, neque sciebat exponere.* Vidi præterea ibidem infinitatem istius punitionis, in æternitate pœnarum, quod me reddidit attonitam, & adverti, quàm infinita esset culpa, eò quòd adversetur DEO infinito, qui tali pœnâ & modo illam punit per suam Justitiam. Postea vidi eundem DEUM Patrem transeuntem ad Purgatorium, & per suam Justitiam ibi infligentem animabus illam pœnam; sed suaviore modo, & quasi illarum vicem doleret. Deinde ascendit ad locum, in quo priùs fuerat, cúmque me abripuisset in ecstasim, inveni me in meo lecto, sicut soleo.

Aliâ vice (in Septẽbri anni 1602.) postquam me DEUS duxisset in spiritu ad cœlum, contulit mihi ingens lumen, ut cognóscerem immortalitatem animæ, & æternitatem ipsiusmet DEI, atque licet multum fuerit, quod intellexi de hac immensa æternitate, dictum mihi est: Adhuc tamen longè abes ab illa percipienda.

§. III.

ALiàs (in Julio anni 1619) mihi afflictæ dixit Dominus: Anima affligeris, veni mecum, & ducâ te ad cellarium meorũ cœlestium vinorum, ubi recreaberis. Statimq; per quandâ unionem abripuit meâ animâ, & collocavit in recondito penetrali sui Divini cordis, ubi ipsi exhibuit, quasi in diversis, & reconditissimis partibus, sua Divina attributa. Pervenit ad magnitudinem Divinæ Bonitatis, nec non Misericordiæ, Justitiæ, ac Sapientiæ, in quibus attributis contemplabatur & cognoscebat Divinum Esse. Visâ autem ejus Justitiâ fuit consternata, atq; exterrita. Delibabat aliquamdiu mea anima hæc bona sui DEI, ac Domini, immersa & perdita in eo immenso mari, ac Divina caligine, sibi erepta, nec poterat intelligere, aut assequi immensas perfectiones illius DEI non cogniti, erátque quasi absorpta & ebria illâ luce, cognitione & suavitatibus quodammodo diversis, unius ejusdémque rei, sicut si unicus cibus posset diversimodè sapere. Istâ ecstasi, & modo quodam ebrietatis fuit mea anima quasi sopita in suo DEO, somno mystico & admirabili, quo durante illi dixit Christus Dominus: Accede ad me Anima. Accessit Anima ad Dominum, mansitque apud ipsum, sicut jussa fuerat, ubi vidit res tam admirandas, ut illas nesciat eloqui, neque intelligere. Aliquantò pòst evigilavit, auditâ voce sui Angeli, ex somno, dicentis ipsi: Expergiscere, Anima, in nomine Domini, quia jam est tempus; & reducam te ad tuum locum. Ità sum ad me reversa, invenique me in meo loco.

§. IV.

ALiàs (in Augusto, anno 1615.) vidi Christum Dominum considentem in quodam throno, circumdatum ab Angelis, etiámque à meis, qui ipso innuente, me in momento prostraverunt coram Divina ejusdem Majestate, quæ extendit manum, & apprehensum meũ caput sibi applicuit. Ibi correpta fui tam spirituali & Divino somno, ut nunquam ex illo voluissem expergefieri; ibi cognovi, specialiter à DEO illuminata, res maximas de sublimitate Divinorum Judiciorum, ac variorum arcanorum Divinæ Providentiæ. Etsi non scirem, neque possem id exponere, sicut vidi ac intellexi. Tantùm stupebam & eram attonita, atque etiam timebam, videns, quomodo prolabantur res exaltatæ, & exaltentur res prolapsæ, nec non occulta DEI arcana, quoad varias vias, per quas ambulant homines. Occurrit parti superiori meæ animæ exemplum, quo id possem explicare, & est considerare altissimum montem, in quo est reperire varias semitas ac vias inter ingentia præcipitia, & imaginabar mihi multos illum perambulantes; bonos quidem insistentes semitis tam angustis ac arduis, ut viderentur præcipites ruituri, qui tamen superatâ hac difficultate & molestiâ devenirent ad viam planam & amœnam, magisque securam: alij verò incederent viâ, in speciem planâ, & amœnâ, cum magna prosperitate, in cujus termino prolaberentur in præcipitium, ac perirent. Hoc exemplum mihi incidit, sed non explicat adhuc bene id, quod vidi. Cognovi etiam, & experta sum, quomodo DEUS adsit tribulatis ac afflictis, videórque mihi hoc vidisse. Denuò Divina Majestas me tetigit suâ sanctissimâ manu, & dixit: Anima, expergiscere ex somno (ità redij ad me) aspice Cœlum. Elevavi oculos ad cœlum, quod conspexi apertum, unáque viam ad illud à meo cubiculo tendentem, plenam Angelis, ubi vidi lucem quandam inaccessibilem, quæ neque erat solaris, neque similis ulli luci nostrati. Correpta fui magno desiderio illuc eundi, dixique meo Domino: Eamus Domine, eamus. Dominus autem mihi dixit: Brevì fiet. Et ego respondi: Domine, nè id fiat brevì, sicut tu intelligis, sed sicut ego opto. Tunc me rapuit in ecstasim, & quando mihi sum reddita, inveni me decumbentem in meo lecto, & meis gravatam doloribus, atque cruciatibus.

CAPVT

CAPUT VII.

Quomodo sibi ipsi sufficiat DEUS, à quo omnes accipiunt, quidquid habent boni; & de tribus mysticis Aulis, in quibus illi id fuit magìs declaratum.

§. I.

DUm ageré cum meo Domino more solito (in Augusto anni 1622.) vehementer afflicta continuis meis doloribus, vellétque mihi DEUS gratificari, & me aliquantùm recreare, vidi Cœlum aperiri & conjungi cum terra, ut videretur ex Cœlo & terra unum quid fieri, & omnia replebantur gloriâ DEI. Totum spatium intermedium replebatur Angelis, dulcissimè concinentibus laudes sui DEI ac Domini. Erat in isto spatio ingens scala, habens per intervalla, ad capiendam quietè, quædam subsellia. Per hanc vidi descendentem Christum Dominum, cum comitatu Beatorum Spirituum. Ferebat Divina ipsius Majestas in manu, ut apparebat, sacrum Ciborium, seu calicem coopertú, & in illo Hostiam. Postquam pervenit ad quoddam subsellium vicinius terræ, ibi substitit, ac tum subitò accesserunt aliqui sancti Angeli, & collocaverunt ante Dominum elegans altare, aliquantùm angustú; totum repletum & exornatum gemmis inæstimabilis valoris; atque ex lateribus Altaris, pendebant elegantes zonæ cum suis lemniscis, quos sustinebant suis manibus duo gravissimi Angeli. Divina Majestas posuit Calicem supra altare, discooperuit illum, & aspexit Hostiam, quam intus habebat, acceptámque manu absumpsit. Adstabant omnes Angeli, tam qui illic fuerant, quàm qui venerant cum Divina Majestate, cum albis cereis accensis reverentissimè, & postquam Dominus sumpsisset Hostiam, accesserunt Angeli, ac abstulerunt ex altari calicem. Vehementer stupebam hoc mysterium, & optabam scire, quid significaret. Dixitque mihi Dominus: sumptam fuisse à se DEO & Homine verò eam Hostiam, ut significaret, DEUM non aliunde dependere, quàm à se ipso, & omne suum bonum, felicitatem, amplitudinem, ac esse Divinum habere in se, & à se, absque ulla dependentia à Creaturis. Post hoc omnes Sancti Angeli præsentes accesserunt singillatim ad Altare, inclinantes se profundè coram Domino, statimq; se iterum erigentes; Dominus autem imponebat cuilibet Angelo ad labia gemmá pretiosissimam diversorum colorum, quá Angelus suscipiebat, & evadebat pulchrior ac splendidior, quàm antè, atque ardentior ipsius amore. Ultimò advenerunt mei Domini Angeli, qui mecum ordinariè manent, & duxerunt me ad Altare, prostraverúntque coram Domino, qui etiam mihi dedit pretiosissimum lapidem, quamvis valde differentem ab ijs, quos dederat Angelis, quo accepto, repositóque intrà me ipsam, fui vehementer ditata, & illuminata, ac repleta mille bonis. Indidit mihi Dominus desiderium sciendi, quid significaret id, quod videram, & Dominus mihi dixit: Ideò fuisse datum à Divina ipsius Majestate illam gemmam cuilibet Angelo, quo suscepto tantopere ditabatur, & replebatur gloriâ, ut significaret, omnes creaturas accipere ab illo suum esse, & beatitudinem, cùm ex se nihil habeant. Summopere obstupui, videns tam Divina mysteria, & Dominus me in momento secum arctè univit, unáq; ego me univi cum Divina ejusdem Majestate, & procedentes ab eodem Domino Divini quidam funiculi adhæserunt meæ animæ, attulerúntque mihi maxima bona. Hoc modo diu fui constituta, donec paulatim dimitterer ab ista magna unione, sed ità, ut remanerem intrà meum Dominum, novis luminibus, & splendoribus collustrata.

§. II.

FUsiùs illi manifestavit Dominus DEUS rerum omnium dependentiam à Suâ Majestate, quæ universis dominatur.

Cùm, *inquit*, quodam tempore matutino (in Augusto anni 1621.) essem vehementer afflicta à doloribus, dixit mihi Dominus: Angeris & affligeris, creatura mea, veni jam mecum, & quiesces, ostendámq; tibi mirabilia. Subitò me reperi totam à DEO circumdatam, & collocatam in penetrali Divinæ Essentiæ. Atque tum me duxit Dominus, & constituit in quadam amplissima aula, ornata, ac pretiosa, quæ videbatur esse ingens palatium. Aspiciens autem quaquaversum, vidi quàm ordinatissimè in illius circuitu collocatos thesauros maximi pretij & valoris: quia licèt essent admirabiliter & magnificè cooperti, ego illos videbam, & cognoscebam eorundem valorem per lumen, quod mihi DEUS communicavit. In medio horum tam mirabilium thesaurorum, & in loco præstantiore, erat quidam longè pretiosior, magis cœlestis ac Divinus, quàm omnes reliqui. Ex hoc thesauro tam præclaro, & tam pretioso, prodibat tanta virtutis ac valoris excellentia, atque ità superabat cæteros, ut ab illo reciperent suam virtutem ac valorem, atque ab eodem, illis totum ipsorum esse communicaretur.

Hæc visio & raptus duravit aliquamdiu, & postea fui ducta à Domino ad aliam aulam, similiter valde opulentam & pretiosam, ac pulcherrimè adornatam, in qua erat optimè coordinata quædam cœlestis apotheca, medicinarum tam pretiosarum, ac proficuarum, ad curandas & sanandas omnes infirmitates, ut nulla creatura, volens illis bene uti, reperiretur, quæ non sanaretur à qualicunque infirmitate, ex qua laboraret, utcunque esset lethalis. Tanta erat virtus, & efficacia ac valor harum cœlestium medicinarum. In medio illarum, & in eminentiore loco erat una pretij & virtutis ac valoris infiniti, pro sanandis & curandis omnibus vulneribus putridis, & morbis lethalibus, atque ab hac recipiebant sibi communicatam omnes reliquæ medicinæ suam virtutem.

Postquam diu fuissem admirata hæc mysteria, deducta sum à Domino ad aliam similem aulam elegantissimam & ornatissimam, in qua erant quidam medici, magnâ suæ artis scientiâ præditi, personæ admodum graves, atque, ut apparebat, valde egregij, & hi non erant multi, quamvis valde docti & periti. In medio horum tam sapientium medicorum, & in supremo loco, sedebat quidam in throno, cujus scientia erat infinita, & Sapientia immensa, quâ omnes excellebat. Ab hoc magno Magistro & Archiatro cœlesti accipiebant omnes reliqui Virtutem, Scientiam, & Sapientiam, quam habebant, & quæ ab illo ipsis fuerat communicata. In hac visione iterum aliquamdiu mansi, cum magna admiratione.

§. III.

INde me Dominus eduxit, denuóque constituit arcano quodam modo, in prima aula, & gazophylacio, contulitque mihi magnum lumen, atque cognitionem illius summi mysterij, quâ ratione videlicet ab illo Divino thesauro, qui repræsentabat & significabat ipsum DEUM, ejusdémque infinitam magnitudinem, & immensitatem, summam potentiam, ineffabilémque gloriam Divinæ ejus Essentiæ, accipiant valorem, lucem, gloriam, & beatitudinem omnes cæteri thesauri, collocati ante illud summum Bonum, qui repræsentabant & significabàt omnes beatos Spiritus, accipientes à summo Bono suam gloriam. Dum mea anima videret & cognosceret illam summam Magnificentiâ, & Divinum Esse mei DEI, prostrata in ipsius conspectu cum summo & intimo affectu, & eo lumine, quod mihi erat denuò communicatum, incepi ex animo & ardenter dicere: O magne & infinite thesaure mei DEI ac Domini, maximi, optimi, pulcherrimi, potentissimi, infiniti, & ploni summâ Sapientiâ, atque Gloriâ, quâ illustras, ditas, & beatas reddis omnes animas

mas ac ſpiritus, qui in tuo Divino verſantur conſpectu! O Sol Divine, ſplendidior omnibus ſplendoribus, pulchrior omnibus pulchritudinibus, fortior & potentior omnibus fortitudinibus! Tu es, DEUS mi, & Domine mi, qui tuis radijs Divinis attingis & irradias animas, eásque ducis ad te, & reddis beatas. O ſummum Bonum adjuva me, illumina me, doce me viam tuarum veritatum, ut ità te amem, ſicut me amaviſti, maneámque in te, ac perſeveré in perpetuum. Repetendo iſta cum magno affectu, manſi ibi diu. Et indè fui ducta à Domino ad ſecundam Aulam, ac Apothecam cœleſtem, ubi nova me cœpit admiratio, novámque habui illuſtrationem, lucem, & cognitionem illius ſupereminentis myſterij, conjectis oculis in illud pretioſum vas, & Divinam Medicinâ, cœteris omnibus ſuperiorem, quæ erat Symbolum & repræſentatio infiniti valoris ac pretij, ſanguinis JESU Chriſti Domini noſtri, effuſi pro noſtra ſalute ac remedio. Coram hoc tanto myſterio mea anima proſtrata, cum lumine, quod mihi DEUS communicabat, de illo infinito valore, à quo accipiebant ſuam virtutem & gratiam omnes reliquæ medicinæ, ſignificantes ſancta Sacramenta noſtræ Sanctæ Matris Eccleſiæ, & remedia, quæ per illa applicantur noſtris animabus, in virtute illius ſanguinis; cum hoc novo lumine, inquam, incepi dicere: O Sanguis pretioſe mei Redemptoris, & Salvatoris JESU Chriſti, effuſe pro noſtra ſalute! ô valor infinite & immenſe! O medicina Divina & cœleſtis, quâ omnes poſſumus ſalvari & ſanari ab univerſis noſtris infirmitatibus, quantumvis ſint malignæ & contagioſæ! Tu contuliſti, & confers valorem cæteris medicinis, quibus curamus & ſanamus noſtras animas, quæ ſunt ſancta Sacramenta. Peto à te ſuppliciter, mi DEUS, per hunc pretioſum ſanguinem, & per tuam infinitam bonitatem, ut me cures, ſanes ac purifices. Hæc & alia dicebat mea anima cum maximo affectu ad illam cœleſtem ac Divinam Medicinam, & pretioſiſſimum Sanguinem mei Redemptoris, atque in hoc me aliquamdiu detinui. Hinc me Dominus duxit ad tertiam Aulam, ubi erant illi ſapientes & graves Medici, unáque ille magnus Magiſter omnium ac Archiater, & cognito, per magnum & clarum DEI lumen, illo ſublimi myſterio, proſtravi me, cum magno interno, ſubmiſſiſſimóque affectu, coram Majeſtate illius magni Domini, dixique ei cum exuperante, ingenti, & humili fervore: O Magiſter Divine, ô Fons Sapientiæ æternæ, ô Medice ſapientiſſime & potentiſſime ad curandas & ſanandas omnes infirmitates, quantumlibet graves! O Protomedice Divine, qui non ſolùm potes conferre hanc ſanitatem & ſalutem, ſed per tuam infinitam potentiam etiam dare vitam, & reſuſcitare mortuos, licèt ſint inſtar Lazari quatriduani defuncti! ſuppliciter te obſecro Domine, per tuam infinitam bonitatem & miſericordiam, ut cures ac ſanes meam animam ab omnibus infirmitatibus, mundéſque ipſam ab omni lepra peccatorum ſuorum ac defectuũ, ut ità te purè amem, tibique ſerviam ex toto meo corde, & pro viribus meis. Intellexi, illos ſapientes Medicos fuiſſe figuram Miniſtrorum Evangelij, qui ſuam accipiunt virtutem, valorem & ſapientiam, ab illo magno Domino & Magiſtro Divino ac cœleſti, repræſentante ipſum DEUM ac Dominum, cujus gratiam & virtutem Divinam, ac merita JESU Chriſti Domini noſtri, communicabat ſuis Miniſtris Evangelicis. Manſi aliquanto tempore in hac illuſtratione ac viſione myſtica, & indè me abripuit Dominus intrà ſe ipſum, poſuitque in myſtico penetrali ſuæ Divinæ Eſſentiæ, & hoc modo me paulatim ac ſuaviter dimittebat, donec me reponeret in meo locello, ubi me inveni plenam admiratione, ob viſionem tanti myſterij.

CAPVT VIII.

Quomodo viderit tres Angelos, miro prorsus modo repræsentantes Mysterium Sanctissimæ TRINITATIS, & Christus Dominus ter descenderit, ad infundendas ipsi tres virtutes, utens verbis admirandis.

SEquens visio est prodigium infinitæ Sapientiæ & Bonitatis DEI, communicantis se suis Creaturis, cujus principium est simile illi, quam habuit Abraham de mysterio Sanctissimæ Trinitatis in specie trium Angelorum, quos alloquebatur modò ùt unum, modò ùt multos: quia ipsi apparebant, jam ùt unus, jam ùt tres.

§. I.

AGens cum DEO horâ secundâ noctis (anno 1611.) vidi tres beatos Spiritus, qui, ut mihi videbatur, erant Angeli DEI, & stantes coram me aliquantum ex parte, dixerunt mihi modo admirabili & valde gravi: Soror, venimus, ut tibi annuntiemus nova, nomine DEI. Neque mihi tunc plus sunt loquuti: quia attendebant ad effectum, quem illud verbum seu nuncium operaturum esset in mea anima, qui erat quædam turbatio, tum quòd nescirem, qualia nova essent illa, tum quia admirabar admirabilem modum loquendi, quo utebantur: nam loquentibus tribus, loquebatur tantùm unus, & loquente tantùm uno, loquebantur omnes tres; per quod DEUS vehementer illuminavit meam animam, ut cognoscerem altissimũ mysterium trium Divinarũ Personarũ, & unius solius veri DEI, adeò ut habito hoc lumine potuerim dicere, verum esse, quod confitemur de hoc mysterio: quia ego vidi aliquid, & habeo aliquam illius cognitionem. Dum ij cœlestes Spiritus me viderent ità turbatam, ac admirabundam, alloquentes me denuò cum magna suavitate & benignitate, eodem arcano modo, de quo dixi, & novo lumine collustrantes meam animam, ad percipiendum mysterium, dixerunt mihi: Soror nostra, nè turberis, neque affligaris, nova enim, quæ tibi annuntiamus, sunt optima. Tamen, quia ordinariè magis reddor sollicita & attenta, quando me DEUS visitat, mihique exhibet suas solitas misericordias, quàm quando mihi offert aliquam crucé, amore sui tolerandam, quam suscipio sinè tergiversatione, aut timore; licèt mihi dixerint esse bona nova, non omnino deposui meam perturbationem, & dixi illis consentaneè mystico modo, quo mihi fuerant locuti, & lumini, quod mea anima acceperat de mysterio altissimo Sanctissimæ Trinitatis: Domini, Dominus potest facere quidquid vult, ac sicut vult, potest visitare animã, & conferre illi gratias, quando & quomodo, & eâ ratione, quâ vult, pro sua sanctissima voluntate, & ego quid habeo hac in re expendendum? quidve opus est me commonefieri? Responderunt mihi illo dicto modo arcano, & novum communicando lumen meæ animæ: Ità, verum est, quod dicis, requirit tamen DEUS tuam dispositionem. Tum ego respondi (retinendo semper lumen in mea anima, quo cognoscebam illud mysteriũ, & ignorando modum, quo id dicerem) Domini, si ex mea parte requiritur, aut debet esse aliqua bona dispositio ad recipiendas à DEO ipsius gratias, ea, quam ego habeo, est valde exigua, miserabilis, & imperfecta, ideóque nescio, quid facere possim, vel dicere hac de re, ignoro, quomodo me debeam disponere. Illi verò mihi dixerunt eo modo mirabili, de quo antes dixi: Nè te quidquam affligat, vel sollicitam reddat, quia dispositio, quam à te petimus, est, ut solùm velis acceptare gratiã, quam tibi Dominus modò vult præstare.

Audi-

Auditis his verbis fui liberata ab omni illa molestia, & solicitudine, ac turbatione, quam habueram, subsecutâ magnâ pace & quiete, ac dixi cum affectu, quem DEUS meæ animæ communicavit, resignationis, & propriæ cognitionis: Ecce tua pauper creatura, & ancilla mei Domini; fiat in me in omnibus, & per omnia sanctissima tua & amabilissima voluntas. Postquam id dixissem, unus ex illis tribus Angelis recessit aliquantùm ab alijs, séque constituit quasi è regione ipsorum, & fuit res mirabilis ac plena mysterio, quam mea anima ibi vidit, atque cognovit per lumen sibi à Domino communicatum: quia dum recederet ab illis duobus, unus ille manebat cum duobus, ac duo manebant cum illo uno, & cognovi ex illuminatione Divina, quòd iste recessus unius à duobus esset figura mysterij Incarnationis secundæ Personæ Sanctissimæ Trinitatis, JESU Christi Domini nostri. Deinde elevatis animæ oculis, ex inspiratione DEI, conspexi cœlos quasi patefactos, & apertos, vidique ex altissimo ac supremo eorum descendentes pulcherrimo ordine, & binos, instar supplicantium, innumerabiles Angelos, ac Spiritus Beatos, adeò ut viderentur egredi ex cœlesti Jerosolyma omnes illius Cives & Aulici; cumque descendissent hoc ordine, donec pervenirent ad illos Sanctos Angelos, quos dixi stetisse mirabiliter, duos ex una, & unum ex altera parte, fuit instituta Divina quædam supplicatio, in cujus medio à dextris procedebat Sanctissima Virgo Domina nostra, sublimior alijs sanctis Angelis, quasi considens in quodâ throno, stipata comitatu multarum Virginum, & sanctarum subsequentium, intercedentibus per intervalla plurimis Beatis Spiritibus. Postea vidi grande & elegans, augustum ac munitum castellum, adeóque stupendum, ut nunquam potuerim intelligere, quale fuerit: quia illius majestas ac magnitudo excedebat captum omnis creaturæ, unde ibi fui obruta, perdita & submersa in ea Divina caligine: nescio, an tunc evanuerint ex meis oculis illi tres admirabiles Angeli.

§. II.

EX hoc Divino Castello, patefactâ quâdam quasi portâ, seu aperturâ, prodijt JESUS Christus Dominus noster, cum maxima Majestate ac pompa, & incipiens descendere per medium illius cœlestis processionis, pervenit usque ad sanctissimam Virginem Dominam nostram, ad quam nonnihil conversus, inclinavit suũ sacratissimum caput & corpus, exhibens ipsi reverentiam, sanctissima quoque Virgo se erexit, & inclinavit coram Divina ipsius Majestate cum maxima veneratione, quod ipsum fecerunt omnes illæ Virgines & Sanctæ, ac Angeli, qui aderant. Statimque Dominus processit ulteriùs; descendebat verò dicto modo, donec veniret ad initium illius Processionis, ubi jam ego eram, priusquàm Divina Majestas adveniret. Cùm autem aspicerem Dominum venientem, vidi quòd in duobus digitis suæ sacratissimæ manûs ferret quasi obvolutas quasdam gemmas pretiosissimas diversorum colorum, atque idcirco attonita, non poteram avertere oculos ab illo mysterio, & tota turbata ac abrepta, nesciens quid agerem, corrui prona super terram, in qua jacebam humiliata, & proxima Divinis pedibus. Sed subitò fui elevata, & Dominus venit ad me, unde ego non parùm fui turbata, ac obstupui: & postquam tetigisset ijs duobus digitis, in quibus ferebat illos pretiosos lapides, meum pectus, & cor, atque ibidem eos tenuisset, per spatium, quo dici potest Symbolum Apostolorum (non sciebam tunc, quid ageret Divina Majestas, quidve in me operaretur) ac deinde mihi dedisset suam sanctam benedictionẽ, reversus est, pertranseundo illam Processionem eodem modo, quo descenderat, usq; dum ascenderet ad supremũ cœli locum, unde venerat. Ego cogitabam, & conferebam mecum, quale esset illud mysteriũ, quòd Dominus suis sacratissimis digitis tetigisset meum cor: & quia senseram illum intimum contactum, dicebam: Quid est, mi DEUS, quod fecisti, & operatus es in me, tua paupere creatura: atque cùm frequentissimè dicã Domino, considerando

me tam pauperem & infelicem, ac miserabilem: *Cor novum crea in me DEUS, & spiritum novum infunde visceribus meis*; ajebam, quandoquidem tanta est mei DEI bonitas, an non mihi abstulisset meus Dominus istud cor antiquum Adami, vellétque mihi dare aliud novum, conforme suo genio ac voluntati. Sed statim me corrigebam, ac dicebam: Hoc vix contigerit, quia sentio idem, acsi cor meum haberem in meo pectore. Hæc me dicente, vidi Majestatem JESU Christi Domini nostri descendentem secundò ex eodem loco, & eodem modo, quo priùs: dum autem cum ea pompa descenderet, jámque vicinissimus esset loco, in quo ego inclinata venerabar ipsius Majestatem, extendit suam sacratissimam manum, ac admovit meis labijs, quæ signavi Cruce, efformatâ duobus digitis, indice & medio, in quibus Divina Majestas ferebat illas prædictas gémas. Deinde paucis mihi bene precatus, redivit per medium illius cœlestis Processionis, ac ascendit usq; ad supremum Cœlum, unde advenerat, subducendo se conspectui meæ animæ, quemadmodum fecerat primâ vice. Paulò pòst, quasi intrà spatium, quo persolvitur symbolum Apostolorum, iterum descendit, sicut primò & secundò, accedénsq; ad me, attactâ meâ fronte, ijsdem duobus digitis, in quibus gerebat eas gemmas, designavit in illa Crucé, quæ remansit profundè impressa intrà eâ partem capitis, non sinè notabili meo dolore; ac tum mihi breviter benedixit, sicut alijs vicibus: Recedens verò aliquantulùm à me, præcepit eadem Divina Majestas graviter & admirabiliter toti illi Aulæ cœlesti, ut attenderent, quid ipsis esset dictura, & expositura, de mysterijs, quæ fuerant omnibus præsentibus peracta, atque mihi specialiter dixit: Tu quoque esto attenta, & intelliges gratias tibi modò à me præstitas, quia hactenus vidisti mysterium, & non intellexisti, quid significaret. Tunc Beati Spiritus quasi novam præ se tulerunt attentionem, præsertim verò ego, eò quòd mea interesset, magis appropinquavi diligenter auscultatura, quid Dominus esset dicturus.

§. III.

INterea dixit Dominus: Noverint omnes creaturæ, constétque Cœlo ac terræ, quòd propter meam bonitatem, & quia sum is, qui sum, hunc in modum, atque ità specialiter, sicut vidistis, amem, amplectar, & honorem meos parvulos, qui nimirum verè, & ex toto suo corde ac anima me amant, mihi serviunt & obtemperant omnibus suis viribus, respondentes quàm optimè possunt meæ inspirationi, & vocationi: idcirco nunc volui taliter honorare istam creaturam, descendendo ad ipsam tribus vicibus, ex meo regio throno ad terram, & applicando illi meâ potenti manu specialem meam gratiam, ac virtutem meæ Passionis, confortando denuò ipsius cor, & conferendo ei novam gratiá contra potentiam Sathanæ; id quod feci tangendo meâ manu intimè illius cor, sicut vidistis, & illa sensit, relicto in eo, in signum hujus novæ gratiæ, & virtutis ac fortitudinis, quam illi tum communicavi, unâ ex ijs gemmis, quas ferebam in duobus digitis meæ manus. Secundâ vice, quando ad illam descendi, attingendo meâ manu ipsius labia, applicui illi, & cómunicavi denuò virtutem prudentiæ in loquendo, ut loqui possit, quin diabolus valeat impedire verba, quæ meo nomine, & ex mea voluntate illam oportuerit proferre ac dicere, qualicunque oblatâ occasione meæ gloriæ, & fructus animarum, relictâ intrà ipsam, quasi in signum, intuitu hujus gratiæ, aliâ gemmâ ex ijs, quas in digitis meæ manus gerebam. Tertiâ vice, quâ ad illam descendi, tangendo, sicut vidistis, meis digitis ipsius frontem, & formando in ea signum Crucis, quod etiam à me factum est, dum tetigi cor & labia, applicui illi & communicavi denuo virtutem bonarum cogitationum, illustrando novâ meâ luce ejus intellectum, ut bene dirigat opera ad majorem gloriam meam, relictâ illi etiam, in signum istius gratiæ, tertiâ gemmâ ex ijs, quas ferebam intrà meos digitos.

Hoc dicto, conjectisque in me suis sacratissimis oculis, alloquutus est me, dixitque

que mihi peculiariter: Hæ sunt, Marina, misericordiæ & gratiæ, quas modò tibi de novo exhibeo, & quas accepisti à me, eo modo mystico, quem vidisti, neque tamen tunc intellexisti. Deinde Dominus dedit suam benedictionem toti illi cœlesti Aulæ, & Spiritibus Beatis, ac mihi suæ miserabili creaturæ, cum majestate ac authoritate à me nunquam aliàs animadversâ, atq; hoc facto est reversus, & pertransivit illam mirabilem Processionem, sicut prioribus duabusvicibus, ingressusque est in illud suum amplum & elegans castellum, ac deinde se movit tota illa mystica Processio Beatorum Spirituum, qui ascendentes suo ordine, quo descenderant, introiverunt in cœlestem Jerosolymam, & cum postremò ingredientibus, qui erant eminentiores, & sublimissimi spiritus, ingressi sunt tres illi admirabiles ac beati Spiritus, quorum in principio feci mentionem: & postquàm hi introivissent, clausa est illa porta, seu apertura Cœli, atque ego attonita, summè mirabar, quòd viderim tam stupenda, excedentia omnem exiguam capacitatem meæ animæ, & verecundabar, demersa in illam abyssum meæ vilitatis, & exiguitatis, ideóque existimo, me nunquam ausuram fuisse, vel attentaturam, scribere ista mysteria, præterquàm ad reddendam rationem meo Confessario, & Patri spirituali.

Videor mihi quasi immutata, postquà mihi Dominus præstitit istam gratiam, haberéque in intimo recessu ac fundo meæ animæ, applicatam ab illo quandam veluti seram, ac sigillum, adeò ut nihil possit pertingere & intrare in illud secretum conclave, quod Dominus ità clausit & obsignavit. Solus ille potest aperire & occludere istud claustrum, quod Divinæ Majestati est semper quasi apertum, potéstque intrare & egredi, quando, & eo modo, quo ipsi placet. Quàndo verò per meam magnam fragilitatem & miseriam labor in aliquos defectus, ac imperfectiones, quia semper & in omnibus meis operibus hoc mihi de me persuadeo, videtur id mihi tunc esse & fieri procul extra portas domûs & habitaculi interioris meæ animæ, ut nesciam, quomodo eveniat: solùm scio, me malè & cum multis defectibus ac erroribus respondere tantis gratijs, quas à Divina Majestate accepi.

Dum pervenissem ad scribenda illa tam grandia verba, quæ Dominus dixit: *Noverint omnes creaturæ, constéque cœlo ac terræ*, quia repræsentabatur meæ animæ, quasi tunc adesset, maxima & extraordinaria Majestas, cum qua Dominus ea protulerat, exerüit se in momento meus pudor & timor, ut fuerim mirata, nec potuerim tunc quidquam loqui. Atque Dominus, operatus est in mea anima, ex sua bonitate, & me obstupescente id, quod ego nunquam senserám, neque mihi acciderat in vita mea, quantùm recordor; ipse namque Dominus propter suam misericordiá, & altissima judicia, movit meam linguam, loquutusque est per illam prædicta verba: quòd quidem scribo cum magno dolore, quia mihi id mandat, & sic vult Dominus; nam ista melius est sentire, quàm dicere, eò quòd absque magna confusione & verecundia proferri nequeant.

CAPVT

CAPUT IX.

Quomodo ipsi DEUS alijs stupendis modis manifestaverit mysterium Sanctissimæ Trinitatis, exhibendo illi singularissimos favores.

Alijs novis modis admirabilissimis Dominus voluit distinctius manifestare Famulæ suæ Trinitatem Divinarum Personarum, in Unitate Essentiæ, jam per lumen & visionem intellectualem, sinè imaginibus vel figuris, quod est perfectius; jamcum his figuris diversimodè. Finis, ob quem illi manifestavit tam sublimia mysteria, intelligetur in sequenti revelatione.

§. I.

QVadam vice, *inquit*, vidi descendentes ex cœlo innumerabiles Angelos, quibus circumdantibus meum cubiculũ, comparuit mihi Majestas DEI nostri Trini in Personis, & unius in Essentia. Vidi autem ipsum, absque ulla specie corporea, & fui attonita, atque confusa. Omnes Angeli se prostraverunt coram Divina Majestate, & ego pro mea timiditate me avertebam. Sed Dominus mihi dixit: Propter te venio. Et sicut, dum aliquis denudatur suâ veste, ità mihi videtur animam exuisse corpore, illámque fuisse complexus. Videbam illam in manibus DEI, & advertebam corpus meum non esse mortuum. Interrogavi Dominum, quomodo id fieret; dixitq; mihi: Interroga tuum Confessarium, ipse enim tibi hoc dicet. Ità aliquamdiu hæsi cupida intelligendi mysterij: deinde mihi dixit: Hoc, quod teneo in meis manibus, est pars superior tuæ animæ, quæ est memoria, intellectus, & voluntas; ista enim mihi adhæret: altera pars inferior, peragit suum officium in corpore. Sicut, quando quispiam Dominus capit possessionem alicujus loci, quamvis sit Dominus, relinquit tamen usum & fructum Vasallis, ut ditescant; ità ego sum Dominus tui spiritûs, & nihilominus permitto tibi usum & libertatem, ut proficias ac diteris tuis meritis. Et hæc tibi ostendo, quæ es illiterata, pro solatio doctorum, qui ea resciverint, dum videbunt, id, quod illi assequuntur studio impenso lectitandis libris sacris, licèt ipsimet non experiantur, expressum in fæmina, quæ nihil tale poterit scire ex se ipsa.

In hujus rei confirmationem mihi aliquando DEUS ostendit istud mysterium tam clarè, ut si aliquis de eo dubitaret, videretque illud cum tali illustratione, omne ipsi dubium auferretur. Quocirca dixi ad DEUM: Domine, quare hoc fit? quasi timens nè aliquomodo errarem in fide, quoad istud mysterium, mihiq; ideo manifestaretur, ut illum errorem deponerem. Statim autem audivi responsum Domini, acsi loqueretur voce humanâ, certam me reddentis de mea integra Fide, dicentisque mihi: Cùm me postea sis clarè visura, non est mirum, hic fieri initium. Quo factũ est, ut fuerim tam plena DEO, ut mihi viderer magis vivere in illo, quàm in me. Simul autem mihi significavit eam visionem non fuisse tam clarâ, qualis mihi tribuenda esset in Cœlo.

§. II.

ALiàs dum versarer cum DEO, amando ipsum omnibus viribus meis, incepit multò magis incendere hunc amorẽ, & postquam me abripuisset in spiritu, reperi me in Cœlo coram Divina ipsius Majestate, ubi respiravi, & quievi oblita omnium rerum creatarum. Subitò contulit meo intellectui lumen, cum quo vidi ac intellexi tres Divinas Personas distinctas, & quomodo sint Unus DEUS, ac Dominus Magnus, Potens, & Infinitus, atque u-

na Majestas, & Magnitudo, ac Omnipotentia, cui nihil est impossibile, & quæ replet & gubernat omnia; in cujus potenti manu sunt universa, de quibus disponere pro libitu, etiámque illa destruere potest. Duravit hoc lumen aliquot diebus, atque interdum emittebat quosdam vapores igneos, qui me quodammodo perterrefaciebant, eò quòd tali mendicabulo, quale sum ego, DEUS revelaret tam sublimia mysteria. Et accensa ejus amore, dixi illi: Mi Domine, & Dilecte animæ meæ, ergò ne mecum modò sic agis, cùm ego sim, quæ sum? Respondit Divina Majestas: Omnino modò tecum sic ago, volo enim amicis meis, qui mihi cupiunt placere, hìc dare tantillum, quod sit quasi indicium eorum, quæ visuri, & quibus illic fruituri sunt mecum.

Alio die, cùm audirem dici in templo versum: *Gloria Patri;* illuminata à DEO, vidi illius Divinas tres Personas, & intellexi Patrem non esse Filium, nec Filium esse Patrem, neque Spiritum Sanctum esse Patrem vel Filium. Contuli me ad sumendum Christum Dominum, atque cùm illum sumerem, dedit mihi Divina Majestas aliud singulare lumen, & cognitionem ejusdem mysterij, propter quam, unáque sacram Communionem mea anima fuit unita Domino, ut mihi viderer esse plena DEO, omniúmque essem aliorum immemor, nec scirem, intelligerémve quidquã aliud, quàm hoc tantum Bonum, quo tunc repleor, cum tanta reverentia, ut quando coram illo versor, contremiscam, vellémque me intrà terram abdere: & nihilominus amo toto meo corde infinitam Bonitatem, ac Sapientiam tanti Domini.

§. III.

ALio die (in Januario anni 1622.) vidi Majestatem JESU Christi Domini Nostri, qui mihi amantissimè dixit: Marina, audis? visne venire mecum? Fui quasi attonita, neque respondi Domino. Iteratò dixit: Visne venire mecum? Cui ego: Ità, mi Domine, sed statim conticui, & propter meam solitam verecundiam & tergiversationem, ac timores, dissimulando non explicui meam mentem. Dominus autem substitit modicùm, dixítq; tertiò: Marina, visne venire mecum? Tunc non potui non animadvertere, quid mihi diceret Dominus, & reposui: Ità, mi Domine, sed valdè malè valeo, non potero. Tum Dominus dixit sanctis Angelis, qui apud me erant, & multis alijs, qui advenerant: Accipite istam creaturam, & ferte illam post me, eò, quò ego ibo, fiátque id quàm commodissimè, nè molestia afficiatur ipsius anima, ac debilis natura. Angeli me acceperunt peramanter & benignè, posuerúntque me supra lectum plenũ suavè olentibus floribus, & in eo me ipsimet tulerunt suis manibus post Dominũ. Divina Majestas paulatim ascendebat cœlestem Jerosolymam versùs, & ego ferebar aliquantùm remota à Divina Majestate. Pervenit Dominus ad Cœlum, & consedit ad dextram sui æterni Patris, quò me etiã tulerunt mei sancti Angeli, & sustulerunt ex lecto, posuerúntque in pavimentis illius Divini loci, ac prostraverunt coram Domino ad ejus pedes. Tum statim mihi disparuit Christus Dominus, & fui lata ab Angelis ad conspectum Domini DEI, nullâ velati imagine, ubi mihi sunt ostensa magnalia Bonitatis ac Essentiæ Divinæ, Trinæ ac Unius. Tulerunt me deinde ad Personam Patris æterni, & posuerunt me intrà ipsius Esse Divinum, ubi cognovi illam Divinam Personam, ùt distinctam à reliquis, & in ea Divinum illius Esse. Deinde sum lata ad Personam Verbi æterni, constituerúntque me intrà Divinum ejusdem Esse. Et postea ad Personam Spiritûs Sancti, similitérque me introduxerunt intrà ipsius Esse Divinum, ut cognoscerem in quavis Persona Divinam Naturam, & Esse Divinum, quantum conceditur capacitati creaturæ, *& quidem tam clarè, ut mihi viderer non habere fidem, quã creditur hoc Divinum mysterium, tametsi illam haberem.* Post hoc iterum vidi sanctissimam Humanitatem Christi Domini, qui ascendit ad quoddam Castellum ex purissimo constructum auro, resplendens, undique clausum & altum, quamvis non adeò latum,

tum, atque Angelis adjuvantibus ascendi post Dominum. Postquam pervenisset ad eminentem locum Castelli, dixit mihi ipsius Majestas: Anima, aperi oculos, & aspice. Incepi aspicere, ac vidi immensam altitudinem; obstupui, fuique consternata, ac attonita, videndo magnalia, quæ mihi fuerunt ibi ostensa, cum singularissimo lumine, quod mihi Dominus cōtulit, pro cognoscenda Divinitate, Magnitudine, Potentia, Pulchritudine, & Sapientia DEI Infiniti, Immensi, Omnipotentis. Multò mihi ampliùs hic fuit manifestatum, quàm priùs. Omnia erant DEUS, & ampliùs DEUS, & hic fui ità absorpta, ut non essem mei compos satis diu. Dominus descendit per quosdam quasi gradus ex Castello, quod jam erat apertum, & Angeli me per eosdem deduxerunt; & Dominus se contulit ad priorem locum, me verò collocaverunt ad ipsius pedes, & coram Beatissima Trinitate. Ibi mihi dixit Dominus: Jam est tempus, Anima, ut redeas ad tuum angulum; sed nolo te reverti vacuam. Pater æternus dignatus est mihi dare quoddam cimelium, imposuitque illud quasi intrà cor meum, quod videbatur esse apertum. Fuit autem quædam potentia ad resistendum tentationibus diaboli, & ad ferendam crucem, atque afflictiones, quas mihi Dominus esset oblaturus, cum pace, gaudio, ac fructu meæ animæ. Et Verbum æternum mihi dedit etiam cimelium, quod inseruit pectori, & fuit donum sapientiæ ad eundem effectum. Spiritus verò sanctus mihi dedit donum amoris, ad accendendam magis meam animam amore DEI. Fui summo repleta solatio, plurimúmque confortata ob hæc tam pretiosa cimelia. Similiter maximum erat gaudium mei sancti Angeli Custodis, & solicitudo mea ac diligentia, quâ conabar occludere meú pectus, quod erat apertum, ut conservarem tam pretiosum thesaurum. Postquam accepissem hæc Divina dona, egi magnas DEO gratias, pro tam singularibus favoribus, mihi exhibitis, & postquam mihi bene precata fuisset Divina Majestas, tulerunt me sancti Angeli ad meum angulum.

§. IV.

DUm alio die (in Majo anni 1620) audirem Missam, quæ dicebatur in Oratorio, ut communicarem, vidi meos Dominos quinque Angelos, cum sancta quadam lætitia & diligentia insternentes totum pavimentum mei cubiculi, quibusdam ramis pulcherrimarum frondium, quæ olebant & fragrabant suavissimè. Erant vestiti auro & gemmis, gestabántque similes catenas splendidissimas in collo. Deinde conjectis oculis ad altare, vidit mea anima Majestatem Domini DEI Trini in Personis, & unius in Essentia, qui me specialissimè illuminavit, ut cognoscerem magnalia hujus mysterij. Vidi sacratissimam Personam Patris, in specie viri gravissimi, & summæ Majestatis, qui in sacro suo sinu tenebat Personam sui Filij, DEI & Hominis veri, modo quodam mystico, acsi depositus esset ex cruce. Persona Spiritûs sancti erat in medio, aliquantò tamen vicinior lateri dextro duarum Divinarum Personarum, in specie multorum radiorū lucis & claritatis, instar ignis. Postea vidi illum magnum Dominum venientem ad me, comitantibus ipsum multis sanctis Angelis, à quibus sono & cantu cœlesti laudabatur, ac benedicebatur, propter id, quod est in se ipso, & quod præstat suis creaturis. Postquam ad me pervenisset, dixit mihi quàm gravissimè, unáque suavissimè: Anima, & Creatura mea, suscipe in te tuum verum DEUM ac Dominum, à quo repleberis solatio, ac ditaberis. Et proximè ad me accedens, applicuit meum os & labia suo sacro pectori, atque tum, abreptâ ac unitâ meâ animâ cum Verbo Divino, & omnibus tribus Personis Divinis, sensi intrà me totum illud sacratissimum mysterium, sicut initio, cum nescio quæ bonorum abundantia, quæ mihi Dominus communicavit, videbantur enim esse infinita, ac talia, quæ ego nescio explicare. Manebam satis diu in hoc raptu, & angebat me quandoque sollicitudo, quòd mihi sumendum esset Venerabile Sacramentū ex manu Sacerdotis, qui dicebat Missam, quódque non essem futura disposita pro e-

licien-

liciendis actibus internis, requisitis ad Cõmunionem. Interea mihi Sacerdos attulit Sacrosanctam Eucharistiam, & ego nescio, an illum oculis conspexerim, solùm vidi sacram Hostiam, quam sumpsi, egiq; cum Domino modo meo consueto. Et post peractas gratias, mei Domini Angeli inceperunt colligere ramos, quibus exornaverant cubiculum, atque alij minores Angeli illos juvabant, collectásque frondes tradebant ipsis. Dum ego viderem hos ramos tam pulchros, & olentes, incessit me quasi desiderium habendi unius, dixique sanctis Angelis: Mei Domini, vellèntne mihi dare aliquem ramum? Responderunt duo ex ijs quàm benignissimè: Omnino Soror. Et accedens ad me unus, volebat ponere ramum ad meam manum, quã ego retraxi celeriter, & dixi: Non, Domini, ego hoc nolo. Sanctus autem Angelus quasi violentè mihi illum obtrudebat, & ego ipsum conabar rejicere. Tum dixit Angelus: Optimè fecisti Soror, quòd nolueris ramum visibilem oculis corporeis, siquidem ex tua natura & timoribus ego colligo, & intelligo, quòd, si acciperes ramum, vel ego tibi illum hìc relinquerem, turbareris & affligereris vehementer, quia tibi videretur fuisse opus & ludibrium diabolicum: sed ego tibi illum dabo alio modo, & sicut tu vis, spiritualem, qui te non turbabit, & corroborabit tuam debilitatem. Atque paulò pòst dignatus est ipsum mihi dare modo spirituali, uti dixerat. Hunc ego ramum suscepi cum magno solatio, & gustu, percipiens virorem ac suavem ejus odorem, & amplexata sum illum, atque per aliquot dies continuè sensi ex eo vires ac vigorem derivari in meam naturalem debilitatem, méque corroborari in meis deliquijs.

§. V.

ALiâ vice (in Septembri anni 1621.) egerã magnâ parte noctis cum DEO, repetendo frequenter cum summo & intimo affectu hæc verba, quæ illi ordinariè soleo dicere: Mi DEUS, adjuva me, mi DEUS, doce me, mi DEUS, rege me, & illumina me. Respondit mihi Divina Majestas: Faciam, quod dicis; sed veni jam mecum, & quiesces in me. Et ego illi dixi: Eamus, mi Domine, eamus, quò tu volueris, quia in hoc consistit omne bonum meum. Statim vidi coram me Personam Divinam Patris, non in specie humana, sed in ipsius immensa & spiritualissima Essentia. In hoc Domino, & quasi in ipsius sacro pectore, nostro modo loquendi, conspexi quandam magnam stellam, instar Solis, ultra modum lucidam, quæ erat symbolum & figura sacratissimæ Personæ Verbi Divini. Hæc stella coruscabat infinitis radijs, qui erant quasi toti aurei, ignei, & lucidissimi, ac splendidissimi, & extremitatibus singulorum hujusmodi radiorum singulas mysticè contingebat creaturas, adeò ut ipsæ omnes existerent in suo DEO, & hic Dominus earum Creator existeret in illis omnibus hoc modo mirabili: & ipse illis dabat esse, quod habebant, eásque conservabat, & in eo vivebant singulæ, juxta suam speciem. Dum id spectarem cum ingenti stupore ac attentione, vidi ex medio illius stellæ prodeuntem radium fortiorem reliquis, ac magis aureum, & lucidiorem, magísque urentè, ut videretur in se complecti multos radios conjunctos, qui rectà tendebant ad feriendam me, ut ingrederetur, penetrarétque intima viscera mea. Pervenit hic Divinus radius ad meam animam, & operando id quod dixi, occupavit illam magnâ vi, defixitque se in ea suaviter, non tamen absque speciali sensu, communicando etiam corpori quendam quasi dolorem. Verùm anima per eum radium ascendebat, & intrabat in suum DEUM, donec pertingeret ad supremum locum, in quo ipse erat, & ex quo procedebat illa Divina & cœlestis stella. DEUS quoque ipsius descendebat eâdem viâ, & per eum Divinum radium ad illam, usque ad ejus intima, & partem superiorem, ibique se ipsi communicabat. Deinde mihi dixit Dominus: Istud mysterium, quod modò vidisti, Anima mea, significat statum præsentem, in quo es. Summè mirabar, & clarè cognoscebam, à DEO illuminata, infinitam ejus bonitatem,

tatem, potentiam & misericordiam, propter quam se eâ ratione communicabat animæ tam imperfectæ & miserabili, quàm est mea, & cùm ità admirarer ac ferverem, adverti in me nescio quem appetitum insolitum narrandi meo Confessario hujus mysterij, & cùm ego me propter illum reprehenderem, dixit mihi Dominus; Noli mirari, Anima, istud tuum desiderium, quia caret defectu & culpâ, sicut culpandus non esset Vasallus, cui Rex donavisset præclarum aliquod cimelium, si lætus curreret ad suum Parentem, ostensurus illi istud tam pretiosum munus. Vehementer obstupui, denuò expendens Clementiam & Bonitatem mei DEI, quòd ad tales usque descendendo minutias, eo modo se communicet animæ, ut illam consoletur.

§. VI.

DUm alio die (in Martio anni 1622.) agerem cum DEO, & essem valdè afflicta, more solito, dixerunt mihi sancti Angeli: Soror nostra, es afflicta, veni nobiscum, & quiesces. Collocaverunt me in quadam quasi sella, tulerúntque paulatim, elevando me ad cœlestem Jerosolymam, pertransiverúntque quosdam cœlos, donec eò pervenirent. Postquam illuc pervenissent, præsentaverunt me Beatissimæ Trinitati, & ibi me prostraverunt, atque in momento, instar fulguris, mihi se videndum exhibuit Divinum illud Esse. Fuit ea res admirabilissima, sed perbrevis, quia si duraret, non posset perferri absque jactura vitæ. Post hoc Pater æternus imposuit meo capiti coronam ex auro purissimo, firmiter illi inhærentem, & Filius DEI mihi apposuit aliam, Spiritus quoque sanctus aliam; deinde omnes tres Divinæ Personæ me exornaverunt catenâ ex pretiosissimo auro, quam singulæ sustinebant, & ego eram in medio catenæ, ità ut catena illa aurea pretiosissima complecteretur omnes tres Divinas Personas, unáq; meam animam, arctissimè adstrictam & unitam Divinæ Majestati: in qua unione mansi diu. Accessit postea Dominus meus Angelus Custos, & spoliavit me coronis, atq; catenâ, & asservavit in se ipso; Dominus autem mihi quædam est loquutus, dataq; mihi suâ sanctissimâ benedictione, me reliquit.

CAPUT X.

De admirandis Visionibus, quas habuit de Beatitudine, déque ejus origine, & causa, quæ est Visio DEI TRINI & UNIUS, nec non de Gloria Agni, & quos ob fines hæc ipsi fuerint communicata.

MUltæ & valde mirabiles fuerunt revelationes, ac visiones, quas Venerabilis Marina de gloria & vita æterna, quam speramus in cœlo, habuit, concessas ipsi à DEO, propter tres altissimos fines: nimirum, ut illi declamaret istum Fidei articulum, quem credere plurimùm nostrâ interest, sicut ipsi fuerunt declamati alij; atque etiam ut restingueret, temperarétque aliquantùm ardentem amorẽ ac desideria, quibus ad ipsum videndum impellebatur, solaretúrque illam & recrearet in tantis doloribus, quos perpetiebatur. Quamvis autem hactenus commemoratæ sint multæ revelationes hujus generis; recensebimus tamen modò alias insigniores, quæ omnibus erunt ingenti solatio, & magnopere proderunt, pro obtinendis ijsdem finibus, eliciendóque ex ipsis alio fructu, quem illæ elicuit, cujus continuum exercitium erat petere hoc tantum bonum, pro omnibus proximis, conditis ad illius consequutionem.

Quâdam vice, *inquit*, cùm vacarem orationi, dixi ad DEUM magno affectu: Domine mi, adest ecce tua mendica, infirma,

mâ, & inops, nuda & lacera, ac derelicta, omni virtute vacua. Venio autem petitum eleemosynam pro me, & pro meis pauperibus ac indigis fratribus, qui degimus in isto exilio, adeò omni ope destituti, & versamur in periculo perdendi te Bonum infinitum. Da nobis aliquid, Domine, Pater misericordiarum magne, dives & potens, qui non depauperaris, tametsi multa des tuis pauperibus creaturis: quia es ipsa abundantia, imò dum das, magis ditaris, quantùm quidem id fieri potest. Tum mihi manifestabat Dominus, suo lumine suam Majestatem, & infinitas divitias, cum magno meo solatio & gaudio, cordisque ipsum amantis ardore, ut ea quæ agnovi, nesciam explicare. Considerabunda autem tacitè dicebam: Si cum ipso exiguo lumine, quod à Domino habebam, fui tam beata, ac tantâ sum delibuta voluptate, qualem necesse est gloriam esse Beatorum Spirituum, qui clarè vident ipsius Majestatem, & divitias hujus magni DEI ac Domini, cui, nescio quâ audaciâ, dicebam: Videtur hoc mihi esse, mi Domine, tale quid, ac erat, quando myops ille nuper versabatur inter quosdam bono præditos visu, qui recreabantur, ac ridebant, videntes volantem quandam avem: quem risum ipse audiebat, ac attollebat unà caput, ridebat & gaudebat, quasi idem videret, quod alij, tantùm quia auditu percipiebat eos plausus, credebátque esse verũ, quod illi dicebant: Talis ego nunc sum. Dilecte animæ meæ, ac Domine mi.

§. I.

ALiam visionem ità refert: Dum, *inquit*, mea anima vehementer optaret esse in cœlesti sua patria, quia Dominus ac DEUS ipsius, quem propter solam illius bonitatem amabat, & cui desiderabat servire omnibus suis viribus, illi indulgebat hoc desiderium, idémque fovebat atque incendebat, videns se ità dependere ab hoc suo Domino & summo Bono, ut ab illo neque cruciatu dolorum, ac diuturnorum tormentorum, & afflictionum corporis, neque obscuritatibus, tenebris ac derelictionibus posset avelli, nec etiam liberari aut exolvi illis vinculis, & unione, quâ illam ipse DEUS sibi adstrinxerat, ex mera sua bonitate: considerans quoq; se quasi exulare à sua cœlesti patria, concipiénsque spem, quam ipsi Dominus dabat illius obtinendæ, eáque fruendi, propter bonitatẽ & merita Domini nostri JESU Christi, tam firmam, ut illam hac de re quodammodo securam redderet ac certam; agebat, iterando hujusmodi desideria & affectus frequenter de hoc negotio cum DEO, qui aliquando illi dixit: Es afflicta, mea Amica, ac optas migrare. Expecta parumper, ostendam tibi aliquid pro tuo solatio & refrigerio: Visne? inquiebat Dominus. Ego verò respondi: Nullam vellem Domine in isto exilio quietem, nec solatia; quod si tu nihilominus vis, ex tua bonitate, & altissimis judicijs, fiat in me tua amabilissima voluntas. Hoc dicto, elevavi, DEO sic volente, oculos, & conspexi mirabiliter apertos Cœlos, usque ad summũ, ac utrinque sese contrahentes, ut per illos pateret pulcherrima & longa via, quæ incipiens à terra, pertingebat ad altitudinem supremi cœli. Erat ista amœna & admirabilis via, plenissima utrinq; Angelis DEI speciosissimis, & ornatissimis, in termino verò illius & summitate apparebat quoddam amplum & gratiosum spatium, per quod videbatur clarissimè tota illa beata Civitas cœlestis, unà cum ipsius Incolis & Aulicis. Vidi proinde, quomodo gauderent abundaréntque Divinâ suavitate, ac beatitudine æternâ, Animæ & Spiritûs, viveréntque felices, & commorarentur in illa terra viventium, loco pacis & quietis perpetuæ; vidi pariter, quasi in ictu oculi, & momentaneè, meâ opinione, fontem, originem, & causam illius Divinæ beatitudinis, quæ beatas reddebat & replebat illas animas sanctas, ac spiritus beatos. Hoc vidi, modo tam mirabili Divino, & sublimi, ut nullus intellectus posset assequi, vel comprehendere quid fuerit, etiamsi mea anima id viderit, intellexerit atque cognoverit pro suo captu. Postquam fuissem contemplata hæc mysteria, & accepissem à Domino tantas gratias, descendi ex eo

loco, deducentibus me Angelis, ac statim fuit clausa illa admirabilis via, conjunxerúntque se Cœli. Et stupebam plurimùm, erámque plena solatio, ac attonita, quòd tam admiranda viderem, & agebam magnas DEO gratias, pro eo, quod est in se ipso, quódque nobis præstat suis miseris creaturis. Remanserunt autem ità meæ memoriæ, intellectui ac voluntati impressæ istæ veritates, quæ mihi fuerunt manifestatæ, id quod diu duravit, duraturúmq; dixit Dominus per decursum vitæ meæ (mortalis) ut semper haberem præsentem illam felicem patriam, videréque mihi meâ memoriâ, intellectu ac voluntate illam inhabitare, tametsi pars inferior viveret, pateretur ac operaretur in exilio ea, quæ DEUS jubebat & volebat, posthabitis omnibus alijs rebus, quamvis id faceré cum multis defectibus, quibus scatebant omnia mea opera, eò quòd non responderem eâ fidelitate, quâ debebam, tantis gratijs acceptis à Domino Majestatis: persuasítque Dominus meæ animæ usque adeò istam veritatem, & articulum nostræ sanctæ fidei, quem mihi manifestavit, dari nimirum vitam, & beatitudinem æternam, ut sæpè dicerem, quod habebam intimè cordi meo infixum: Ità est, vidi enim hoc meis oculis; quia mihi à Domino fuit ostensum: & præ admiratione ac fervore, quem indè concepi, puto me fore paratâ, perambulare vias & plateas hujus mundi, clamando ac dicendo: Videte fideles JESU Christi, quid ego agnoverim & viderim meis oculis, eò quòd mihi DEUS manifestaverit, veritatem videlicet nostræ fidei, quæ nos docet, dari vitam & beatitudinem æternam, absit ut illam perdamus.

§. II.

Sequens visio etiam ostendit, quantùm DEO placeat, dum acquiescimus ipsius voluntati, si subtrahat hujusmodi gratias. Dum, *inquit*, aliquando essem meo more collecta, dixit mihi Dominus: Amica, veni mecum, es enim afflicta, & ostendam tibi mirabilia, quæ te multùm recreabunt & consolabuntur. Hoc audito, respondi tota amore ardens: Eamus, Domine, eamus unà, quò tu volueris. Et expolians se mea anima quàm celerrimè veteri pelle naturæ, adhæsit lateri sui Domini, affixitque se ipsius pedibus. Cùm me Dominus videret adeò determinatam, dixit mihi: Paulatim, paulatim, soror, quid facis? tantúmne attentas? Ego verò respondi: Dixi tibi, Dilecte animæ meæ, ac Domine mi, ut eamus ad gaudia, ad quæ me invitas: sed dico tibi nunc etiam, me libenter velle remanere, si sit tua sanctissima Voluntas, in meo fimetó & sterquilinio. Postquam hoc dixissem, reperi me demersam in fundum naturæ, quia mihi videbar esse in gravissimum conversa plumbum, nec vidi Dominum spatio, quo symbolum Apostolorum ter posset percurri. Non fui propterea afflicta, quia eram unita cum Divina voluntate, verùm post hanc moram, Dominus ad me redijt, alloquénsque me peramanter, dixit mihi: Plurimùm mihi placuit tui animi promptitudo, & subduxi me tuo conspectui hoc brevi tempore, ut te viderem elicientem actus demissionis: sed modò veni mecum, Amica. Hoc dicto me duxit Divina Majestas ad cœlestem Jerosolymam, ubi mihi ostendit mirabilia. Vidi illam plenam rivulis purissimis, pellucidissimis, & pulcherrimis, qui significabant pretiosum sanguinem Agni Divini, effusum pro nostra salute ac remedio, unde exornabantur ac illuminabantur mirabiliter illa cœlestia habitacula: vidi etiâ in vultibus singulorum cœlestium Palatinorum, & spirituum beatorum, qui mihi fuerunt ostensi, quendam rorem, seu guttam pretiosissimi sanguinis, quæ mirabili & Divino modo exhibebat, ac declarabat virtutem ac vires, quas dederat & communicaverat illis cœlestibus spiritibus, ut propterea essent Beati, & possiderent tam fortunata ac admiranda bona. Hoc viso redivi ad meum exilium, jubente meo Domino, qui me eò deduxerat.

§. III.

ALiâ vice me DEUS præmonuit, se mihi præstiturum magnam quandá gratiam

tiam, & ostensurum pretiosum conviviũ, unde mea anima esset habitura solatium, & replenda bonis. Contuli me paulò pòst ad templum Domûs Professæ Societatis, & cùm ibi essem, nihil prorsus cogitans de eo, quod mihi Dominus dixerat, rapta sum in ecstasim, ut quasi essem destituta sensibus, spiritus autem meus fuit translatus ad cœlestem Jerosolymam, ubi conspexi opiparam & pretiosam mensam, cui assidebant insigniores Incolæ illius cœlestis Aulæ, quales erant Apostoli & Prophetæ. In hac mensâ proponebatur quidam Divinus cibus, magni pretij & valoris; cujus excellentiam admirans, interrogavi Sanctos Angelos, qui me illuc adduxerant, qualísnam esset ille cibus tam Divinus, qui adeò satiaret ac delectaret, & repleret bonis animos illorum felicium convivarum? Responderunt mihi, esse, & vocari Agnum DEI, Filium Virginis; & ego illum videbam, & agnoscebam ità esse, sed tacebam stupens, desiderando illa bona. Sancti Convivæ intelligentes, quid ageretur in mea anima, mihi dixerunt: Adverte, Amica, noli affligi, quia tibi hic servabitur tua pars, & portio, pro destinato tempore. Id me affecit solatio, atque cùm oculis lustrarem illum felicem locum pacis, & quietis, vidi innumerabiles Sanctos ordine dispositos, quibus, quasi manu & ministerio sanctorum Angelorum, dispensabatur ille cibus, stipantibus ijsdem sanctis Angelis illum Dominum, eique inservientibus, qui erat cibus illorum Beatorum.

Deinde conjectis oculis ad aliam partem altiorem, & eminentiorem, conspexi thronum Divinæ Majestatis, & in illo sanctissimam Trinitatem, quæ mihi revelavit mysterium trium Divinarum Personarũ, eo modo, quo aliàs fecerat, in quibus cognoscebam unam solam ac Divinam Essentiam, unum DEUM, unum Dominum, ex quo egrediebatur lux quædam inaccessibilis, & summus splendor, cujus virtus ac pulchritudo, & infinitum Esse, beatos reddebat illos Sanctos, & illuminabat, totósque permeabat suâ illâ luce & virtute, singulos juxta suum statum, ac locum, quẽ illic obtinuerant pro suis meritis, adeò ut singuli, & omnes simul, evaserint toti gloriosi, resplenduerint, fuerintque lucidiores, & incomparabiliter pulchriores Sole. Spectavi hoc aliquamdiu, & sancti Angeli, qui me eò adduxerunt, subitò me volebant deducere ad locum mei exilij: quanquam ego desiderans priùs loqui Christo Domino, petereq; ab illo gratias, dicebam ipsis, nè me abducerent tam citò, volebámque illis resistere. Tandem consenserunt, ut facerem, quod petebam: Verùm statim atque sum loquuta Divinæ Majestati, iterum me voluerunt deducere, quibus rursum dixi, ut me relinquerent, eò quòd haberem plura dicenda Domino: Sed illi me nolebant ducere ad illum beatum locum, in quo erat Dominus. Qui videns quid fieret, collocavit se, ubi desinebat descensus illius viæ, & alloquens me quàm suavissimè, dixit: Filia, vade in pace, audivi enim ac intellexi tua desideria; & postquã mihi dedisset suam benedictionem, fuit tectus nube splendidâ, atque ego plena solatio mansi in templo, ubi antea fueram.

§. IV.

ADmirabiliorem visionem de gloria Beatorum, déque modo, quo sunt Beati, habuit in Junio anni 1615. Dum essem, *ait*, valde infirma ac debilis; mei sancti Angeli, jussu DEI, me voluerunt ducere ad locum, quem ipsis designaverat, & derepentè me inveni extra lectum, ac indutam veste coloris cœlestis, quæ erat instar longi pallij. Nescio, an id factum sit in spiritu, an verò re ipsa fuerim vestita corporaliter, quia hoc non adverti, sicut aliàs soleo advertere, ac distinguere: solùm scio, meum sanctum Angelum Custodem fuisse sollicitum, ac disposuisse, quomodo consisterem in quadam quasi sella, nè irem pedes, propter meam debilitatem. Ità confidentem me tulerunt mei sancti Angeli, & meus Custos, cum quibusdam alijs, qui tunc primùm advenerant, ad ingressum cujusdam magnificæ aulæ, amplæ, latæ, & valde longæ, cujus muri videbantur esse ex auro purissimo, & cœlum illius seu laqueare collucere pretiosis ornamentis stellarum, pavimen-

mentum autem apparebat esse cœleste. In aditu istius aulæ ascendebatur per quosdã gradus ejusdem pretij, elegantiæ & pulchritudinis, cujus erat ipsa aula. Portaverunt me per illos sic sedentem, & cùm pervenissent ad ingressum ac portam, erexerunt me in pedes, atque tum illam pertransivi, & summè stupui, videndo rem tam pulchram. Postquam pervenissem ad illius finem, méque vertissem quasi ad unam partem, erant ibi alij gradus, & post hos alij, alijs semper pulchrâ proportione altiores, magnique ac inæstimabilis pretij, ut non reperiatur quidquam in mundo, cui possint comparari. Per illos me duxerunt sursum ad alium locum, qui meâ opinione erat speciosus, & locus beatus, ubi erant multi sancti Beati, & Angeli DEI, omnes ipsos vidi confusè, quin ullum speciatim agnoscerem. Ob hanc visionem ità fui mihi derepentè erepta, & quasi oblita omnium rerum, non solùm terrenarum, sed etiam cœlestium singillatim, quia tantùm confusè aspiciebam, & indistinctè universalitatem, amplitudinem, & plenitudinem omnium rerum, quas non potest capere humanus intellectus. Vidi deinde Majestatem nostri magni DEI ac Domini, qui mihi valdè suaviter & blandè dixit: Quomodo me non aspicis? Fui expergefacta quasi ex somno his verbis, & intuita sum Dominum, ipse quoque me aspexit: atque his visis me transformavi totam, ùt mihi videbatur, in ipsius Majestatem, ac insinuavi in illud Divinum Esse, cognoscendo quædam ex ipsius Divinis attributis. Interea mihi dixit Dominus: Vidistine modum, quo mei sancti, & mei Angeli sunt Beati, & causam hujus beatitudinis? Ego respondi: Non, Domine. Visne id videre? ajebat Dominus: ego verò reposui citissimè: Ità, mi Domine, ità, Dilecte mi, volo hoc videre. Tum fui reducta ad extremitatem illius sancti loci, eram enim procul intus, atque ibi in momento, & celerrimè, in ictu oculi, mihi fuit ostensa, ac manifestata gloria illa Sanctorum, & modus, quo erant beati. Vidi illos habentes cognitionem sublimissimam de illo Divino Esse DEI, ipsiúsque Divinis attributis, & ardentes amore illius Domini DEI nostri, quo fruebantur, & quem intuebantur. Hæc omnia fuerunt peracta intrà oculi ictum. Illo momento jam natura incepit deficere, & tota contremuit, eò quòd non posset sustinere tantam magnificentiam, & gloriam repentinam, essetque attonita & consternata dicto spectaculo. Puto me defecturam fuisse, si id duravisset diutius. Noluissem indè discedere, & reluctabar; sed Dominus me ad id suaviter induxit, comitando me, atque Angeli me retulerunt ad meum angulum per eosdem gradus, ac aulam, per quam me attulerant.

§. V.

ALiquot annis pòst (in Octobri anni 1623.) dum vigilarem quâdam nocte, nescio quomodo dixerim meis sanctis Angelis: Mei Domini, jam pridem non vidi cœlestem patriam: Illi responderunt: Si vis, rogabimus DEUM, ut te eò ducat. Et statim vidi, quomodo minor ex illis id petiverit à Domino, qui ipsis dixit: Jam scitis causam, quòd nempe sit exiguis prædita viribus naturalibus. Fiat tamen. Et in momento me sancti Angeli duxerunt, ut lustrarem illam cœlestem Jerosolymam tantùm obiter. Post duos deinde vel tres abhinc dies, mihi dixit Christus Dominus: Volo tibi gratiam aliquam præstare tali modo, quali nunquam tibi ullam præstiti. Cúmque me permisissem ejus voluntati, ducta fui ab Angelis ad cœlum, & quasi in media via me sensi debilitatam ac fatiscentem, acsi illud iter peragerem corporaliter. Postquam fuissem ingressa in illam cœlestem Civitatem, vidi Majestatem DEI Trini & Unius, ac Filium DEI in sinu sui æterni Patris, nec non modum, quo ab ipso procedebat, & quomodo ex cognitione, & mutuo sui amore producerent Spiritum sanctum; quomodo item DEUS complecteretur istas tres Personas; ità ut Pater esset totus ille DEUS, & Filius totus esset ille DEUS, & Spiritus sanctus totus esset ille DEUS, absque ulla divisione in Divinitate. Deinde vidi quosdam cœlestes dilicos, qui mihi erant vicini, & agnovi, quomodo

modo, videndo & amando illum DEUM, eóque fruendo, essent Beati. Intellexi, ac vidi modum, quo participant hanc beatitudinem, per illam visionem sui DEI; & lustrando oculis illam supernam Civitatē, quæ mihi semper apparet in forma circulari, & latissima, vidi omnes choros animarum beatarum, participare singulas pro suo gradu, suam beatitudinem, per visionem ejusdem DEI. Tunc autem non cognovi ullam speciatim, sicut fit, si quis videat multos homines, sedentes in aliquo loco. Ego tenebar magnis desiderijs manendi ibi, & participandi illam beatitudinem, vehementer ad id anhelando instar infantis, qui videns magnum virum bibentem ex aliquo alto fonte, vehementer optaret pertingere etiam ad bibendum, sed propter suam parvitatem non posset. Dum hæc ità se haberent, venit ad me JESUS Christus Dominus noster in specie, quâ ipsum soleo videre, dixitque mihi: Modò id non potes consequi, ut impleatur istud desiderium, quo teneris; sed veni, & ingredere huc in meum cor. Statim sensi, quòd me Dominus univisset secum, intrà suum Esse Divinum, & in hoc Divino Esse sum contemplata beatitudinem Sanctorum, cognoscendo singillatim quosdam, ùt fuerunt Sanctus Dominicus, Sanctus Ignatius, & S. Franciscus. Paulò pòst me Dominus injecit in illud mare, & immensam abyssum sui Divini Esse, sicut aliàs sæpe fecerat, ubi non agnito ullo ipsius particulari attributo, videtur immensitas Divini Esse, quod est incomprehensibile. Et post aliquam moram, extraxit me ex illa abysso, uniendo me secum alio modo: quia verò vehementer dolebam, quòd exirem ex illa Civitate cœlesti, ipse Christus Dominus cum meis Angelis venit, méque est comitatus ad meum cubiculum, quasi, ùt minùs sentirem reditum, & postquam ibi modicùm mansisset, abivit. Sit benedictus in æternum! Amen.

CAPUT XI.

De eximijs fructibus, quos collegit, & gratijs, quas obtinuit in alijs Visionibus cœlestis Gloriæ, qui sunt finis Orationis & Contemplationis.

ALias deliciosissimas Visiones habuit de his mysterijs, in quibus ipsi pariter Dominus manifestabat fructus, eliciēdos ex similibus contemplationibus, & gratias, quas ijs præstat, qui ipsos dignè æstimant.

§. I.

DUm, *inquit*, vehementer flagrarem amore summi Boni, ac Domini mei; dixit mihi Divina Majestas: Veni ad me, & quiesces, atque recreaberis; id enim tibi pro hac bona voluntate, & amore, quo me prosequeris, volo concedere, quod æquum est me facere. Hoc dicto, duo sancti Angeli ibi præsentes, me duxerunt ad conspectum Majestatis Nostri magni DEI, ac Domini, & mea anima fuit unita cum ipso in ea Divina Domo, ac cœlesti Jerosolyma, ubi respiravit & quievit, amando suum DEUM ac Dominum, cum magna pace; & aliquantò pòst illi dixit: Dilecte animæ meæ, ac Domine mi, cùm volueris pro tua bonitate mihi præstare tantam gratiam, ut me deduceres ad tuam domū, atque ad tuum conspectum, non cogito indè abire, nisi mihi des eleemosynam, & nisi auferam hinc aliqua bona ac divitias, pro mea paupere anima, ut exornata ac ditata tibi placeat, sitque accepta tuis Divinis oculis. Si enim Pater aliquis dives & potens in suam domum inducit filium inopem & indigum, atque degentem in terra aliena, ut ab illo ac in ipsius domo capiat solatium, & recreetur, quando discedit, rediteque ad suam pauperem domum,

dimittit illum oneratum opibus ac divitijs, nè deinceps vivat in tanta miseria & egestate: quantò magis tu, unicum Bonum meum, & Pater potens ac misericos, id poteris facere? Respondit mihi statim Divina Majestas quàm amantissimè: Sit ità, Filia, vide, quid reperiatur in mea domo, quídque tibi ex illa placeat, & hoc aufer, licet. Quo audito in eodem momento quàm velocissimè (quasi dicerem: properandum mihi est, priusquàm me hinc expellant) circumspexi & perlustravi illam cœlestem Jerosolymam, ac vidi gloriosum sanctum Franciscum, subitóque petij à DEO, ut mihi daret modicùm humilitatis, quam iste Sanctus habuit. Vidi deinde gloriosum sanctum Dominicum, & rogavi Dominum DEUM, ut mihi daret modicum obedientiæ, quam iste Sanctus habuerat. Deinde aspexi & vidi Patriarcham Abrahamum, & rogavi DEUM, ut mihi daret modicum illius magnæ fidei & obedientiæ, quâ fuit præditus iste Sanctus Patriarcha. Et postquam ità collegissem ac petivissem à Domino has virtutes, habui ingens solatium, fuítque mihi satisfactum, cúmque reflecterem oculos ad me, vidi intrà me quandam maximam lucem & claritatem, & meam animam esse accensam, totámque ardere amore sui DEI ac Domini, quem ejusdem Majestas illi communicaverat, neque scivi, unde mihi advenisset tantum boni, ideóque fui attonita. Cùm enim videam meam animam, plenam miserijs ac defectibus, potiùs poteram cogitare, ipsam esse obscuram, tetrà, fœdam, & exsuccam, dicebámque intrà me: Quomodo hoc fit? lúxne & claritas DEI sit in anima caliginosa, ac nigra? éstne possibile, ut ignis clarus, suavis & lucidus Divini Amoris, maneat in anima miserabili, tepida, & plena defectibus? Hæc mihi cogitanti dixit DEUS: Quare es tam attonita, & cur sic obstupescis, ob id, quod vides intrà temetipsam? Dic mihi, si in aliquod obscurissimum conclave, ubi nihil posset videri, inferretur fax accensa, aut ingens lumen, & claritas, essétne mirum, tunc illud conclave, quod priùs fuisset obscurum, valde illuminari & splendescere? Ità se modò habet, quod vides, quia etiamsi tua anima ex se ipsa habeat obscuritatem, quam tu ei inesse dicis, vel cogitas, dum tamen ego in illam ingredior per gratiam & propter lumen, quod illi do, acquirit ac habet eam claritatem, quì vides, & perdit obscuritatem, quam ex se poterat habere. His auditis mea anima vehemèter ardebat ipsius amore, per multos dies, & DEUS illam frequenter uniebat secum, adeò ut videretur subinde vivere magis internè cum Divina Majestate, quàm hic in ista miserabili vita. *Hi sunt duo fructus, qui eliciuntur ex visionibus: unus est, ditari veris donis Domûs DEI, quæ sunt excellentes virtutes Beatorum; alter verò, illustrari animam, & uniri DEO, ut magis vivat in illo, quàm in se.*

§. II.

QVodá die (in Februario anni 1623) dum agerem cum DEO, mandavit meis Angelis, ut me ducerent post suam Majestatem ad cœlestem Jerosolymam. Subitò fui mihi erepta, & illi me duxerunt ad conspectum totius Beatissimæ Trinitatis, ibique me prostraverunt in pavimento illius cœli, & Dominus me jussit elevari, dixítque mihi: Bene veneris, Anima. Lustra istam cœlestem Patriam, ac decerpe fructus, quos videris. Ego quàm avidissimè incepi quaquaversum aspicere, ac vidi quoddam frustum vineæ mysticæ, & quasdam Divinas vites, valdè splendidas, & mirabiles, quæ protulerant racemos grandium, & pulchrarum uvarum: proripui me, ut aliquas decerperem, & sustuli quinque: unus autem ex meis Dominis Angelis ibi flexis genibus tenebat sportam auream, & accipiebat ad illam racemos, sicut ego illos decerpebam. Tum dixit Dominus: Circumspice ampliùs, Anima. Circumspexi, ac vidi quoddam frustum segetis triticeæ jam maturæ, ac spicas instar auri splendentes, quarum tres decerpsi atque Angelus ipsas reposuit in sporta cum uvis. Adhuc aspice, ajebat Dominus. Aspexi, & vidi quandam fodinam thesaurorum, in quam quodammodò descendi

ſcendi, ac inveni ibi grandem gemmam, quam arripui, & extuli foràs, poſuiq; cum cœteris in ſporta. Poſt hæc ſanctus Angelus tulit ſportam plenam illo theſauro, & fructibus, rectam eleganti velo, quod ibi apparuit, cum comitatu multorum Sanctorum Angelorum, decantantium Divinas laudes, & cœleſti muſicâ deprædicantium laudes Paſſionis, ac Mortis JESU Chriſti Domini Noſtri, & ſanctiſſimi Sacramenti Altaris, cum quibus ego quoque pergebam, & pervenimus ad conſpectum Beatiſſimæ Trinitatis, ubi omnes proſtrati oſtenderunt Domino ſportam retectam, & fructus in ea repoſitos. Divina Majeſtas illis dedit ſuam benedictionem, & dixit: O quàm elegantes racemi uvarum! ô quàm admirabiles ſpicæ! quàm fortunatus panis & vinum, atq; theſaurus Mortis ac Paſſionis mei Dilecti Filij, qui ditat animas! Offerte iſta ſacratiſſimæ Humanitati mei Filij. Tulerunt illa, cooperta velo, ad Divinam ipſius Majeſtatem, & Angeli humi proſtrati dixerunt altâ voce: Magnas tibi gratias agimus Domine DEUS noſter, pro magno beneficio, quod præſtitiſti hominibus, dum es pro illis mortuus, dediſtique illis tanta bona & theſauros, ac te ipſum in alimentum, & cibum, ſub ſpeciebus panis & vini. Dominus aſpexit fructus, & benedixit, atque ſic Angelos peramanter eſt alloquutus: Date illos iſti Animæ, cui, velim, plurimùm conducant. Tunc meus ſanctus Angelus Cuſtos eos accepit, & obſervavit intrà ſe, quod eſt ſignum, illos manere ſpiritualiter intrà me.

§. III.

QVodam die ſancti mei Angeli Cuſtodis mihi dixerunt alij mei Domini quatuor Angeli: Soror, pridem non vidiſti cœleſtem Jeroſolymam, tuam Patriâ, quò tibi eundum eſt. Veni huc, & ducemus te ad illam videndam, quia ſic vult Dominus, & jubet. Ego timens, more ſolito, finxi me modicùm ſurdam: Sed paulò pòſt me duxerunt, & comitatus eſt me ſanctus meus Angelus Cuſtos, adhærendo ſemper meo lateri. Bene tunc adverti, me duci in ſpiritu, remanereq; meũ corpus in lecto, non mortuum, quia alijs vicibus neſcio quomodo ducta fuerim. Modò mea anima ducebatur inſtar parvæ puellæ ad cœleſtem Jeroſolymam; ubi vidi maximum quendam Divinum Solem, qui omnia replebat, & ſuis Divinis radijs illuſtrabat, ac beatificabat univerſos Incolas illius cœleſtis Jeroſolymæ, ità ut nihil ſpeciatim cognoſcerem, ſicut aliàs. Tantùm peculiariter illuminata vidi eam, quà principaliùs ille Sol illuſtrabat, ac beatam ſupra omnem modum reddebat eſſe Sacratiſſimam Virginem Dominam noſtrã. Dum huic ſpectaculo eſſem intenta, idem Divinus Sol me apprehendit, attraxitque ad ſe, & ſecum univit, ponendo me intrà ſe, ubi vidi ab illo Domino gubernari omnes creaturas modo admirabili, & myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, ac alias res admirandas, quas nemo poteſt, vel ſcit explicare. Poſt hoc me expoſuit ille Divinus Sol extra ſe, & reliquit me talem, qualis fui, priuſquam in ipſum intrarem, habuique derepentè aliam unionem longè diverſam, in qua vidi, fuerũntque mihi oſtenſa myſteria Sanctiſſimæ Trinitatis, Chriſti Domini, ipſius Incarnationis, Nativitatis, Mortis & Paſſionis, cum magna claritate, & meo ſtupore. His viſis, fui conſtituta ſicut initio, atque mei Domini mihi dixerunt: Soror, eamus, jam enim eſt tempus. Valdè id ægrè ferebam, & recuſabam abire: illi verò me compellebant. Interea conſpexi ſacratiſſimam Virginem, venientem ex ſuo loco ad me. Poſtquam advenit, dixit mihi: Bene veneris, Soror, veni huc; & duxit me ſecum quaſi ad ſex paſſus, ſubitóque ipſius Majeſtas redivit ad ſuum locum, me relictâ. Ego perrexi ulteriùs illum locum verſùs, in quo ipſa erat.

Deinde aliorſum aſpiciens, vidi JESUM Chriſtum Dominum noſtrum, & illo conſpecto, quaſi omniũ oblita, cucurri, contulique me ad Divinam Majeſtatem, cum magno impetu, & volui amplecti ipſius pedes, abſq; ullâ aliâ conſideratione. Dominus autem mihi dixit: Quid facis? abſtine. Ego propterea vehementer erubui,

bui, & procidi in pavimentum, méque prostravi (pavimentum illud erat instar cujusdam nubis) & Dominus mihi dixit: Surge, accede, & accipe. Tenebat in manu inter suos digitos pretiosissimum annulum, quem mihi porrigebat. Ego non fui ausa accedere propter meos timores. Sed meus sanctus Angelus Custos me urgebat, ut accederem, & acciperem annulum, atque Sancti Angeli idem dicebant. Quando ivi, ut acciperem annulum, non vidi ipsum, sed conspexi in manu Domini fasciculum valde elegantium & suaveolentium florum, quos mihi porrigebat. Expavi, concidique animo: & Dominus me jussit appropinquare, atque suscipere fasciculum, ac Angeli similiter me impellebant ad illum suscipiendum: appropinquavi, ut ipsum susciperem, & postquam illum Dominus dimisisset ex manu, nescio quomodo, cùm illum vellem apprehendere, deciderit ad pavimentum, totúsque in momento fuerit dissipatus, dispersique sint quaquaversum flores. Quamvis autem erubuerim, vehementérque fuerim afflicta; nihilominus me inclinavi ad colligendos flores, quos omnes collegi, quàm citissimè. Injiciebam autem illos in linteolum, quo eram præcincta. Postquam eos omnes collegissem, méque erexissem, vellémque ipsos videre in meo præcinctorio, inveni omnes illos flores esse conversos in uniones, & gemmas. Vehementer obstupui, & fui confusa, nesciens quid facerem cum illis divitijs. Dominus autem mihi dixit: Modò vade in pace, jam enim est tempus. Et sancti Angeli me etiam urgebant ad abitum, sed ego noluissem abire. Dicebántque mihi Angeli: Non sit tibi molestum discedere, quia te manet æternitas gaudiorum. Nihilominus valde renuebam relinquere meum Dominum: neque etiam voluissem mecum ferre illas gemmas & uniones, quia mihi erant impedimento. Dominus autem mihi dixit: ut ipsos auferrem, & distribuerem meis amicis. Denique me Dominus secum univit, & inveni me cum ipso in meo loco. Desiderabam scire mysterium annuli, & florum: interrogavi de eo meum sanctum Angelum, qui mihi respondit, ut silerem; brevì enim me id rescituram. Et post longum temporis spatium, nesciens quis me alloqueretur, audivi mihi dici: Annulus, quem tibi Dominus offerebat, significabat te esse Sponsam JESU Christi, & tanquà tali, porrigebat annulum sponsalitium. Fasciculus florum significabat præmium & mercedem tuorum bonorum operum, ac obsequiorum præstitorum DEO. Quòd verò ceciderit ad pavimentum, & fuerit dissolutus, significat, te fecisse ista opera, non propter præmium, quod pro illis expectas, sed tantùm ut placeres DEO, exquererisque sanctissimam ipsius voluntatem. Atque hæc opera isto modo peracta, & cum hac voluntate, ità sunt DEO accepta, ut sint instar gemmarum ac unionum inæstimabilis pretij, & propterea flores fuerunt conversi in uniones ac gemmas. Cùm desiderarem scire, quis me alloqueretur, sanctus Angelus mihi dixit, quòd Spiritus sanctus mihi fuerit dignatus loquì, & explicare hoc mysterium. Dixit mihi præterea sanctus meus Angelus: Septem menses sunt, ex quo hìc istâ vice pateris graves dolores & afflictiones, quæ tribus mensibus fuerunt majores. Divide hæc merita cum tuis amicis, hoc enim est dare illis uniones & gemmas, si offeras Deo tua opera & afflictiones pro ipsis, ut satisfacias pro eorum peccatis, & impetres à Domino pro illis dona ipsius: noli verò obliviscì tuorum Confessariorum.

§. IV.

ALiàs (in Aprili anni 1616.) postquam ultrà octiduum non accepissem ullâ specialem & extraordinariam gratiam à DEO, placuit mihi id, propter molestiam, quam mihi adferebant timores, nè deciperer. Quâdam autem nocte dixerunt mihi mei Domini sancti Angeli, quòd mihi DEUS vellet præstare quandam gratiam, quódque essem ascensura per quosdam gradus, quos mihi ostenderunt, tendentes à meo cubiculo ad cœlum. Egò illis dixi, me non posse ascendere propter meam infirmitatem. Ipsi verò respondérunt,

runt, quòd me essent adjuturi. Tentaverunt me elevare, & ego eram tam gravis, ut me non possem movere; neque illi videbantur posse me elevare. Interrogaverunt Dominum, quare essem tam gravis? qui illis dixit: hoc oriri ex defectu, quem commiseram, immoderatè renuendo acceptare illius gratias. Sed tandem permisit, ut me elevarent. Incepi conscendere gradus initio cum magna difficultate: quantò autem magis ascendebam, tanto progrediebar faciliùs. Perveni ad altitudinem cœli, quod erat apertum: intravi, & postquam intravissem, univit se mea anima cum suo DEO. Paulò pòst data illi fuit alia unio diversa, & post modicum iterum tempus, est ipsi data tertia unio alterius generis, atque tunc illis dixit Dominus: Perlustra oculis hunc mundú, & videbis, quid fiat. Dum essem unita DEO, atque intrà ipsum DEUM, aspexi & vidi totum mundum, ac speciatim partem Christianitatis, & commeantes omnes homines more solito, in quodam campo, in quo celebrabantur solennes nundinæ, seu mercatus, ementes, & vendentes, ac negotiantes; hos isto, alios alio modo; hos loquentes, illos ludentes, & ridentes cum magna inquietudine. Tantùm in quibusdam angulis erant nonnulli pauci quieti. Ità fit in mundo, dixit Dominus, sicut vides. Deinde descendi ad secundum gradum unionis, per quem ascenderam, atq; ibi mihi ostendit Dominus mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & quomodo Filius gignatur à Patre, ac hi duo se amando producant Spiritum sanctum, tam distinctè, ut possim syncerè dicere, me id vidisse juxta meum captum, & scire, quod docet Fides, esse verum, cùm id viderim: Post hoc descendi ad tertium gradum unionis, unde inceperam, ac tum vidi Personam Christi Domini nostri, DEI ac Hominis veri, qui mihi dixit: Perlustra hanc cœlestem Aulam, & videbis, quid sit in illa. Aspexi ac vidi omnes Choros Angelorum, & Apostolorum, ac Martyrum, aliósque innumerabiles Sanctos cùm Sacratissima Virgine, sed omnes confusè, acsi viderem aliquam congregatam multitudinem. Deinde mihi dixit Christus Dominus: Cùm huc ascenderis, par est, ut auferas aliquid ex divitijs hujus Civitatis. Tunc me Divina Majestas induit pretiosâ togâ, quæ significabat immortalitatem, & subtus aliâ pretiosâ veste, imposuitq; grandem torquem meo collo ex pretiosissimis lapidibus, & erat in uno humero quidam veluti Sol, in altero autem quasi quædam luna; ex torquis autem extremitate pendebat quasi quidam Agnus, qui repræsentabat mysterium Agni Paschalis, quem veteres sacrificabant, & caput circumdedit pretiosâ coronâ. Quando me vidi hoc modo ornatâ, prostravi me ad pedes Christi Domini, qui mihi dixit cum quadam quasi indignatione: Surge, tibi omnia videntur nova ac miranda. Fui afflicta propter modum, quo mihi Dominus loquebatur. Dixit mihi præterea: His diebus deliquisti, dum tibi valde placuit, quòd tibi non præstiterim gratias solitas. Meris castigari; sed cùm hic defectus proveniat ex desiderio, quod habes, nè mihi displiceas, útque mihi sis grata, & ex humili verecundia, propterea non magnoperè mihi displicuit. Vade in pace. Et rapta in ecstasim me inveni in meo cubiculo cú eodem vestitu, atque Christum Dominú mecum, qui dixit meo Angelo Custodi, ut mihi auferret illas vestes ac cimelia, & conservaret; mihi verò dixit: Vale. Quando redij ad me, sensi me vehementer debilitatam, propter id, quod acciderat, & mei Sancti Angeli ad me accesserunt, méque confortaverunt.

§. V.

Aliâ vice (in Februario anni 1622.) illi Dominus manifestavit gradus Beatorum hâc ratione. Dum essem, *ait*, meo more collecta, vidi ex pectore JESU Christi Domini nostri, qui erat in cœlo, descendentem usque ad terram quandam scalâ. Eâ parte, quâ tangebat ipsius Divinum pectus, erat admodum angusta, quâ verò tangebat terram, erat valde lata. Conabar me avertere ab hac visione; verùm quantò magis me abstrahebam, timens

meam imaginationem, tantò magis illam mihi Dominus ponebat ob oculos. Videbatur mihi illa scala constare ex purissimo auro, & gradus erant splendidissimi, ac deinde vidi, quòd tota esset cœlum, & plena sanctis Angelis, qui per illam ascendebant ac descendebant; alij verò sancti Angeli ipsam undique circumdabant. Omnes gradus erant repleti sanctis animabus Beatorum, quarum aliæ consistebant in primis gradibus, aliæ altiùs, & aliæ in superiore gradu, omnes beatæ, quia fruebantur DEO, juxta sua merita; nullam tamen vidi ingredientem in pectus JESU Christi Domini nostri, præter solam ipsius sanctissimam Matrem, quæ erat summè felix & beata, fruebatúrque illâ beatitudine præ omnibus reliquis Sanctis, & cum extraordinario excessu, etiamsi non comprehenderet totũ illud Divinum Esse DEI, quod solùm reservatum est ipsi DEO. Apud infimum scalæ gradum vidi etiam animas, & non paucas ex ijs, quæ vivebant in hoc mundo, fruebantúrque ibi illis bonis æternis per contemplationem, modo possibili in hac vita mortali; plures autem erant fæminæ, quàm viri. Dum hoc mysteriũ contemplarer, accesserunt ad me sancti mei Angeli, & dixerunt mihi: Anima, veni nobiscum; quia Dominus mandat, ut ascendas per scalam ad ipsu: Majestatem. Duxerunt me ad scalæ infimum gradum, & incepi ascendere, sed statim me impediverunt alij sancti Angeli, qui custodiebant transitum, dicendo mihi: Anima quid agis? Siste, aliàs præceps rues, quia hàc non potest ascendere ullà anima ex ijs, quæ vivunt in mortali corpore. Ego fui turbata, & mei Domini Angeli dixerunt illis, qui custodiebant transitum: Angeli sancti, DEI voluntas est, ut ista creatura ascendat per hanc scalam; sic enim nobis mandavit. Hoc audito, me permiserunt ascendere, & incepi progredi, atq; omnes Angeli me aspiciebant quasi admirabundi, quòd me viderent, & dicebant, me audiente: Quæ est ista, quæ vivens in carne humana, huc ascendit? quæ est ista, cui Dominus exhibet tam specialem gratiam? Fateor me fuisse progressam cum confusione & pudore, eò quòd audirem talia dici: procedebam tamen, & ascendebam, usque dum pervenirem ad angustias scalæ, quæ erat acclinata ad pectus mei Domini, qui me introduxit per illam angustiam in secretum penetrale sui Divini pectoris. Erat valde arctum, neque poterat dilatari, videbatúrque unà quàm latissimum, ut non posset coärctari, ex quo intelligebã, quòd DEUS ex se ipso, & ex suo Divino Esse est tam magnus, felix & beatus, ut illum nemo possit neque dilatare, neque coärctare, nec illi quidquam addere vel tollere. In hoc Divino pectore Domini vidi mysteriũ Sanctissimæ Trinitatis, modo possibili meæ capacitati, & cognovi secreta, ac res admirandas de Divinis Attributis, quæ nequeunt explicari, omnia verò erant DEUS, ac ampliùs DEUS. Ibi me satis diu detinui. Unde egressa vidi quosdam sanctos Angelos, tenentes quoddam velum in manibus, tinctum sanguine, porrigentesque illud Domino, quo me ipse cooperuit, dicens, ità mihi applicari merita Mortis & Passionis JESU Christi Domini nostri.

Tunc illi patefecit Dominus secretum sui cordis, concernens ipsius corpus & cineres, referendum in libro sexto. Quod hic dicit, se fuisse ingressam in secretum penetrale Divini pectoris, intelligendum est, non quasi ità in illud fuerit ingressa, sicut dixit eò introivisse Beatissimam Virginem, sed per modum contemplationis, convenientis viventibus in carne.

CAPVT

CAPVT XII.

Quomodo viderit magna mysteria cœlestis Civitatis, ordinem Beatorum & Pompam, in qua Christus Dominus vehebatur curru triumphali, ac de alijs gratijs, quas est consequuta.

§. I.

DUm aliquando ægrotarem, invasit me dolor quidam naturalis, quòd non possem adesse supplicationibus, institui solitis in honoré Venerabilis Sacramenti, & videre ibi Christum Dominum, sicut consueveram. Tunc mihi dixit Dominus: Noli id ægrè ferre, quia ego tibi ostendam Processionem, quæ tuam animam ingenti replebit solatio. Ipso itaque jubente, Angeli me duxerunt ad quandam pulcherrimam & maximam aulam, quæ amplitudine par erat alicui pulchræ Civitati, & exornata pretiosis tapetibus, ac aulæis, quæ auro nitebant ac gemmis, & in singulorum medio spectabatur delineatus atque expressus quidã cœlestis Agnus candidissimus, aureâ redimitus coronâ. In ista aula considebant suo ordine distributæ in inferiores & altiores choros, Personæ gravissimæ, splendidè vestitæ, ac adornatæ, quarum vestes repræsentabant ac significabant eximias & præclaras earundem virtutes; idémque indicabant pretiosi tapetes, appensi in hac mystica aula; in qua istæ cœlestes Personæ quiescebant ineffabili gaudio affluentes. Agni coronati, quos vidi expressos in medio illorum pretiosorum aulæorum, significabant Christum Dominum Regem nostrum, in quo, & per quem opera ac virtutes admirabiles eorundem Sanctorum vitam habebant, & valorem, ideóque ipsi glorificantes eundé Dominum, deponebant ad illius pedes, eique offerebant dona, quæ ipso favente ac adjuvante erant promeriti.

Interea fui ducta ad quandam grandem portam, pretiosissimis coopertam tapetibus. Quæ hâc portâ claudebantur, & intrà illam fiebant, erant tam sublimia, ut ea nulla pura creatura in ista mortali carne possit comprehendere, vel assequi: tamen per quandam rimam, seu hiatum patentem, quâ parte peristromata invicem nectebantur, mihi apparebant paucissima quædã ex ijs, quæ intus erant, & agebantur. Incitata verò ferventi impetu, ut plura viderem, si possem, & liceret, constitui me in limine portæ: sed quamprimùm id feci, occurrit mihi quædam gravissima persona, maturæ ætatis, valde venerabilis & magnæ majestatis, dixitque mihi subasperè: Abscede hinc, quænam es tu? Ignorá ne fortè, neminem viventem in carne mortali posse huc intrare, ubi residet Regia Majestas, éstque Archivum, in quo sunt reposita thesauri ipsius magnalium, & mysteriorum, ac Divinæ Sapientiæ? Hoc audito extimui, & retrocessi quasi ad passũ, sed non cessabam introspicere, quantùm poteram, per juncturam illorum peristromatum, visura quid ibi esset, ac ageretur. Atque tum DEUS contulit meæ animæ maximum & clarissimum lumen, quo cognoscerem mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & perfectiones Divinæ Personæ Christi Domini. Licèt verò mea anima non esset capax tantarum rerum, quantas contemplabar, cumulabatur tamen magnis bonis, & replebatur ingenti solatio ac stupore: sed tandem cùm non viderem ullũ notum, recedebam, & circumspiciebam quaquaversum. Atque ecce conspexi Majestatem Christi JESU Domini nostri. Non potest explicari gaudium, quod mea anima ex hac visione percepit. Videbatur enim sibi vidisse, & reperisse suum Patrem, suum Dominum, suum Regem, & unicũ

suum

suum consolatorem, sibique apprimè notum, eò quòd ipsum toties viderit, audiverit, & allocuta fuerit, propter ejus bonitatem. Tunc anima defixit oculos in suo Domino cum magno amoris affectu, & Dominus conjecit suos in ipsam, quàm benignissimè, dixitque illi Personæ, quæ stabat ad portam: Permitte eam accedere, & spectare. Continuò sancti Angeli, à quibus eò fueram ducta, me duxerunt ad illam portam, & vidi ibi admirabilia; vidi thronum Majestatis DEI Trini in Personis, & unius in Essentia, quasi per quoddã velamen; quem Dominum dum sacratissima Majestas Christi Domini, quâ est Homo, demissè veneraretur, suscepit sibi ab illa magna Majestate datum Divinum quendam & mysticum amplexum, quo repræsentabatur, & significabatur potestas ac dominium, quod illi Sanctissima Trinitas contulerat super omnes creaturas.

§. II.

DEinde vidi admirabilem, & elegantem currum, fortem, terribilem, ac stabilem, confectum ex purissimo & exquisitissimo auro summi pretij, qui totus erat circumdatus flammis vehementis, & suavis, ac purissimi ignis, coloris aurei, & aspectu jucundissimi. In isto curru mystico fuit, Divino quodam modo, collocatus Christus Dominus, indutus vestibus regijs, & redimitus coronâ, ex pretiosissimis lapidibus. Eundem currum trahebant & movebant, ùt mihi videbatur, quatuor sancta animalia, pulchra, mansueta, candida instar nivis, & purissima: habebant speciem regiorum equorum, quos tolutarios vocamus, & singuli gerebant in suo humero emblema, seu insigne perelegans ac varium, in quo erant facie tenùs tantùm efformati Taurus, Leo, Homo, & Aquila, in rotundo spatio lunari. Multi Angeli ibant immixti inter hæc sancta Animalia, quæ tametsi visa fuerint, quemadmodum dixi, movere ac trahere currum, magis tamen ea dirigebat, à quo & movebantur, accipiebántque illam virtutem ac fortitudinem, Rex insidens currui, qui erat præcipua Persona illius mysterij. Et statim mihi fuit dictum: Iste triumphalis currus, quem vidisti, repræsentat Ecclesiam Catholicam fidelem, terribilé, fortem, veracem, & permanentem, cujus supremum caput est Christus Dominus, qui illam regit & gubernat, confértque ipsi robur, ac vitam. Quatuor sancta Animalia, quæ spectavisti, & à quibus videtur moveri, atque trahi currus, sunt figura quatuor sanctorum Evangelistarum, qui tanquam coadjutores trahunt currum, & illum Divinâ luce sacrorum Evangeliorum illuminant.

Post hæc omnia incepit moveri quædã cœlestis pompa, hunc in modum: Procedebant suo ordine multi sancti Angeli, deinde innumerabilis multitudo, tum eorum, qui cœlibes extra claustrum in privatis vivunt ædibus, habitum gerentes religiosum, & plerumque obeunt in gratia DEI; tum infantium, qui è vivis excesserunt, lustrati aquâ sacri Baptismatis. Illos sequebantur Beati Religiosi, qui post exactam suam vitam in sanctis operibus fruuntur præmio, quod ijs promeruerunt, adjuvante Divinâ gratiâ. Post hos ibant omnes sancti Patriarchæ Religionum, & sancti Confessores; deinde sancti Martyres; tum beati Eremitæ & Anachoretæ; & post illos Prophetæ, ac sancti Doctores Ecclesiæ. Tandem proximi Regiæ Majestati, stipabant ipsius dextram & sinistrã sancti Apostoli. Omnes hi Beati erant ij, quos videram considentes in illa pulchra & magna aula. Progrediebantur dispertiti in duos ordines, utrimque circumdantes illum admirabilem thronum, & quemlibet ordinem comitabatur, atque complebat ornatus gratiâ alius sanctorum Angelorum. Hoc modo, & isto ordine incepit moveri hæc sacra Pompa, circa illud Tabernaculum Divinæ Majestatis. Præcedentibus ità omnibus istis Beatis, prodiit deinde Majestas JESU Christi Domini nostri per illam grandem portam, in eo pleno mysterijs curru, eo modo, quo dixi, & conjecit suos sacros oculos in me, quæ ibi prope ipsum aderam, spectans cum admiratione id quod fiebat, datâque mihi

suã

suà sanctâ benedictione, cum indicio magni amoris & benignitatis, mandavit sanctis Angelis, à quibus fueram adducta ad istum locum, ut me adducerent ad ejus Majestatem, ideóque me adduxerunt cum notabili solatio meæ animæ. Vidi tum, post Majestatem hujus summi Regis eundem Virginem MARIAM Matrem ipsius, & Dominam nostram, cum comitatu innumerabilium Angelorum, & Beatorum Spirituum, plurimarum Virginum & Martyrum, ac sanctarum Matronarum, DEOque dicatarum Sanctimonialium. Hoc modo processimus; nam & ego miserabilis ac indigna ibi fui cum ijs Cœli incolis, qui omnes unà cum Regia Majestate sunt reversi per eam grandem & principalem portam, ex qua fuerunt egressi; ego verò remansi ad illius limen, ubi vidi, quòd, cùm se inclinaret tota ea cœlestis Aula, egóque simul cum reliquis, magnus ille Rex JESUS Christus Dominus noster impertitus fuerit peramanter omnibus suam sanctam benedictionem; quo ipso momento resonuit Divina, cœlestis, & Angelica musica; ac tum fui reducta ab illis sanctis Angelis ad meum exilium, ubi sacratissima DEI Majestas mihi communicavit nova desideria sui amandi ex toto meo corde & anima, omnibúsque meis viribus ac visceribus.

Hæc apparitio fuit verè admirabilis, ac schema quoddam illius gloriosi currûs, quem vidit Propheta Ezechiel, & Ecclesiasticus vocat currum gloriæ DEI, éstque figura Ecclesiæ Militantis, ex qua ducuntur colonæ ad Ecclesiam Triumphantem, cujus utriusque Caput, Gubernator, & Rex Supremus est JESUS Christus, noster Dominus DEUS, & Homo verus.

§. III.

ALio Festo Sanctissimi Sacramenti, dum, *inquit*, optarem vidêre lumen cœli, quia habebam cor quasi oppressum, Dominus Majestatis mandavit, ut ministerio Angelorum ducerer ad cœlestem Jerosolymam, in qua mihi fuit ostensus jucundus ille, & clarissimus æternæ lucis & gloriæ dies; ubi commorabantur & lætabantur, erántque beati omnes illi cœlestes Aulici. Detinuerunt me ibi aliquamdiu, & Dominus, magnam meæ animæ erga se tribuit confidentiam, ut sperarem me propter meram ipsius bonitatem, illum visuram, eóq; fruituram in ea æterna & cœlesti Patria.

Post aliquot deinde horas respiciens Dominus angustias, quas eram passa, mihi dixit: Noli ægrè ferre, Amica, quòd non fruaris die temporali, & cæteris creaturis, ac terrâ; quia etiamsi his ad majus bonum tuæ animæ, & gloriam meam careas, id tibi prodest, siquidem omnia cedent in tuú commodum, manétque te cœlum, ac beatitudo, & ego ipse. Hoc audito fui turbata, eò quòd essem tam indigna talia audire, & dixi: Quid est hoc? quis id dixit? Audivit me Dominus, & post modicam moram mihi respondit: Ego sum, ego sum, tuus DEUS, tuus Pater, ac tuus Dominus. Cùm hoc audivissem, conquievi, & attollens oculos animæ, conspexi Majestatem JESU Christi Domini Nostri, sed non audebam intueri ejus magnificentiam, quia incurrebam in ipsius gravissimos oculos, & mea anima percellebatur, nescio quo timore ejus magnæ Majestatis, ideóque meos subitò iterum demittebam ad terram, & sic me prostravi ad ipsius sacratissimos pedes, ut non possem erigere caput. Dicebam: hîc volo manere, Domine, apud tuos pedes, & deflere mea peccata, ac tepiditates: potens enim es, ut mihi ignoscas, atque si vis, potes me mundare. Et quia illa infirma mulier fuit restituta sanitati, cùm tangeret fimbriam tuæ vestis, etiam ego sperabo, te mihi idem præstiturum, cùm ipsam pariter tangam, unáque tuos sacros pedes. Non peto à te, neque volo sanitatem corporis; quoad hoc enim fiat in me tua sancta voluntas: salutem meæ animæ à te peto, quia tu id vis, dedistique pro illa tuum sanguinem. Hoc modo jacui aliquamdiu, ità ut non possem attollere oculos ad Dominum. Venerunt autem ad me quidam sancti Angeli, ipsóq; jubente me elevaverunt. Tum intuita Divinam Majestatem, vidi, quod teneret

in ſuis ſacratiſſimis manibus Divinum Sacramentum, cum quo ad me accedens, me communicavit. Deinde ſtatim à me modicùm receſſit, & ego circumſpiciens oculis animæ vidi advenientes, ità ut tranſirent inter Dominum & me quoſdam Sanctos Angelos, valde admirabiles, & magnæ majeſtatis, cum comitatu aliorum plurimorum Angelorum, & Beatorum Spirituum, qui jam ipſos præceſſerant ultra Dominum, portantes Euchariſticam Hierothecam, in qua ferebatur Divinum Sacramentum diſcoopertum eo modo, quo geſtari ſolet in ſupplicationibus. Sic præteriverunt, & præceſſerunt Dominum, progreſſique ſunt ad quoddam Monaſterium, quod ego vidi, & repoſuerunt Divinum Sacramentum in Tabernaculo ſummi Altaris, cum maxima reverentia, ac adorabundi, ſtatimque diſceſſerunt ex eo loco, nec illos ampliùs conſpexi.

CAPUT XIII.

Quomodo à Sancto Michaële ducta fuerit in ſpiritu, & in ejusdem Feſtis ad cœleſtem Aulam, viderítque hæc eadem myſteria, & quandam Pompam, in qua decantabantur laudes hujus Sancti Archangeli.

UT Venerabilis Marina, & nos per illam intelligeremus præſtantiam harum viſionum, & myſteriorum, quæ in ijs manifeſtantur, voluit quandoque DEUS uti operâ Principis ſuæ Eccleſiæ S. Michaëlis, quem ſolet adhibere in rebus inſignioribus: atque idcirco ſimul ipſi patefecit ſingulares prærogativas hujus Archangeli. Ait igitur ità.

§. I.

DUm audirem Sacrum in feſto S. Michaëlis, oſtendit mihi illum Dominus, & cognovi in hoc ſancto Archangelo, tantam fortitudinem ac potentiam, ut eâ videretur poſſe invertere mundum, & movere ſúſque déque omnia, omnésque creaturæ, quæ ſunt ſuper terram, mihi apparebant coram ipſo inſtar formicularum. Vehementer ſum morata hanc apparitionem. Dominus autem mihi dixit: Expecta parumper, & videbis alia myſteria admirabiliora. Dum audirem, quòd me vellet elevare ad res valde ſupernaturales, vehementer expavi. Tunc venit Beatus Michaël, & conferendo vires ac vigorem meæ animæ, corroboravit ipſam, ſolatúsque eſt, dicendo mihi: Noli timere, quia ego te juvabo, & comitabor. Cúmque id præſtaret, veni ad altiſſimum & felicem locum jucundæ beatitudinis, ubi mihi eſt oſtenſus à Domino & Rege eorum Divinorum montium & cœleſtium manſionum quidam radius, ac fulgur lucis illius Divini ac infiniti Eſſe, & cognovi, quomodo compotes & participes hujus Divinæ Naturæ redderentur ij beati Spiritus. Hoc myſterium mihi fuit bis manifeſtatum, & adjuvante ſancto Archangelo, potui, abſq; defectu virium, quamvis cum difficultate & labore, ſuſtinere tantam lucem ac ſplendorem, alioquin enim fuiſſet impoſſibile.

Sed hoc non fuit ſummum, quia paulò pòſt ſum ducta ad alium locum ſublimiorem, ubi mihi fuerunt oſtenſæ in eodé ipſo Divino Eſſe tres Divinæ Perſonæ, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, modo tam admirabili, ac ſtupendo, ut non reperiam ullas ſimilitudines, quibus id valeam exprimere, & explicare, ideóque taceo, ac ſolùm laudando & glorificando DEUM, dico: Vidi myſteria DEI.

§. II.

SEd admirabilius fuit, quod illi contigit alio anno, feriâ secundâ, quæ erat 26. Septembris, triduo ante festum Sancti Michaëlis. Hoc die, *inquit*, me abripuit Dominus intrà se ipsum, duxítque me ad quádam altitudinem, & subitò iterum deduxit suaviter ad meum locum. Postquam fuissem abstracta à sensibus, bene tamen advertissem, quid DEUS ageret, ac modicùm quievissem, denuò me Dominus duxit intrà semet ipsum, ad montem longè altiorem, quàm fuerit prior, id quod me magnâ affecit admiratione. Et cùm ad illum pervenissem, deduxit me Dominus suaviter ad priorem montem, ad qué me elevaverunt initio, dixítq; mihi: Quiesce modicùm, propter naturæ debilitatem. Deinde me in se ipso, sicut anteà, rursum exaltavit ad alium montem, multò sublimiorem secundo, qui apparebat immensus, & ibi me exposuit ex se ipso, mihíque exhibuit ac ostendit omnes cœlos, & terram, ac totum mundum, dixítque: Aspice, Anima, omnia hæc, quæ propter te creavi, vide ista, & fruere illis. Contemplata sum istam creaturarum infinitatem miræ pulchritudinis. Continuò me ad se reduxit, ubi mihi ejus Majestas contulit tantum lumen, ad agnoscendum Divinum Esse, & omnia ipsius attributa, ut obstupuerim, fuerímq; quasi mihimet erepta. Tum mihi Dominus dixit: Nunc, Anima, in me quiesce, & mane apud me. hîc permanebis, donec prætereat festum mei sancti Angeli Michaëlis. Corpus tuum solummodo retinebit partem spiritûs requisitam pro conservatione vitæ, & actionibus illi necessarijs, id quod fiet adjuvante tuo Angelo Custode. Post festum mei Angeli, te reducam ad tuum locum. His à Domino dictis, me reperi in meo angulo, unáque mansi cum meo Domino, perfruens illis æternis bonis, atque hîc agendo cum Creaturis valde difficulter, & adjuvante me Angelo meo.

§. III.

SEquenti feriâ tertiâ, quæ erat dies Sanctorum Cosmæ & Damiani, summo manè me deduxit Dominus ex illo monte, ubi manebam in ipso DEO, ut operaretur mysterium, quod referam. Vidi in meo cubiculo sanctos Martyres, qui me salutaverunt, & dixerunt: Soror nostra, venimus nomine DEI, & ipso permittente ad te consolandam & confortandam in tuis afflictionibus ac molestijs, atque etiam ad curandam & corroborandam tuam debilem naturam, quia licèt simus Beati, fuimus tamen Medici, dum viveremus in mundo, & petivimus id nobis à DEO indulgeri. Veni nobiscum ad cœlestem patriam. Duxerunt me ad cœlestem Jerosolymam, & postquam eò pervenissemus, dixerunt: Aspice Anima, aspice hanc cœlestem patriam, ubi vives in æternum; aspice hos felices Cives, contemplare istam gloriam, & magnificentiam, & lætare, atque confortare: quia hæc te manent. Lustra hæc subsellia, & sedes, intuere locum, ubi futurum est tuum corpus; æquum enim est, ut etiam ipsum, quod patitur, videat sedem, quam occupabit post universalem mortuorum resurrectionem. Recreavi me aliquamdiu conspectu illius gloriæ, & Sancti me deinde duxerunt ad meũ angulum, ubi vidi quòd sanctus Cosmas in manu teneret pretiosissimam crucem, & S. Damianus quoddam veluti myrotheciũ medicinarum. Sanctus Cosmas mihi dixit: Accipe Soror istam Crucem, quia consolabitur, corroborabit, & confortabit tuam animam in tuis doloribus & molestijs, quas pateris. Accepi illam ad manum, & statim fuit conversa in elegantem ac speciosam palmam, cum magno meo stupore. Sanctus verò Damianus mihi dedit suum myrothecium, quod accepi ad alteram manum, & fuit subitò conversum in pretiosum lapidé, similem rubino, grandem instar pugni, dixítque mihi: Iste valebit pro corroboranda & confortanda tua debili natura. Ego aspiciebam hos meos thesauros, vehementer obstupefacta; Sanctus autem Angelus meus Custos

illos protinus accepit ex meis manibus, & observavit in se ipso. Sancti Martyres discesserunt à me quàm gratiosissimè, dederúntque mihi suam benedictionem.

§. IV.

Sequenti feriâ quintâ, in festo S. Michaëlis, manè vidi sanctum Archangelum, splendidissimè & elegantissimè vestitum. Salutavit me quàm amantissimè, solatúsque est, & confortavit vehementer in meis continuis doloribus. Atque dum conversarer cum ipso, vidi quatuor Angelos, qui paulatim conficiebant & elaborabant mirabiliter vexillum ex purissimo auro, quod absolutum obtulerunt sancto Archangelo Michaëli, & ipse id benedixit, jussitque illos cum eo abire, ad peragendum certum mysterium. Acceperunt illud Angeli, & sustulerunt in altum, atque vibraverunt. Prodibant autem ex eo tanti splendores lucis, & claritatis, ut viderentur totum mundum illuminare. Tulerunt idem vexillum inter Cœlum ac terram ad regionem aëris, ibíque denuò erectum agitabant, colligebant, & expandebant, quod ab illis fuit factum ter aut sæpiùs, & quotiescunque hoc faciebant, profiliebant ex ipso novi splendores luminis & claritatis, deciderántque ex aëre ad infernum multi deformissimi diaboli, tot, támque agminatim, quàm quando vehementer grandinat. Finito hoc mysterio, venerunt cum vexillo ad locum, in quo erat mecum sanctus Archangelus, quod ille accepit ad suas manus, & cum eo, tum ipse, tum sancti quatuor Angeli, atque alij innumerabiles, omnes discesserunt ad cœlum. Ego fui ducta post illos à meis sanctis quinque Angelis, & non vidi meum Custodem. Ingressa autem ad cœlestem patriam, mansi intus è regione portæ cum meis socijs, & Archangelus cum reliquis intravit ad conspectum Divinæ Majestatis. Cúmque essent prostrati, & agitarent vexillum, idémq; colligerent, & explicarent, prodibant ex ipso tanti splendores lucis & claritatis, ut illuminaret illam Divinam Aulam. Omnes ità provoluti adoraverunt Dominum, reverentes ipsum, ùt Creatorem ac Authorem omnis sui boni & gloriæ. Dominus illis bene precatus est, jussítque eos surgere, & aspiciens me, quàm amantissimè ac affabilissimè dixit: Esne tu hîc, Soror? veni & fruere festo mei Archangeli. Præcepit omnibus Angelis, ut celebrarent magnam solennitatem in honorem Sancti Michaëlis. Instituta est solennis processio per circuitum cœli. Sanctus Archangelus tulit vexillum; tota Aula Angelorũ ipsum sequebatur, decantantium ejus laudes, ac dicentium: Tu es, sancte Archangele, qui defendisti in cœlo honorem nostri Magni DEI ac Domini: dicendo: Quis ùt DEUS? Tu ejecisti ex cœlo Angelos malos, eósque vicisti; Tu es Patronus & Custos Ecclesiæ militantis, Tu illam tueris contra illius hostes: & alia hujusmodi dicebant quàm lætissimè & jucundissimè. Ego affixa pedibus mei Domini, spectabam illam solennem pompam, eáque recreabar, donec reversi ad Dominum, omnes denuò se prostravissent coram Divina Majestate, iterúmque ipsam adoravissent, sicut anteà. Tum Dominus illis secundò benedixit: atque adducens me ad se, etiam mihi dedit suam benedictionem, & imposuit meo collo quendam pretiosum annulum ex purissimo auro, plenum elegantibus ornamentis encausticis, & figuris Divinorũ mysteriorum, cum quo cimelio me demisit Dominus, & quando mihi fui reddita, inveni me in meo angulo cum sancto meo Angelo Custode, quo viso dixi: Domine Angele, non fuisti mecum? ipse verò mihi respondit: Ego te nunquam dimitto ex oculis, Anima: sed dic mihi, quid affers ex cœlo? Ego respondi: Nihil, mi Domine: aspexi & extendi manus, quasi illi ostendendo, me nihil ferre. Et ipse dixit: Imò verò fers aliquid, accedénsque ad me quàm suavissimè, abstulit ex meo collo annulum, qui erat ex auro purissimo, & ostendendo mihi ipsum dixit: Scias, Dominum velle, ut sis tota ipsius, & Ancilla Divinæ Majestatis, ideò enim tibi injecit numellam ad collum, quam idem sanctus Angelus collo suo impositam mihi servavit.

Feriâ

Feriâ sextâ post festum S. Michaëlis, manè me Dominus sopivit quodam somno mystico, ex quo expergefacta vidi in meo cubiculo aliquantùm remotú à meo lecto quendam sanctum Angelum valde gravem, & illo conspecto jam mihi videbar à Domino reducta, ac dimissa ex illa unione, & statu, quem in ipsomet DEO habueram, quod mihi Divina Majestas dixerat, se facturam post festum sancti Michaëlis. Finito Sacro, & peractâ à me sacrâ Communione, accessit Sanctus Angelus, de quo loquor, & prostravit se coram me, adorans sanctissimum Sacramentum, quod susceperam. Dominus ipsum jussit surgere, dixitque illi, posse eum redire ad suum locum. Audito hoc, interrogavi meum Dominum, an me Divina Majestas jam dimisisset, & absolvisset à se ipso, & ab illa unione. Dominus mihi respondit ità esse. Dixi prætereà: Domine mi, humiliter obsecro tuam Majestatem, ut mihi dicat, quid iste sanctus Angelus hic fecerit? Et Dominus mihi suâ solitâ benignitate respondit: Custodiebat te, ac defendebat à Diabolo, qui tibi volebat nocere, & inferre damnum. Ergóne, Domine mi, reposui ego, potest diabolus inferre damnú creaturis absque tua facultate? si tu illam ei non concedis, quid ipse potest facere? Ità, est verum, ajebat Dominus; sed ego, sicut in naturalibus permitto res eo ordine currere, quo jam illas decrevi ac disposui in mea æternitate, absque ulla immutatione, ità in supernaturalibus permitto dæmonem uti facultatibus, quas ipsi concedo, sed operâ meorum Angelorum illi sæpe impedio earum exequutionem, prout expedit meis electis.

§. V.

DEnique in festo Omnium Sanctorum, ante diluculum matutinum, Dominus mihi ostendit eorum gloriam: qui magis resplendebant, quàm stellæ cæli, atque sicut soles emittebant ex se tantum lumen, & splendorem, ut illuminarent totam illam cœlestem Jerosolymam. Dum essem attonita, videns istam gloriam inter meos dolores & cruciatus, quos patiebar, audivi vocem cujusdam valde eminentis Angeli, quem deinde intellexi fuisse Sanctum Archangelum Michaëlem, mihi dicentis: Veni, Anima, veni, frueris hoc felici festo, & recreaberis. Ego, ùt eram extra me, respondi: Quis me vocat? Sanctus Archangelus repetebat: Veni, Anima. Ego respondi idem. Ipse verò me tertiò vocavit. Et cùm tacerem, descendit in momento, ac magnâ vi ac potentiâ me abripuit in spiritu, duxitque ad cœlestem patriam, & ibi collocavit. Ingressa sum per magnam multitudinem, quæ videbatur esse infinita, Animarum & Spirituum Beatorum, qui omnes radiabant tanquam soles, & transivi per omnes, donec pervenirem ad alteram partem, ubi erat Majestas DEI nostri Domini, cujus Divinum Esse vidi eo modo, quo in hac vita videri potest, in quadam specie subtilissimæ, claræ, & lucidæ nubis; ubi vidi, quomodo omnis gloria, & splendores illorum Sanctorum provenirent, & emanarent ex illo Divino Esse, quod illos reddit Beatos. Mansi ibidem satis diu, ac deinde dixit sanctus Archangelus: Veni, Anima, & reducam te ad tuum locum. Et reduxit me per illos Sanctos, videbantúrque, dum illos pertransirem, se insinuare in meam animam ij Divini splendores, qui ex illis promicabant, ut mea anima suo modo æquè resplenderet, ac ipsi; constituitque me in meo angulo.

CAPVT XIV.

De prodigioso modo, quo pars superior animæ ipsi diu mansit in Cœlo, perfruens DEO, sinè imminutione doloris, quem patiebatur in terra, déque rebus admirandis, quæ ei acciderunt, dum videret dicta mysteria.

IN præcedenti Revelatione, & in quibusdam alijs facta fuit mentio cujusdam specialis gratiæ, quam Dominus præstitit suæ famulæ, ut spiritus ipsius, & pars superior animæ aliquot diebus moraretur continuè in cœlo, fruendo per contemplationem ac unionem Majestate DEI Trini ac Unius, ipsiúsque Magnalibus, & bonis cœlestis gloriæ, remanente interim inferiori parte animæ cum suo corpore, quod patiebatur terribiles cruciatus, quin unum impediretur ab altero, atque ità, ut superior conversatio cum DEO, non tolleret conversationem cum hominibus, vel libertatem peragendi hic sua bona opera, ad eum modum, quo in hac vita mortali anima Christi Domini simul videbat DEUM, & patiebatur magna tormenta in Passione. Insuper, præter illam continuam commorationem in cœlo, habebat alias visiones & raptus, in quibus tota penitus elevabatur, ad perfruendum illis supernis bonis. Ex his gratijs modò recensebimus quasdam magìs prodigiosas.

§. I.

IN Decembri anni 1622. animadverti *inquit*, ex quibusdam indicijs, quòd mihi Dominus esset præstiturus aliquam specialem gratiam, ac tum post unam horam audivi auribus animæ quandam cœlestem musicam Angelorum, & multarum animarum, egredientium ex cœlo, quas omnes comitabantur Angeli dispertiti in Choros. Erat suavissima, dulcissima, ac admirabilissima illorum musica, videbantúrque cœli penitùs conflagrare amore DEI, & laudibus, quas ad ejus gloriam decantabant. Vidi deinde Majestatem DEI Nostri Domini Trini & Unius, & sanctissimam Humanitatem JESU Christi nostri Servatoris, qui veniebat in specie Regis ac DEI, & refulgens insignibus Regijs ac Divinis cum magna Majestate, comitante ipsum infinito numero Angelorum, subsistentium interdum ac decantantium eximias ejus laudes, in amplis & pretiosis tentorijs. Descendebat lentè per quosdam veluti gradus planissimos, cum magna gravitate. Dixi meis Dominis Angelis: Domini, dicant mihi, quid hoc erit? Illi mihi responderunt: Magnus Rex, ac DEUS noster Majestatis, venit ad invisendam suam Sponsam. Audito nomine Sponsæ fui turbata, & afflicta, dixiq;: Mei Domini, propter reverentiam DEI, non dicant hoc, neque me ità compellent; ego sum mancipium Domini, & serva, ac nunquam fui ausa me taliter nominare. At illi dixerunt: Bene est. Descendebat Dominus, ferebátque aliquid in suis brachijs, quasi animam; vidi enim illam eminus: & cùm pervenisset ad medium viæ, substitit Divina Majestas, jussitque intermitti musicam, & fieri silentium, atque attendi; ac deinde dixit Angelis Custodibus animarum unà venientibus: Angeli mei attendite quàm diligentissimè, quomodo custodiatis homines; impendite isti custodiæ omnem solicitudinem & operam, siquidem illos tantoperè æstimo, ut eos, qui me ex animo amant, mihíq; serviunt, feram in meis brachijs & manibus, quemadmodum ferri videtis hanc animam; ideóque magni ipsos facite, ista enim est mea voluntas. Hoc dicto, Divina Majestas est prosequuta suum descensum cum ingenti gloria, atque dum magìs accederet, agnovi illam animam, quam ferebat in manibus & brachijs, esse meam, quæ ibi reman-

remanserat in cœlo aliquot diebus, sicut aliàs consueverat. Erat tanta gloria, cum qua veniebat Dominus, ut si, dum ad me veniebat, illam non obtexisset aliquantùm, non fuisset possibile ipsam videre absque periculo vitæ. Postquam pervenisset ad meum cubiculum, intravit cum comitatu plurimorum Angelorum, & dixit mihi: Creatura mea, quid agis? quomodo vales? Ego respondi: Domine mi, hic jaceo in isto lecto, ubi à tua Majestate detineor, patiendo tui amore cum magno gustu, & quàm libentissimè. Dominus mihi respondit: Surge Creatura mea, & confortare; aspice, quia in meis brachijs & manibus fero tuam animam, filiam tuam, & filiam meam. Tuam, quia illam creavi in te, in hac natura: meam, quia te creavi, & sum tuus Conditor: atque sicut Mater gestat in suis brachijs infantem, qui prodijt ex ipsius visceribus, ac in suo sinu mulcet, & fovet, ac protegit, neque illius potest oblivisci, ità ego te gero in meis brachijs, & nihil in mundo te poterit à me separare, nec tu me derelinques, neque ego derelinquam te. Ad hoc respondi, dicens: Domine mi, credo verum esse, quod dicis: quantum est ex tua parte: sed quantum est in me, video me tam miserabilem esse peccatricem, ut ordinariè committam mille defectus, qui me molestant & affligunt, quamvis non ùt oportet. Dominus autem reposuit: Nè te reddant sollicitam hi defectus, de quibus loqueris, quia in meis oculis non sunt tales. Id ego permitto ad tuum majus bonum, & gloriam meam, atque ut elicias hos actus doloris, & contritionis, eruásque hinc multa bona. Nè te affligas, quia tua anima est in meis manibus, & nihil te separabit à me. Nihilominus, mi Domine, ajebam ego, me hîc in me ipsa video obnoxiam meis passionibus, & subjectam miserijs ac lapsibus. Tum Dominus: Tua anima, quoad partem superiorem, quæ est memoria, intellectus, & voluntas, manet apud me, & ego illam possideo: mecum manes, solùmque tibi reliqui naturam cum suis potentijs inferioribus, & requisitis ad vitam humanâ, quemadmodum vides, ac intelligis. Fui summè animata his Domini verbis, & Divina Majestas mihi dedit suam benedictionem, dixitque: Vale; & abivit ad Cœlos cum magna Majestate, ac pompâ, & solenni musicâ, ferens secum meam animâ in suis brachijs. Ascendit paulatim, donec illum non viderem ampliùs.

§. II.

SUmmus hujusmodi favor fuit anno sequenti (in Aprili 1623.) pridie Dominicæ Palmarum, quando mihi dixit Dominus ista verba Evangelij: Soror, *ecce ascendimus Jerosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas, de Filio hominis.* Affecerunt me hæc verba magna tneritudine ex una parte, ex altera verò mihi incusserunt aliquem metum, quia intelligebam mihi præparari hâc septimanâ sanctâ novos dolores, & molestias. Transfudi meam voluntatem in Divinam, rogando illum, ut fieret in me ipsius sanctissima voluntas. Deinde Dominicâ palmarum, dum agerem cum Divina Majestate, quasi unita cum ipsius sanctissimis vulneribus, videbatur mihi sinè dubio prodire ex illis quædam Divina virtus, instar vaporis, penetrantis meam animam, per quem ipsi communicabatur virtus Sanguinis & Passionis JESU Christi Domini Nostri. Interea illi dixi: Mi Domine, quid est mihi faciendum hac septimanâ? Dominus mihi respondit: Dicam tibi, veni mecum ad cœlestem Jerosolymam, & manebis ibi mecum totâ septimanâ. Fui statim ducta ad illam cœlestem Patriam, quam ego jam bene novi, & postquàm eò pervenissem, vidi beatitudinem, quâ fruuntur illius incolæ, ac magnum numerum sanctorum Angelorum. Consedi cum illis, quasi ad pedes, & subitò mihi apparuit quidam Divinus Sol, qui erat secunda Persona Sanctissimæ Trinitatis, ac perstrinxit me suis Divinis radijs adeò, ut incenderer. Surrexi ex eo loco, & consedi ulteriùs; Sol autem ille me est insequutus, atque me subsistente subsistebat & ille, iterum me feriens suis Divinis radijs. Surrexi ac processi aliquantò ulteriùs, & conse-

consedi tertiò, in alio loco; eodémque modo Divinus Sol me est insequutus, & suis Divinis radijs potenter arripuit meam animam, ac reposuit in se ipso, mansiq; intrà illum, & indè atq; illac transivi ad contẽplanda magnalia DEI, quæ non possunt exprimi verbis, aut explicari. Quamvis autè ibi manserit mea anima, ego me hîc sentio esse in meo angulo, ità ut modo conversor & loquar cum creaturis, paritérq; pars superior meæ animæ maneat in suo DEO, in cœlo: & clarissimè adverto ac intelligo istam veritatem, me, dum ibi delicior, hîc pati; nec vehementia meorum magnorũ dolorum mihi obstat, quò minùs delecter; neque gloria impedit, quò minùs patiar. Divina Majestas mihi explicuit tres illas stationes & progressiones significavisse, quòd, quando mea anima videtur absens esse à Domino, tum Dominus me insequatur, quocumque me conferam, neque à me recedat. Fuerunt porrò tres vices ad significandum, quòd omnes tres Personæ Sanctissimæ Trinitatis me protegant, mihíque gratificentur.

§. III.

POstquam sic fuissem constituta integrâ septimanâ sanctâ, sequenti Festo Paschatis manè (in Aprili anni 1623.) post toleratos, multis horis, maximos dolores, ut natura videretur deficere, & confici: vidi Dominum resuscitatum, & gloriosissimum, qui ferebat applicatum suo sacro pectori meum spiritum in specie parvæ animæ, quemadmodum hîc pingi consuevit. Fui afflicta, intelligens, quòd me Dominus vellet hîc relinquere, & dixi: Mi Domine, ergòne me vis hîc relinquere? Dominus autem mihi quàm amantissimè respondit: Soror, noli affligi, quia te non deseram, volo tibi solummodo restituere tuam animam, quam mihi concredidisti, & manere tecum, sicut quando parentes filiam, cui bene volunt, dant suis consanguineis, ut ipsis gratificentur ad aliquot dies, verùm ità, ut non deponant ipsius curam; ità ego tecum agam; non verò te derelinquam, neque tui curam deponam. Ego nihilominus id sentiebam, sed conformabam me Divinæ voluntati. Dum Divina Majestas videret meam afflictionem, dixit: Fiat ergo quod vis, nolo te affligere, retinebo te, quoad fuerit mea voluntas, & sic remansi in pectore Domini.

Sequenti Vigiliâ Ascensionis (in Majo anni 1623.) mihi dixerunt mei Domini: Veni, Anima, nobiscum, quia te debemus ducere ex mandato Domini ad locum, in quo est peractum hoc mysterium Ascensionis Divinæ ejus Majestatis. Ego respondi: Non possum, Domini mei, quia patior graves dolores, & cruciatus. At illi reposuerunt: Noli hac de re loqui, & veni nobiscum; sic enim jubet Dominus. Duxerunt me ad quendam campum planum, ubi erat lapis instar gradûs, & subitò secessuderunt ex cœlo plurimi Angeli, iique perelegantes, & jucundi, quos sequebatur JESUS Christus Dominus noster, cum magna Majestate, qui ubi constitisset supra illum lapidem, dixit mihi: Bene veneris, Anima, es afflicta, veni mecum, & recreaberis. Apprehenderunt me sancti Angeli, collocaverúntque ad latus Domini, & ejus Majestas me suscepit, atque porrectâ mihi quasi manu, sustulit secum ad cœlestem patriam, usque ad locum, in quo superior pars meæ animæ pluribus diebus fruebatur illis Divinis ac cœlestibus delicijs, & acsi esset aliquid à me distinctum, incepit loqui pars superior meæ animæ cum sua parte inferiore, dicendo: Bene veneris, socia mea, veni, fruêris bonis æternis, quibus ego fruor, siquidem me juvisti, ut promererer, quod possideo. Mansi illic modico tempore, & Dominus me texit quodam quasi velo nubis, atque ità tectam duxit ad conspectum Majestatis DEI Trini & Unius, quo sum diu fruita, usque dum me Dominus tradidit meis Dominis, qui me deduxerunt ad meum angulum.

Istis diebus, adverto quàm clarissimè & certissimè animam meam habere ingens gaudium, solatium & lætitiam, dum ibi in cœlesti patria fruitur illis fortunatis bonis, & simul hîc pati maximos dolores ac afflictiones, propter quas quodammodo mihi

mihi ipsi eripior, & queror; quæ omnia fiunt uno, eodémque tempore.

§. IV.

POst hoc in Vigilia sequentis Pentecostes (in Junio anni 1623.) mihi dixit Dominus: Soror, es afflicta, attolle oculos, & aspice hos cœlos materiales, ipsorúmque stellas. Licèt verò essem in meo cubiculo clausa, atque jacerem in lecto, vidi cœlum stellatum, sicut quando in hyeme valde coruscant stellæ, quod me affecit solatio, & recreavit, quia illud à multis annis non videram. Deinde dixit Dominus: Aspice adhuc. Et vidi Spiritus beatos, qui habitant & morantur in cœlis, multò pulchriores ac splendidiores ipsis cœlis. Tum Dominus subjecit: Quilibet horum Sanctorum magìs lucet, fulget ac splendet, quàm multi Soles. Oblectavit me vehementer hoc spectatum, sed longè magìs visio ipsius Domini, ex quo procedebant, veluti ex fonte, omnes illi splendores, & cujus clarâ visione ij Sancti erant felices ac beati. His omnibus satìs diu sum fruita.

Deinde ad me venerunt mei Domini Angeli, ac dixerunt: Anima, veni nobiscum, es enim afflicta, & nos tibi volumus præbere solatium, quod reperitur in hoc mundo: ducemus te ad quoddam mare, ubi exhilaraberis. Ego respondi: Non, Domini, quia submergar. Nequaquam submergeris, responderunt, præterquàm in mari Divini Domini. Non, mei Domini, reposui, non desidero ullum solatium, quod reperitur in hoc mundo. Denique illi me apprehenderunt, ac duxerunt, imponentes me cuidam currui, quẽ trahebant candidissima animalia ad vastissimum flumen, in quo natantes, inceperunt decantare Divinas laudes. Dicebam rursum: Non, mei Domini, relinquant ista, nolo enim ullum solatium, reducant me ad meum angulum. Durante istâ disceptatione, audivi in cœlo ingentem strepitum, sicut soleo, & vidi descendentes plurimos Angelos, totámque Beatissimam Trinitatem, peculiariter verò agnovi sacratissimam Personam Spiritûs sancti, qui ad me veniens univit me secum, duxitque ità unitam ad cœlestem patriam, & currus disparuit. Postquam illuc pervenissem, fui constituta in quodam loco eminenti, & cœpta est magna quædam solennitas, quæ celebrabatur in cœlo in honorem totius Sanctissimæ Trinitatis, ac præsertim Spiritûs sancti, eò quòd esset ipsi dicatus dies. Resonuit ingens strepitus campanarum, & multi Angeli dispergebant per pavimentũ illius cœli igneas linguas splendidissimas; alij parvas fulgidissimas cruces, alij jactabant stellas & soles ad eum modum, quo hìc ejiciuntur ignes artefacti in solennitatibus Sanctorum. Post hoc instituta fuit suavissima & divinissima musica Angelorum, concinentium hymnos in laudem totius Sanctissimæ Trinitatis, & speciatim Spiritûs sancti. Tota illa cœlestis aula videbatur ardere igne ac Divinis splendoribus charitatis & amoris. Omnia denique collucebant, & ex illo Divino Domino DEO, Trino & Uno, prodijt quidã Sol, qui erat figura Spiritûs sancti, emittebátque ex se multos radios, quos ad me dirigebat, feriendo me ipsis, & per illos, quasi intimè sum ingressa in illum Divinum Solem, ibíque fui veluti oppressa à Majestate DEI, & submersa in ea magnificentia, ut non sciverim de me, fruerer tamen illo summo Bono, pro meo captu. Hæc res satìs diu duravit. Deinde dixit Dominus Angelis: Accipite Angeli mei, istam creaturam, & reducite illam ad ipsius angulũ. Verùm pars superior meæ animæ mansit ibi, & huc deducta fuit pars animæ necessaria ad vivendum & operandum, ac patiendum.

§. V.

POstea in Festo Sanctissimæ Trinitatis (in Junio anni 1623.) mei sancti Angeli, jussu Domini, me duxerunt ad cœlestem Jerosolymam, ad conspectum Majestatis DEI Trini & Unius, ibíque me Dominus secum univit, sicut aliàs solet. Indè, postquam me dimisisset Dominus, fui ducta magìs intrò ad cœlestem Aulam, fuitque

itque mihi ostensum quoddam amphitheatrum, habens altissimos gradus, desinentes in quandam coronam, & hos gradus circumdabat universa multitudo Angelorum ac beatorum Spirituum, qui aspectu & contemplatione eorundem graduum & amphitheatri, quod erat ipsemet DEUS, reddebantur felices ac beati. Omnes fruebantur illo summo Bono secundùm sua merita. Aliqui intuebantur primum gradum; alij duos gradus; alij quatuor, juxta suam capacitatem: atque ibi etiam erat pars superior meæ animæ, quæ suo quoq; modo fruebatur eâ beatitudine. Dixitque Dominus: Anima, attolle oculos, & aspice. Hoc tempore, existimo nos fuisse simul meam animam, & meam naturam, seu partem superiorem & inferiorem meæ animæ, vidique talia DEI magnalia, ut fuerim mirata, & consternata. Iterum Dominus dixit: Expecta Anima, contemplare plura. Et vidi imminentem illi coronæ Solem splendidissimum, qui communicabat suum lumen & splendorem, ac virtutem omnibus illis gradibus & coronæ, quæ nihil erat aliud quàm DEUS, sed per hunc Solem magis manifestabatur magnitudo ipsius DEI. Obstupui vehementiùs, quia vidi majores perfectiones, & res sublimiores DEI: verùm semper mihi dicebatur: Amplius est, quàm hoc, DEUS; amplius est. Rursum mihi Dominus dixit: Plura vide Anima; & conspexi supra Divinum Solem, quendam ignem fortem, comburentem, infinitum, qui accendebat totam illam aulam, atque hîc agnovi majora DEI magnalia. Adhuc aspice, Anima, ajebat Dominus, & vidi quandam abyssum perfectionum, ipsumq; Divinum Esse manifestiùs; ac tunc fui penitus absorpta, & mihimet erepta, non valens sufferre tantam DEI immensitatem, solùm scivi dicere: Amplius est, quàm hoc; amplius est, quàm hoc. Ibi me detinui longo tempore, & fui reducta ad priorem locum, ubi erant gradus, per quos descendi, eo ordine, quo ascenderam. Pars superior meæ animæ quasi gratias egit parti inferiori, eò quòd sibi præbuisset auxilium ad promerenda ea bona, & ipsâ ibi remanente, fui ducta à meis Dominis ad meum angulum.

§. VI.

IN sequenti Augusto (anno 1623.) dum quodam die agerem cum DEO, obtulit se meæ imaginationi quidâ calix: cùm autem ego patiar tantos dolores & cruciatus in hoc lecto, atque calix significet aliquid passionis, repræsentaverit quidpiam tale, quod ego non curabam. Paucis abhinc horis, dum similiter agerem cum DEO, conspexi in meo cubiculo eundem calicem, cujus pedem tenebant duo Angeli cum magna reverentia, & alij multi Angeli ipsum circumdabant. Dixi intrà me: Bona est mea imaginatio, quia appeto calices. Et abstraxi me, quantùm potui, ab hac visione, usquedum Dominus me adegit ad attendendum. Atque reverà natura timuit, quia mihi videbatur imminere aliqua afflictio, & crux: verùm Sanctus Angelus meus Custos me animavit, dixitque: Noli timere, Soror, quia iste calix non erit, quod cogitas; sed adferet tibi solatium. Subitò mei Domini me elevaverunt in spiritu, & induerunt illis pretiosis vestibus, ùt solent, duxerúntque me ad conspectum Majestatis DEI Trini & Unius, ubi flexis genibus adoravi Divinam Majestatem; Angeli autem me jusserunt statim osculari pedem calicis, & labia cuppæ, DEUS autem benedixit calicem magna cum gravitate & authoritate, dicendo certa verba, quæ ego non intellexi: & postquam accepisset Divina Majestas Spongiâ, imposuisset que in calicem, & imbuisset liquore, qui erat in illo instar sanguinis, expressit ipsum suprà meum caput, ità ut tota fuerim perfusa illo sanctissimo liquore, qui erat sanguis JESU Christi Domini Nostri. Neque hîc sistens Dominus, accepit calicē, ac dixit: Perfundenda es quàm abundantissimè, & evacuavit illum totum, perfuditque non tantum caput, sed & corpus. Completo hoc mysterio Divina Majestas ascendit ad cœlum, remanente ibi JESU Christo Domino nostro, qui me induxit in cœlestem Jerosolymam, ad conspectum Beatissimæ Trinitatis. Mirabantur

tur vehementer illi beati ſpiritus, ut, quando me viderunt, dicerent: Quæ eſt iſta, cui Dominus exhibet tantam gratiam? Dum veniſſem ad conſpectũ Divinæ Majeſtatis, procidi ad ſanctiſſimos ipſius pedes, & indormivi ſomno ſpirituali ac Divino, ubi cognovi majora ac majora DEI magnalia, & ſecreta Divina, quæ nequit ulla lingua explicare. Interea venerunt mei Domini Angeli, & petierunt à DEO facultatem reducendi me ad meum angulum, quia illis videbatur mea debilitas non ſufficere pro tam diuturna & altiſſima contemplatione. Dominus autem ipſis reſpondit: Relinquite illam, necdum enim eſt tempus. Reliquerunt me aliquamdiu, & petiverunt ſecundò licentiam, fuitque ijs idem dictum. Petierunt illam & tertiò, Dominus verò ipſis dixit, ut abirent ad meum angulum, ſuam enim voluntatem Divinam eſſe, ut ibi remanerem, ubi eram.

CAPVT XV.

Quomodo illi DEUS oſtenderit ſcalam valde arduam, quâ aſcendebatur ad cœleſtem Gloriam, mandáverítque, ut eam conſcenderet, manifeſtando illi bona cœleſtia, & miſerias Mundi.

NOn ſufficit nôſſe immenſa Gloriæ cœleſtis bona, nisi ſciantur etiam viæ, quibus ad illam pervenitur, quæ ordinariè ſunt perſecutiones, tentationes, omnisque generis afflictiones, tolerata propter virtutem, & honorem DEI. Has vias DEUS generatim declaravit Venerabili Marinæ duabus ſimilitudinibus, comparando illas modò pertingenti à terra ad cœlum, valde arduæ aſcenſúque difficili ſcalæ, etiam abſq; onere: aliàs verò aſcenſui, cum pondere, gravibúsque tolerata crucibus, quamvis per ſcalam commodam, & locum amœnum; modò utrique ſimul, ut apparebit in ſequentibus revelationibus. In hac ipſi etiam manifeſtavit miſerias mundi, ut magis eluceſcerent bona cœleſtia.

§. I.

QVâdam Vigiliâ Epiphaniæ (in Januario anni 1619.) mihi dixit Dominus: Marina, veni mecum, quò te ego ducam; ac tum in momento, antequam ullum verbum reſpondiſſem, me reperi juxta primum gradum cujusdam admirabilis ſcalæ, pertingentis à terra ad cœlum: cujus initium erat latius, finis verò anguſtiſſimus. Habebat gradus materiæ & coloris cœleſtis, erátque illius aſcenſus vehementer arduus ac difficilis. Subitò mihi Dominus, qui à me quàm longiſſimè diſtabat, dixit cum imperio: Marina, conſcende hanc ſcalam, & eſto bono animo. Fui modicum turbata, eò quòd mihi exiſtimarem deeſſe vires naturæ pro eo aſcenſu, quem valde metuebam, ideóque reſpondi: Mi Domine, non poſſum aſcendere abſque tuo ſingulari auxilio, ſum enim debilis ac miſerabilis, & magnopere timeo. Conſcende, Anima (dixit Dominus) eſto bono animo, & noli timere. Hoc audito, incepi conſcendere gradus illius ſcalæ, ſed tam lentè, & cum tanta difficultate ac moleſtia, ut mihi videretur impoſſibile, ſurſum pervenire. Dominus autem aliquantùm indè remotus, ſæpiùs dicebat cum imperio & majeſtate: Age tandem Anima, quod agis, conſcende, & confortare, nè timeas. Quocirca conſcendebam cum magno labore, ac timoribus, quantóque magis progrediebar, tantò magis timebã. Perveni denique ad finem ſcalarum, ubi ſtatim Dominus dixit, ſicut anteà: Anima, pulſa hanc portam. Licèt autem ego illam non viderem, ſed ſolum cœlum, putarem-

tarémque me esse proximam stellis, quamvis & has non viderem; incepi portam pulsare cum summo timore, advertens me esse in illa altitudine, & iterabam ictus, dicendo cum magno dolore: Heus, Domini, qui incolunt hanc DEI Civitatem, aperiant mihi amore DEI, aperiant isti pauperi creaturæ, quæ hîc adest, & huc venit jussu Domini. Et pulsabam, repetebámq; ista sæpe; verùm nemo mihi respondebat. Cùm ità timerem, & essem afflicta, venit quidam Angelus DEI ex incolis illius Divinæ Civitatis, & apertâ quadam grandi portâ, quæ erat ex auro & pretiosis lapidibus, prospexit, valdéque imperiosè & graviter, ostendens se quodammodo ægre ferre meum pulsum ac indignari, tenénsque in sua manu gladium quasi aureum ac igneum, dixit: Quæ est ista, quæ hîc comparet? & quænam est hæc, quæ præsumpsit venire ad hanc portam cœlestis Civitatis, atque illam pulsare? Cui ego humiliter, & cum magno timore respondi: Angele DEI, ego sum pauper ac miserabilis creatura DEI, & vocor Marina, ancilla JESU Christi, mei Domini, aperi mihi, per Dominum, qui te creavit. Tum Angelus occludendo portam cum impetu dixit: Vade, & abi hinc statim. An ignoras, quòd hæc cœlestia habitacula non possit ingredi ulla creatura, existens in carne mortali. Et hoc dicto discessit, relinquens me in afflictione ac dolore, quem DEUS novit. Adivit autem subitò Majestatem nostri Magni DEI ac Domini, quod ego in eo loco videbam, in quo eram, & coram illo prostratus dixit: Domine DEUS noster Majestatis, ad hujus cœlestis Aulæ portam venit quædam creatura, quæ valdè queruloſè & instanter pulsat, ac petit ingressum ad hanc Civitatem: prohibui id illi rigidè & severè; perseverantia tamen ipsius est magna & humilis: videat Tua Majestas, quid fieri jubeat cum ista creatura. Audivit Dominus Angelum quàm gravissimè, sed unà benignissimè, dixitq;: Revertere eò Angele, atque si diu perseveraverit, aperi. Venit Angelus, cúmque iterum interrogaret, quid vellem, & quæ essem, quémve quærerem; ego cum magna submissione, & petens misericordiam, respondi ipsius interrogationibus, sicut priùs, dicendo illi præterea alias, plurésque allegando causas. Post hæc aperuit, & permisit me introire liberè; verùm ego, dum oculis perlustrarem illam cœlestem civitatem, vellémque progredi, sensi maximam difficultatem, similem illi, quam habui in ascensu scalæ: quia ad quemvis passum mergebar, videbárque mihi submergenda, quasi inambularem profundissimæ aquæ, materiæ, & coloris cœlestis. Cum hac molestia sum progressa ad non paucos passus, ignara quò pergerem. Ità procedendo elevavi oculos, & conspexi Majestatem JESU Christi Domini Nostri, qui erat indutus veste regiâ, ac pretiosam habebat coronam in capite. Vehementer sum animata hoc aspectu, atq; ambulabam quàm celerrimè, etiamsi putarem me submergi, & aqua mihi videretur usque ad os pertingere. Hoc modo perveni ad Dominum, & Divina Majestas protendit quàm affabilissimè ac benignissimè ad me brachia, extraxítque me ex eo pelago, dicendo: Veni huc, mea anima, quiesce in me, quia venis fatigata, & vehementer lassa, ibísque mecum, quò egote duxero.

§. II.

TUm Divina Majestas, postquam mihi ostendisset multos choros Angelorum & Sanctorum, ac animarum beatarum, me eduxit ad quoddam Castellum, dicens mihi: Specta hinc, quid fiat in hoc mundo; ostendítque mihi quosdam vastissimos campos, instar agrorum, qui fuerant consiti tritico; peracta verò jam erat messis, tantúmque in ijs reperiebantur pauculæ spicæ. Dum ego illos viderem tantopere devastatos, & carentes fructu, atque intelligerem, quòd significarent multas animas, quæ damnarentur, & paucas, quæ salvarentur, converti me ad Dominum, & dixi illi cum magna commiseratione ac dolore: Mi Rex, & mi DEUS, quomodo, cùm sis tantus agricola, adeòq; potens, habes tam exiguam messem in

tuo agro, qui nullius est frugis, totúsque desolatus? Tum mihi Dominus respondit, ac dixit: Noveris defectum hujus messis, quem vides, quódque tam parùm fructûs protulerit meum semen, non esse imputandum agricolæ; est enim ditissimus ac potentissimus, & coluit optimè, atque cum magna solicitudine suum agrum. Defectus provenit à terra, & ab ipsius malâ dispositione. Duo pete à DEO: Unum, ut mittat operarios in suum agrum; alterum autem, ut mittat pluviam ex cœlo, quâ bene disponatur. Dum hoc audirem dici à Domino, valde sum mirata, & dixi: Quomodo Operarios, Domine? Nunquid enim fortè desunt in tua Ecclesia? Non, certè, Domine, quia habes infinitos. Non habeo, Anima (reposuit Dominus) habeo paucos, quia isti multi, de quibus loqueris, non sunt omnes mei operarij, non enim procurant, neque prætendunt fructum mei agri, sed sua commoda, & vana emolumenta, id quod nihil prodest, & omnibus nocet. Pete à DEO Omnipotente illa duo, quæ tibi dixi, quia utriusque est ingens penuria.

Deinde me Dominus traduxit ad alteram Castelli partem, dixítque ejus Majestas: Anima, circumspice, & lustra hunc mundum, perlustra hæc flumina ac littora, campos & silvas, quas ego creavi, ut fruendo illis meæ creaturæ, & mei amici, me laudarent ac benedicerent, tanquâ suum Creatorem, & confortarentur ac recrearentur in me, & ad gloriam meam. Aspice, quomodo hæc sint profanata vanitatibus, & novis ac supervacaneis inventionibus, ad recreandũ gustum mundanorũ, qui venantur delicias. Aspice, quomodo se universa habeant. Dum mea anima videret omnia, quæ Dominus dicebat, & omnia cognosceret, stupebat, erátque vehementer afflicta, ac dicebat: Quid igitur est hoc, mi DEUS, & Domine mi? Quomodo hæc habes ità exorbitantia, & malè constituta? quare ista condidisti? Quid tibi videtur, Anima? ajebat Dominus, quid tibi videtur? præseferens dolorem, addidítque Divina Majestas: Pete à DEO Omnipotente, ut mittat ignem de Cœlo, quo comburat & consumat omnem istam vanitatem, restituátque universa in illum statum, propter quem fuerunt condita, id quod est magni momenti, & perquàm necessarium.

Deinde me perduxit ad aliam partem illius Castelli, & dixit: Perlustra, Anima, ista maria, & videbis quid fiat; contemplare vanitatem & aviditatem insatiabilé istorum navigantium, & populi excordis, qui transigunt vitam, quam habent tanto expositam periculo, in lusibus, maledictionibus, juramentis, ac abominationibus, & videbis, quomodo major illorum omniũ pars huic viæ insistat, síntque pauci, qui puro & sincero corde mihi serviant, & amplectantur istas molestias ac tempestates maris propter me, & ad majorem gloriam meam. Considera id bene, & compatere ex corde istis perditionibus, & cæcitatibus animarum, ac pete à Domino, ut emittat ex suis cœlis ventum fortem, suavem & potentem, ad destruenda & confundenda omnia mala ac perversa, & purificanda, atque conservanda, ac augenda bona, & proficua: pete id, Anima, seriò & ardenter à DEO Omnipotente. Dum mea anima consideraret ista, quæ ipsi DEUS ostendebat, & illius querelas ac Divinos sermones, vehementer fuit attonita ac afflicta, & quasi defatigata, sentiénsque magnum defectum virium, ruit ad brachia sui DEI.

Indè verò illam duxit Divina Majestas ad aliam partem illius Castelli, ubi pro ea confortanda in deliquio, illi ostendit quosdam montes altissimos, pulcherrimos, & amœnissimos, qui producebant præstantissimas gemmas. Erant quasi consiti parvis arbustis aureis & lapidibus, aliísque metallis pretiosissimis. Hi montes vehementer resplendebant, & in illis habitabant quidam illustrissimi incolæ, qui apparebant sapientissimi ac nobilissimi, & valde sancti. Dum mea anima videret istos splendores, & hos homines tam sanctos, quos comitabantur, quibúsque ministrabant sancti Angeli, fuit recreata, & vehementer confortata, dixítque ad Dominũ: Mi DEUS, quinam sunt isti boni homi-

nes tam illustres, & graves, tametsi pauci? Anima (respondit Dominus) hi sunt illi sancti Anachoretæ, qui deserto mundo, & ipsius honoribus ac vanitatibus, se contulerunt ad deserta, ad agendam vitam solitariam, ut liberè fruerentur meâ communicatione, ac Divino Amore, corpora sua mortificando, rigidâ vitæ asperitate. Nónne tibi attulit solatium, téque confortavit tam jucunda visio? Ibi fui modicùm exhilarata, & animata.

§. III.

INdè me duxit Dominus secum ad primum illum locum, ubi Divina Majestas me susceperat in sua brachia, quando eram ingressa illam cœlestem Aulam, & postquam eò venissem, incepit resonare admirabiliter musica Angelica, vocum ac instrumentorum, cum tanta suavitate, harmonia & pompa, ut anima sibi videretur esse in paradyso deliciarum cœlestium, ac tota illa cœlestis aula ardebat Divino amore, inter hymnos & laudes Divinæ Majestatis. Hac ratione & summo ordine procedere incepit, ritu supplicantium, omnis illa hierarchia Angelica, per circuitum illius Civitatis DEI, ac deinde prodijt Dominus Majestatis ex eo loco glorioso, in quo fuerat, qui meam animam (in specie, de qua mox dicam) juxta se quasi manu ducens, cœpit cum ingenti Majestate progredi, in illa Divina & admiranda processione, honorando & glorificando suâ Divinâ Personâ totam illam cœlestem Jerosolymam. Ibat indutus vestitu regio, gestans pretiosissimam coronam in suo Divino capite: comitabantur illum, & inserviebant ipsi universi Incolæ illius cœlestis patriæ. Omnes aspiciebant, & conjiciebant subinde suos oculos cum inusitato stupore in illam animam, quam in specie parvulæ puellæ, splendidissimè vestitam, ac pulchrè adornatam & comptam Dominus ducebat manu, dicebántque: Quæ est ista adeò felix anima? quæ est ista, cui noster magnus Rex ac Dominus exhibet tantum favorem & gratiam, quòd illam deduxerit ad hæc beata habitacula, ducátq; hoc modo tam honorificè, & amanter, tantisque cum blanditijs, juxta se, & suâ manu? Quænam est hæc Anima tam fortunata, quæ tantum bonum est promerita? Ista dicebant intuentes se mutuò cum magna admiratione Divinæ Bonitatis. Mea paupercula anima partum summo affluebat solatio, plurimúmque recreabatur & confortabatur, quòd se videret ità conjunctam ac unitam suo DEO; partim verò quasi confundebatur, & pudefiebat coram illis cœlestis Aulæ Incolis, considerando ipsorum dicta, & existimando se esse vile ac miserabile mendicabulum, & pauperculam pannosam, quæ se ingessisset inter homines tam illustres, & insuper appropinquavisset ipsi magno Regi. Circumivit illa Divina Processio, ut dixi, totam illam civitatem DEI, donec Dominus perveniret ad locum, in quo primùm fuerat. Atque tum cessavit illa cœlestis musica, finitáque fuit illa mirabilis pompa, & Dominus me duxit secum usque ad portam illius civitatis, quâ fueram ingressa cum tanta difficultate & molestia, ut dictum est, quæ significabat eam, cum qua oportet animam intrare ad inhabitandam cœlestem Patriam, & adire possessionem æternam sui DEI, quantúmque ipsi laborandum sit, ut perveniat ad fastigium perfecti Amoris DEI. In eo loco Dominus meam animam secum univit, quæ sibi restituta post illum raptum, se invenit in suo angello, ubi ipsi summè fuit necessarium se committere manibus sui DEI, & ipsius sanctissimæ voluntati, quòd se videret rursum in exilio. Benedictus sit DEUS in æternum propter omnia opera sua, & misericordias. Amen. Natura mea remansit adeò debilis ac destituta viribus, quia raptus fuit valde diuturnus, ut opus habuerit confortari à sancto Angelo meo Custode, fructu, & aquâ mysticâ, quam Beatissima Virgo illi miserat, pro ejusmodi occasione; prout jam scriptum est.

§. IV.

ELapsis postea aliquot horis, dum agerem cum Domino, dixit mihi, vocans

cans me de nomine: Marina, veni mecũ, quò te ego ducam, & noli timere defatigatigationem naturæ, ac defectum Spiritûs, quia nihil inde capiet detrimenti. Deinde me Divina Majestas non invitam sustulit ad sua brachia, posuitque in momento super fluctus cujusdam vastissimi maris, qui videbantur esse altissimi montes. Ibi mea anima diutissimè mansit absque ullo metu ac timore; quia sibi videbatur esse collocata in brachijs sui DEI, ab eóque protegi. Atque inde illam duxit Dominus ad forum cujusdam maximæ civitatis, quæ videbatur totum mundum complecti, & in ejus medio ipsam elevavit in altũ. Rursum ibi mea anima diu mansit eodem modo, ac absque ullo timore, & cum summa admiratione talium operum DEI, ignorans, qualia essent illa mysteria. Inde verò eam Divina Majestas tulit, posuitque in quodam æqualissimo campo, & in medio maximorum agrorum. Ibi mea anima se iterum aliquamdiu detinuit, & venit ad ipsam Dominus, atque cùm illam vellet elevare ex terra, in qua jacebat prostrata, videbatur illi aliquis resistere; Dominus autem perseverare in proposito, unáque is, qui id prohibebat. Hoc meam animam affecit magno & novo stupore. Tandem, quia comparatæ cum potentia DEI omnes vires sunt debiles, nec est qui illi resistat, elevavit inde Dominus meam animam, mansitque ipsius corpus ità designatum & expressum in terra, acsi hæc fuisset candidissima nix; & corpus grave ac durum. Elevatam autem ex terra, tulit Dominus in se ipso, & in suis Divinis brachijs ad cœlestem Jerosolymam, ad eam felicem terram viventium, ubi fuit cum magna lætitia & gaudio, à tota illa cœlesti Aula, ac Spiritibus beatis suscepta. Omnes lætabantur, & congratulabantur ipsi, atq; amplectebantur illam cum summa charitate & amore. Ibi cum ea lætitia, & in illa sancta societate mansit diutissimè, subitò autem illi Dominus indicavit, quòd ipsam esset inde educturus, ac delaturus ad ejus exilium: sed quia id illa quàm ægerrimè ferebat, invocabat suum DEUM cum maximo affectu, ac dicebat: Nè me auferas, mi Domine, nè me auferas, obsecro te per temetipsum, ex his beatis habitaculis, nè me auferas, Domine. Quare hoc vis facere? si id habebas in animo, mi DEUS, quare me huc deduxisti? non est mihi hinc abeundum, Domine. Et cùm hæc diceret advertit se fatigatam & abreptam, inciditque ipsi quædam cogitatio, disponente ità Domino, & dixit intrà se: Bone DEUS, quanta sunt ista, & quàm inusitata, quæ mihi contingunt! si modò mihi ipsi relicta, & per meam imaginationem hinc possum abire, quare hoc nunquam aliàs facere possum? atque ità instabat ac urgebat, ut reverteretur ad suum angellũ. Dum id tantopere postularet, reperit se in illo, & suum DEUM secum, ubi ipsam est alloquutus Dominus, dixitque ei modo quodam amabili, & amœno. Anima mea, quomodo te hîc invenio? quis te deduxit ad tuum locum? nónne ego fortè? modò mihi non negabis, quòd tui adventûs tu ipsa sis causa, quódque illum procuraveris, ac proinde noli de ullo alio conqueri, quàm de te. Et statim conticuit Dominus, atque mea anima remansit quasi sola, & constituta sicut priùs fuerat, circiter unâ horâ. Deinde verò vidit Divinum quendam Solem, emittentem ex se magnos splendores claritatis ac lucis, & apparebat instar vehementis ac suavis ignis, qui ardebat & coruscabat in se ipso. Hic Divinus Sol abripuit meam animam, univitque sibi fortissimâ unione, & paulò post illam Dominus paulatim à se dimisit, atq; tum sibi restituta consuetum habuit statum, tametsi plurimùm miraretur talia opera sui DEI.

§. V.

POst hoc, tenebatur desiderio sciendi, quid significarent ea, quæ mysterijs plena cum ipsa fuerunt acta, & in ea Dominus erat operatus, præsertim quando ipsam collocavit in terra, & hæc illam prohibebat elevari, nolebátque à se dimittere. Interea ipsi dixit Dominus: Ahima mea, nè desideres scire mysteria eorum, quæ tibi contigerunt, quia hæc scientia te non delectabit.

bit. Unum tibi dicam, quod attinet ad terram, in qua te posui, & à qua retinebaris. Causa ejus rei erat, quòd ipsa allegaret tuum corpus jure ad se pertinere, & se juxta legem ordinariam petere justitiâ, ac velle sibi tribui, quod eatenus esset sibi debitum. Mea anima vehementer obstupuit, quòd illi hoc à Domino diceretur. sed adhuc optabat reliqua rescire. Cùm Dominus agnosceret, quid animo volveret, dixit: Exponam tibi cætera, quæ desideras. Noveris igitur, quid tibi mecũ acciderit, quando te constitui in eo Castello, ubi tibi ostendi partes mundi, quæstúsq; sum, quòd mihi meæ creaturæ malè respondeant, & jussi te pro illis orare, id quod tu facis, obediendo mihi. Eapropter tu fuisti aliquâ ratione quasi Domina cõstituta eorum, quæ vidisti, & ego tibi ostendi, eum in modum, quo aliquis emeret suâ pecuniâ, vel pretio sibi gratis dato, agrum aut fundum. Præterea ego omnia creavi in usum hominis, & specialissimè pro meis servis, ac amicis, qui me amant, mihíque ex corde, & seriò ac libenter serviunt; propter quod ipsos facio quasi Dominos rerũ omnium, tanquam filios meos adoptivos: siquidem universa ipsis debentur, & insuper possessio æterna mei ipsius, quod Dominium etiam tibi contuli hodie, dando tibi quasi possidenda hæc omnia, quando te posui in quavis parte, & loco eorum, quæ tibi gratiosè dono. Hoc significant illa, quæ vidisti, & quæ tibi evenerunt. Dum mea anima audiret ista sibi à Domino dici, statim initio primorum verborum intellexit omnia secutura, & vehementer confusa ac pudefacta ijs, quæ ipsi Dominus dicebat, ac fusiùs volebat dicere, valde dolenter dixi: Domine mi, & mi DEUS, noli mihi dicere plura, per temetipsum ergo, quia te optimè intellexi, & sum vehementer confusa ac pudefacta, expendens tuam misericordiam & Bonitatem erga me, meam verò malitiam, & quàm tibi sim ingrata; noli mihi dicere plura, Domine. Anima mea (respondit Dominus misericordiarum) nonne ego tibi dixi in principio tui desiderij, quòd tibi non esset futurum volupe, scire significationem horum mysteriorum? Vale.

CAPUT XVI.

Quomodo à DEO jussa fuerit ascendere in spiritu ad cœlestem Aulam, per terribilissimam scalam, fuerítque ipsi revelatum, quàm pauci ità ascendant, ut perseverent usque ad finem, & qualiter aliàs conscenderit similes scalas, onusta gravi Cruce.

§. I.

Aliam visionẽ habuit Marina, quæ strictim magis declarat, descriptam in præcedenti capite. Quâdam feriâ tertiâ Hebdomadæ sanctæ, *inquit*, dum agerem cum DEO, & essem valde afflicta, vidi scalam à terra pertingentem usq; ad cœlum, infernè latam, ac supernè angustissimam, & supra illam Christum Dominum, qui mihi dicebat: Ascende huc. Ego tergiversabar, timens angustiam scalæ, mei verò Domini quatuor Angeli me animabant, ideóque constitui ascendere: quando autem perveniebam ad summam altitudinem, angebar, & vehementer sudabam, tandémque veni ad cœlum, ubi Angeli linteo absterserunt sudantem meum vultum. Posteà mihi dixit Dominus: Perlustra istam cœlestem Civitatem, & recreare ejus aspectu. Paulò pòst rursum: Perge illuc, ajebat, & videbis, quid fiat. Perrexi ad locum mihi à Domino designatum, & cùm aspicerem deor-

deorsum, vidi maximum campum, plenum innumeris hominibus, atque hos jurantes, & blasphemantes; illos ridentes; alios committentes furta; alios labentes in multa peccata; & in medio eorum cõmeantes multos dæmones, qui illos stimulabant ad peccandum. In quodam campi loco separato & remoto videbam Religiosos, ac viros pios, deditos contemplationi, nec non quasdam devotas fæminas, quæ erant plures: Verùm adverti omniũ numerum esse exiguum, respectu tam magni campi, ac tantæ multitudinis, quæ in eo erat. Dixitque mihi Dominus: Hoc fit in mundo, & in Christianitate. Tum intuita scalas, quas conscenderam, vidi in ijsdem aliquos ascendentes, & post superatos paucos gradus corruentes, aut recedentes, quia erant vel valde onerati, vel pingues aut corpulenti; atque etiam Religiosi ascendebant, quorum nonnulli cadebant, vel revertebantur. Intellexi autem hæc omnia fieri propter prætensiones, quibus omnes isti erant obnoxij rerum mundanarum ac terrenarum. Afflixit me ea res summè, eò quòd viderem, quàm pauci seriò serviant DEO, & suppliciter ipsum rogabam, ut omnibus succurreret.

§. II.

POstquàm aliàs (in Septembri anni 1620.) noctem unam transegissem in horrendis cruciatibus, haberémq; meum cor quasi confractum, & saucium commiseratione, ac vivaci apprehensione, quam illi DEUS ipsius dederat, molestiarum, angustiarum, & infirmitatum ac dolorum, quibus premebantur mei proximi, vocavit me Dominus, dixitque: Anima, veni ad me, & conscende hos gradus, quos jam vides; licèt autem appareant ascensu difficiles, mei Angeli te juvabunt. Subitò me reperi apud infimum gradum scalæ altissimæ & præcipitis, quæ videbatur esse valde ardua, ideóque difficulter posse conscendi. Elevavi oculos, & aspexi, ac timui ipsius ascensum. Tunc venerunt ad me Angeli, & confortaverunt me dicentes: Noli timere, Anima, istum ascensum, quia Dominus DEUS te juvabit, & nos nomine ipsius. Hoc dicto, accrevit meæ animæ animus, & vires. Cùm verò inciperem scandere scalam, utcunq; animata, quemadmodum dixi, vehementer timebam. Angeli me animabant & confortabant dicendo: Noli timere, quia non periclitaberis, Divinâ opitulante gratiâ. Hac ratione perveni ad finem istius scalæ, quæ pertingebat ad ipsum cœlum; ubi attollens oculos, vidi Majestatem JESU Christi Domini Nostri, & totam Beatissimam Trinitatem. Tunc mihi Dominus dixit benignè & amanter, assumens meam animam ad se ipsum: Intra, Anima, cum benedictione in requiem æternam tui DEI. & postquam illi exhibuisset spectandam æternitatem infinitorum ac maximorum bonorum, oblectavit se illis aliquamdiu; donec ipsam ex suis brachijs dimisisset ad manus Angelorum, qui eam deduxerunt ad illius locum.

Post aliquot horas mihi dixit Dominus: Anima, nunquid es bene contemplata hoc mysterium? repræsentabat tuum statum, ac viam, quâ te oportet ad me venire: Gradatim cum tua cruce ascendis in altum, dum amore mei pateris, quod tibi ego offero ad majus tuum bonum, atque ut in te glorificer, & impleantur ea, quæ ab æterno decrevi. Ascendis autem adjuta à me, & à meis sanctis Angelis, conservando semper timorem, qui est in vita mortali necessarius; & hoc modo ascendendo, perveniès istâ viâ ad tuum DEUM, adibisque æternam possessionem gaudiorum ipsius, ac beatitudinis.

§. III.

ALio die (9. Augusti, anno 1621.) Sancti Angeli, mei Domini, me duxerunt per quasdam scalas sursum ad cœlestem Jerosolymam: erant scalæ internè latissimæ, supernè verò arctissimæ, & pertingebant usque ad cœlum. Incepi illas conscendere cum cruce, quam gestabam in meis humeris, ejus magnitudinis & coloris, cujus sunt cruces, quas ferunt pœnitentes in supplicationibus. Initio vehementer recusabam

ſabam illas ſcandere, propter meos ſolitos timores, neque perveni ulteriùs, quàm circiter ad earum medietatem, cum maximo labore & moleſtia mea, atque ideo fui reducta ad meum locum. Paulò pòſt incepi ſecundò aſcendere, onuſta meâ cruce, cum eodem labore, & ſudando, ac tandem cum magna afflictione perveni uſque ad portam cœli, quam inveni clauſiſſimam, & incepi pulſare, petivíque mihi aperiri; neque tamen accipiebam ullum reſponſum. Incepi vocare ſanctos meos Patronos, rogans ipſos, ut mihi aperirent, ſpecialiter verò invocabam Sanctum Apoſtolum Petrum, & Sanctum Michaëlem, ac ſacratiſſimam Virginem, quàm devotiſſimè, uſque ad defatigationem. Omnes ſe fingebant ſurdos, & mei ſancti Angeli contrahebant humeros, urgebántque me, ut clamarem, & ſudabam valde præ moleſtia. Venit ad me Sanctus meus Angelus Cuſtos, abſtersítque peramanter meum ſudorem, quo madebat facies, dicens: Clama, Soror, nè ceſſes. Tunc temporis vidi, quòd Crux inciperet vehementer reſplendere, & recordata Sanctorum Patrũ, Sancti Dominici & Sancti Ignatij, cœpi illos invocare, dicendo: Patres ſancti, aperiant mihi portam, ac intercedant pro me. Et fuit in momento apertum Cœlum, quaſi pars illius diſrumperetur, atque Beati Patres me introduxerunt: Crucem autem, quam geſtabam humeris, abſtulit quidam Angelus, quæ reſplenduit millies magis, quàm aurum, & intulit illam mecum ad Cœlum. Ingreſſa, ſubitò vidi Majeſtatem Chriſti Domini Noſtri, cum omnibus Sanctis, quos invocaveram; proſtravi me ad ſanctiſſimos ipſius pedes, erigénsque me à genu flexione, cecidi ſuper brachia & manus Domini, qui ſtabat ac habebat manus pendulas. Manſi diu in ecſtaſi, in qua ſum contemplata Divina magnalia, quæ nemo poteſt, neque novit explicare. Elevavit me Dominus ex eo loco, in quo eram, ità abreptam, ac deſtitutam viribus, ut non potuerim pedibus conſiſtere: acclinavi me ad Chriſtum Dominum utroque brachio, qui hoc modo acclinatam, ſtupentibus omnibus illis Sanctis & Angelis, à ſua Humanitate, apud quam eram, me duxit ad conſpectum Beatiſſimæ Trinitatis, dixítque ſuo ſanctiſſimo Patri: Pater æterne, hìc adduco iſtam tuam creaturam, ut tua Divina Majeſtas illi benedicat. Et continuò mihi diſparuit Chriſtus Dominus. Pater æternus mihi benedixit, univítque me ſecum tam forti unione, ac tam extraordinariâ, ut fuerit una ex majoribus, quas unquam habui, & in illa vidi perfectiones DEI, pluréſq; Divinorum ipſius Attributorum perfectiones, quàm poſſint verbis explicari, aut percipi ab imaginatione humana. Aliquanto pòſt dixit Divina Majeſtas meis ſanctis Angelis: Reducite iſtam creaturam adejus locum. Ego non volebam abire, ſed potiùs ibi perpetuò manere; Dominus autem mihi dixit: Noli dubitare, te breui migraturam, pauci enim tibi deſunt gradus ad perfectionem requiſitam, ut apud me maneas. Poſtquam id dixiſſet Dominus, ipſe me ità unitam ſuæ Majeſtati deduxit, mecum deſcendendo ad meum locum, ubi me reliquit magnâ abreptam ecſtaſi. Quando ad me redij, reperi me ſolam.

§. IV.

QVodã die (in Septembri anni 1623) vidi, quòd duo ex meis Dominis Angelis ſuſtentarent ſuis manibus ſcalas ex auro ſplendidiſſimo, quaſi in aëre, ità ut non contingerent terram: Erant autem poſteriore ſui parte valde arduæ, & quaſi pronæ ad caſum. Iuſſerunt me illas ſcandere, quà erat aſcenſus difficilior. Aſcendi cum maximo labore & moleſtia, donec pervenirem ad earum ſummitatem, unde intravi cœlum ad conſpectum Beatiſſimæ Trinitatis. Manſi ibi diu, quaſi in ecſtaſi, fruendo felicibus & beatis bonis, quæ non poſſunt explicari, cum magna voluptate & quiete. Indè me reduxerunt ad meum angulum, & dixi intrà me: Quid eſt hoc, aſcendere per poſteriorem & arduam ſcalarum partem? meliùs fuiſſet aſcendere ex parte, in qua illã Angeli tenebant. Dominus autem mihi dixit: Noveris Soror, ad

ad cœlum esse ascendendum per molestias, & angustias, & non per scalas commoditatum, quemadmodum existimant mundani. Atque hoc te volui docere in mysterio, quod vidisti.

Alio die (in Februario anni 1623.) cùm essem vehementer afflicta à meis continuis doloribus & cruciatibus, reperi me onustâ cruce gravissimâ, ut difficillimè ambularem, comitantibus me Dominis meis Angelis, qui me illam juvabant portare. Ascendebam quosdam gradus percommodos, & latos, donec pervenirem ad cœlum. Ubi quasi ad illius portas pervenissem, Dominus prodijt ad me excipiendam, dixitq; mihi: Soror, depone Crucem, quia nemo cum illa huc potest ingredi: in exilio oportet esse cruces, per quas itur, usque dum perveniatur ad cœlum. Statim fuit ablata Crux ex meis humeris, & Dominus me induxit in illam cœlestem patriam, ubi Divina Majestas se arctè univit meæ animæ, mansique ibi satis diu, fruens illo summo Bono, & conquiescens in ipso. Postea dixi ad meum sanctum Angelum Custodé: Verè, Domine Angele, crux erat admodum gravis, ut, nisi me juvissent illam portare, non potuisset à me sustineri: quando accessisti ad me, & applicuisti tuos humeros, sensi ingens levamen. Sanctus Angelus autem mihi respondit: Ità fuit, Soror, nos Angeli DEI sumus præditi magnâ potentiâ, & ex officio nobis incumbit juvare Servos DEI in ipsorum afflictionibus atque crucibus, quas patiuntur.

§. V.

DEnique nè natum nimiùm timeret ascendere scalas tam arduas, cum cruce tam gravi, ingruente mortis tempore, quod est periculosissimum, repræsentavit illi Dominus in duabus admirandis visionibus auxilia, quæ tunc esset habitum. Quadam nocte, *ait*, derepentè me inveni extra meum lectum in terra stantem, oneratam cruce gravissimâ, ità ut me non possem movere ex loco, in quo stabam. Aspiciebam meos sanctos Angelos, qui aderant, modò hunc, modò illum, qui se ostendebant vices meas dolere, & animabant me ad ferendam meam crucem. Sanctus meus Angelus Custos illam modicùm sustentavit, & sic potui incipere cum ipsa progredi, comitantibus me sanctis Angelis, qui dicebant: lentè, lentè; quasi dicerent, ut incederem paulatim & pedetentim. Postquam diu hoc modo ambulavissem, descendendum mihi erat procul deorsum ad profundam vallem, qui descensus fuit molestior. Perveni ad quendam fluvium, quem faciliùs transivi, atque trans ipsum erat via instar paradisi. Dixerúntque Angeli esse mihi eundum per illam viam. Ego verò illis respondi: Non, mei Domini, nolo enim in hac vita paradisum: & hoc bis, térve constanter asserui. Illi iterum dixerunt: opus esse illàc transire, & me tunc non experturam ejus viæ jucunditatem. Ità consensi, ac transivi per illam viam, gestans meam Crucem humeris, quasi ipsam non transirem. Postquam autem aliquamdiu ambulavissem, ex improviso me inveni apud portas cœlestis Jerosolymæ, ac vidi Christum nostrum Dominum, qui mihi venit obviam, & sustulit meam crucem, quam portabam, dedítque illam uni ex ijs Angelis. Deinde me amplexatus est, introduxítque in eam cœlestem Civitatem, & constituendo me in certo loco, dixit mihi: sede, & quiesce, ac aspice magna bona, quæ hìc reperiuntur, quibus fruitura es in æternum. Tum ego cum eo lumine, quod mihi Dominus contulit, incepi contemplari beatitudinem Sanctorum, & aliquantùm illâ frui, ac deinde me sensi quasi submersam in abysso Divini Esse, unitam Divinæ Majestati. Et postquam ità ibi aliquamdiu mansissem, quando mihi sum reddita, reperi me in meo lecto. Deinde mihi fuit declaratum mysterium totius hujus rei, dum mihi diceretur, quòd illa crux significaverit afflictiones, & angustias, quas patior, & maximâ illâ molestiâ, quam sensi in descensu ad eam vallé, fuisse repræsentatas summas angustias, quas, vicina morti essem perpessura, sed non diu duraturas, atque potituram me magnâ pace, & quiete, significatâ per illum paradisum.

§. VI.

AMpliùs id declarat ſequens viſio. Aliquando manè, *inquit*, mihi oſtendit Dominus quasdam ſcalas, quæ à terra pertingebant ad cœlum. Erant ex auro puriſſimo, ac tenebantur à quibusdam ſanctis Angelis in parte poſteriore. Dixitque Dominus: Aſcende ſurſum, Anima, per has ſcalas, non enim eſt, cur illas taliter aptatas, reformides. Auditâ voce Domini, aſcendi velociſſimè, quia virtus Divina ſublevabat meam animam adeò, ut videretur eſſe inſtar triremis, quam ſulcantem mare ſuavis ventus velociter impellit. Pervenit mea anima uſque ad ſummitatem illarum altarum ſcalarum, & ſtatim videbantur aperiri cœli, quaſi in momento diſrumperentur: atque Dominus ſubitò dixit ſublimi quodam & benigno modo: Intra anima in gaudium tui DEI. Lætata eſt tum mea anima in ea regia & beata Civitate DEI, in qua illi fuerunt oſtenſa admiranda bona, quibus aliquamdiu fuit fruita, ſicut aliàs. Revelavit mihi Dominus ſuo lumine, ſcalas aureas fuiſſe figuram & ſymbolum meæ mortis, in qua in momento ac facillimè, per ipſius bonitatem, & miſericordiam, eſſet transferenda mea anima ad illam felicem patriam manibus ſanctorum Angelorum. DEUS novit confuſionem, quam mea anima ſentit, quòd hoc ſcribam, & ipſa id intelligat à ſuo DEO, quámque timeam, ſi propter meas tepiditates, ac peccata, deberem perdere theſauros harum miſericordiarum. Confidam in Domino DEO meo, qui eſt infinitè bonus, & dives in miſericordijs.

Hoc tempore, quo mihi DEUS toties revelabat ſuam Gloriam, dixi meis Dominis ſanctis Angelis, me relinqui incertam à DEO, quoad meum tranſitum. Ipſi contraxerunt humeros, & Dominus mihi reſpondit: Non eſt incertus is, cui proficiſcenti ad ſuam patriam & civitatem oſtenduntur illius turres, & portæ, ac ædificia, & palatia. Signum eſt ipſum eſſe vicinum. Hoc Dominus dixit, ut me conſervaret, ſicut me conſervat, unà cum cruce, quam patior in illa unione animæ cum ipſius Divinitate, & quaſi inter cœleſtis Aulæ Incolas.

CAPVT XVII.

Quomodo illi Chriſtus Dominus oſtenderit in ſuo Divino pectore Crucem, quam tulerat jam inde à ſua Conceptione, eandémque ipſi deſponſaverit, ducendo illam cum ea ad Cœlum, & cumulando magnis gratijs.

MIris modis uſus eſt DEUS, ut famula ipſius tot afflicta doloribus, & aly, qui ys gravantur, libenter ferunt crucem, per quam intrtur in gloriam, quemadmodum eam tulit ipſemet Dominus, qui patiendo in eam intrvit.

§. I.

QVodam die (in Aprili anno 1622.) mihi dixit Dominus: Veni mecum anima, & videbis, quid tibi velim oſtendere. Ego reſpondi: Domine mi, ſunt tantæ gratiæ, quas mihi præſtitiſti, & tam mirabilia, quæ mihi oſtendiſti, ut neſciâ, quid ampliùs mihi videndum ſuperſit. Dominus autem mihi reſpondit: Et nonne ego ſum Bonum infinitum? quantumcunque videris, ſuperſunt tibi multò plura videnda, & mihi multò plura oſtendenda. Duxitque me Divina Majeſtas ad cœleſtem Jeroſolymam, ubi vidi Chriſtum Dominum, qui in ſuo ſacro pectore habuit grandem Crucem, & dixit mihi ejus Majeſtas: Iſtam

Istam Crucem habui meæ animæ infixam, ab instanti meæ Conceptionis, quæ erat terribilis, ac molestissima. Et verò talis mihi visa est. Dedit mihi quoque Dominus specialissimum lumen, quo agnovi gloriâ, quam anima Christi Domini habuit, & quâ est fruita jam indè à tempore suæ Conceptionis, unáque id, quod sustinuit in Cruce. *Hoc sufficerit ad illam amandam & amplectendam; magis autem idem declaratur in sequentibus revelationibus.*

§. II.

DUm aliquando manè (in Januario anni 1622.) agerem cum DEO, more consueto, vidi in meo cubiculo quendâ sanctum Angelum DEI, formosissimum, & splendidissimum, qui amplectebatur Crucem ex purissimo auro, tam gratiosam ac splendidam, ut videretur obscurare pulchritudinem ipsius Angeli: adæquabat magnitudine ulnam, & erat aliquantùm lata. Sanctus Angelus mihi dixit, accedens ad me: Famula DEI, & Sponsa JESU Christi, qui est unicum nostrum Bonum, accipe istam Crucem, ac donum, quod tibi Dominus mittit ex Cœlo. Dum intuerer Crucem, apparuit mihi tam horribilis ac aspera, ut re verâ natura timuerit, & quodammodo defecerit, mihíq; incusserit ingentem metum Crucis, & fuerim turbata, quamvis pars superior animæ fuerit valde resignata, ut mihi videbatur, in voluntatem DEI, ideóque non sum ausa illam suscipere. Quando sanctus Angelus cognovit meos timores naturæ debilis ac fatigatæ, gratiosè & graviter mihi dixit: Famula DEI, nè timeas suscipere Crucem, & munus, quod tibi Dominus mittit; quia tibi promitto, non fore eam tibi gravem, sed allaturum robur & solatium, quemadmodum Sponsa est levamen, delicium, & solatium, atq; gaudium sui dilecti Sponsi. Cùm audirem hæc verba sancti Angeli, fuit animata atque confortata natura, & accepi sanctam Crucem, eámque sum amplexata cum maximo solatio & gaudio, assumpsíque illam in sponsam & amicam meam, resignando me penitùs, & ex toto meo corde in voluntatem & manus DEI, ut ipsius Majestas exequeretur in me, quoad omnia, suam sanctissimam voluntatē; ac eliciendo multos actus hujus resignationis, quàm optimè noveram. Postquam id fecissem, Dominus Angelus meus Custos celeriter abstulit Crucem ex meis manibus, & servavit illam in se ipso, sicut consuevit asservare alia cimelia, quæ mihi Dominus dedit ex merâ sua bonitate. Cum sancto Angelo, qui attulerat Crucem, venerat alius, qui ferebat Calicem in suis manibus, & accedens statim ad me, obtulit mihi illum eodem modo, quo prior Crucem, dicendo: Sponsa JESU Christi, accipe istum Calicem, quem tibi hic Dominus mittit. Non renuit natura illum acceptare, quem propterea subitò suscepi, & applicui meis labijs, osculando ipsum, cum magno solatio, & gaudio: & sanctus Angelus unà cum socio discesserunt à me.

Post hoc mihi dixit Dominus, animando & confortando me: Anima mea, nè timeas, quia hæc omnia facta sunt, ut tibi daretur occasio eliciendorum actuum, quos elicuisti, resignationis, non autem ob ullam aliam causam. Hoc dicto, fui multùm confortata in Domino, & egi illi magnas gratias pro magnis favoribus, quos mihi continuè præstat. Post biduum deinde, dum agerem cum DEO, & elicerem multos actus resignationis in ipsius sanctissimam voluntatem, conspexi Crucem aliquantùm fuscam, quæ habebat colorem ligni ordinarij, & statim ac illam vidi, toto affectu ipsam adoravi & honoravi, atque cum gaudio, & magna oblectatione sum dissuaviata, appressíque mihi fortiter, cum ingenti turbatione meæ animæ. Dum ità eam amplexarer, vidi, ac adverti in altera parte crucis Dominum illi affixum, & ex ipsomet Domino prodeuntem quandam virtutem, fortitudinem & gratiam, quæ permeans eandem Crucem, communicabatur meæ animæ, unáque ipse Dominus se mihi cum illa communicabat. Mea anima fuit adeò animata & confortata, ut senserim magnas & novas vires, ac animū ad patiendum. Vehementer obstupui hoc Divinum mysterium, & exclamavi dicens

cens ad meum Dominum, quasi meo ac omnium animarum nomine: Mi DEUS, & mi Domine, si tua Majestas est affixa eidem Cruci, quam nobis das, & quando amplectimur Crucem, amplectimur te, quis Crucem timeat? Tum incepi summis extollere laudibus Crucem, & proferre verba, orta ex intensis affectibus amoris, quo illam persequuta sum, cum peculiari lumine, quo mihi Dominus manifestavit hanc veritatem. His à me dictis, subjunxit Dominus quàm gravissimè: Ità, est verum, Anima, quod dicis. Mansi in ecstasi aliquamdiu, & quando ad me redij, gratias egi DEO. Paulò post, cùm diceretur Missa, suscepi Dominum in sacra Communione, & postquam communicavissem, sensi maximam & specialissimam unionē meæ animæ cum Domino, atque Domini mecum, arctiorem, quàm unquam mihi videar habuisse. Et dum essem ità unita, dixit mihi Divina Majestas: Anima mea, apprehendisti me, quia ego ità disposui, & volui, ac permisi me à te apprehendi: ego etiam tibi adhæsi indissolubili vinculo, tanquam Sponsæ. Esto certa, quòd te nunquam sim dimissurus, nec relicturus, neque etiam tu unquam me sis relictura, vel à me recessura.

§ III.

SEquenti mense, in festo Angeli Custodis (1. Martij anni 1622.) cùm vehementer gravarer & affligerer à multis & continuis doloribus, quos fueram passa continuis triginta diebus, & natura mea esset valde debilitata atque consumpta, ut quasi ipsa viderentur esse confracta & comminuta ossa persecutionibus diaboli, cui Dominus dederat licentiam exercendi in me sui furoris, quamvis cum solita limitatione; postquam me præmonuissent mei Domini sancti Angeli, quòd sequenti die essem affutura ipsorum festo in Cœlo: hoc die, inquam, manè, vidi meos Dominos elegantissimè & solennissimè ornatos, sanctum quoque Angelum superiorem, qui me videnter ante paucos dies amplectebatur auream crucem, à qua mihi fuerat incussus tantus terror, atque hic mihi dixit: Soror surge, ac pone te in ista Cruce, conscende hos gradus, quos in illa vides, & colloca te in isto ipsius brachio. Statim me arripuerunt mei Domini, & duxerunt sursum per gradus ad brachium Crucis, circumdederúntque caput meum coronâ; quæ etsi fuerit spinea, tamen mihi non nocuit (erat autem pulcherrima aspectu) & manui meæ inseruerunt tres clavos. Interea fui modicùm rapta in ecstasim, & quando redij ad me, vidi Majestatē Christi Domini, qui occupabat alterum Crucis brachium. Mirata sum vehementer, quòd illum viderem, & fui attonita, inclinavíque me ad brachium Domini, atque ità me tulerunt mei Domini ad cœlestem Jerosolymam, & Dominus etiam mecum ibat, quamvis suâ propriâ virtute. Postquàm sic fuissem ingressa in illam cœlestē patriam, fui per ipsam totam circumducta, comitantibus me plurimis Angelis, qui clamabant, & vocibus suavissimis laudabant DEUM, eò quòd mihi concessisset victoriam relatam de diabolo, cum quo illis triginta diebus strenuè pugnaveram. Atque cum his suavissimis clamoribus me duxerunt per totum Cœlum, prodeuntibus ad me videndam omnibus illis sanctis Civibus, & admirantibus, dum me viderent. Finitâ hac obambulatione, me duxerunt ad conspectum DEI Trini & Unius, ac deduxerunt ex Cruce per ipsius gradus, & prostraverunt coram Domino. Ego ab illo instantissimè petivi veniam multorum defectuum à me commissorū ijs triginta diebus in patiendo, unáque opem, & gratiam, quâ essem opus deinceps habitura. Dominus me est solatus, & valde animavit, dixítque mihi: Bene est, quia etsi commiseris quosdam defectus in eo, de quo loqueris, sunt tamen instar exiguarum palearum, injectarum in infinitum ignem, & quod ex illis oritur, est quasi ornamentū pretiosissimi alicujus vasis. Non patiar te abire vacuam ex mea domo, accipe hoc munus. Induerúntque me quidam quasi epomide, quali exornantur Doctores, & capiti imposuerunt Doctoralem lemniscum omnium colorum. Hanc autem

tem tibi confero gratiam (ajebat Dominus) quia in cathedra Crucis, quam es perpessa, te gessisti & exhibuisti Magistram in patientia, me adjuvante, ac sublevante. Tum Dominus, datâ mihi suâ sanctissimâ benedictione, à me discessit. Postquam autem redij ex mentis excessu, inveni me in meo angulo; & quando deinde communicavi, repletum fuit Oratorium, ac meum cubiculum Angelis DEI, qui flexis genibus, & cum magna reverentia, atque cum cereis albis accensis, aderant Sacro à Consecratione, usque dum fuissem refecta epulo Eucharistico.

Alio die, dum jam vellem communicare, quando Sacerdos est ingressus in meum cubiculum cum Augustissimo Sacramento, audivi quandam vocem intrà me ipsam clarè ac distinctè, & agnovi esse Divinam, quæ dixit: Bene veneris, Domine, & Fili mi, ingredere in hanc animam, & faciamus mansionem, habitemúsque in illa. Fui vehementer consternata, auditâ istâ voce, dum considerarem, quomodo Christus vocaretur Dominus, si ea vox esset DEI? Dominus autem me pacavit dicendo: An nescis, dixisse Prophetam regium? *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Acquievi, & admirata sum Bonitatem ac Majestatem Domini.

§. IV.

PEr biduum vel triduum (in Novembri anni 1622.) comparuit meæ animæ aliquoties Christus Dominus Crucifixus, ego autem propter meos ordinarios timores, quibus semper sum obnoxia, me ab eo averti. Tandé vidi rursum Divinam Majestatem ità Crucifixam, atque cum vehementibus affectibus & anhelitibus animæ, quasi currendo, me prostravi ad pedes Domini, & apprehendi ac amplexata sum illos arctè. Tunc mihi Dominus dixit: Hoc porrò, Anima, hoc est, quod ego his diebus propositum mihi habui, dum tibi me præberem spectandum. Nónne me vidisti? Cùm amplecterer pedes mei Domini, vidi post Crucem duas scalas; unas magnas multorum graduum, sed faciles ascensu, quæ fixæ in terrâ pertingebant ad summitatem Crucis; alias minores, quæ erant sub magnis, & habebant pauciores gradus, sed valde arduos, ac ascensu difficiles, videbantúrque esse ex ære, vel ferro, erántque rotundi, ac pauci. Dominus mihi dixit: Anima, ascende per unam harum scalarum. Contemplata sum illas diutissimè, & videbatur meæ imbecillitati conveniens, conscendere majores, eò quòd hoc essem factura faciliùs, tametsi essent longiores, forétque temeritas, velle scandere minores, utpote valde arduas. Constitui ea de re interrogare Dominum, dixíque: Mi Domine, quas ex istis scalis jubet tua Majestas me conscendere? Dominus autem mihi respondit: Conscende, quas volueris. Non, mi Domine, reposui, quas me jubet tua Majestas conscendere? Tum Dominus dixit: Minores. Incepi illas scandere, & in primo gradu sum experta maximam molestiam ac laborem. Posteà mihi est dictum, illum primum gradum fuisse afflictiones, dolores, ac molestias maximas, quas eo die eram perpessa. Brevi perveni sursum, sed cum summâ difficultate, & postquam eò pervenissem, inveni me affixam eidem Cruci mei Domini in altera ipsius parte. Elevabatur verò paulatim Crux cum Domino, & mecum in altum, usque dum perveniret ad portas Cœli. Postquam eò pervenissem, petivi cum vehementissimis affectibus mihi portam aperiri. Prodiverunt duo Angeli valde graves, ad respondendum: rogavi ipsos, ut mihi aperirent. Et illi mihi dixerunt: Quis adest? quis vult ingredi in istam cœlestem patriam cum Cruce? hîc nullus cum illa ingreditur. Nihil hoc loco aliud est, quàm Gloria, Beatitudo, & Quies. Donec veniatur ad portam Cœli, opus est Cruce, sinè ipsa enim non potest ascendi; nequaquam tamen cum ea intratur. Et quamvis rogarem, ut mihi aperirent, tamen non aperuerunt, sed me relictâ iverunt sancti illi Angeli ad conspectum DEI, ac dixerunt Divinæ Majestati: Domine DEUS noster, quædam anima crucifixa clamat ad portã cœli, & vult intrare: quid jubet Tua Majestas

jestas fieri? Dominus quàm amantissimè & benignissimè dixit: Pandite istos cœlos, & ingrediatur. In momento fuerunt aperti cœli, & ingressa sum per hiatum illarum aperturarum, ubi reperi Christum Dominum (qui jam, me non vidente, descenderat ex Cruce) instar Pastoris splendidè vestitum, & pereleganter, ac festivè, modo pastoritio. Refixit me Divina Majestas ipsamet ex cruce, imposuitque suis humeris, tanquam suam oviculam, in specie animæ, quemadmodum illas hic pingunt, atque taliter me induxit in Cœlum, ac præsentavit æterno Patri, dicendo: Pater æterne, hic tibi adfero istam meam oviculam, quæ semper me est sequuta, & comedit mecum ad meam mensam, bibitque ex meo poculo, quam tenerè amo; gerit mea stigmata in pedibus, in manibus, ac latere; aspice sanguinem, quem pro me fudit; obsecro te, ut ipsam agnoscas pro tua, & gratificeris illi. Pater æternus me est intuitus cum maxima charitate & amore, ac respondit: Fili mi, vehementer me certè delectat hæc ovicula, quam mihi offers, & suscipio illam atq; agnosco pro mea quàm libentissimè; est gratissima meis oculis. Deinde me Dominus erexit, quia procubueram in genua apud Divinos ipsius pedes, posuitque me quàm affabilissimè ac amantissimè ad brachia Æterni Patris, & intrà illud Divinum ejus Esse, ibiq; me complexus est, & mille mihi exhibuit amoris indicia, ubi diu mansi, fruens illis Divinis amplexibus, & favoribus cœlestibus. Quando sum ad me reversa ex hoc raptu, reperi me in meo angulo.

§. V.

TAndem illam est dignatus deducere cum summo honore confixam Cruce, ad locum, ipsi designatum in Cœlo. Agens, *inquit*, aliquando cum DEO, passa sum in meo corpore derepentè gravem dolorem, qui oriebatur ex eo, quòd me sentirem arctissimè circumcingi. Tum, DEO disponente, oculos animæ aspexi, me ipsa, & vidi me cingulo quodam rubro, quanquam coloris lucidi & amœni, fortiter constringi à duobus Angelis DEI, quistipabant mea latera, & me habebant mediam, trahebantque singuli extremitatem illius cinguli, cui super nudum corpus, in sinistro latere erat supposita quædà Crux, longitudine adæquans circiter unam spithamam, habens insertas quinque cuspides seu clavos, in duobus brachijs, supernè, & in medio, ac infernè, cuspidibus directis ad carnem: sic cincta, & constricta, ut pars Crucis ingrederetur in carnem, magis torquebar & affligebar. Cùm autem me hoc modo constringerent illi sancti Angeli, dicebant mihi: Soror nostra, præpara te, quia te volumus erigere ac ducere, quò jussit Dominus. Et cùm venirent volentes me erigere, ego præ dolore, quem patiebar, dixi: Non, non, Domini, relinquant me; quia moriar, si me hinc elevaverint. Expectaverunt modicum sancti Angeli, ac tum mihi iterum dixerunt: Soror nostra, noli timere, veni hùc, apprehensamque me in utroque latere quàm suavissimè elevaverunt, ac erexerunt quasi in pedes, statimque duxerunt ad cœlestem Jerosolymam, & constituerunt in conspectu Divinæ Majestatis, qui conjectis in me suis Divinis oculis, præcipitim verò in insigne Crucis, quà erat cinctum sinistrum meum latus, præcepit cuidam sancto Angelo magnâ prædito charitate, qui ibi aderat, ut me discingeret, & exolveret, acciperètque Crucem, quam ferebam infixam lateri sinistro, ac poneret intrà illam cœlestem Civitatem in certo loco, designato à Divina Majestate. Fecitque ità Angelus, & postquam mihi Dominus bene precatus fuisset, ijdem Angeli me reduxerunt ad meum locum, cùmque me ipsam aspicerem in illa parte, in qua fuerat Crux, vidi me habere quinque stigmata, aut vulnuscula, quæ mihi inflixerant quinque cuspides Crucis, & ipsius claviculi. Hæc visio duravit aliquot diebus cum ingenti dolore naturæ; nescivi tamen an id acciderit in spiritu tantùm: quia non adverti, manerètne corpus in loco, in quo eram, sicut aliàs consuevi advertere. Vehementer affligebar, & angebar his mysterijs, ignorans quid significarent, & peteba-

bam à DEO lumen, pro cognoscendis ipsius veritatibus. Tunc mihi dixit Dominus: Amica, quomodo ità times, & affligeris propter istam gratiam, quam à me es consequuta? Quiesce modò, exponam enim tibi significationem hujus mysterij. Dum viderem & cognoscerem desideriũ, quo teneris, ut finias cursum tuæ peregrinationis, volui tibi pro tuo solatio præbere aliqua signa & figuras, ex quibus intelligeres, & cognosceres locum tibi designatum, & præparatum in cœlesti Jerosolyma, collocato in ea insigni Crucis instructæ clavis, sicut vidisti. Primùm verò fuit ea Crux alligata tuo sinistro lateri, cum tanto dolore ac molestia tua, ut intelligatur ac sciatur, ad inveniendum locum, & habitationem in illa cœlesti Civitate, ac terra viventium, Viam Crucis, afflictionum, dolorum, & molestiarum, esse Regiam & severissimâ, ac propterea, etiamsi te sim consolaturus, tibique satisfacturus, quod à me petivisti, concedendo tibi mortem suavem, & plenam solatio, atque ità sis finitura vitam, ac migratura ex hoc exilio in meis brachijs; tamen animadverte, te paulò ante tuum obitum passuram tentationes, & oppugnationes diaboli, qui te affliget ac stringet pro viribus, me permittente. Sed noli timere, confide in me, quia cum mea gratia, & auxilio, tibi omnia bene succedent, & diabolus confundetur, atque tum occludetur tuum cor, ac adveniet solatium tuæ beatæ mortis, quando expirabis in meis brachijs, & in meo corde, hoc enim est præmium eorum, qui moriuntur in Domino.

Aliâ vice ipsi DEUS ostendit eundem locum, quem destinatum habebat in Cœlo, hâc mtione. Vidi, *inquit* (in Julio anni 1620.) coram me quandam puellam, cujus medium corpus superius Angeli induerant lucidissimis armis, & in medio pectoris gerebat rubram Crucem. Cooperuerunt illam Angeli pretioso pallio, & capiti ipsius imposuerunt coronam, atque manui sceptrum, & hoc modo ornatam duxerunt cum magno comitatu ad Cœlum. Quando erat jam ingressura, prodierunt obviam multi Angeli ad eam excipiendam, duxerúntque ipsam ad quendam locum, valde eminentem Aulæ cœlestis. Tenebar desiderio interrogandi meos Angelos, qualísnam esset illa puella; qui dixerunt: Est quædam Virgo, nè velis ampliùs scire. Paulò pòst interrogavi Dominum: Mi Domine, quæ est ista Virgo? Respondítque mihi: Jam tibi dixerunt Angeli: nè velis scire ampliùs. Hoc audito, acquievi. Aliquantò tamen pòst dixit Dominus: Si vis scire, quæ sit, veni mecũ, & videbis. Tum me abreptam in ecstasim, duxit ad locum, in quo erat ea Virgo, dixítque mihi: Aspice illam, an eam noveris. Aspexi ipsam, & non agnovi. Dixit mihi idem secundò, & non agnovi illam. Dixit mihi hoc tertiò, & cùm ipsam contemplarer, illuminavit me Dominus, ut adverterem, quòd essem ego ipsa. Erubui, & indolui, quod desideravissem scire quænam esset, & conquesta Domino ajebam illi, quare mihi ostendisset eam effigiem? Et dixit mihi: Affligeris vehementer tuis doloribus, ut igitur te solarer, ostendi tibi, quid te maneat. Tum subitò valde festinavi, ut quodammodo aufugerem, ac reverterer ad meum angulum.

CAPVT XVIII.

Quomodo illi DEUS modis prorsus miris ostenderit, Crucem esse viam Regiam, pro introitu in cœlestem Gloriam, quâ ipse in illam intravit, & quam pauci ipsam amplectantur, illúmque cum ea sequantur.

Sequētes Revelationes sunt utilissimæ, concernunt enim omnes universim, dum declamnt felicem sortem Justorum, qui Regiâ viâ Sanctæ Crucis tendunt ad cœlestem gloriam.

§. I.

IMprimis, *ait*, quodam die (in Augusto anni 1623.) mihi Dominus exhibuit spectandam maximam Crucem, quæ cœlum attingebat vertice, & pede ad centrum usque descendebat terræ, brachia verò protendebat ad duas ejusdem Cœli partes. Exterruit me vehementer hic aspectus Crucis tam magnæ; verùm fui nonnihil recreata, dum intelligerem à Domino, quòd esset figura terribilis Crucis, quam Divina ipsius Majestas sustinuerat in sua Passione & Morte. Subitò vidi istam Crucem ascendentem super terram, fixo in illa pede, ac descendentem aliquantùm ex Cœlo, & in momento fuit repleta multis animabꝰ gloriosis, ac beatis, quales hìc illas pingunt, quibus Crux magnificentissimè est exornata. Interea eadem Crux ascendit à terra, ac pervenit usque ad portam Cœli, & per illam sunt ingressæ in cœlestem Aulam adhærentes ipsi omnes illæ animæ, quasi repentes per Crucem. Atque deinde etiam ego fui posita ad illam Crucem, jam vacuam, ascendítque per ipsam mea anima cum maxima molestia, & summis angustijs, donec intraret in Cœlum, & ad conspectum DEI. Fuit mihi dictum, Crucem esse viam Regiam pro adeunda cœlesti Beatitudine, & omnes, qui illam sunt assequuturi, inniti debere Cruci, & Morti, ac Passioni Christi JESU Domini Nostri, eámque obtinere per ipsius Divina merita.

§. II.

IN Festo Purificatæ Beatissimæ Virginis, conspexi ex improviso quandam Crucem aliquantùm fuscam, tam magnam, ut extensa in terra, suis brachijs pertingeret ad quatuor partes Orbis. Ego me ibi vidi quasi retrusam in angulum, & acclavatam in angulo Crucis, ubi conjunguntur ipsius brachia, atque circumdatam coronâ spineâ. Descendebant Angeli DEI ex cœlo, qui venerabantur ac adorabant Crucem quàm devotissimè. Mirabar vehementer, videndo hoc mysterium, & quidem in festo Beatissimæ Virginis, ipsiusq; Purificationis. Subitò animadverti istam Crucem, ità extensam, méque unà illi affixam, elevari à Domino usque ad Cœlum inferiùs, quod hìc videmus: fui autem portata similiter, quasi acclavata in eodem loco, in quo fueram anteà. Postquam eo Crux pervenisset, vidi ab illa penetrari omnes Cœlos, donec ingrederetur in Empyrium, ad conspectum Beatissimæ Trinitatis; & dum ibi esset, unáque ego cum ipsa, incepit paulatim resplendere millies magis auro, ac emittere ex se radios lucis & claritatis, ità ut videretur ab ea Cruce illuminari Cœlum, sicut Sol hìc illuminat terram; atque hoc modo tota Crux fuit conversa in lucem & splendorem. Pari ratione ego incepi cum eadem Cruce resplendere, sicut quando ignis pervadit ferrum: usque adeò me lux & claritas Crucis illustravit. Omnes sancti Beati ex novo ac veteri Testamento adoraverunt Crucē, confitentes & agnoscentes omnem suam beatitudinem se habere, per merita ac dolores, à Christo Domino toleratos in Cru-

ce.

ce. Finito hoc mysterio remansi in cœlesti Aula, vehementer stupens, quòd talia viderem.

Postquâ ad me redijssem ex ista ecstasi, meus Dominus Angelus Custos mihi dixit: Anima, Dominus tibi explicabit mysterium, quod vidisti, sed etiam ego illud tibi pandam. Scias velim illâ Cruce, quam vidisti extensam in terra, quæ tota ab ea occupabatur, significatam fuisse Mortem & Passionem Christi Domini, ipsiúsque Divina merita, quæ fuerunt tanta ac tam sufficientia, secundùm se, ut, si omnes homines illis vellent bene uti, salvarentur. Quòd autem ascenderit ad Cœlum, significabat, à DEO per suum Filium creata esse universa, tam Cœlestia, quàm terrestria, pérq; ipsum, & per ejus Crucem obtineri Beatitudinem, & ipsam esse viam Regiam ad Cœlum. Quòd deinde ex fusco colore transmutata fuerit in lucem, ac splendorem, & claritatem, significat, in Cœlo non reperiri Crucem, sed Gloriam, ac Beatitudinem, atque illud, quod in hac terra est obscurum & afflictivum, in Cœlo esse meram claritatem & gloriam. Neq; tibi videatur inconveniens, quòd in Festo Purificatæ Sanctissimæ Virginis edocta fueris de hoc mysterio; noveris enim, isto die fuisse Beatissimæ Virgini revelatam Mortem ac Passionem sanctissimi ipsius Filij per sanctum Simeonem, illis verbis: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* DEI Genitrix autem in eo momento elicuit actum resignationis, committens suũ Filium Divinæ voluntati, qui fuit unus ex maximis & ferventissimis, quos per omnẽ suam vitam elicuit, dum offerret vitam sui Filij sanctissimo ejus Patri: & exinde incepit sanctissima Domina pati Crucem sacratissimi Filij intra se ipsam, atque in sua sanctissima anima. Propter istud mei sancti Angeli dictum, cepi ingens solatium ex hoc mysterio Crucis: sed ità fui debilitata, ut postridie sim passa graves dolores, fuerimque tam afflicta, ut opportuerit mihi applicare aliqua medicamenta: quale fuit, dum mihi apponerentur panni suffumigati quibusdam herbis, quas præscripserat Medicus. Qui quidem odor mihi fuit valde molestus; sed interea sensi quendam odorem in meo cubiculo vehementem & suavem liliorum, qui me recreavit, & mirè confortavit. Tum dixi intrà me: Bone DEUS, qualis est iste odor? reddiderat enim me attonitam, eò quòd illum perciperem tali tempore, essetque adeò sensibilis, ut ipsum reverâ olfecerim. Elevavi oculos, & vidi meum sanctum Angelum *Parvum*, tenentem manibus Urceum cum fasciculo liliorum. Obstupui valde, dum illa viderem, & sanctus meus Angelus mihi dixit: Anima, nè te id reddat attonitâ, quia Dominus videns, quid sis passa, te hodie voluit recreare, & confortare his floribus.

§. III.

DUm aliquando agerem cum DEO, vidi quandam viam Regiam latissimam & spatiosissimam, jucundissimam, ac floridissimam, in qua mihi videbar animadvertere præsentem DEUM. Eandem viam terminabat mons altissimus, & fastigiatus, in cujus planitie erat gloria Agni DEI, & Beatitudo. Hâc tam admirabili viâ vidi, non absque mysterio, incedentes quàm ordinatissimè, more supplicantium, quosdam Pœnitentes, indutos nigris tunicis, qui singuli ferebant in suis humeris grandem & gravem Crucem, adeò ut ambularent lassissimi, confractissimi, & fatiscentes. Hoc modo perveniebant ad finem istius viæ, atque ad radicem illius alti montis, ubi stabant duo Angeli, qui accedentes ordine deponebant singulorum Cruces ex eorum humeris, magna cum charitate & amore; iisque humi cum osculo collocatis, exuebant Pœnitentem veste nigrâ, & extergebant sudorem ex ejus facie, ac deinde ipsum induebant veste candidâ instar nivis, ac splendidâ, imponebántque illius capiti coronam. Postmodum ipsum tradebant quibusdam Angelis DEI, qui sanctum Pœnitentem cum magno ejusdem solatio ducebant, ac promovebant per illum altum montem, quoadusque pertingerent ad verticem, ubi animæ eorum quiescebant, & replebantur gloriâ ac beatitudine, per visionẽ sui DEI.

Taliter progrediebantur, & ascendebant omnes isti felices Pœnitentes; quod meâ animam affecit stupore, rapuitque extrà se. Subitò autem illi dixit Dominus: Anima, vidistine quid actum fuerit? intellexistine mysterium? Noveris, illos, qui sustinent Crucem, quemadmodùm ij, quos vidisti, ferùntque illam in suis humeris, & non trahunt per terram, incedere viâ Regiâ, ac semitâ, cujus terminus est vertex & mons altus beatitudinis, ubi sese intuendum præbet DEUS, & videtur facie ad faciem. Hæc est securissima ac verissima via; & hoc tibi volo manifestare in isto mysterio.

§. IV.

VEràm licèt multi amore Christi Domini amplectantur Crucem, dignatus est illi aliâ vice ostendere, quàm sint pauci, comparati cum ijs, à quibus rejicitur, sicut ipsi priùs ostendent, quàm pauci ascendant per arduas scalas ad Cœlum. Quodam, *inquit*, die (in Martio anni 1622) Quadragesimæ, horâ tertiâ matutinâ, exhibuit Dominus oculis meæ animæ admirabile spectaculũ. Conspexi Christum Dominum, onustum Cruce, & conscendentem quosdam gradus à terra porrectos ad Cœlum, unàque sanctum Franciscum cum alia Cruce, qui ipsum sequebatur. Et tota via, quâ ibant, erat utrinque repleta splendidissimis Crucibus. Abstrahebam me ab hac visione, quantùm potui, quasi metuens, nè esset figmentum imaginationis, vel diaboli, id quod egi spatio circiter septem horarum: quò magis autem me abstrahebam, eò illam magis Dominus ponebat ob oculos meæ animæ. Cùm essem fatigata reluctando, méque jam abstraxissem, quasi horâ decimâ matutinâ, locutus mihi est Dominus, dixitque: Anima mea, quomodo mecum agis? quoadusque me adeò molestabis, & affliges? Hoc audito, fui quasi attonita, & postquam sum mihi reddita, acsi essem expergefacta è somno, respondi Domino: Domine, ego quid ago? quid feci? videtur mihi Domine illudere mea imaginatio, quia tua Majestas non indiguit Cruce, ut ascenderet ad Cœlum; es enim verus DEUS, Filius æterni Patris, & omnia tibi debentur, etiam ùt es homo, ex justitia. Tum mihi Dominus respondit: Omnino, verum est quidem, quod dicis, sed jam scis, me descendisse ex Cœlo ad terram propter remedium & salutem hominum, atque ut solverem, quod illi debebant pro suis peccatis; suscepisse in me, acsi essent mea propria, ipsorum peccata, eorundémque onus mihi imposuisse, quasi ego illa commisissem, & propterea ascendisse ex terra ad cœlum per Crucem. Aspice me, aperi tuos oculos, & videbis me. Aspexi Dominum, quem eatenus tantùm audiveram loquentem, vidíque ipsum tam vulneratum & afflictum, ac doloribus oppressum, ut me ejus conspectus moverit ad magnam teneritudinem, ac dolorem & commiserationem. Adjecit autem Dominus: Quod me maximè affligit, est: respectu tam multorum, qui damnantur, unicum esse, qui me sequitur, quod vides, fieri ab uno Francisco. Nolebat Dominus dicere, quòd solus sanctus Franciscus ipsum sequeretur, sed proposuit in illo exemplum, ac dixit, tot esse, qui damnantur, ut comparati cum tam multis, unicus duntaxat videatur salvari. Hæc omnia mihi loquutus est Dominus, cùm jam mihi esset quàm vicinissimus, quia initio ipsum videram quasi eminus. Obstupui, & fui attonita, audiens Dominum sic loquentem, valdéque indolui, & sum afflicta propter tam multos, qui damnantur. Jussitque me Dominus orare DEUM pro peccatoribus, ut bene utantur ipsius Morte ac Passione. Hujùs mysterij memoriam aliquàdiu retinui. Postea me ab illo abstraxi, & cùm jam essem ipsius oblita, vehementer me pœnituit hujus abstractionis, ac dixi: Non erat istud mysterium à me tradendũ oblivioni totâ vitâ; sed semper habendum ante oculos: quomodo sum illius oblita? Dominus autem mihi dixit: Nè te id reddat solicitam, mea Anima. Noveris, id quod tibi verè dico, unicam mei memoriam in ijs, qui me amant, ac desiderant mihi servire, quamvis eam habeant interruptè, à me magni fieri, acceptarique illam,

lam, etiamsi præter suam voluntatem distrahantur.

§. V.

ALia formidabilis visio confirmat, quod Dominus dixerat in præcedenti, plerósq; videlicet aversari Crucem, & paucos illam amplecti. Dum, *inquit*, aliquando manè agerem cum DEO, elevavi oculos animæ, & vidi supra regionem aëris, Cœlum versùs, multos Angelos DEI, qui omnes tenebant aureas cruces splendidissimas in suis manibus, quas erigebant instar vexillorum cum magna solennitate & lætitia. Atque in eo spatio, in quo commeabant, erat ingens lux, & splendor Divinus, quasi magni cujusdam Solis, emittentis ex se maximos radios. Obstupui, viso eo mysterio, & abstraxi me ab ipso, mansique cum Domino. Post hoc denuò illud sum intuita, non enim possum aliter facere, quando vult Divina Majestas; & vidi à quinque ex ijs sanctis Angelis deferri totidem Cruces huc ad terram: quarum quatuor defixerunt in diversis ejus regionibus, quintam verò in mari. Unam, & primam ex ipsis defixit Angelus, qui illam attulerat in quadam terra Catholicorum, quam non agnovi, qualis esset; eâque ibi infixâ perambulavit quàm solicitissimè totam regionem, atque spatiosos campos, quærens aliquem, qui adoraret, & amplecteretur illam Crucem. Ibat modò huc, modò illuc, totus solicitus, invitans hos & illos, cúmque non reperiret, qui ipsam amplecteretur, sanctus Angelus præferens quasi tristitiam, & afflictionem, evulsit Crucem ex loco, in quo fixa fuerat, & eâ sublatâ perrexit ad Cœlum, præsentavitque illam Domino DEO, ac dixit ipsi: Domine, vides hîc Crucem, quam Tua Majestas mihi cõmisit. Non invenio inter homines, qui illam velit, aut amplectatur. Quid jubet Tua Majestas fieri? Dominus vehementer offensus, ità respondit: Ergóne nemo est, qui amplectatur, aut adoret meam Crucem? & tamen verè tibi dico, omnes illos, qui non amplectentur Crucem, quãm ego illis dedero, ac obtulero, non intraturos in regnum cœlorum. Vade, repone illam in meo thesauro. Angelus id fecit, & sic mansit in Cœlo.

Secundus Angelus defixit Crucem in alia parte terræ, etiam Catholicorum, & amplexatus est illam, ac deinde ivit quæsitum quàm diligentissimè, qui amplecteretur ipsius Crucem. Occurrit cuidam viro plebejo, pauperi, qui videbatur Eremita & agricola quoad vestitum, bonus Christianus, ac timens DEUM: hic deambulabat in campo, quasi aliquid quærens, & Angelus illi dixit: Serve DEI, quò vadis, quid quæris? Eremita respondit: Angele DEI, quæro thesaurum absconditum in agro, quem inveniens homo prudens, vendidit omnia, quæ habuit, & emit illũ. Cui Angelus: Veni mecum, ego enim tibi indicabo hunc thesaurum pretiosum, quem quæris, & duxit ipsum eò, ubi erat Crux, dixitque illi: Vidésne hunc thesaurum absconditum, qui ditat animas, ac perducit ad vitam æternam? eo enim emitur, atq; ille solummodo invenit suum infinitum & immensum DEUM, qui invenit istum thesaurum, ac amplectitur, & in ipso reperit omnia bona pariter. Tum Eremita prostratus adoravit Crucem, amplexatúsque est illam quàm promptissimè, cum magno gaudio, & solatio. Angelus autem ipsam imposuit ejus humeris, in qua etiam ferenda illum juvit, supponens ipsi manum, atque hoc modo illam tulit ad suum paupertinum tugurium, ubi ei fuit ab Angelo dictum: Ego tecum manebo usque ad finem vitæ tuæ, juvabóque te semper in omnibus occasionibus portare crucem, quamcunque tibi DEUS obtulerit.

Vidi deinde tertium Angelum, qui defixerat suam Crucem in terra, & illam amplexabatur, atque muliercula quædam pia & pauper obambulabat in campo valdè anxia, ac fessa, expansis brachijs aliquid quærendo. Interrogavit illam Angelus: Serva DEI, quid quæris tam anxiè? & sancta mulier respondit: Angele DEI, quæro viam regiam ad Beatitudinem, viam planam & securam ad inveniendum meum DEUM. Cui Angelus: Ego ribi illam

ostendam; aspice istam Crucem. Hæc est via Regia ad Beatitudinem, ipsa est via planissima, securissima ad cœlum; nemo in illa perijt. Per eam & in ea invenies tuum DEUM, ac omne tuum bonum. Mulier adoravit, & amplexata est crucem; Angelus verò illam superimposuit ejus humeris, & juvit ipsam in illa ferenda, comitatúsq; est ad pauperem illius domum, quæ videbatur esse tugurium, ibiq; ipsi dixit: Ego tecum manebo omnibus diebus vitæ tuæ, & juvabo te in portandis Crucibus, quas tibi Dominus obtulerit.

Quartus Angelus defixit suam Crucem in alia regione terræ, & amplexatus est illam, atque interea vidit ambulantē quendam Virum nobilem in eo campo, valdè cogitabundum, & quasi aliquid quærentem. Angelus DEI illi ivit obviam, & interrogavit ipsum: Nobilis, Serve DEI, quid quæris adeò cogitabundus? Nobilis respondit: Angele DEI, quæro thesaurū a imæ, quæro pacem & securitatem. O quanta bona quæris, dixit Angelus! Veni mecum, ego tibi ostendam omnia simul; & duxit illum ad Crucem, dixítque ipsi: Aspice, ista Crux est verus thesaurus animæ, in illa sunt omnia simul bona: qui hanc amplectitur, & amat, ac vult, possidet veram pacem, & in ea reperitur vera securitas. Omnes, qui istam Crucem sunt amplexi, regnant cum DEO in cœlo, & absque illa nihil est securum. Nobilis se prostravit, & adoravit Crucem, amplexatúsque est ipsam, & assumpsit in sponsam ac amicam: & Angelus illam imposuit ejus humeris, juvânsque ipsum in ea portanda, duxit illum ad ipsius domum, & dixit illi: Ego tecum manebo quoadusque vixeris, & juvabo te portare Cruces, quas tibi Dominus obtulerit. Quintus Angelus fixit suam Crucem admirabiliter in mari, amplexatúsque est illam, & perlustravit usquequaque mare, reperiretúrne, qui vellet amplecti Crucem; & cùm omnes navigantes viderent Crucem, eáque terrerentur, retrocedebant; alij verò ipsam declinabant. Expectavit diu, & videns neminem venire, extraxit suam Crucem ex aqua, ivítque cum illa ad cœlum, & præsentavit ipsam Domino, dicendo: DEUS, & Domine mi, nemo est, qui amplectatur tuam Crucem in mari. Dominus mansuetè respondit: Nemo? id ego non miror, nec est res tanta, quia Creatura illa, aquæ est valde terribilis ac formidabilis. In ea perduntur vitæ, & facultates, atque in ipsa tolerantur enormes calamitates, ac molestiæ, unde non obstupesco, quòd navigantes aversentur Crucem. Redi illuc, & exhibe illis aliam Crucem leviorem, ac suaviorem, videbísque an reperiatur, qui illam amplectatur. Angelus fecit, quod erat à Domino jussus, formavitque Crucem coloris cœlestis cœrulei, facilem aclevem, & erexit illam in mari. Tum venerunt quidam Viatores, videntésque Crucem suaviorem & leviorem, obtulerunt se pro ea ferenda, & complexi sunt ipsam. Sanctus Angelus illam posuit super eorum humeros, promisitq; illis suum auxilium, atque sic fuit finitum hoc mysterium.

Quando ista famula DEI mihi retulit hanc visionem, dixi illi: Si prima Crux fuit tam trerribilis, ut propter illius terribilitatem nullus illam voluerit, quomodo DEUS non mandavit Angelo, ut ibi collocaret aliā suaviorem, sicut fecit cum ultima ista Cruce, quæ fuit collocata in mari; addidi ipse, ut super hoc conferret cum sanctis Angelis, qui ipsi cohabitant, datā occasione. Hi verò denique illi responderunt: Illam Crucem fuisse admirabilem, non rigidam, neque admodum gravem portatu; verùm magnopere accommodatam viribus cujuslibet creaturæ, volenti illam portare, & amplecti, id quod ipsi plurimùm prodesset, quia DEUS illi dedit omnem istam dispositionē, & hunc valorem: ideóque quòd Angelus non invenerit, qui illam voluisset, & fuisset amplexatus, in toto illo tam magno territorio, pervenisse ex mala dispositione, & quòd non cognosceretur valor ejus thesauri: ac propterea singulos perceptā inspiratione sui Angeli, qui illis dicebat, ut amplecterentur Crucem, quam DEUS ex suā bonitate, & pro bonis animarum propriarum ijs offerebat, ipsos versatos esse Crucem, instar ignis, ac recessisse: & hujusmodi hominibus Dominum fuisse indignatum.

Denique

Denique, ut non abhorreret à Cruce, voluit illi DEUS ostendere in spiritu eã ipsam sanctissimam Crucem, cui fuit affixus.

Dum, *inquit*, vacarem orationi, vidi ter quaterve quandam grandem Crucem, & magnæ Majestatis, cùmque metuerem, nè esset imaginatio, comparuit mihi illa sancta Crux majori cum lumine & claritate, quâ anima mea fuit illustrata, ut eam agnoscerem; aspiciensque illam, ac videns majestatem, quâ erat conspicua, adoravi ipsam, quàm maximâ reverentiâ potui. Erat tanta, quantam esse oportuit, ut illi affigeretur Christus Dominus noster, ità ut superesset aliqua ipsius pars à pedibus. Infernè habuit colorem quasi fuscum, mixtum nonnihil viridi, & in brachijs erant foramina clavorum, in summitate verò ipsius erat Corona spinea Christi Domini. Tanta fuit Majestas istius Crucis, ut illam nemo videret, qui non contremisceret, séque coram ea non prosterneret, adorando ipsam quàm reverentissimè. Postquàm illam vidissem, adoravissem, fuissémque toto meo venerata corde, conspexi plurimos diabolos ibi latentes in quadam abysso, qui videntes Majestatem hujus sanctæ Crucis, timebant, ac tremebant, descendebántque profundiùs in suú barathrum. Et illuminata à DEO, intellexi, eam sacram Crucem esse illam ipsam, in qua Christus Dominus est mortuus, nósque redemit, & liberavit à diabolo. Mea anima fuit repleta solatio, ac devotione erga sanctam Crucem, atque per illam armata pro tribulationibus & afflictionibus, quæ mihi paulò pòst advenerunt, quia in hunc finem intellexi, mihi fuisse præstitam eam misericordiam.

CAPUT XIX.

Quomodo illam DEUS animaverit ad tolerandas molestias Crucis, eò quòd sint medium pro obtinendis gratijs inusitatis, quas ipsi præstabat, & pro augendis meritis æternæ gloriæ.

DUplicem DEUS confert Beatitudinem suis Electis, unam æternam & consummatam, alteram temporalem, quæ est participatio æternæ, consistitque magna ex parte in visionibus & unionibus cum DEO, quales fuerunt hactenus narratæ. Crux est via ad utramque, quia afflictiones disponunt ad posteriorem, & promerentur cum magnis incrementis priorem. Utrumque DEUS manifestavit Marinæ, ut illam animaret ad patiendum; eò quòd utrumque sit præmium earundem afflictionum, ideóque illi DEUS generatim asseverarit: Quotiescunque aliquid speciale fueris passa, par est, ut novam quampiam tibi præstem gratiam. *Veritas horum omnium patebit ex sequentibus visionibus, quarum singulæ continent peculiare motivum ad amandam Crucem.*

§. I.

Crux est medium ad unionem cum DEO.

CUm quodam die vehementer essem interne afflicta, dixit mihi DEUS: Quid facis Creatura mea? Visne venire mecum, ut quiescas modicùm? Ità, mi Domine, & DEUS mi, ajebam ego: tecum volo ire, & manere in te perpetuò. Quod dicens elevavi oculos, & vidi Majestatem Divinam, unáque ipsius Immensitatem & Magnitudinem, absque ulla specie, vel figura. Habebat iste magnus Dominus quasi ante se quandam grandem & elegantem Crucem, ex purissimo & splendidissimo auro, quæ tota anteriùs erat plena

na quibusdam cuspidibus, non usque adeò longis, sed quàm acutissimis, ex fortissimo ac solidissimo efformatis chalybe. Dixitque mihi Dominus: Anima, tu dicis magno affectu, quòd velis venire mecum; Veni igitur, per me licet: Verum tamen moneo te, esse tibi, ut ad me pervenias, méq; amplectaris, utì desideras, transeundam istam Crucem, quam hìc vides ante me, ità refertam cuspidibus acutis, solidis & penetrativis, téque illis omnibus vulnerandam & configendam, ac debere ad me pervenire ipsis penetratis. Considera, an id velis hoc pacto: ista enim est via, recta & Regia, ut animæ ad me perveniant, fruantúrque in hac vita meis unionibus ac amplexibus, & assequantur scientiam meorum mysteriorum, ac secretorum; in æterna verò potiantur meis gaudijs duraturis, atque æternâ possessione sui DEI. Quid ad hoc dicis? Mea anima vehementer obstupuit, audiens taliter loquentem suum DEUM, videbatúrque consternari ac timere, conspecto adeò duro & aspero transitu, atque formidabili terribilitate illius Crucis armatæ suis cuspidibus; verùm præ magna aviditate, & vehementi ac intimo affectu, qué habebat, transeundi ad suum DEUM, illúmq; cõplectendi, statim dixit suo DEO, se velle. Et in momento se accinxit, ac transivit omnes illas cuspides tam acutas, & illam duram ac arduam Crucé. Et complexa est suum DEUM, séque cum eo arctè univit, ac mansit in illo Divino Esse, ubi est fruita, pro sua capacitate, & quoad se illi Dominus DEUS ipsius communicavit, ijs ingentibus bonis, summísq; thesauris, quos viderat, & cognoverat. Ibi mea anima est diu morata, tam absorpta & abrepta, ut videretur non posse ullibi figere pedem, dicebátque illi DEUS ejus aliquoties, patefaciendo ipsi admiranda: Considera hoc anima, considera. Post istum raptum, sensim illam, quasi per quandam declivitatem deduxit, reliquítque coram se modo ordinario constitutam.

§. II.

Crux disponit ad ardentes affectus amoris, ac unionis cum tribus Divinis Personis.

ALiàs (in Octobri anni 1619.) mihi DEUS exhibuit spectandas multas aureas Cruces splendidissimas, parvas, adæquantes palmum, pendentes in aëre, ex re quadam delicata instar capilli, nec apparebat, quis illas sustentaret. Ultra unam horam conabar ab ijs avertere oculos, postea verò mihi dixit Dominus: Marina, quare usque adeò tergiversaris? accipe pro te has Cruces, non enim erunt molestæ corpori, neque spiritui. Tum quasi abrepta in spiritu extendi brachia, & incepi aliquas ex ijs Crucibus apprehendere, inferendo mihi quodammodo vim, ut illas acciperem. Et quando ipsas accipiebam, vidi singulas ità pendentes teneri à singulis Angelis. Sumpserim sex vel septem ad quamvis manum, quas cœpi dissuaviari, & amplexari arctissimè, fuítque subitò excitatus in meo corde vehementissimus affectus amoris DEI, ut si mille mundi essent mei, omnes ipsi libenter donarem. Expendi deinde afflictiones, quas patiebar, ut viderem, utrum me illi eodem modo etiam offerrem ad mille Martyria, & sensi nonnihil repugnantiæ; quod me valde afflixit, nolebam enim illam sentire. Sed dixit mihi Dominus: Nè id ægrè feras, habes enim tuam voluntatem transfusam in meam, quod sufficit, quódque ego à te requiro. Tunc mihi dixerunt sancti Angeli: Soror, da nobis has Cruces, ut illas tibi servemus; quibus ego respondi: Hoc non, Domini. Dixítque mihi Angelus Custos: Et mihi illas non dabis? Tibi, omnino Domine, quia tu es meum gazophylacium, in quo Dominus etiam reliqua deposuit. Statim itaque illas à me accepit, & ego specialiter illuminata, vidi duo: Primum id, quod illæ Cruces repræsentabant; & erat, quomodo anima, dum patitur, se disponat ad obtinendos ardentes affectus amoris DEI, & alia ipsius dona. Alterum verò, quòd mihi fuerit manifestata excel-

excellentia Spiritûs Angelici, sinè ea specie imaginaria, in qua mihi ordinariè comparet, atque sic vidi admirabilem illius essentiam ac præstantiam.

Eo tempore, conspexi gloriosos sanctos Ignatium & Dominicum, qui infernè sustinebant quandam mediocrem Crucem. Feci, quod potui, nè illam aspicerem, donec me ad id Dominus disposuisset, & quasi adegisset. Dum illos intuerer, vidi in Cruce effigiem Christi Domini ex ea pendentis, & dixi, timens meo more: Effigiẽ Christi Domini, ùt est ipsius effigies, ego adoro. Mei verò sancti Angeli, ut abigerent hunc meum timorem, prosternentes se, illam adoraverunt, quod ter fecerunt; & adverti imaginem esse auream. Ego me semper abstrahebam à Sanctis, quos vidi euntes ad Dominum, referentésque ipsi, quod mecum evenerat, propter meâ repugnantiam. Dominus illos jussit redire, mihique aliquid significare: quidnam autem fuerit, non intellexi. Redierunt, & cùm mihi id cœpissent dicere, sum majorem in modum turbata, fecique quantùm potui, nè, quod dicebant, audirem. Interea fui abrepta ad conspectum sanctissimæ Trinitatis, & Dominus mihi dixit: Modò videbis, quid significet prius mysterium. Subitò me conspexi in brachijs æterni Patris, qui me arctè strinxit unione spirituali: & sensi dolorem, atque vulnera pedum & manuum, ac lateris, fuerunt quasi sanguine perfusa. Postquam me dimisit Pater, vidi me in manibus Filij, qui me eodem modo strinxit, & percepi majorem dolorem, plus quoque sanguinis apparuit in meis vulneribus: ac deinde vidi Personam Spiritûs sancti, in specie lucidissimi Solis, qui me totam illustravit, & recreavit, atque confortavit post illam molestiam & afflictionem.

§. III.

Aquæ afflictionum, & meritorum, ac solatiorum, oriuntur ex uno, eodémque fonte.

DUm quâdam nocte ageré cum Domino (in Octobri anni 1617.) valde afflicta, manifestavit mihi mysterium sanctissimæ Trinitatis, & vidi ex pectore Patris æterni erumpentem torrentem aquæ adeò horribilem, ut mihi incuteret terrorem, qui ruit in meum pectus, séque mihi infudit, unde fui vehementer consternata. Deinde vidi prodeuntem aliam aquam, manantem suaviùs, quæ post præcedentem influxit in meum pectus, méque affecit solatio, ac recreavit. Et est mihi dictum, priorem aquam esse afflictionũ, quas patiebar, prodeuntes ex pectore Dei, & advenientes ex ejusdem dispositione ac amore: posteriorem autem aquam, esse merita, præmia, & solatia, quæ adferunt istæ afflictiones, sempérque illas procedere æqualiter, ità ut posterior confortet ad suscipiendam priorem.

Similiter me solatus est Dominus aliquando (in Junio anni 1217.) dum essem solitò afflictior ob meos dolores, dicendo mihi: vehementer me tui miseret, propter ea, quæ pateris; sed si videres aliquem fodientem cum magno labore, sudore, ac defatigatione unâ horâ in fodina, ex qua esset eruturus thesaurum, quo ditaretur ad multos vitæ annos, quibus esset supervicturus, non liberares ipsum ab illa molestia: idcirco neq; ego te libero à tua, tametsi possem. Præterea mihi dixit, se velle ut omninò conscribatur, quantum fuerim passa ijs annis, quibus sum affixa lecto.

§. IV.

DEUS adest ijs, qui patiuntur afflictiones, & his ipsos purificat, ac adornat.

ALiâ vice, postquam octo horis fuissem passa terribile Martyrium, ità ut non possem respirare, neque vel modicùm quiescere, quasi conciderer novaculis, nocte sequenti me dignatus est Dominus visitare, cui dixi: Domine, quale tormentum fuit istud? Respondítque mihi: ego accendi ignem in tuum commodum, sed dæmon egit partes fæminæ irritantis ligna in furno, ut ardeant. Non vidisti tamen illum, nè nimiùm affligereris: sicut quando cooperiuntur oculi alicui, qui capite plectitur, nè videat gladium. Tum illi dixi: Domine, hâc nocte vellem esse apud te,

te, siquidem non potui præteritâ. Et respondit mihi: Quomodo dicis, te non fuisse apud me, cùm semper me invocaveris? Ego tibi aderam, & compatiebar tuis afflictionibus; atque designans suas manus dixit: In his manibus illas habeo descriptas, simúlq; præmia, quibus te remunerabor. Brevi pro te veniam, esto bono animo. Dixi illi: Domine, quæso, nè in morte patiar tam terribiles dolores, quia me non permitterent, ut me præparare, etiâsi meus Confessarius mihi dixerit, se non petere ullum certum mortis modum, sed eú, qui DEO placuerit, cùm ipse sciat, quis illi magis conveniat. Respondit: Iste spiritus est bonus, sed tuus mihi non displicet.

Subitò conspexi meam animam quasi in manibus DEI, ubi mihi suo lumine manifestavit mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & subjunxit: Attolle oculos ad Cœlũ, ac perlustra uno intuitu Aulam meorum Beatorum, videbísque Tribunal meæ Sapientiæ, & Justitiæ, ac meorum Arcanorum. Feci id cum ingenti meo solatio.

In alia afflictione dixi ad DEUM, cum vehementi prorsúsque insolito sensu doloris, quasi amicabiliter conquerendo: Revera, mi Domine, istis diebus me Tua Majestas reliquit in magna obscuritate, & præter morem, se conspectui meo subduxit. Etiamsi verò me permittas versari in majoribus tenebris, quàm fuerint Ægyptiacæ, quærere te debeo, quibuscunque modis ac medijs potuero, & scivero. Dominus autem mihi respondit quàm suavissimè, ac amantissimè: Et ego tibi asseveranter dico, mea Anima, futurum, ut me non incipias quærere, & jam me invenias, atq; ego tibi occurram. Deinde subjunxit: Quis te turbavit, Anima mea? quis te afflixit? Cui ego: Nemo, Domine, sed mea peccata me turbant. Tum Dominus: Non sunt, ajebat, tua peccata hujus turbationis causa: verùm ego id permisi ad te probandam, & exercendam; quia sicut purum aurum probatur, magísque depuratur in catino, ità virtus in meis probationibus, atque afflictionibus. Ista DEI Benignitas mihi attulit magnam pacem, & quietem animæ. Derepentè autem vidi Majestatem Christi Domini, stipati sanctis Angelis, qui duobus provolutis in genua, dato illis quasi signo dixit: Accipite hanc vestem, & induite eâ illam. Angeli ipsam acceperunt, & me illâ induerunt. Erat pulcherrima, habens formam Crucis, & cùm mihi imponeretur, sentiebam me accipere quasi quiddam valde molestum. Eram in illa nihilominus tam gratiosa, & ornata, ut me non auderem aspicere. Erexerunt me in pedes, & postquam me duxissent ad locum, in quo JESUS Christus Dominus noster considebat in throno, flexis genibus inclinavi caput ad genua Domini, ibíque spiritualiter obdormivi, in quo somno mihi fuerunt ostensa tanta Magnalia DEI, ut nequeant explicari. Angeli ter venerunt, volentes me inde abducere, & Dominus ipsis dicebat: Relinquite illam. Primò fui abrepta ad pectus DEI, & ad arcana ipsius Divinitatis ac Trinitatis Personarum, alio quodam admirabiliore modo: postea verò uniens se mecum Dominus, reliquit me in meo loco.

§. V.

Angeli exhibent DEO nostras afflictiones, & conferunt pretiosa dona patientibus.

ALiàs (in Julio anni 1619.) vidi quod mei Domini quatuor Angeli tenerent in manibus quoddam cingulum latum, & longum, cui erant inscripti aliqui characteres, seu certæ figuræ impressæ, quódque omnes ijs contemplandis essent intenti: & quidam lucidissimus Sol multis radijs incidentibus in cingulum ipsis subministrabat lucem, ut illud viderent. Osculati sunt cingulum hi sancti Angeli, unáque meus Custos. Et vidi adesse alium Angelum, qui tenebat in manu pulchram pelvim, in quam meus Custos imposuit cingulum, ità ut cùm imponeretur, ederet sonitum. Cingulum istud habebat insertas pretiosissimas gemmas, in quibus erant expressæ omnes afflictiones, quas fueram perpessa, siquidem instar cinguli constringunt meú corpus, quasi quibusdam clavis. Sanctus ille

ille Angelus tulit cingulum ad Cœlum, volando gravissimè & agillimè, flexisque genibus ante thronum sanctissimæ Trinitatis, & exhibitâ reverentiâ omnibus tribus Divinis Personis, dixit: Domine omnipotens, tuæ Majestati præsentatur hoc cingulum martyriorum, quæ illa Anima sustinuit. Dominus illud aspexit, ac lustravit, & benedixit, plurimúmq; sibi in eo complacuit, hæc inquiens: Feratur ejus Angelo Custodi, quod ille servabit in thesauro sui pectoris cum cæteris rebus, ut eo die quo est moritura, ibi omnia appareant, & ipsa recipiat præmium. Angelus, postquam debitè veneratus esset Dominum, redijt ad meum cubiculum, tradidítque cingulum meo Angelo, & significavit illi id, quod ipsi erat dictum à Domino, qui illud suscepit, & servavit, atque recondidit in se ipso.

Alio die (in Julio anni 1617.) mei Domini exornati quàm elegantissimè, dignati sunt & me exornare cimelijs; singuli tenebant in sua manu circulum aureum, intra unum erat Nomen JESU splendidissimum, intra alterum tres clavi conjuncti secundùm cuspides, ac divisi capitibus; intra tertium imago Lunæ, & in quarto Sol. Erant hæc cimelia pretiosissima, quibus me Angeli exornaverunt, unde comparui splendidissima. Deinde me illis iterum spoliaverunt, atq; dum desiderarem scire, quid significarent, dixit mihi unus ex ipsis, quòd cimelium insignitum Nomine JESU, significaverit, me esse totam Domini JESU; illud, in quo erant clavi, afflictiones ac dolores, quos eram passa; Luna verò, mea opera, ùt sunt mea: Solem enim significavisse eadem opera, ut profecta ex gratia DEI, quam mihi contulerat. Sicut námque Luna est ex se obscura, & totum lumen accipit à Sole, ità mea opera nihil valent, nisi valorem accipiant à gratia, & à DEO, qui illa facit valere, ac esse meritoria.

§. VI.

DEVS distrahit afflictos, ut minùs sentiant adversa.

ALiâ vice me duxit post se Dominus, quasi adhærentem uni extremitati vestis. Venimus ad quendam parvum campum, plenum floribus diversorum colorũ, ubi mihi dixit: Decerpe aliquos ex his floribus, ac offer mihi illos. Decerpsi quinque. Et dixit: sufficit. Tum eos flexis genibus ipsi obtuli, quos ille benedixit, & accepit ad suam manum. Progressi sumus ulteriùs, ascendendo per maximum, & asperrimum montem. In media via stetimus, in quadam planitie, & hìc ajebat: Aspice deorsum. Vidi planitiem instar paradisi, atque nemus amœnissimum, resonans suavissimâ musicâ Angelorum. Duxit me per arctam semitam ad cacumen illius montis, qui erat altissimus; me incedente ex parte cum periculo lapsus. Dixit autem mihi Dominus: Noli timere, dum venis mecum. In vertice se transfiguravit cum summa gloria, ascendítque paulatim ad cœlum, me inspectante, donec se intus occluderet. Mansi diu sola, & afflicta. Venítq; meus Angelus Custos, & alius ex quatuor, qui me animantes dixerunt: Ulteriùs adhuc tibi ambulandum superest, oportet te descendere per hunc montem ex altera ista parte, quæ imminebat vasto cuidam fluvio, & erat difficillimus per illam descensus. Descendebam tamen, & quando eram vicina lapsui, illi me detinebant. Cùm pervenissem ad crepidinem fluvij, reliquerunt me. Fluvius exerevit, & corripuit me; assurgebant fluctus, & unus valde magnus ac altus me sustulit. In eo momento vidi descendentẽ sanctissimam Trinitatem, & cognovi hoc mysterium. Assumpsit me ad suum pectus, duxítque me ad cœlestem Jerosolymam, ac detinuit intra se diu fruentem eo Domino. Postea me ex se exposuit, & aspiciebam, quid fieret in illa cœlesti Jerosolyma inter Beatos. Deinde me iterum in se reposuit cum ecstasi. Reversa ad me,

inveni me in meo lecto. Tum dixi ad Dominum: Quid hoc fuit? & respondit mihi: Volui te distrahere, ostendendo tibi varias vias, quibus te duxi. Dixi rursum: Et illi quinque flosculi, quid sunt? Respondit: Sunt quinque sensus, quos à tua infantia mihi obtulisti, bene ijs utendo ad gloriam meam.

Cùm alio die (in Julio anni 1617) essem vehementer afflicta à meis morbis, dixi ad DEUM: Duc me tecum, Domine, quia jam non possum ampliùs subsistere. Et non addidi resignationem, quam ordinariè addo, si fuerit tua voluntas: Sed neque hoc dicebam ex me, verùm videor mihi compulsa fuisse ad sic dicendum. Dominus mihi respondit blandissimè: Ergò ne non vis videre inchoatam fundationé Religionis sanctæ Birgittæ? Tunc respondi: Fiat, Domine, in me tua voluntas. Etiam mei Domini me solabantur, dicendo mihi: Soror, brevì, brevì fiet, esto bono animo, nè te affligas. Quibus ego respondi: Domini, quia ipsi nihil patiuntur, neque sciunt, quid sit pati, cùm id non sint experti, dicunt: brevì, nè te affligas. Illi verò suaviter responderunt: Ità est, Soror, Dominus tamèn nos docet, quid sit pati. Tum ego dixi: Benedictus sit DEUS, qui cùm esset omnipotens, & omniscius, voluit experiri in se, factus Homo, quid sit pati. Post hoc mihi Dominus dixit: Amica, es afflicta, volo te aliquantùm recreare; Meis autem Angelis: Ducite illam, ut videat suam cœlestem Patriam. Acceperunt me mei Domini, & vidi plurimos Angelos præcedentes Dominum, atque de me cantantes illam antiphonam, quæ canitur, quando conferunt habitum Monialibus: *Veni Sponsa Christi.* Vidique etiam Beatissimam Virginem speciosissimam. Dominus me collocavit inter se & suam sanctissimam Matrem, atque hoc modo processi ad Cœlum, durante dicto cantu. Duxerunt me ad Thronum Sanctissimæ Trinitatis, ibique mihi exhibuit Dominus, quasi confusè, totam illam cœlestem Aulam, & omnem magnificentiâ, quam nulla lingua novit explicare. Deinde me collocaverunt ad pedes Domini, fuitque quasi per unum momentum (sicut dum apparet fulgur) aperta quædam cortina, & vidi uno momento Divinam Majestatem, ac tum statim me Dominus jusse abduci, & fui subitò unita DEO per raptu, reperíque me in meo cubicello, quia sica visio duravisset diutiùs, existimo, me morituram fuisse.

§. VII.

Inusitatis afflictionibus obtinentur inusitatæ gratiæ, & donum perfectionis.

QVadam nocte, *ait*, (sextâ Novembris anno 1616.) mihi videbantur esse tales mei cruciatus, quales experirer, si cæderer fustibus; quia sentiebam mihi modò hic, modò ibi infligi ictum. Tum mihi dixerunt Angeli: Martyr Domini, adsumus; considera, quid velis pro tuo solatio. Appellationem istam ego verti in jocum, ac dixi: Tantùm volo, ut me adjuvent, nè committam ullum defectum, dum crucior. Illi verò dixerunt: Ecce, dum Sanctus Stephanus lapidaretur, aperti fuerunt Cœli, & vidit gloriam DEI pro suo solatio: ità nunc tibi aperiuntur. Levavi oculos, & vidi quodammodo aperiri Cœlos, atque gloriam Beatorum, sicut aliàs videre soleo. Patiebar tunc gravem capitis dolorem. Diu post conspexi venientem Christum JESUM Dominum nostrum, qui ad me accedens, consedit supra meum lectum, suáque manu attigit meum caput. Extimui mirum in modum, quòd ipsum ità viderem sedentem, & recurri ad Dominum, ut DEUM, petens ab eo illuminari, pro cognoscendis ipsius veritatibus, sanctáque ejus voluntate, valde instanter, & perseveranter. Dixit autem mihi: Mitto ad te meum Filium ut te invisat, & consoletur, quare illum spernis? Cui ego: Domine, non facio id, quasi illum spernam, sed nè errem, & propter meos timores. Respondit mihi: Cùm ipsum dederim, ut pro vobis moreretur in Cruce, quid mirum est hoc ab illo fieri? Nihilominus conabar pro viribus averte-

vertere ab eo oculos: ſed non potui non videre accingentem ſe ad ſcribendum aliquid, literis quaſi cœruleis, quod obſtupui, dixerúntque mihi Angeli: Noli timere, quia id quod ſcribitur, cedit in tuum commodum. Porrexit deinde ſcriptum cuidam ex ipſis, quod conſequenter promotum ab uno ad alterum devenit ad meum Cuſtodem, cui Dominus dixit, ut mihi diceret, quid contineret; nimirum gradus gloriæ, quos conſequebar ſingulis afflictionibus, quas perferebam.

Cùm aliàs conſediſſet in meo lecto, dixi illi: Recede à me Domine, quia ſum magna peccatrix. Et reſpondit mihi: An neſcis, me veniſſe in mundum propter peccatores? Cui ego rurſum: Recede Domine à me, quæ decumbo in hoc lecto, cùm deberem jacere humi proſtrata. Ipſe verò reſpondit: Ego te detineo in hoc lecto. Et ſubitò transformatus cum magna gloria, me introduxit in ſuum pectus, dicendo mihi, ut habitarem in ejus corde.

Non prætereamus hîc cimelium longè præſtantiſſimum, quod aliquando fabricabant ydem Domini quatuor Angeli.

Vidi illos, *ait* (in Novembri anno 1614) parantes quendam elegantem torquem, & inſuper pretioſam coronam: omnia erant quaſi ex auro diſtincto pulcherrimis gemmis, & cum his in conſpectu oculorũ meæ animæ abiverunt ad cœlum, obtulerúntque illa Divinæ Majeſtati, quæ ea benedixit nomine ſuo, & ſui Filij, ac Spiritus ſancti. Rediverunt deinde cum ipſis ad me, & cum eo lumine, quod mihi fuerat infuſum, me vidi exornatam omnibus illis cimelijs, ac inſignibus, quæ ad illud uſque tempus ſuſceperam à DEO, ut erat Crux, quam habebam intrà pectus; Annulus, quem mihi dederat in deſponſatione; ſigna Vulnerum, atque Coronæ ſpineæ, & reliqua. Deinde me adverti ab Angelis coopertam eſſe quodam pretioſo velo, & circumſpiciens oculis animæ, vidi Majeſtatem Chriſti Domini, qui accepto in manus illo Torque & Coronâ ex manibus Angelorum, impoſuit Torquem meo collo, & Coronam capiti, dicendo: Anima mea, ſuſcipe hoc munus in pignus, quòd æternùm ſis futura mea, ità ut nemo poſſit habere, neque habeat partem in te. Cùmque ea mihi incideret cogitatio, quod ſpectato meo libero arbitrio poſſem deficere, & peccare; reſpondit Dominus: Ità eſt, ſicut cogitas: verùm ego, non ablatâ tibi tuâ libertate, dabo tibi talia auxilia, & talem virtutem, ac fortitudinem, ut aſſequaris prædictum finem, qui eſt Beatitudo æterna, & conſervabo in te meum ſanctũ timorem auctiorem, quàm habueris, priuſquàm conſequereris à me iſtã gratiam.

CAPVT

CAPUT XX.

Quomodo illi Christus Dominus paulatim manifestaverit, inprimis mysteria suæ Humanitatis, ac deinde secreta suæ Divinitatis, suúmque Nomen ineffabile, & quâ ratione his gradibus ascendatur ad tam sublimes visiones.

SEquens visio instruit deditos Orationi, quo ordine illis sit progrediendum ad res tam sublimes, non evolando statim ad summa; sed sensim procedendo per gradus, facto initio à Mysteriis minoribus, considerando inprimis quæ sunt exterior Christi Domini, deinde interiora Cordis ipsius & amoris, ac postea dolorosissimam ejusdem Passionem, donec se eorum reddant participes: tunc enim erunt apti, ut ascendant ad summum gradum, & arcanum ejus Divinitatis, gloriéque æternæ. Ità evenit Venerabili Marinæ in decursu vitæ ipsius, quod in hac visione magis exprimitur. Sic verò ait:

§. I.

AGens quodam die cum DEO circa festum Nativitatis (in Decembri anno 1621.) more solito, rogavi ipsum, ut me dignaretur auferre ex hac præsenti vita, si esset ejus voluntas, dixíque illi: Mi Domine, Tua Majestas scit, qualis sim, quódq; nullum progressum in virtute faciam: post tot annos, quibus dego in hoc exilio, jam mecum actum est: saltem ne ampliùs peccem, & nè te offendam, bonum esset tandem finire. Dum ità orarem, immisit mihi Dominus dolorem pedum & manuum, qualem mihi solet tali tempore immittere, quamvis moderatum; & vidi subitò Christum Dominum in specie ac habitu, quo versabatur inter homines in mundo, & est, qualem aliàs descripsi. Salutavit me, dixítque mihi: Anima, quid nunc animo volvis? Ego illi respondi, petendo ab eo idem, quod dixeram, quando ipsius Majestas advenerat. Tum me Dominus est valde solatus, & animavit, atque postquam alia quædam dixisset, vidi quòd haberet brachium pendulum. Elevavit autem illud, posuítque manum expansam ante suum Divinum pectus, & vidi vulnus sanctissimæ manus ipsius, quod non erat adeò magnum, neque apertum, sed instar nummi, quem regalem dicimus. Postea amovit Divina Majestas manum, & aperuit pectus, ubi conspexi ipsius sanctissimum cor admirabiliter, absque apertura vestis, vel Corporis, sed acsi illud viderem intrà vitrum. Erat pulcherrimum, instar elegantissimæ gemmæ, & prodibant ex eo quidam splendores ac radij Divini, pertingentes usque ad meum cor, communicantésque ipsi magnam illius virtutem, & amorem ardentissimum, ac maximum erga homines. Ità modicùm sum fruita hâc Divinâ communicatione, & Dominus reposuit manum extensam, ad suum pectus, texítque cor. Rogavi Dominum, ut dignaretur, si ipsi placeret, me auferre ex hac præsenti vita, & facere, ut morerer absque doloribus, qui me distinerent, ac impedirent, nè obirem quietè. Quod mihi Dominus concessit, dixítque: Ubi hoc tempus advenerit, ego occupabo spiritum tuum, atque, ne priveris usu sensuum, abstraham tali raptu, ut te non perturbent dolores, útque audias, ac intelligas. Et datâ mihi suâ sanctissimâ benedictione, desijt tum à me videri.

§. II.

PAulò pòst ingressus est meum cubiculum quidam sanctus Angelus, gestans in manu elegantem ac speciosum corbiculum, intrà quem ferebat quædam cimelia, omnia coopertissima floribus. Et cùm venis-

venisset ad meum lectum, uno genu curvato mihi dixit: Serva DEI, accipe hoc munus, quod tibi mittit Dominus Majestatis. Ego valde extimui, & dixi: Domine Angele surgat, nè hoc faciat, quia sum magna peccatrix, ac vilis creatura DEI. Diu disceptavimus; ipse tamen noluit surgere, imò me multùm animavit, ac dixit: Soror, noli turbari (eram enim vehementer turbata) sed bono animo esto: cape & accepta hoc munus, quod tibi Dominus mittit. Ego tota perplexa, extendi manũ ad ea, quæ habebat in corbiculo; & quamvis illa vellem apprehendere, non poteram, quia mihi elabebantur ex manu, vel quòd essem tantoperè turbata, aut quia sic fieri permittebat DEUS. Tandem ea reliqui; ità ut nec sciverim, neque viderim quidquam. Sanctus meus Angelus Custos, qui aderat, & quidem ad caput mei lecti, dixit Angelo flectenti: Angele DEI, surge. Hæc serva DEI est turbata. Da mihi istum corbiculum, & hoc munus, quia ego illud suscipiam nomine ipsius. Sanctus Angelus surrexit, & recessit unà cum Angelo meo Custode, locutique sunt simul secretò, me ignorante, quid loquerentur. Meus Custos suscepit corbiculum, & ambo simul venerunt ad me cum alijs quinque meis contubernalibus Angelis. Idem Custos meus aperuit corbiculum, & vidi in illo adferri tres clavos, quibus Dominus fuit crucifixus, madentes ipsius sanguine, atque per speciale lumen, quod mihi Dominus ad id dederat, vidi & agnovi esse illos ipsos clavos, quibus Dominus fuit confixus, qui ex mera sua infinita bonitate mihi voluit præstare istum favorem, & gratiam, quam nunquam promerueram. Vidi ipsos, & adoravi, cum maximo meo solatio. Tum sanctus Angelus meus Custos apprehendit meam manum, & ille Angelus accepit unum clavum ex tribus, transfixitque eo meam manum, aperiendo foramen antiquum, quod in illa habebam, & erat quasi clausum. Ac deinde accepit alterum clavum, & idem fecit in altera manu. Postea accepit tertium clavum ad suam manũ, tradiditque illum sancto Angelo *Parvo Pannympho*, quem ille Angelus arripuit, eóque aperuit utrimque foramen pedum, in primis in planta cujusque pedis, ac deinde supernè. Et in isto clavorum contactu fuit commixtus sanguis mei Domini cum meo, ità ut clavi tingerentur meo sanguine, & vulnera perfunderentur sanguine, quo madebant clavi mei Domini. Licèt verò senserim dolores in pedibus, & manibus, non fuerunt tamen tanti, quantos aliàs patior, sed suaves, & pleni solatio: Dominus enim nolebat antiqua vulnera occludi, atque dolores supernaturales tolerantur tanto cum solatio, ut confortent, & minùs sentiantur, quàm ij, quos ordinariè patior. Hoc peracto, clavi fuerunt repositi in corbiculo, quibus receptis, Angelus mihi dixit: Anima, quid vis nunciari Domino, qui tibi præstitit hanc misericordiam, & tantam gratiam? Ego respondi, me reddere Divinæ Majestati infinitas gratias pro magno beneficio, ac misericordia mihi præstita, méque exosculari ipsius sanctissimos pedes. Ità se expedivit à me Dominus Angelus, & abivit.

§ III.

PAulò pòst vidi rursus Christum JESUM Dominum Nostrum satis diu, qui se deinde subduxit meo conspectui. Reperi autem me coram Majestate Domini DEI, qui mihi comparuit absque ulla specie & figura, méque secum univit quâdam unione valde Divinâ, & arctâ, atque ità unitam eduxit ad aliam altitudinem valde eminentem, ubi mihi per suum specialissimum lumen ostendit magnalia sui Divini Esse, Bonitatis, & Misericordiæ, nec non bona, quæ pro me asservantur in cœlesti Gloria, aliásque res tam admirabiles, ut illas cor humanum non capiat, neque possint exprimi, nisi dicendo: *Est aliquid ampliùs, quàm hoc.* Obstupui, fuiq; attonita, & quasi mihimet erepta, dixi illi: DEUS, & Domine mi, quod est nomen ejus? Dicat mihi: An, Rex Regum, & Dominus Dominantium? Omnes tituli sunt inferiores ipsius dignitate; neque inveniebam, quomodo illum compellarem. Tum mihi respondit Divina Majestas:

Ego

Ego sum, qui sum, & hoc est Nomen meum. Solus ego à me, & ex mea essentia habeo, quòd sim. Licèt verò essem intrà hoc summum, adeóque Divinum Bonum, nihilominus, quando me vidi tam elevatam, timui, dixique in animo: si me DEUS hinc dimitteret, quid fieret? annihilarer. Et Dominus respondit meæ cogitationi: Bene dixisti. Universæ creaturæ à me dependent, & omne ipsarum esse pendet à mea Providentia; ità ut, si illas desereré, redigerentur in nihilum: verùm tu noli timere, quia te non deseram. Addiditq; Dominus: Aspice illuc versùs. Conjeci oculos ad eam partem, quam mihi Dominus designaverat, ac aspexi procul. Et cùm mihi appareret maximum quoddam spatium, quod quàm longissimè extendebatur, & erat admirabilis cujusdam coloris, vidi quasi in quadam æternitate Divinam mei prædestinationem, quâ me ab æterno DEUS prædestinaverat. Rursumque mihi dixit: Noli timere, quia te non deseram. Et datâ mihi suâ sanctâ benedictione, disparuit.

Ex hac visione patet, quomodo DEUS sensim elevet ad tam mirabiles visiones. Parvatione autē procedit in reliquis elevationibus Spiritûs. Quâdam vice, *ait*, elevavit Divina Majestas meam animam, abripuitque illam modo quodam valde inusitato. Videbatur mihi ex meo pectore, & toto corpore prodire quidam vapor, instar lucidæ, delicatissimæ, & subtilis nubeculæ, quæ paulatim & suavissimè ascendebat sursum, taquam aliquis fumus suaveolentis incensi, donec perveniret ad thronum Divinæ Majestatis, & ad ipsius Divinum pectus, atque cor, cúmque ibi substitisset, cum magno meæ animæ solatio, sensi ingentia bona.

CAPUT XXI.

Quomodo illam DEUS deduxerit per terribiles scalas ad quendam profundissimum locum, ostenderítque ipsi modum judicij finalis, & infernum, atque cœlestem Gloriam: ut agnosceret mala, à quibus liberantur ij, qui pro DEO patiuntur, & bona, quibus perfruuntur.

PAucas habuit revelationes Venerabilis Marina de Judicio, & Inferno, quia illam DEUS magis ducebat spiritu amoris, quàm timoris, & quando ipsi spectanda exhibebat ista horribilia, non faciebat id quasi intentando illi minas, sed præstando beneficium, ut videret, à quàm horrendis malis eam liberaret, útque suis orationibus, juvaret animas viventes in periculo, nè illa incurrant.

§. I.

INprimis, quâdam vice illi ostendit terribiles scalas, differentes à reliquis, & post has modum, quo instituendum est extremum Judicium, istâ occasione. Dum mihi viderer quodam die, *inquit*, esse proxima meæ morti, dixi ad DEUM cum magno animæ meæ affectu: Mi Domine: benefecerimus, si iniverimus rationem peccatorum, ac defectuum, quos commisi adversus tuam Divinam Majestatem, nec non gratiarum, & misericordiarum, quas suscepi ex tua Divina manu. Cùm id dicerem, occurrit mihi, disponente Domino, ille versus Psalmi Davidici: *Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Tum dixi Divinæ Majestati: Mi DEUS, nihil aliud magis opto, quàm ut me immergam in mare tuarum misericordiarum, & in flumen sanguinis Christi JESU Domini Nostri, ubi eluam mea peccata. Interea audivi me vocari à sancto meo Angelo Custode;

ſtode, cui reſpondi altâ voce, ità ut me poſſent audire adſtantes, & dixi: Mi Domine. ſtatimque me rurſum recollegi. Vocavit me autem ſecundò, & feci idem. Vocavit me & tertiò, dixitque mihi: Demitte oculos, & aſpice. Atque tum mihi oſtendit quasdam ſcalas, quæ videbantur eſſe combinatæ ex funibus, & habere diſtantes ab invicem gradus, valde arduos, tranſitus quoque ac deſcenſus illarum erat difficillimus, quia vehementer nutabant, & una earum extremitas adhærebat terræ, altera verò tangebat quandâ immenſam profunditatem, ut mihi infra videretur eſſe quædam abyſſus. Sub ijsdem ſcalis decurrebat maximus ac rapidiſſimus fluvius, juxta quem erat vorago terræ, plena feris animalibus, inſtar leonum, pantherarum, canum, & aliorum, adeò ut qui decideret ex illis ſcalis, ruiturus eſſet vel ad fluvium, vel inter illa animalia. Angelus mihi dixit: Anima, deſcende per has ſcalas. Ego vehemter timui, ac dixi: Domine, quomodo debeo deſcendere, quia ruam, & ſubmergar? Sanctus Angelus autem dixit: Debes per illam deſcendere ſola, & nullo juvante. Incepi igitur deſcendere cum aliquo metu, & valdè lentè, nè ruerem. Beſtiæ illæ, quando me viderunt deſcendentem, aliæ latrabant, aliæ rugiebant. Et poſtquàm perveniſſem ad terram, omnes me circumdederunt, quamvis non adeò propè, atque ibi fuerunt longè majores omnium mugitus & latratus. Non nocuerunt mihi tamen, quamvis quædam tangerent meas veſtes. In eodem loco inferiùs conſpexi meos Dominos Angelos, & magnum cepi ſolatium ex ipſorum aſpectu. Illi me duxerunt ad quendam planum campum, & ex hoc ad alium, ubi vidi Majeſtatem Chriſti JESU Domini noſtri, conſidentis in throno Regio inſtar Judicis, circumdabatur ab Angelis, judicabátq; vivos ac mortuos, quemadmodum fiet in die Judicij, & habebat à dextris bonos, atque à ſiniſtris malos. Audivi ſententiam, quam Dominus pronunciabat, dicendo ad bonos: Venite benedicti Patris mei, ad bona & gloriam æternam. Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare, & reliqua, quæ dicit Evangelium. Ad malos autem: Ite maledicti à Patre meo ad pœnas æternas, quia fui pauper, & non me cibaviſtis. Ego tremebam præ timore in hoc tam terribili ac ſevero actu, coram illo ſupremo Judice. Poſtquam autem pronunciaviſſet ſententiam, mei Domini Angeli me duxerunt ad thronum, qui habebat aliquot gradus, collocaveruntque provolutam in genua coram Domino, qui me liberabit à metu, dicendo mihi: Quid times? Veni, Anima benedicta à Patre meo, ad bona æterna, quia fui pauper, & ſubveniſti mihi. Tum ego reſpondi meo Domino, abſque timore: Mi DEUS, & Domine mi, quando tibi ego ſubveni? cùm nunquam fecerim quidquam boni, vel quod eſſet acceptum tuis oculis? Quando ego tibi aliquid dedi, cùm ſim miſerabilis mendica? Dominus autem mihi peramanter reſpondit: Ità, ſubveniſti. Quia eo ipſo, quod ego tibi dedi, tu ſuccuriſti, & providiſti multis Virginibus egenis, & orphanis, illáſque meo obſequio dedicaviſti, collocando ipſas in Religione, quod opus mihi eſt gratiſſimum, agnovique me optimè à te adjutum in illis, id ipſum quoque quod habes vis ſimiliter impendere. Hoc dicto, Dominus, non jam ùt Judex, ſed ùt DEUS ac Dominus, cum magna gloria & majeſtate, qualis erat in eodem throno, aſcendit ad cœleſtem Jeroſolymam cum comitatu millium Angelorum, atque ego nnà fui ducta poſt Divinam Majeſtatem. Quando perveni ad cœleſtem Aulam, Dominus mihi oſtendit gloriam, quam contulerat Beatis. Hæc viſio fuit admirabilis, & inſtar fulguris, quod celeriter tranſit. Dixitque Dominus: Hæc eſt gloria, quæ rependitur ijs, quos benedixi, & qui mihi ſubvenerunt.

§. II.

MEi Domini Angeli mihi deinde expoſuerunt ſignificationem ſcalarũ, quæ erat hujusmodi, quòd volentem tendere, ac pervenire ad perfectionem vitæ ſpiritualis, oporteat tranſire ac deſcendere per eas ſcalas tam difficiles: dictum autem

mihi fuisse ab Angelo, ut descenderem sola, absque comite, ideò, ut significaret mihi à DEO tot collata fuisse subsidia, & auxilia, ut potuerim optimè sola per scalas descendere.

Quod Marina dicit de significatione earum scalarum, majore indiget declaratione, quâ explicabuntur dicta ab Angelis. Non erant istæ scalæ, per quas ascenderetur ex terra ad Cœlum, sed descenderetur in spiritu ex terra ad infernum, ità quod denotat quoddã genus afflictionum valde horribilium & periculosarum, à quibus anima videtur deturbari in quandam abyssum malorum, quales sunt tentationes, & persecutiones dæmonũ, utentium mugitibus & latratibus nostrũ passionum, & concupiscentiarum, ac dolorũ & afflictionum, atque angustiarum animæ, quæ videntur esse imago quædam Inferni, quando accedunt derelictiones internæ DEI, postquam sustulit solatia sensibilia, & reliquit animam solam, quasi solis viribus naturalibus illi sit pugnandum: quamvis ipsi nunquam aufert sufficientissima & secretissima auxilia, quibus vincat ejusmodi afflictiones, repræsentatas per has scalas tam difficiles, eò quòd circumdata sit à tot hostibus ac periculis; & quia nutat propter mutabilitatem, quam natura ex se habet in incursibus & aggressionibus tentationum, quæ tamen per DEI gratiam illi non nocent in spiritu, quamvis ipsam tangant in illius vestitu, qui est Corpus. Descendit autem sola, quia tunc cessant visiones, solatia & gratiæ extraordinariæ, tametsi illi sufficiant ea, quæ accepit, ut subsistat. Sed sinè dubio ipsi DEUS assistit invisibiliter, & occultè, ut illam detineat, nè labatur, & cadat. Quãvis porrò videatur reverà descendere in spiritu; ascendit nihilominus & proficit, dum sic probatur à DEO: & propterea illi statim ostendit Judicium finale, in quo manifestantur omnes veritates.

§. III.

DIstinctius ipsi DEUS spectandum exhibuit aliàs Infernum, & Gloriam cœlestem, hoc modo. Dum paterer, *inquit*, quodam die (anno 1606.) magnam desolationem internam, fui ducta à Domino ad maximam quandam voraginem ac profunditatem, cùmque me viderem ità demersam atq; detrusam ad abyssum terræ, incepi vehementer affligi, & nisi advertissem me degere in præsentia ac protectione DEI, ipsiusque infinitæ potentiæ, perijssem: Verùm, dum me ità invenirem conjunctam DEO, animabam me, & aspiciebam, quà irem, transeundo ab una profunditate ad aliam majorem; donec pervenirem ad quoddam mare tam vastũ & immensum, quàm est totus mundus; quod propter fœtorem erat incredibiliter horribile. Transivi ab hoc mari, & veni ad aliud, quod habebat aquam salsam, & pessimè olentem, ac deinde ad aliud ignis terribilissimi; & inde ad aliam profunditatem, ubi vidi damnatos in suis tormentis, tanquam in obscurissimo carcere, & in cacabis refertis pice, sulphure, aliisque innumerabilibus & atrocissimis cruciatibus. Non stiti hîc, sed transivi ad alium locum, ubi degunt damnati in majoribus, & horridioribus pœnis, ac tormentis æternis; & hinc fui educta, ac reversa sum ad istam mediam regionem, ut sic dicam, invenique me in meo lecto, ubi mihi dixit Dominus: Ab his, quæ vidisti, liberantur ij, qui patiuntur amore mei; significans mihi istis verbis, ut, si aliquid paterer, id æstimarem, siquidem ità liberarer à talibus ac tam horrendis tormentis, Non cessavit hîc Divina Majestas, sed subitò me iterum secum duxit, non jam ad Infernũ, sed ad cœlum. Et quamvis ego modicùm repugnaverim, neque sciam quare, abduxit me derepente, ostenditque mihi divitias, ac abundantiam Beatitudinis, & postquàm redijssem ad meum lectum, dixit mihi: A pœnis, quas vidisti in Inferno, liberantur, qui patiuntur mei amore; delicijs autem, & gloriâ, quam vidisti in cœlo, fruuntur, qui patiuntur mei amore, adeò ut ab uno sint immunes, & altero potiantur.

Quodam die conspexi in meo cubiculo quandam sellam, cui erant insertæ periscæ, similes ijs, quæ hodie sunt in usu probajulandis fœminis, & quatuor Angelos DEI,

DEI, qui me in illa volebant portare, unáque truculentos quatuor dæmones, qui aderant aliquantùm remoti. Ego dixi Angelis: Domini, nè se fatigent, quia nullo prorsus pacto consentiam, ut ipsi me ferant in sella. Responderunt autem: Vel à nobis ferenda es, vel ab illis dæmonibus. Et ego ajebam: Malo, ut sellam ferant illi dæmones, quàm ut me sinam ab ipsis bajulari. Venerunt itaque diaboli, & acceperunt sellam: postquam ego in ea consedissem, tuleruntque me cum magno meo timore. Sed dum viderem euntes mecum sanctos Angelos, & meum Custodem, fui vehementer animata. Volebant me diaboli præcipitare, sed non poterant; imò me bajulabant valde suaviter, & paulatim, ad suam indignationem, ità ut agerentur in rabiem. Cùm transirent quendam fluvium, turbaverunt totam aquam, sed nihil aliud potuerunt efficere. Portaverunt me ad fauces Inferni, & voluerunt me eò injicere, sed non potuerunt. Ibi mihi forinsecus fuerunt ostensa supplicia damnatorum, quos vidi patientes, id quod me vehementer consternavit, ac perterrefecit. Cruciabantur omnes mixtim animæ ac dæmones. Indè me tulerunt ad portas cœli, ubi me statim reliquerunt dæmones, ac disparuerunt. Expectabat me autem ibi Dominus, univitque me secum arctissimè, & manifestavit mihi gloriam Beatorum, cum maximo meo solatio, sicut aliàs.

CAPVT XXII.

Quomodo DEUS impresserit ejus cordi sigillum Crucis, cum mysterio Sanctissimæ TRINITATIS, insculpseritque mysticas Cruces ipsius manibus, pedibus, ac lateri, dando illi pretiosa munera, quæ erant symbolum sublimissimæ perfectionis.

IN sequentibus visionibus, videbimus expressa prodigiosa munera, quæ DEUS dat animabus, cum quibus agit familiariter, & quas exercet afflictionibus, sùntque symbolum fructuum, qui ex hac conversatione cum DEO colliguntur, tam pro illarum, quàm etiam pro proximorum utilitate.

§. I.

DUm essem vehementer afflicta doloribus, dixi Christo Domino submississimâ voce: (in Decembri anno 1614.) Pridem te Domine non vidi; qui se mihi statim videndum exhibuit, cum solita magnificentia ac majestate, dicendo mihi: Vidésne me hîc, quid à me vis? Ego illi exposui omnes meos defectus, petendo ab ipso veniam illorum, ac remedium. Postea mihi ostendit in suo pectore parvum quoddam quasi Reliquiarium, dixitque mihi: Aspice, scisne quid hoc sit? Aspexi, neque agnovi quid esset. Dixit secundò: Aspice denuò. Aspexi, & similiter non agnovi, quid esset. Tum Dominus illud apprehendit suis duobus digitis, absconditque in manu, dicendo mihi: Cùm nescias, quid sit, maneat ità. Ego valde optabam videre, & scire quid esset. Tandémque Dominus mihi illud iterum ostédit, prosternentibus se Angelis in terra, ac advenientibus de novo alijs cum accensis cereis, dixitque mihi: Modò aspice. Vidi in medio hierothecæ parvam quandam Cruculam, in medio duarum imaginum, quas non discernebam. Dominus verò mihi dixit: Hæc est quædam veluti species atque figura Mysterij Sanctissimæ Trinitatis, & ego in Nomine mei Patris, ac meo, & Spiritus sancti, tibi volo præstare insignem gratiam, daréque tibi grande donum. Et hoc dicto, posuit illam hiero-

thecam ſupra meum latus ſiniſtrum, ubi habeo ſignum vulneris, acſi imprimeret ſigillum molli ceræ, obſignans illo meum cor, atque in momento me ſenſi totam poſſeſſam, atque occupatam à ſanctiſſima Trinitate cum admirabili Unione, quâ fui majorem in modum debilitata. Verùm Angelus meus Cuſtos, tangendo bis térve meum caput, me confortavit, ac recreavit, & Chriſtus Dominus mihi dixit: Cùm ego tibi contulerim hoc donum, da mihi etiam tu aliquid. Ego illi reſpondi: Domine, quid habeo, quod jam tibi non dederim? ſed ſi rurſum vis, ut tibi dem meũ cor, ecce hîc illud do. Reſponditque Dominus: Sit ità, da mihi tuum cor. Tum ſanctus Angelus duobus digitis, per illum locum vulneris in latere, exemit meum cor, & poſuit coram Chriſto Domino. Ardebat inſtar ignis, & vidi in ipſo illam inſcriptionem: *Hîc hoſpitatur JESUS*, tribus exaratam lineis, ità ut in ſingulis eſſent ſingula verba. Dedit illi Dominus ſuam benedictionem, præcepitque Angelo, ut mihi illud reſtitueret, quod ipſe repoſuit ſuo loco, & expediens ſe à me, mihi diſparuit.

§. II.

ADmirabilior & gratioſior eſt ſequens viſio, quam refert hunc in modum, & accidit 18. July, anno 1612. Dedit mihi Dominus his diebus novum quoddam & intimum deſiderium exequendi in omnibus rebus ſanctiſſimam ipſius voluntatem, méque cum illa conformandi, id quod ardentibus affectibus ab ipſo frequenter petebam. Quâdam vice, adverti Majeſtatem Chriſti JESU Domini Noſtri eſſe in meo cubiculo, cum comitatu multorum Angelorum. Ad ſtrepitum in ingreſſu circumſpexi, & vidi ipſum in ſpecie & veſte, quam habebat & gerebat vivés in mundo, atq; per lumen, quod mihi dedit, cognovi ipſi⁹ Divinitatẽ, ac Perſonam Verbi Divini, quæ inerat illi ſacræ Humanitati, eidémq; uniebatur, & mei ſancti Angeli humi proſtrati illum adorabant. Eram vehementer turbata, ſicut ſoleo, neque ipſum audebam intueri. Videns Dominus meam turbationem, incepit obambulare in cubiculo cum magna gravitate, & authoritate, ad paucos paſſus, ter quatérve ſe convertens, quaſi expectans, donec eſſem bene diſpoſita pro gratia, quam mihi erat præſtiturus. Quando Divinæ Majeſtati viſum eſt, ſtitit in medio mei cubiculi, dixitque mihi: Creatura, quare alteraris, ac turbaris? quid times? Ego ſum Dominus DEUS tuus, qui loquor tibi; ego ſum, noli timere. His dictis, conquievi. Deinde addidit: Tu vehementer optas, te in omnibus conformare cum mea ſacroſancta voluntate. Ut id diligentiùs & perfectiùs faceres, veni ad reddendam te conformem meo cordi, conferendúmque tibi aliquod donum meâ manu, quod tibi erit utile, téque magnopere hac in re juvabit; accipe. Et cùm imponeret Divina Majeſtas ſuam manum, quaſi in ſacratiſſimũ ſuum ſinum, extenderétque illam ſtatim verſus me, vidi quòd in illa haberet quandam elegantem gemmam, inſtar cordis, & dixit mihi: Accipe, Animá, hoc donum. Ego fui uſque adeò turbata, & obſtupui bonitatem ac affabilitatem mei Domini, ut illi dixerim: Non, mi Domine, non jubeat hoc Tua Majeſtas, quia ſum magna peccatrix, & miſerabilis, indigna tali miſericordiâ, quod ſæpe repetebã. Cùmq; viderem Dominum perſiſtere in illo mihi offerendo, dixi: Dominus meus ſanctus Angelus hîc adeſt, ipſe illud poterit ſuſcipere meo nomine. Tum Sanctus Sanctorum mihi reſpondit quàm manſuetiſſimè: Sit ità, per me licèt. Acceſſit ſanctus Angelus ad meum Dominum, & proſternens ſe coram Divina Majeſtate, ac erigens, ſuſcepit cor, veniénsque ad me, poſuit illud intrà meum pectus, & intromiſit in animá, unde fui multùm confortata, & egi magnas gratias Domino, pro favore mihi præſtito.

Deinde mihi dixit Dominus: Anima, jam ego tibi dedi meum cor, quid tu habes, quod mihi modò reddas pro hoc beneficio, & miſericordia, à me tibi præſtita? Da aliquid mihi, quod tuum ſit. Reſpondi: Mi DEUS, ac Domine mi, quid tibi ego poſſum dare, quæ ſum miſerabilis, ac pauper creatura tua, & univerſa quæ habeo

beo, anima, corpus ac voluntas, omnia tua sunt, quia tibi jam omnia dedi. Si vis meum cor pauper & immundum, ut illud purifices ac mundes, accipe id, mi Domine. Dominus mihi respondit: Sit ità, licèt; da mihi tuum cor, quod ego perficiam. Postquam id dixisset, meus sanctus Angelus Custos venit ad me, & exemit ex me cor meum, quod vidi in ipsius manibus, & clarè agnovi esse carneum. Tulit illud ad Dominum, quod ejus Majestas suscepit, ac servavit, dicendo: Ego illud perficiam, ego illud reddam conforme meo; sed addidit: Anima mea, priusquàm abeam, volo tibi conferre aliud donum, quod tu ipsa ex mea manu suscipias. Et vidi, quòd haberet in suis manibus aliquid valde splédens, ac pretiosum; quod ubi vidissem, concepi summum erga illud affectum, atque sinè mora sanctus Angelus me duxit eò, ubi erat Dominus, ubi humi prostrata ipsum adoravi. Elevavit me statim, extendi manus, & conjunxi, ut susciperem illud donum, quod mihi ipse Dominus porrexit, erant autem viginti quatuor nummi coronati ex purissimo auro splendidissimi, & singuli habebant in medio quendam quasi claviculum, seu cuspidem. Accepi illos, & compressi fortiter manus, cum magna aviditate, nè mihi exciderent. Hi nummi erant figura ardentissimi, fixique in corde Amoris DEI, quia aurum significabat ardentem amorem; & clavus, quòd iste amor esset quasi acclavatus, ac defixus in corde. Egi magnas gratias meo Domino, pro beneficio mihi collato, & ipse discessit à me, dicendo: Anima, es plurimùm ditata, vale. Atque dum Divina Majestas manum, quam habuerat elevatam dimitteret cum magna gravitate, ego accessi & osculata sum illam, applicuíque meis oculis, & ori. Dominus autem ipsam subitò elevavit, deditque mihi suam sanctissimam benedictionem quàm amabilissimè, impositâ etiam suâ sanctissimâ manu meo capiti.

Postquam ad me redij, sanctus meus Angelus Custos mihi dixit: Anima mea, es vehementer avara ac dives, propter tuos aureos nummos. Quid cogitas cum illis facere? Cui ego respondi: Angele mi, conserva mihi illos. Nequaquam (dixit Sanctus Angelus) bene feceris, si eos distribueris proximis. Cùmque ego tacerem, respondit secundò: Eja, distribue illos, & cogita, cui possit prodesse, si illi aliquis donetur. Tum respondi: Sit ità, Angele sancte: Vellem unum dare cuidam Personæ vehementer afflictæ, tribulatæ, ac desolatæ, quam novi, & nominavi. Sanctus Angelus respondit: Bene dicis. Mitte illú ipsi. Alterum vellem dare cuidam infirmo, qui patitur graves dolores, & magnopere indiget cœlesti auxilio, ad eos tolerandos. Duos autem vellem dare duabus Personis, quibus sum obligata, quas etiam nominavi. Et sanctus Angelus dixit: Bene facis, mitte illos ipsis. Atque statim unus sanctus Angelus ex meis, acceptos eos nummos ex mea manu illis tulit.

§. III.

ALio die (in Januario anni 1622.) venerunt ad me Domini mei sancti Angeli, & dixerunt mihi: Soror, valde es fatigata, & afflicta, Dominus nobis mandat, ut te aliquò ducamus, ubi aliquantùm releveris, tam in spiritu, quàm in tuo corpusculo. Veni nobiscum. Ecce feremus te absque ulla tui corporis molestia. Vidi, quòd haberent præparatam quandam lecticam mirabilem supernè apertam, in qua me posuerunt, ac tulerunt ad quandam eminentem altitudinem, unde poterant admiranda spectari; ibidémque mihi ostenderunt, quidquid mihi potuit adferre levamen, solatium, oblectationem, gaudiú & quietem, usque ad beatitudinem, & illam sufficientiam omnium bonorum, ut nihil superesset ampliùs, quod desideraré. Atque in eo loco mansi satis diu. Cùm jam videretur esse tempus, ut me referrent ad meum angulum, vidi Majestatem DEI Domini nostri, qui mihi dixit: Soror, ésne hîc? Bene veneris, quis te huc tulit? Quiesce, & respira à tuis afflictionibus. Nolo autem, ut abeas ex mea domo vacua, quin auferas aliquod donum. Et vidi, quòd Divina Majestas haberet in sua san-

ctissima manu quandam parvam Hierothecam Eucharisticam, atque intra illam sanctissimum Sacramentum Altaris. Tene, ajebat Dominus, ac suscipe hoc donũ. Et dico tibi verè, quòd ab hodierno die, in omnem deinceps vitam tuam, sis futura quædam Hierotheca Domini, existentis in Sacramento. Accipe, quod tibi dono. Inveni me statim solatio plenissimam, sensique eosdem affectus in mea anima, quos experiri soleo post sacram Synaxim: & quotiescunque recordor istius mysterij, iisdem moveor affectibus, sempérq; præsentem meæ animæ DEUM reperio.

Octiduo post venit ad me sanctus meus Angelus Custos, apprehendítque meum brachium, & consideravit diutissimè superiorem partem manûs. Dabat quoque signa omnibus reliquis Angelis, ut convenirent ad spectaculum, qui erant quasi attoniti, aspicientes aliquid, quod ibi erat, cum magna attentione. Ego etiam aspexi, sicut ipsi, vidique clarè, me habere in manu exsculptam parvam quandam Crucem, atque in illius medio parvam splendidissimam stellam. Postquam vidissent hanc manum, contemplati sunt alteram, quam ego similiter sum contemplata, vidique idem, quod in priore: ac deinde consideraverunt pedes, & ego etiam illos consideravi, vidíque me in quovis pede habere parvam Crucem, & in ejus medio quendã quasi nummum aureum elegantissimum instar stellæ, quem sancti Angeli fixè intuebantur, quasi obstupefacti, quòd viderent illam novitatem ac mysterium.

Accesserunt etiam ut contemplarentur cor, quo viso prostraverunt se in terra cum magna reverentia, positisque humi suis capitibus, permanserunt aliquamdiu in eo situ. Ego quoque inspexi meum cor, quod apparebat instar alicujus elegantis gemmæ, & habebat quandam profunditatem, plurimarum rerum capacem. Vidi Dominum, cui Angeli exhibebant reverentiam, & quidem tribus modis: Nimirum existentem in Sacramento, deinde instar parvuli dormientem; præterea vidi absque ulla figura Divinitatem ipsius, & Essentiam. Plurimùm sum mirata, videns tam Divina mysteria, & sancti Angeli etiam assurrexerunt, vehementérque stupentes contemplabantur, quæ ibi erant. Ego fui mihi restituta post illam ecstasim, & quando ad me redij, erat mysterium illud finitum.

LIBER IV.
MIRABILIS VITÆ VENERABILIS VIRGINIS
MARINÆ DE ESCOBAR.

De ſpecialibus revelationibus, quas habuit de prærogativis Angelorum, & Sanctorum, qui illam viſitabant, déque ijs Beatiſſimæ Virginis, quæ concernunt immaculatam ipſius Conceptionem & Aſſumptionem, nec non de eximijs nonnullis rebus, quæ illi cum ipſis evenerunt.

POſtquàm recenſuimus revelationes, quas Venerabilis MARINA habuit de gloria omnium Angelorũ & Sanctorum Cœlitum generatim, ſequitur, ut referamus ſpeciales, quibus illi DEUS manifeſtavit officia ac prærogativas Angelorũ Cuſtodum, & quorundam Sanctorum, qui ipſam frequentiùs inviſebant, præſertim verò primam & poſtremam prærogativam ſacratiſſimæ Virginis: unam, quæ concernit puriſſimam ipſius Conceptionem: alteram verò, quæ ſpectat ad glorioſiſſimam Aſſumptionem; unàq; exponamus, quæ ei tunc notatu digna contingebant, ſuppoſitis multis, quæ de his cœleſtibus Aulicis ſunt dicta, & dicentur in revelationibus, de alijs myſterijs.

CAPUT

CAPUT I.

Quomodo illi DEUS patefecerit varia ministeria Angelorum, quæ obeunt in commodum hominum.

EXordiamur ab antiquissimis Cœli Incolis, qui sunt Angeli, quorum prærogativæ, officia ac ministeria impenduntur, ac ordinantur in bonum hominum. Eorum namque omnium DEUS valdè distinctam contulit suæ Famulæ notitiam.

§. I.

Angeli manifestant hominibus Divina magnalia.

PRimam Angelorum habuit visionem, dum obirent suum præcipuum munus, quod est, manifestare hominibus mysteria & secreta DEI per species & repræsentationes proportionatas ipsorum statui. Ea fuit hujusmodi. Dum, *inquit*, agerem cum DEO collecta in meo cubiculo, vidi oculis animæ, adesse ibi præsentes tres puellos, valde formosos & gratiosos, præseferentes ætatem quasi decem annorum, elegantissimè indutos vestibus exornatis auro, & gemmis, capilli erant flavissimi coloris aurei, quos habebant cinctos pretiosissimis zonis aureis, circumdantibus eorum capita. Quia verò ipsos non noverâ, utpote nunquam à me visos, vix illos audebam aspicere, sed quando subinde attollebam oculos, & eos intuebar, videbam manifestissimè unum indutum veste puniceâ, exornatâ auro, suâque zonâ redimitum; verùm alios duos non discernebam tam clarè: quia stabant ità conjuncti, ut cùm videretur primus, non possent bene conspici reliqui duo: interea tamen simul videndo primum, videbam per ipsum cæteros, indutos vestibus candidis, auro fulgentibus ac argento, & habentes in capitibus zonas aureas & argenteas. Præterijt is dies ità, ut illorum non ampliùs recordarer. Postridie verò cùm essem collecta, adverti eâdé noctis horâ, juxta me Angelum meum Custodem, quem etiam nunquam aliàs videram, neque senseram præsentem; ex illustratione verò cœlesti ipsum agnovi, & ille mihi dixit, tres parvulos, quos præterlapsâ nocte videram, fuisse sanctos Angelos. Ego hoc dicto eram consternata, neque id satis poteram credere, dicendo intrà me frequenter: Angelíne ad me? ego sanè id non mereor, sed aliquid aliud longè diversum. Dum hoc dicerem, ac dubitarem, modicúmque timerem, dixit mihi Dominus: Quare ità es dubia ac timida, dicendo: Angelíne ad me? Angelíne ad me? ubi sum ego, nunquid non erunt & ipsi? Cùm hoc audirem dici à Domino, fui vehementer confusa, neque ampliùs sum ausa proferre illa verba. Tantùm dixi: Iò certè est, mi Domine.

Alio die manè mihi dixit Divina Magestas clarissimè, ità ut mihi omne dubium eximeret, illos tres parvulos, quos videra, fuisse suos Angelos, & argunt me incredulitatis, quam habueram. Eram vehementer afflicta propter admissam culpâ, quòd noluerim ipsos aspicere, & rogavi Dominum, ut mihi ignosceret istum defectum, innuendo ipsi, ut si placeret, permitteret me eos videre, quandoquidem fuerim tam inurbana, ut illos, cùm haberem præsentes, non fuerim intuita. Respondit mihi Dominus: Dico tibi, quòd cùm fueris incredula, & in aliquantum deliqueris, non sis ipsos tam citò conspectura. Et factum est ità, quia præterierunt multi dies, quin illos viderem, donec mihi Dominus contulisset ingens lumen pro agnoscendo altissimo mysterio Sanctissimæ Trinitatis, quo tempore mihi manifestavit secretum trium illorum Angelorum, ut cùm essent tres, viderem unum, & in illo uno videre omnes tres; significans mihi, hanc visionem me habuisse, ut præpararer ac disponerer pro meliùs intelligendo mysterio San-

Sanctissimæ Trinitatis, & quomodo, licèt sint tres Personæ, unus tamen tantùm sit DEUS ac Dominus; atq; tunc istos Angelos vidi quàm clarissimè.

§. I.

Quomodo custodiant homines.

OFficium perspectissimum Angelorum est, custodire homines, id quod ipsi Dominus, manifestavit hunc in modum. Decumbebam, *ait*, in lecto propter magnam debilitatem, & infirmitatem, ac tum inter ardentes affectus amoris DEI vidi oculis animæ, ad caput lecti, adesse duos Angelos, qui tenebant manus sub cervicali, ut assurgerem medio corpore, quemadmodum infirmus erigi consuevit in lecto. Hi Angeli erant mirum in modum formosi, sed alter longè formosior altero, quia erat indutus elegantioribus vestibus, candidis instar nivis, & in humeris & pectore decussatim circumdatus pretioso quodam ac splendido cingulo, ex purissimo auro; capilli verò erant flavi instar fibrarum pretiosissimi auri, & oculi instar clarissimarum & lucidissimarum stellarum. Aspiciebam illos cum ingenti solatio, specialiter verò illum formosiorem, quem intellexi, peculiariter illustrata à DEO, esse meum Angelum Custodem: sed aliunde vehementer confundebar, & pudefiebam, quòd mihi exhiberetur ista gratia, ut ter quaterve me voluerim indè proripere, si potuissem, & fuissem permissa. Incepi cogitare, quem in finem sancti Angeli mihi præstarent talem favorem, & quia tota eram occupata à cognitione mearum miseriarum, imaginabar mihi, sisti me ab ipsis eo modo coram Divina Majestate, ut mihi eas ignosceret, meique misereretur; ac si aliquis constitueret pauperem valde miserabilem coram quopiam Principe, ut permotus ipsius egestate, ac miseriâ illi subveniret. Dum essem intenta isti considerationi, dixit mihi Dominus quàm amantissimè ac suavissimè: Adverte, non esse id quod tu cogitas, sed quod ego tibi dicam: Non recordaris, te frequenter audivisse, quòd scriptum sit de ijs, qui me diligunt & servant mea mandata: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus vijs tuis; in manibus portabunt te, nè fortè offendas ad lapidem pedem tuum?* Hoc igitur est, quod modò tecum agitur. His verbis adeò exarsit cor meum amore hujus Domini, ut videretur totum esse conversum in ignem, dixerimque ipsi cum vehementi affectu: Jam memini, mi Domine, ac Dilecte animæ meæ: sed ego non perceperam tam multùm, quia istam admirabilem magnitudinem tuæ infinitæ bonitatis non expenderam, neq; immensitatem clementiæ, & misericordiæ, quam exhibes peccatoribus; ideóque non existimabam, nec mihi veniebat in mentem, quòd loquereris mecum, quæ sum adeò plena peccatis, & miserijs; sed cum illis, qui tibi verè serviunt, & obediunt. Tandem autem, nescio quid tibi dicam, nisi ut benedictum sit nomen tuum in æternum, propter hanc infinitam bonitatem, ob quam taliter agis. Tum sancti illi Angeli me elevaverunt, & reperi me in cœlesti Jerosolyma, ubi mihi contigerunt ea, quæ sunt superiùs narrata.

Aliàs manè expergefacta, vidi ad caput mei lecti stantem quendam sanctum Angelum, eique innixum cum summo silentio, quasi me custodiret dormientem, nè mihi aliquid accideret noxium animæ vel corpori; & obstupescens attentionem hujus sancti Angeli, glorificavi DEUM, propter curam, quam de me habebat.

In alia gravi molestia & afflictione, in quam me redegerant dæmones, dum me putarem esse solam, ideóque affligerer, dixit mihi Dominus: Noli affligi, quia non es sola: hic sunt, qui te juvabunt, tibique subministrabunt omnia necessaria. Subitò elevavi oculos animæ, & vidi illic adesse quatuor vel quinque Angelos, fixè intuentes meum vultum, ut viderent quid vellem, & quanam re indigerem, recreárentque me in ea afflictione: ideo apprehenso lecti tegumento, elevaverunt illud aliquantum, ut me refocillarent, atque ità cessavit meus vehemens sudor. Attonita, quòd viderem curam, quam habebant sancti Angeli, qualem habere posset famu-

familus fidelis, ac solicitus de præstando obsequio, Domino suo in simili molestia, dixi illis: Sancti Angeli, attendite ac advertite, me, cui exhibetis istum favorem, esse vilissimam, & miserabilissimam creaturam omnium, quas habet DEUS, atque vos esse Aulicos cœli, & Spiritus Beatos. Ipsi responderunt: Noli consternari, neque mirari, id quod vides: nos enim sumus servi communis omnium Domini, qui est tuus Pater, ideóque non est mirum, quòd servi Domini in rebus necessarijs serviant ijs, qui sunt filij ejusdem Domini, cui famulantur.

Aliâ vice, cùm in lecto decumberem, solitò afflictior, licèt mei quatuor Angeli consueverint me in surgendo juvare, vidi venientem quendam Seraphinum in curru igneo, qui totus ardens, ubi descendisset ex curru, apprehensis meis humeris, nullo negotio me erexit.

§. III.

Quomodo ungant, & confortent homines.

A*Liud munus Angelorum est, confortare debiles, ipsósque recreare, augendo spirituali unctione gratiæ, & gaudio Spiritûs sancti. Hoc illi ostendit Dominus, dum esset vehementer debilis, sed vehementer flagraret amore Christi Domini.* Vidi, *inquit*, illum oculis animæ, quòd adesset, méque amantissimè intueretur. Sua Majestas aspexit Divinis suis oculis quosdam sanctos Angelos, qui aderant. Dum ipsos aspiceret, inceperunt se movere ex loco, in quo erant. Non vidi autem, quid agerent, sed adverti, me habere ingens linteum & candidissimum, suppositum mento, idémque totum extensum in lecto. Mirabar, & stupebam cogitans, velléntne mihi fortè præbere aliquem cibum, ad corroborandam meam debilitatem. Cúmque id cogitarem, accessit unus ex illis sanctis Angelis quàm reverentissimè ad Christum Dominum, & summè attentus ad id, quod agebat, plumulâ aureâ valde artificiosâ & pretiosâ, quæ erat imbuta quodam Divino liquore, signavit me triplici cruce, unâ in fronte, alterâ juxta os, & tertiâ in pectore, quæ remanserunt expressæ in ijs partibus, splendentes instar purissimi auri, adeóque quodammodo insculptæ, ut non viderentur posse deleri. Deinde advenit alius sanctus Angelus, & abstulit mappam, quæ mihi fuerat applicata. Admiranti mihi id, quod fiebat, neque scienti, quid hoc mysterium significaret, declaravit illud Christus Dominus, dicendo: Nunquámne audivisti, referri locum quendam Scripturæ: *Unxit te DEUS, DEUS tuus oleo letitiæ?* Hoc ipsum est, quod modò tibi accidit: gaude, & esto contenta, quia modò denuò uncta es meâ gratiâ, & confortata virtute meâ. Factúmque est ità, quia fui vehementer recreata, valdéque corroborata post debilitatem & imbecillitatem, quam senseram.

Quoad hanc visionem multò magis miror id, quod illi contigit post duos menses, quando ipsam voluit describere, non est enim imaginabilis affabilior conversatio, eâ, quâ tunc egit cum Domino. Non poteram, *ait*, recordari, fuissèntne tres cruces, an tantùm duæ: quia non memineram, ubi fuisset formata tertia, vel utrùm, qui ipsas efformavit, fuerit Angelus, an verò ipse Dominus. Cúmque nollem progredi in eo, quod scribebam, interrogavi ordine de his omnibus Divinam Majestatem, & ad omnia mihi sic fuit responsum: Cruces fuerunt tres, & tertia est efformata in pectore. Fuit autem Angelus, qui te unxit meo nomine, & meâ potestate; ac proinde accepisti eandem virtutem, quam accepisses, si ego ipse id fecissem: sicut do meam potestatem Sacerdoti, qui meo nomine, & meâ potestate ac verbis, potest absolvere à peccatis, baptizare infantem, & mundare à peccato originali, ac reliqua officia Sacerdotis peragere.

§. IV.

Ferunt pretiosa Dona DEI hominibus, & procurant reditum hominum ad DEUM.

A*Mplificemus, quod dictum est, aliâ ejusdem, in qua palàm fit, quomodo DEUS per gratiam*

istos beatos Spiritus nobis confert sua dona, ac virtutes cœlestes, ydémque procurent id, quod nos illi debemus, retribuere, ac vicissim offerre in compensationem, & gratiarum actionem, qua in re consistit primarium, maximéque proficuum Angelici muneris obsequium, quod nobis exhibent.

Vidi, *ait*, quodam die (anno 1615.) quinque vel sex Angelos DEI, qui admirabiliter ferebant quoddam elegans & pretiosum scrinium, mediocris magnitudinis, pellucidum ità, ut forinsecus conspiceretur thesaurus, qui intus ferebatur. Erat ex nitidissima crystallo, & ornatum auro obryzo. Mei sancti Angeli exceperunt cum magno gaudio eos, qui advenerant cum isto scrinio, & statim illud collocaverunt, ac aperuerunt mysticè, cœperúntque exponere gemmas & thesauros, qui in illo adferebantur, ponentes singula illa pretiosa cimelia in manibus singulorũ illorum sanctorum Angelorum, qui obtulerant mysterium, coram reliquis adstantibus, & sancto meo Angelo Custode. Interea, dum id fieret, etiamsi mea anima hæc videret (quia ad videndum cogebatur) manebat unita DEO, petens ab illo, ùt solet, cum tenero fervore sanctissimum ipsius lumen, nè deciperetur. Tum illi sancti Angeli, servi magni Regis Majestatis, & sanctus meus Angelus Custos, mihi dixerunt: Soror nostra, attende, & cognosce misericordias, quas tibi DEUS præstat, ac Dona, quæ suâ divite, ac pretiosissimâ manu tibi elargitur. Aspice illa, & suscipe, cum gratiarum actione. Tunc mea anima defixit oculos in illo mysterio intentissimè, quia jam non poterat aliter fieri, & vidit in manibus singulorum illorũ sanctorum Angelorum singula cimelia pretiosa, ac admiranda, ex purissimo & splendidissimo auro, nec non gemmis elegantissimis, quasi cœlestibus; sed unumquodque diversimodè efformatum. Unus habebat in suis manibus annulos, qui mihi videbantur esse septem, repræsentantes & significantes septem dona sancti Spiritus; alius habebat inaures, quæ significabant auditum purum, & attentum animæ, obedientis DEO suo; alius habebat velum pretiosissimum, distinctum varijs coloribus, & umbris, quod significabat virtutem silentij ac prudentiæ, pro occultandis & abscondendis donis, quæ anima accipit à suo DEO, usque ad tempus & occasiones, dum DEUS manifestaverit, se aliud velle; alius habebat armillas, & brachia significantia oblivionem, & contemptum omnium rerum temporalium, & creatarum, præter DEUM; alius cingulum, significans puritatem & castitatem; alius torquem, & alius denique coronam, repræsentantes finem & præmium, quod DEUS ex sua bonitate & misericordia dabit animæ, quæ bene fuerit usa donis acceptis, ab ipsius misericordia, & ex Divina ejusdem manu.

Visis his omnibus thesauris, mea anima obstupuit, & vehementissimè fuit confusa. Interea meus sanctus Angelus Custos, accedentibus ad me istis sanctis Angelis, mihi imponebat singula illa cimelia, suo loco, quod ego vix videbam, vel intelligebam, siquidem mea anima erat notabiliter afflicta, timens, nè in aliquo erraret. Mansi in eo statu aliquamdiu, & idem meus sanctus Angelus Custos, mihi subitò omnia rursum abstulit suo ordine, posuitque illa dona in manibus sanctorum Angelorum, à quibus ipsa acceperat, & illi ea receperunt, ac reposuerunt in suo scrinio, quod cum magno gaudio omniũ ibi præsentium dederunt ac tradiderunt sancto Angelo meo Custodi, qui acceptum servavit in se ipso, cum demonstratione singularis gaudij, ac lætitiæ in Domino; cui cùm ipse magnas ageret gratias pro tot misericordijs & auxilijs, quæ conferebat animæ sibi commissæ, ut illam custodiret, regeret, atque gubernaret ipsius nomine, ego stupebam, mirabar, atque confundebar sicut anteà, ideóque non dicebam ullum verbum ampliùs, quasi nihil horum mihi accidisset. Et cùm viderem sanctos Angelos, qui attulerunt illum thesaurum, non abeuntes, acsi aliquid expectarent, quod mihi non incidebat, tandem sanctus meus Angelus Custos, & quatuor mei Domini, videntes me ità abstractam, mihi dixerunt, quasi me vellent expergefacere:

Soror, quid agis? qualem te exhibuisti erga Dominum, & non meministi, neque tibi in mentem venit, ut illi significares, quòd agas ipsi gratias, & illum benedicas pro tantis misericordijs, quantas tibi præstitit per hos Dominos Principes, quorum manibus tibi misit sua dona? Nónne vides, esse inurbanitatem, quòd illos permittas expectare, & hîc detineas? Hoc audito videbar mihi veluti expergisci ex somno, & conjectis seriò ac fixè oculis in eos sanctos Angelos, qui advenerant cum thesauro, dixi illis: Principes Legati Cœlestes, per Dominum, quem adorant, & cui serviunt, ignoscant mihi meam tepiditatem, & dicant Domino DEO nostro Majestatis, quòd indigna ipsius serva, illi significet, se ei agere infinitas gratias, illúmque laudare pro eo, quod est in se ipso, & pro infinita ejusdem Omnipotentia, Majestate, ac Magnificentia, próque eo, quod est, ac fuit erga nos suas pauperes creaturas, exhibendo omnibus suam misericordiam, præbendóque singulis speciatim auxilia & subsidia necessaria ad suam salutem ac majorem profectum, & præsertim huic suæ ancillæ indignæ, ac miserabili, quæ non utendo illis, quemadmodum tenetur, ea dissipat, tanquam vas argillaceum malè excoctum. Et cùm Divina Majestas sit tantus Rex ac Dominus, & Monarcha cœli ac terræ, sítque tam infinitè bonus, per istam tantam gratiam & misericordiam, quam nunc denuò mihi præstitit, peto ab ipso aliam, quæ est Divina ejusdem gratia & favor, ut utar secundùm ejus acceptabilissimam voluntatem, omnibus ejus misericordijs ac donis, nè perdam meâ culpâ, & negligentiâ thesauros ac divitias, quas ex ipsius Divina manu suscepi. Hoc ab ijs peto, & rogo, ut dicant, meo nomine, Domino Majestatis. Illi sancti Angeli audiverunt attentè meum nuntium, & responderunt mihi, se ità facturos: quod mihi vehementer placuit, quia videbar mihi pro mea paupertate & exiguitate retribuisse, quantum poteram, nostro magno DEO ac Domino, à quo acceperam illa dona.

Sed ijdem sancti Angeli dixerunt subitò: Soror nostra, & præter hoc, quod significas Domino Majestatis, quale donum illi offers, ut gratam te exhibeas pro magnis, quæ ipse tibi modò per nos misit? Et hoc dicto unus ex illis Dominis, qui primariò aperuerat scrinium, ut inde exponeretur thesaurus, ac postea illum in eo reposuerat, & clauserat, protulit quandam elegantissimam ac pretiosissimam pelvim, dixitque: Soror nostra, da nobis huc aliquid, & pone hîc quodpiam donum tuâ manu, ut illud feramus, ac præsentemus magno Regi, nomine tuo: æquum enim est, ut qui aliquid accipit, respondeat pro suis viribus illi, cui est obligatus: Noli nos dimittere ità vacuos, cum solo nuntio. Quando mea paupercula anima audivit hoc dici propter apprehensam suam tam exaggeratam miseriam, ac paupertatem & vilitatem, incredibiliter indoluit, & fuit afflicta, dixítque: Mei Domini, sciant, me esse pauperrimam, & miserabilissimâ creaturam omnium, quas habet Dominus DEUS noster Majestatis, ac proinde nihil habere offerendum meo Domino, quod non acceperim ex ipsius manu, & hoc ipsum, quantum in me est, dilaudavi & impendi perperâ: ideóque nescio, quid illi offeram, quod ipsi placeat, sítque gratum, & quod ei etiam non obtulerim. Hæc omnia audiebat attentè sanctus Angelus meus Custos, qui erat mihi valde vicinus, & secretò alloquens arcano quodam modo meam animam, dixit illi: Soror, offer nunc denuò tuo magno Regi ac Domino tuum cor, & tuam animam. Tunc ego ex illa admonitione mei sancti Angeli, cepi solatium in Domino, quia mihi admirabiliter placebat, quod dicebat, erátque maximè conveniens voluntati meæ ac indigentiæ, unde illis dixi: Legati cœlestes, mei Domini, nescio quid possim offerre Domino Majestatis, quod ipsi jam non obtulissem, sicut dixi: sed nunc denuò offero Divinæ Majestati meam animam & cor; ut Divina Majestas per suam Bonitatem ac misericordiam illud destruat ac innovet, creétque in visceribus meis spiritum novum & humilem. Vehementer nobis placet, Soror, tuum munus (dixerunt illi san-

li sancti Angeli) nos illud acceptamus DEI nomine. Aspexit me tunc meus sanctus Angelus Custos, unde cognovi, quòd vellet auferre cor meum pro munere, sicut fuerat promissum; & propter illam meam apprehensionem, naturaliter incipiebam deficere meis viribus naturalibus. Videns id sanctus Angelus meus Custos, accessit ad me, dixitque mihi: Eja Soror, noli animo concidere, quia munus, quod das Domino, non est cor carneum, sed spirituale, & cor cordis, quod sunt affectus vehementes ac ardentes erga DEUM, quos iste Dominus infundit animæ, per suam infinitam bonitatem. Atque istud est cor, quod nunc offeres DEO; nè igitur exanimeris. Et cùm hoc ultimum diceret, posuit manum ad meum latus sinistrum, absque meo dolore; imò potiùs cum maximo levamine; & quando illam amovit, vidi quòd in ipsa haberet quandam figurâ cordis, instar carbonis igniti, & habentis colorem rubini pretiosissimi ac splendidissimi, tribus auri purissimi zonis circumdati, videbatúrque summi esse pretij, & valoris. Meus sanctus Angelus illud cum maximi gaudij & stuporis indicijs dedit ac obtulit ijs sanctis Angelis, quod ipsi pariter servaverunt, cum majoribus demonstrationibus admirationis ac lætitiæ, posuerúntque in pelvi, quam in hunc finem habebant; Et postquam mihi valedixissent quàm amantissimè, atque egissent admirandis verbis gratias (quâ ratione sunt cõsolati meam animam) abiverunt, valedicentes etiam meo sancto Angelo, & quatuor meis Dominis. Fui recreata, & valde obstupui talia DEI opera. Paulò pòst autem reversus est ad me sanctus Angelus meus Custos, dixitque mihi admirabundus: Quid tibi videtur, Soror, de hujusmodi operibus DEI, & de talibus misericordijs, quales tibi præstat? Bene te sibi obstrinxit Divina Majestas, ut des pro illo, ac ad ipsius libitum vitam, si opus esset, sisque resignata ex toto tuo corde ac anima in ejus acceptabilissimam voluntatem, ut in te exequatur omnia, quæ voluerit, pertinuerintque ad ipsius gloriam, & obsequium.

CAPVT II.

Quomodo illi DEUS manifestaverit magnam potentiam & curam Angelorum, in ipsa protegenda contra dæmones, iisque castigandis, & de rebus notatu dignis, quæ illi ea in re evenerunt cum S. Michaële, & S. Gabriele; nec non insignibus gratijs, quæ ei ab ipsis fuerunt exhibitæ.

Sed specialiter DEUS voluit manifestare Famulæ suæ magnam potentiam, quam habent Angeli, ad omnia peragenda, quæ illis injunxit, præsertim contra dæmones, ad reprimendas ipsorum furias, & puniendos eorundem excessus.

§. I.

QVadam vice, *ait*, mihi comparuit vastissimus fluvius, & Angelus, qui uno solùm pede in illud immisso detinebat ipsius furiosum impetum, ut significaret se eàdẽ facilitate posse virtute divinâ detinere impetũ nostrarũ tribulationum & molestiarum. Aliàs vidi magnam rotam, plenâ innumeris novaculis, repræsentantibus hostes, qui nos persequebantur in mundo: me verò stupente & interrogante, quis ab illis futurus esset immunis, subitò quidam Angelus illam, me inspectante, quàmcitissimè destruxit, dicens, quòd eâ facilitate, quâ ille destruxerat istam rotam, possit DEUS liberare ab ijs periculis; & ipsemet Dominus mihi dixit, gratiam DEI, & bonam voluntatẽ hominis ex illis eruere.

Verùm maximè eluxit hæc potentia contra dæmones, qui ipsam persequebantur, dũ illi quàm solicitissimè succurrerent, ut eam defenderent, quemadmodum patuit in casibus recensitis in primo Libro, præter istum. Aliquando, *inquit*, cùm mihi Dominus magnificè promisisset, daturum se mihi, quidquid peterem; afflicti propterea dæmones, & acti in rabiem, venerunt turmatim, quasi pugnaturi contra me, quorum unus agebat Ducem. Sed gloriosus sanctus Michaël venerat suâ visitatione, qui ostendens maximam potentiam, unico motu suæ manus exanimavit dæmones; unde hi mordentes se ipsos, dicebant cum rabie: Ergóne istam maledictam non confundemus, & pessumdabimus? atq; unus præcipuè dixit: Omnia proterit suis pedibus, & solum DEUM respicit, ideóque ipse facit, quidquid ab illo petit. Finito hoc cõflictu venit alius Angelus cum thuribulo, ex quo prodibat odor suavissimus, quem ego sensi, & postea sanctus Pater noster Ignatius, ac Pater Christophorus de Ribera, vir sanctus, & Christus Dominus illos sequens, tanquam Sacerdos suos ministros. Cùm autem advenisset, formavit in meo capite signum Crucis, quo fui sanata ab ictu, qui mihi ex astutia dæmonis in eo fuerat inflictus.

Aliâ vice, vidi in meo cubiculo multos dæmones congregatos, qui mihi cum ingenti rabie vehementer optabant nocere, ità ut noctu non auderem in illud ingredi, nè cohabitarem tam malis socijs, neque audirem ipsorum blasphemias, & nequitias, unde confugi ad DEUM, ut me ab ipsis liberaret; ille verò mihi dixit: Nè te affligas, quia sunt sinè comparatione multò plures, qui te juvant ac defendũt, quàm qui tibi intentant malum, téq; oppugnant. Quidquid autem tecum tam amici, quàm inimici egerint, totum cedet in tuum bonum. Ità fui confortata, & attollens oculos, vidi mihi assistentes multos Angelos, quod mihi attulit magnum solatium. Postridie cùm legerem ad fenestram ejusdẽ cubiculi, adverti in eo committi quoddam quasi prælium, adeò vehemens, ut omissâ lectione me verterim, visura quid esset, ac vidi à quibusdam sanctis Angelis ejici inde dæmones ex mandato DEI, quamvis illi se defenderent, & quando sibi ipsos videbantur ejecisse omnes, redibant aliqui per rimas portæ, quos tandem etiam abegerunt.

Aliàs (14. Junij anno 1600.) dum agerem cum Christo Domino, & sacratissima Virgine, venit quidam Angelus magnæ majestatis, quem sequebantur plurimi dæmones, cúmque Christus Dominus ostenderet se velle abire, petij ab illo sanctam benedictionem, quam mihi Dominus negavit, significando, quòd, si mihi ipsam daret, dæmones in momento fugerent. Postquam Divina Majestas abivisset, suscitaverunt adversum me grande prælium ac tumultum, cum monstrosis vultuum distorsionibus, suffumigationibus, & alijs adinventionibus. In his certaminibus mihi fuit dictum, magnum illum Angelum ibi præsentem esse sanctum Michaelem, qui venerat ad me defendendam, méque quasi circumibat, repellendo illos manu, & in gravi quodam ipsorum insultu exhibuit quandam lanceolam cum suo vexillulo, quâ dum terram percussisset, omnes fuerunt superati & prostrati, erepserúntq; paulatim sub porta. Et quia ego eram vehementer fatigata ac debilitata ex hac pugna, quasi corporaliter peracta fuisset, sanctus Angelus accepit thuribulum aureum, & circumivit me ter, ut abigeret fœtorem, quem ibi relinquerant dæmones, ac certo loco se inclinabat. Existimo illum id fecisse coram Christo Domino. Cúmque adhuc remanerem valde debilis, dixerunt sancti Angeli, qui mihi assistebant, opus esse pluribus remedijs, & accedens sanctus Archangelus propiùs, formavit signum Crucis in mea fronte. Quia verò nihilominus sentiebam debilitatem, afflavit me, quasi me vellet confortare halitu suæ respirationis, quo fui magis corroborata. Et illo die mihi exhibuit alium favorem, comitando me, quando ibam ad Templum, ut more solito interessem Sacro, & communicarem.

§. II.

Sed intermissis alijs eventibus, referemus colloquium plenum mysterijs, quod cum illa instituit sanctus Archangelus Gabriel, puniendo dæmonem, qui eam torsemt, & exhibendo ipsi spectales favores. Dum, *inquit*, agerem cum DEO, tempore quodam matutino (in Martio 1615.) comparuit mihi aliquis dæmon valde procerus, atrox & niger, ac abominabilis. Præseferebat magnam nequitiam. Hæc visio mihi attulit gravem afflictionem ac horrorem. Et licèt mihi videretur adstare sanctus quidam Angelus, subitò averti prorsus oculos. Verùm coacta à Domino, iterum illos ad ipsum converti, & notavi, esse Angelum maximæ majestatis ac potentiæ, ut videretur posse debellare totum Infernum. Hic mihi dixit: Creatura DEI, & Anima redempta sanguine JESU Christi, ego sum Archangelus Gabriel: agnosce me, & scito, me venire in nomine Domini, ac propter officium, quod mihi injunxit, ut te custodirem. Adduco autem tibi hìc istum dæmonem (cùmque verteret manum, & ipsum tangeret, prostravit se, & extendit dæmon humi) quem noveris illum esse, qui te maximè vexavit & afflixit, maléque tractavit; unde tu illum modò debes judicare: est enim in tua potestate & voluntate pœna illi injungenda, propter ipsius nequitiam. Cùm hoc audirem fui afflicta, dixíque illi: Archangele DEI, ego vivo juxta Divinam dispositionem, & quidquid patiar, respicio DEUM, qui suâ manu omnia metitur atq; definit, ideóque id meâ nihil interest, neque me quidquam concernit, solùm desidero exequi voluntatem DEI. Sanctus Archangelus mihi reposuit, dixítque: Ego Soror ideò huc veni, considera, quid velis facere. Ego verò illi rursum dixi: Angele DEI, tu es præditus sapientiâ, ac fortitudine Divinâ, neque potes ulla in re errare; fac quod scis velle DEUM; tibi cedo, ac transcribo meum jus, & quidquid præterea dicis, ad me in hoc negotio pertinere: ego enim nihil ampliùs scio, quid agam. Tum gloriosus Archangelus aspexit Angelum meum Custodem, stantem juxta me cum alijs quatuor, & dixit illi: Angele DEI, cui Divina Majestas commisit custodiam hujus animæ, bene audivisti ac vidisti, quid contigerit. Dic agè, quid tibi videatur ac tuis socijs, ut hìc fiat. Angelus meus Custos respondit valde reverenter, & venerabunde: Archangele DEI, hæc Anima, quam Dominus mihi tradidit custodiendam, nunquam est passa damnũ vel jacturam ullam, propter molestias, afflictiones ac tormenta, quæ ex Divina dispensatione sustinuit à dæmone: quin imò illi profuerunt ad augmentum meritorum & coronam. Ego desidero majus bonum hujus animæ, & gloriam DEI; ac proinde nescio, quid tibi dicam. Aspiciénsque socios, vidit illos quasi indifferentes in eo casu. Tunc sanctus Archangelus Gabriel pede premens corpus illius crudelis bestiæ, & evaginans, quem habebat applicatum cingulo gladium, quasi igneum, valde vehementem, comburentem, & nimiùm horribilem, solam illius cuspidem admovit capiti dæmonis, qui subitò evanuit ac descendit circiter ad ad unam orgiam sub terram, ejulando & lamentando horridissimè, acsi nova tormenta pateretur; Sanctus verò Archangelus Gabriel illi dicebat: Apage proditor, cum his mortalibus doloribus in abyssum Inferni; atque ille post hoc dictum se præcipitavit per quosdam terræ hiatus, & formidabilissima præcipitia, cum majoribus ac majoribus ejulatibus, & angustijs infernalibus. Per hæc præcipitia ruit ad Infernum, inspectante semper sancto Archangelo Gabriele, qui suâ illâ magnâ virtute ac fortitudine, suáque illâ terribili voce, ipsum urgebat, dicendo: Apage proditor, in abyssum Inferni. Ac deinde clausa fuit terra, & sanctus Archangelus Gabriel ibi remansit prope me, illósque sanctos Angelos præsentes, quos statim est alloquutus, dicens: Beati Angeli, profectò Dominus noster Majestatis vos bene occupat in eo, quòd assistatis isti ipsius creaturæ & animæ, eámque custodiatis, quæ tanti cóstitit JESU Christo

sto Domino nostro, & pro qua dedit tantum pretium, quantum fuit pretiosus ipsi sanguis.

§. III.

ET conversus postea ad me, dixit mihi: Creatura DEI, & anima redempta sanguine JESU Christi Domini nostri, multum omnino es passa ab isto dæmone infernali, quem hic vidisti. Sed propter DEI benignitatem & fidelitatem, ac ipso adjuvante, tibi omnia bene cesserunt, atq; ad tuum emolumentũ, & gloriã magni DEI ac Domini nostri, qui tibi munus hoc per me mittit;(tum protulit ramũ palmæ, valde speciosum & pretiosum, in quo erat crux non admodum magna, habens in summitate impositam coronam elegantissimam ex auro & gemmis lucidissimis, qualis fuit ipsa quoque crux) & accedens ad me, dixit mihi peramanter: Accipe, Soror. Sed ego obstupefacta, quòd viderem tanta mysteria & miracula, atque etiam pudefacta & confusa respondi: Nequaquam, Domine, quia non mereor tantum donum, non possum. Et humi prostrata, non audebam præ verecundia assurgere, neque intueri illud pretiosum donum. Videns id Archangelus, dixit mihi: Surge, Soror nostra, suscipe hoc donum. Tunc venit Dominus meus Angelus Custos, tangénsque me, quasi mihi daret signum, jussit me surgere. Surrexi, & provoluta in genua, aperui meum animũ illis duobus Angelis, dicendo: me prohiberi pudore, ne suscipiam tam magnum donum; cùm verò sic oporteat fieri, & DEUS id velit, desiderare me, ut tradatur meo Angelo Custodi, qui bonam ipsius rationem esset redditurus, eò quòd ego non auderem acceptare tantum munus. Dum id videret Sanctus Archangelus Gabriel, dixit meo Angelo Custodi, ut susciperet illud donum pro ea creatura, quam custodiebat, quod Angelus loco ipsius suscepit reverenter, & cum demonstratione gaudij, statimque servavit in se ipso. Cùm mea anima talia videret, & à DEO illuminata cognosceret virtutem, potentiam ac fortitudinem illius Archangeli, fuit quasi attonita, & vehementer obstupescens, illi incepit dicere: Beate Archangele DEI Gabriel, Fortitudo Domini Majestatis, fortunata, felix, & beata est sors tua, eò quòd Majestas nostri magni DEI ac Domini, totáque Beatissima Trinitas te elegerit in Legatum nuntij omnium Divinissimi & admirabilissimi, quæ unquam commissa fuerunt, aut committentur ulli puræ creaturæ. Tu sancte Angele attulisti hoc nuntium maximæ Reginæ ac Dominæ, & purissimæ ab omni macula, divinissimæ, & cœlestibus exornatæ gratijs præ omni pura creatura. O te felicem & Beatum! si enim esse Legatum alicujus terreni Regis est tanta dignitas, censetúrque tam honorificum, eò quòd repræsentet Personam sui Regis, & tantam gratiam illi Rex præstat, cui adfert nuntium, quantò potiores & majores gratiæ ac privilegia fuerint, quæ acceperis à Divina Majestate, à qua fuisti missus ad tam magnum tantíque momenti negotium: quales etiam honores erunt, & quantum nomen, quod in oculis illius summæ Reginæ, ad quam fuisti ablegatus, fueris adeptus? Magnas consequutus es gratias à Domino Majestatis. Ipse sit benedictus millies, & tu sis benedictus à Domino, qui te creavit. Audiens Angelus, quod ego illi cum hoc fervore dicebam, respondit mihi: Creatura DEI, & Amica Domini, omnino verum est, quod dixisti. Sit benedictus noster magnus DEUS, in omnibus operibus suis & miserationibus, quarum una ex maximis mihi ab eo præstitis, quámque ego æstimo, & quâ supra modum glorior, est, quòd ab instanti purissimæ Conceptionis hujus præcelsæ Virginis Matris DEI, semper illi inserviverim, ac adfuerim per totum decursum ipsius sanctissimæ vitæ, quoad usque cum corpore & anima est assumpta ad Cœlos. Et propter hunc favorem ac privilegium Divinum, propterque suam immensam Benitatem, mihi contulit tantas támque varas gratias, sicut dixisti: Tu verò, Soror nostra, cogita nunc, quid velis, ego enim te visitabo, quàm diu vixeris in isto exilio, donec adveniat hora, quam DEUS constituit

ſtituit ad te ex illo educendam, ac tranferendam, pro ſua bonitate, & clementia, ad æterna tabernacula, ubi ipſo fruaris perpetuò nobiſcum, & cum omnibus Beatis; vale: & valedicens Angelis, qui mihi aderant, diſceſſit, cum comitatu multorum aliorum ad cœlum.

§. IV.

ALius caſus huic perſimilis illi contigit in feſto S. Michaëlis. Intulerat, *inquit*, mihi quidam dæmon magnam moleſtiã, atq; ecce! ſanctus Archangelus me inviſit, adducens ligatum hunc dæmonem, dixitque mihi: Iſte eſt, qui te moleſtabat, quid vis, ut cum illo faciam, & qualem pœnam petis à me ipſi infligi? Ego nolebam ipſi annuere, dicendo, quidquid faceret dæmon, fieri DEO permittente, ideóque me non habere quidquã dicendum. Sanctus Archangelus autem inſtabat idem iterando, cui reſpondi: Quod ego deſidero, Angele DEI, eſt, ut ipſum ità liges, nè ullo modo noceat ulli Chriſtianorum, tentando ità, ut illum præcipitet in peccatum mortale. Interrogavit me ſanctus Angelus: Et hoc, quot annis? ſignificans mihi id debere fieri ad tempus limitatum. Cui ego continuò reſpondi: Tot annis, quot Dominus noſter vixit in hac vita mortali. Sed quid hoc proderit, quia alij dæmones ſtatim aderunt ad inferendum damnum, quod iſte illaturus fuiſſet? Sanctus Angelus verò dixit: Hæc erit gratia, quam DEUS tibi præſtat, quòd damnum ab iſto inferendum non ſint illaturi alij; unde fiet, ut nonnullæ animæ, quæ propter ipſũ fuiſſent damnandæ, non damnentur.

Aliæ prærogativæ ſancti Michaelis, ſunt deſcriptæ in myſterijs, quæ jam antè ſunt enarratæ.

CAPUT III.

Quomodo adfuerit Feſto, quod in Cœlo celebratur in honorem Angelorum, videritque gloriam ſui Angeli, non abſque magnis myſterijs.

VT nos DEUS excitaret ad cultum ſanctorum Angelorum Cuſtodum, à quibus tanta bona ſuſcipimus, manifeſtavit ſuæ Famulæ nonnulla valde ſtupenda de feſto, quod in eorum honorem agitur in cœlo à reliquis beatis Spiritibus.

§. I.

DIe, *inquit*, antecedente Feſtum Angeli Cuſtodis (quod Valliſoleti celebratur primâ Martij) mihi agenti cum DEO, more conſueto, oſtendit ejusdem Majeſtas in ſpiritu magnam multitudinẽ Angelorum Cuſtodum, inſigniter armatorum, geſtantium lanceas. Erant ſpecioſiſſimi & pulcherrimi. Vidi illos in quodam plano campo, in cujus medio erat quidam quaſi hiatus Inferni, ex quo conabantur erumpere multi dæmones, ad nocendum, & inferenda damna hominibus: Sancti verò Angeli, qui circumdabant illũ infernalem hiatum, ipſis validiſſimè obſiſtebant, & præcipitabant illos per eundem hiatum deorſum. Non vidi ullum dæmonem inde egredientem, quin imò omnes fuerunt debellati, & mancipati carceri intrà illum Infernum; per cujus hiatum conſpexi, quæ non poſſunt dici, quia ſola eorum memoria me conſternat, ac terrefacit. Audivi vociferationes hominũ damnatorum, ac dæmonum, qui illos torquebant. Nihil ibi erat aliud, quàm confuſio, & enormia tormenta. Poſtquam illi ſancti Angeli Cuſtodes viciſſent diabolos, pulcherrimo ordine, præcedentibus duobus vexillis, quorum unum ferebat ſanctus Archangelus Michaël, progrediebantur

bantur bini ad Cœlum, ubi fuerunt cum plausu excepti à Domino DEO, & à cœteris sanctis Angelis, eorum socijs; atque Dominus illos laudavit propter præclarè debellatos dœmones. Deinde est instituta solennis processio ab omnibus Angelis DEI, qui celebrabant Festum in honorem Angelorum Custodum, ac decantabant eorum laudes, dicebántque: Isti sunt heroës DEI, quibus commisit custodiam animarum, redemptarum sanguine Agni. Obivit processio cœlestem Jerosolymam cum pompa & majestate, eáque finitâ omnes sancti Angeli constiterunt suo quisque loco.

§. II.

ALio anno, pridie ejusdem festi Angeli Custodis, vidi stantem juxta me, & à dextris Angelum meum Custodem pulcherrimè exornatum, vestitum eleganter, ac festivè, coopertum auro & lapidibus pretiosis variorum colorum, demonstrabátque & exhibebat in se oculis meæ animæ magnam potentiam, quâ videbatur posse debellare totum Infernum. Erat quasi intrinsecus armatus, ac sub cingulo habebat adaptata arma exteriora, quendâ quasi parvum acinacem, convenientem corpori, in quo comparebat, & aliud simile telum bellicum. Cùm illum eo modo vidissem, fui vehementer rei novitate attonita, eóque ampliùs, quando conspexi reliquos socios præsentes non esse ità instructos, ideóque illi dixi: Mi Angele ac Domine, quomodo es sic ornatus, ac taliter vestitus? Dum id interrogarem, audivi in cœlo inchoari magnam solennitatem, & resonare multa instrumenta musica ac bellica diversi generis, qualia sunt tympana ac tubæ, aliáque hujusmodi, ut totũ Cœlum videretur exhilarari illo tam suavi ac dulci & sonoro strepitu, quem simul edébant omnia ea instrumenta quàm ordinatissimè. Tum dixit meus Angelus: Anima mea, audisne, quid agatur in nostra cœlesti Jerosolyma? Noveris, ex mandato Domini Majestatis, celebrari magnã solennitatem in illa Divina Aula, in honorem omnium Angelorum, qui sunt Custodes animarum: cui proinde adsumus omnes, cum his vestibus, & armis, quæ in me vides, & significant nostram gloriam, ac splendorem, & virtutem, atque fortitudinem datam nobis à nostro DEO & Creatore, contra potentiam infernalem dæmonum, pro defensione animarum, quas jussu DEI custodimus. Unde & ego pergo ad illam solennitatem: bene vale, & noli affligi, non enim manes absque me. Statímque abivit ad illud Festum cœleste, in conspectu meæ animæ, quæ vidit, quidquid ibi fiebat, & quasi infinitos Angelos Custodes animarum, prædicto modo vestitos, summo ordine, & quàm aptissimè distributos in duas partes, quasi in duas maximas cohortes gloriosorum Principum. Obambulabant circumquaque totum cœlum, cum omni ea cœlesti musica, de qua sum loquuta, & præcedebant illos, instar Ducum, gloriosi Archangeli, S. Michaël, & S. Gabriel; comitabantúrque omnes istos Principes, & Spiritus Angelicos, alij infiniti Angeli DEI, qui unà obibant illam cœli amplitudinem Divino quodam & cœlesti circuitu. Collocaverunt se deinde ordinatissimè coram throno Divinæ Majestatis, ibíque omnes suo ordine se aliquamdiu detinuerunt, cantantes admirabiliter: *Gloria in excelsis DEO;* Tunc Dominus Majestatis aperiens clavi suæ Divinæ voluntatis murum magnæ gloriæ, ostendit se potentem, cum extraordinaria magnificentia & gloria, universis illis Spiritibus Angelicis; quibus in ipsius conspectu prostratis, dedit omnibus suam sanctam benedictionem: quã acceptã, subitò se erexerunt cum summo gaudio. Postquam jam Dominus claussisset illum sacrum murum, discesserunt omnes, modo quodam mysterioso.

§. III.

ALio tali Festo (in Martio 1618.) venit ad me quidam sanctus Angelus valde hilaris, ferens quoddam quasi malum granatum parvum in manu, dixítque mihi: Accipe Soror hoc munus, quod tibi mittunt sancti Angeli Custodes; & statim mihi illud

hi illud posuit supra pectus, ingressumque est hoc malum granatum in me, & jam intrà me existens fuit apertum. Quamvis verò esset parvum, continebat multas pulcherrimas gemmas. Et dixit mihi Angelus: Has DEUS dedit Angelis Custodibus, ut suo nomine tibi illas offerrent in signum incrementi, quod tibi conferet in septem virtutibus, & septem donis, ac duodecim fructibus Spiritus sancti; & quia omnia ista sunt viginti sex, mittunt tibi hoc munus viginti sex Angeli Custodes nomine reliquorum. Interrogavi ipsum: Et Dominus, éstne unus ex illis? qui mihi respondit: Ego sum unus ex supremis cœli Angelis. Dixíque illi: Quale obsequiũ possum ego præstare sanctis Angelis pro isto favore? Respondit: Si commendaveris DEO animas, ipsis commissas.

§. IV.

Alium majorem favorem, prorsúsque specialem ipsi exhibuit in hoc festo sanctus illius Angelus: Qui, *ait*, mihi peramanter dixit: Anima, veni mecum, volo enim te ducere, ut videas locum, quem obtineo in beatitudine, & gloria sempiterna: id namque mihi mandavit DEUS Dominus noster. Veni mecum, siquidem plurimùm recreaberis, & magno afficieris solatio. Quia eram debilis, ac destituta viribus, respondi ipsi: Angele mi, ac Domine, ego non potero istud iter peragere, ingens enim est mea naturalis imbecillitas. Ità, poteris, Anima, reposuit Angelus, nam ego te ducam, & hoc iter te nequaquam fatigabit, vel molestabit. Atque dum id diceret, in momento me inveni in cœlesti Jerosolyma cum meo sancto Angelo, ac reliquis mihi assistere solitis, modestè coopertam pallio coloris cœlestis, & in meo capite habebam perelegantem ac pretiosam coronam. Apprehendit me meus sanctus Angelus, eduxítq; derepentè ad quendam valdè altum ac sublimem locum, ubi vidi totam illam cœlestem Aulam, & infinitatem Angelorum, qui erant splendidissimi, atque magnâ præditi gloriâ; alij sublimissimi, & alij valde magni, verùm non ità, sicut illi priores; alij verò minores, omnes gloriosissimi. Hi sancti Angeli stabant pulcherrimo Ordine, longo tractu, & quasi in choros distributi. Vehementer obstupui visâ magnificentiâ, & gloriâ illorum beatorum Spirituum, atque singulorum ab invicem differentiâ. Dum eo fruerer solatio, arripuit me sanctus meus Angelus, posuítq; in alio altiore loco, & dixit mihi: Cape sedem in hoc loco, quem ego possideo, atque hinc videbis aliquid ejus gloriæ, quâ ego fruor ex omnipotentis DEI bonitate. Pudebat me summè id facere, quia ille locus erat valde sublimis ac altus, & mirum in modum gloriosus: Verùm cùm me pergeret urgere meus sanctus Angelus, dicendo: Anima, noli metuere, neque time, accede; accessi cum magna confusione, dixítque mihi subitò: Nunc attolle oculos, ac aspice. Et vidi elevatis oculis, quendam Divinum atque clarissimum Solem, resplendentem summâ & sublimissimâ luce, ex quo prodibant infiniti radij, alij majores, & alij minores; alij verò adhuc tenuiores: his radijs, qui erant instar auri obrizi, & ignitissimis, ac splendoribus Divinus iste Sol feriebat, & contingebat illũ quasi vultum eorum beatorum Spirituũ, singulos suo radio, pro sua infinitate, bonitate, & sapientia; tùmque intuerer meum sanctum Angelum, vidi ipsum illuminari uno illorum radiorum eâ vehementiâ, eóque modo, ut illum incenderit instar ignis, & in se transformaverit, sicuti incensum est ferrum, quando egreditur ex ardenti ustrina. In hoc Divino mysterio Solis aderat ipsemet Omnipotens DEUS, cum sua beatifica visione, quasi tectus eâ specie Solis. Mirabar magnopere videns ista cœlestia mysteria. Deinde meus sanctus Angelus in momento & arcano modo me deduxit ex eo loco, constituítque coram Majestate Domini DEI nostri Trini in Personis, & Unius in Essentia: inclinánsque me coram illo Domino, depositâ coronâ ex meo capite, dixit illi: Domine DEUS Majestatis, vides hîc istam animâ, quam huc adduxi ex tuo Divino mandato. Et postquam me rursum erexisset, dixis-

dixissetque Dominus: Bene est; vidi Majestatem JESU Christi Domini nostri, qui tenebat in suis sacratissimis manibus coronam, quam Angelus abstulerat ex meo capite, & ipse attentè contemplabatur, ac versabat in omnem partem, considerando illam undiq; cum ea attentione. Deinde dixit suo Æterno Patri: Ista corona est elegans, est pulcherrima, & vehementer mihi placet, Domine; Designánsque locum digito, addidit: Hic tamen aliquid deest, ut eam obtineat perfectionem, quam tu, mi Domine, decrevisti jam indè à tua æternitate: sed ego supplebo defectum virtute & pretio meorum meritorum, ac sanguinis, quem profudi, applicabóque illi talem virtutem, & eam dabo gratiam ipsius operibus, ut, quod peragendum & complendum erat longiore tempore, fiat citiùs, atque ità acceleretur illius emigratio. Sit ità, sicut dicis, Fili mi, sit ità, per me licèt, ajebat Dominus DEUS Majestatis. Cùm ego audivissem meum DEUM dicentem hæc tam mirabilia, egi ipsi infinitas gratias. Verùm meus sanctus Angelus, volente id Domino, posteà me urgebat, ut me reduceret ad meum angelum. Ego verò desiderans scire, quàm diu esset duraturum meum exilium, non me movebam, & quasi reluctabar. Sed intelligens me Dominus, dixit mihi benignè & amanter: Anima mea, noli affligi propter tuum discessum, brevì enim migrabis. Non dico tibi autem, quando, quia tibi modò id scire non expedit, neque convenit propter alia. Permitte id mihi, & esto bono animo, atque nunc vade in pace. Et cùm mihi dedisset suam sanctam benedictionem, meus sanctus Angelus me apprehendit arcano modo, unáque cum reliquis suis sanctis socijs me abduxit, & collocavit in meo locello.

CAPVT IV.

Quomodo illi DEUS manifestaverit excellentiam & gloriam quatuor Angelorum, qui illi assistebant, & de quibusdam colloquijs, quæ cum ipsa habuerunt, déque eorundem absentia, ac reditu.

Quia hæc historia est plena multis rebus memoratu dignissimis, quæ contigerunt Venerabili Marinæ cum sanctis quatuor Angelis, qui ipsi perpetuò assistebant: nunc duntaxat referemus quædam ipsos solos concernentia.

§. I.

INprimis ei DEUS pro majore ipsius solatio voluit manifestare excellentiam & sanctitatem istorum sanctorum Angelorum, hunc in modum. Dum, *inquit*, essem afflicta propter defectus, quos in me deprehendebam, visitavit me Christus Dominus quadam nocte, & considens in sella, stipatus Angelis, mihi dixit, se velle apud me manere totâ illâ nocte, interrogavitque me: Quid habes? vísne aliquid? pete à me quidpiam. Ego ab illo petivi remedia meorum defectuum, & necessitatum, sicut soleo. Interea, vidi venientes quosdam Angelos, cum prægrandi disco, seu pelvi, quam posuerunt coram Christo Domino; cúmque versaret, quod in illa afferebatur, vidi esse elegantissimos nummos aureos, magnitudine exæquantes Imperialem, in quorum singulis erat expressus vultus Salvatoris. Accesserunt sancti quatuor Angeli, mei contubernales, suo ordine, & Divina Majestas dedit cuilibet unum nummum, sicut & meo Angelo Custodi. Deinde mihi dixit: Et tu nihil vis? Dum ego tergiversarer, & Angeli me animarent, ut

ut acciperem, quod mihi offerebatur, prostravi me in spiritu ad pedes Domini, qui mihi porrexit similem nummum; quem acceptum reposui in sinu. Denuò revolvit Dominus, quod erat in pelvi, & cùm quinq; Angeli tuo ordine accederent, porrexit cuique pretiosissimum annulum, qualem postea & mihi dedit, inserendo ipsum meo minimo digito. Tunc illi dixi: Nonne etiam Tua Majestas daret unum meo Confessario, & ipsius Fratri? Respondit: Omnino. Veniant pro illis Angeli eorum Custodes. Venerunt, datusque est cuivis nummus & annulus. Manu aliquandiu abrepta. Cessante deinde raptu, considerabam mysterium illorum nummorum & annulorum. Dixerunteque mihi sancti Angeli, quòd nummus significaverit ardentem charitatem, ipsis à Domino communicatam, & annulus æternitatem ejusdem charitatis. Atque ex eo tempore videbam in sanctis Angelis illum annulum insertum digito manus dextræ, & agnoscebam cordis illuminata, in illis multò magis inflammatam eorundem charitatem. Vidi ipsos etiam tunc redimitos coronis aureis, quod nunquam aliàs videram, & cùm ex ijs hujus rei quæsiviſſem causam, dixerunt mihi: Noſter magnus DEUS, est Rex infinitus, Rex Regum, ac immensæ Majestatis, & qui servimus in ipsius Aula, sumus omnes magni Principes, ac Reges multò majores, quàm terreni, propterea habemus ipsas coronas. Christus Dominus autem mihi dixit: Esne contenta? quiesce nunc. Et mansit apud me totâ nocte, recreando me quibusdam sermonibus consolatorijs. Deinde fui rapta in ecstasim, & quando ad me redij, jam Dominus aberat.

§. II.

QVamvis usque adeò certa essem de his rebus, propter tam diuturnam experientiam, quàdam nocte, ut erant naturæ timidæ, cùm sentirem terribiles dolores, incidit mihi cogitatio, seu quoddam dubium, utrùm verè isti quatuor Angeli essent Angeli DEI? Dum ergo me viderem illâ nocte solam, nemine mecum existente, & valde afflictam, sancti Angeli qui aderant, transiverunt ad alteram partem, ad quam conversa decumbebam, ut starent è regione mei; sed quia me id non solabatur in illa afflictione, invocavi Dominum, dixique ei: Domine, vìsne mihi dare facultatem, ut à te aliquid petam? Respondit Divina Majestas: Pete, quidquid volueris. Ego ab eo postulavi, more solito, lumen, pro cognoscendis illius veritatibus, & sancta ejus voluntate, atque unà, ut mihi diceret, an illi, qui mihi affligebant, verè essent ipsius Angeli. Tunc mihi Dominus respondit aliquo modo subobscurè, significans tamen mihi, ipsos omnino esse. Postea denuo idem petij instantiùs, & dixit mihi: Nonne fide credis, me existere in omni loco, atque specialiùs à me illustrata vides expressiùs, me tibi adesse? Sicut igitur hæc duo sunt vera, ità verum est, istos esse Angelos meos. Et paulò post me abripuit in spiritu, dixitque ad cœlestem Civitatem, ubi vidi Christum Dominum nostrum, ac sanctissimâ ipsius Matrem admirabiliter speciosam, & cæteros Beatos, atque inter illos conspexi meos sanctos quatuor Angelos. Tunc mihi dixit Dominus: Videsne illos? agnoscisne ipsos? quasi diceret: aspice bene, quòd sint mei Angeli. Deinde jussit Dominus mihi ab ijs oblendi quædam hujus mundi, & postquam vidissem nemora, fontes, ac alias res amœnas, interrogavissentque me, vellemne videre amplius, respondi, me nolle talia videre in hoc exilio, visuram enim ea me postmodum; atq; ità cessavit raptus, reperique me in meo lecto. Et cùm fuissem conquesta, quòd me reduxissent ad istud exilium, ac vallem lacrymarum, dixit mihi Dominus: Quare affligeris, cùm ego sim apud te? Nonne scis, quòd ubi moratur Rex, ibi sit & Aula. Tum vidi, quòd sub cervicali reperent quidam quasi vermes, & erant parvi diaboli, qui me redegerant in illas angustias, ex quibus provenerat illud dubium. Angeli ipsos indè abegerunt, atque sic est penitùs dissipata tota illa nebula, & remansi certissima de bona societate, quâ fruebar, licèt illorum Angelorum opera & verba sufficiens

præberent testimonium, qui essent, alij enim quàm Spiritus Angelici non possent illa facere.

Et post hoc, Dominus aliquoties illos voluit ab ipsa conspici, non in specie & umbra corporis, quam gerebant, sed in eorum propria substantia spirituali; cum speciali sublimissimo lumine, quo illum propterea illustrabat; unde magis crevit ipsorum æstimatio & amor.

§. III.

QVamvis hi sancti Angeli semper illi assisterent tacentes, præterquàm quando necesse erat loqui breviter, quod accidit innumeris vicibus, afferemus duo colloquia prolixiora, quæ instituerunt pro ea consolanda in ipsius afflictionibus, & ad manifestanda illi nonnulla mysteria, quæ sic recenset.

Quadam nocte, quam vigil transigebã, afflicta & sola, eò quòd obdormivisset socia, quæ mecum manebat, cùm intra me dicerem: O quàm sum sola! dixerunt Angeli, non es sola, Soror nostra, quia hîc sumus. Accesserunt deinde viciniùs, & unus ex minoribus se acclinavit ad lectum flexis genibus, positis cubitis in lecto, sublatisque oculis ad cœlum incepit me solari, dicendo mihi pauca quædã verba de cœlesti gloria, & communicando speciale lumen, cum quo illa penetrabam. Inprimis mihi dixit: Ecce Soror, in illa cœlesti Jerosolyma est lux quædam inaccessibilis. Quo dicto fui aliquamdiu absorpta, & rapta in ecstasim. Deinde addidit: secundò etiam ibi est dies æterna, quæ caret nocte; & fui iterùm aliquantùm absorpta. Subjunxit: Tertiò animæ, quamvis non comprehendant DEUM, vident illum tamen & possident, quantum sufficit ad ipsas satiandas, útque sint beatæ; & passa sum denuò mentis excessum. Subjecit: Quartò, gaudium, quod habuerunt primo die, durabit perpetuò, absque fastidio, & fui rursum aliquo tempore abstracta, penetrando semper cum lumine, quod mihi dabatur, sublimia illa, quæ in ijs verbis cõtinebantur, quod me affecit solatio, ac recreavit. Et post hoc surrexit sanctus Angelus, accessitque ad reliquos in ea specie, quam solebat gerere.

Aliàs, post toleratas quasdam afflictiones ac molestias, dixerunt mihi isti sancti Angeli, se mecum mansuros totã eã nocte, & unus ex ipsis, ut me distraheret, dixit: Volo tibi modò recensere historiam ex sacra Scriptura, quæ contigit ante adventũ Christi Domini in mundum. Illo tempore erat quidam vir nomine Jacob, qui servivit septem annis cuidam homini divi-ti, ac potenti, ut sibi desponsaret unam ipsius filiam, quæ erat præter morem formosa. Audito principio hujus historiæ, quamvis illam recenseret Angelus, modo gravi, suavi, & cœlesti, unde capiebam solatium, dixi illi: Angele DEI, per DEUM te rogo, nè mihi referas, neq; commemores antiquas historias, quarum ego non habeo magnam notitiam. Cùm etenim sim obnoxia timoribus, vivámque semper cum metu, nolo sumere, pro mea imbecillitate, occasionem ex eo, quod dicis, alicujus inquietudinis. Angelus se aliquantùm continuit, ac deinde dixit: Soror nostra, nos Angeli DEI non possumus referre, neque quidquam dicere aliud, quàm ipsius veritates, ideóque nè timeas, nec dubites. Et hoc dicto redijt ad historiam, quam inchoaverat, dicendo: Servivit hic Jacob septem annis, ut sibi desponsaret filiam sui Domini, sicut dixi, & ijs elapsis illam ipsi non dedit ejus Pater, allegans pro excusatione, in ea regione non esse consuetum, nuptui dare filias minores prius, quàm majores. Desponsavit igitur illi filiam majorem, quæ erat lippa, dixitq; ipsi: quòd, si vellet Sponsam habere filiam minorem, quæ erat formosa, serviendum illi esset alijs septem annis. Hoc ità evenit, anima. Sed volo tibi narrare aliquid aliud sublimius & excellentius, atque accommodatum meæ intentioni. Noveris etiã, quòd quando Filius DEI venit in mundum, & assumpsit carnem humanam, ut subveniret omnibus hominibus, venerit ad suum dilectum populum, in quo sibi complacuerat, ut iniret mirabilem illum contractum cum Synagoga, seu ipsam sibi desponsaret, & postquam illi inservivisset

tot annis, præstitissetque ipsi tantam gratiam & favorem, exceperunt illam valdè malè & inhumanè, neq; ei dederunt Sponsam, ac proinde accepit ejus loco, pro eo tempore, sororem lippam, quæ fuit Gentilitas. Considera felicitatem hujus, & miseriam illius. Quid tibi de hoc videtur? Ego eram adeò turbata, propter meos solitos timores, ut vix intelligerè, quid mihi loqueretur in sua illa cœlesti conversatione, quam nihilominus Angelus prosequutus est, dicens: Noveris quoque, Anima; quòd Dominus DEUS Majestatis ordinariè, licèt sit infinitæ bonitatis, benignitatis & misericordiæ erga suas creaturas, sit etiam Omnipotens, terribilis, & justissimus in suis pœnis, ideóque sæpe propter peccata & culpas sui populi, illum derelinquat, abeátque eò, ubi meliori cum dispositione recipitur ab animabus, quemadmodum fecit cum suo proprio ac dilecto, & æstimato populo, de quo tibi modò loquutus sum. Scias præterea, ut tangaris commiseratione, & plores ac postules à DEO misericordiam, quòd Divina Majestas vehementer sentiat, se offensam esse à quodam populo, illique indignetur propter ipsius gravia peccata, & vilipensiones suæ Divinæ Majestatis, & propè constituerit illũ deserere, & derelinquere, & transire ad alium populum, ubi meliùs recipiatur, majori fide adoretur, & honoretur. Cogita Soror nostra, quis sit iste dolor, ac afflictio, & quàm dignus compassione sit status illius populi derelicti ac deserti à suo DEO & Domino, quæ est summa ipsius pœna, ac tanta, ut si nos Angeli ejus possemus dolere & flere, summè præ commiseratione fleremus, implorantes pro eo DEI misericordiam. Adverte similiter, quanta felicitas, quámq; immensa, & quàm beata sit cœlestis sors illius populi, quê Dominus ex altissimis suis judicijs, & magna misericordia disposuit, ut reciperet, crederet, ac amaret Divinã ipsius potentiã, & Majestatẽ. Hujus misericordiæ figura fuit historia Liæ lippæ, quam tibi retuli, non solùm, ut te distraherem, ac diverterem à tua afflictione & doloribus, sed etiam ut videres, agnosceres ac ponderares opera DEI, altitudinem judiciorum ipsius, immensam ejus sapientiam & bonitatem, ac dominiũ, quod habet super omnes suas creaturas, exhibendo ipsi pro sua Divina voluntate clementiam & misericordiam, quæ semper relucet in omnibus ejus operibus. Oportet tantùm clamare, & petere à DEO misericordiam, cum charitate, humilitate, & confidentia, quia hac ratione placatur DEUS.

§ IV.

PRocedente tempore (in Decembri anno 1617.) me DEUS dignatus est probare, subtrahendo mihi istam bonam societatem, & quodam die mihi dixerunt mei sancti quatuor Angeli: Scias, Soror, diabolos fuisse conquestos apud DEUM, dicentes, non esse mirum, quòd perseveres fidelis in ipsius servitio, cùm te custodiat per assistentes tibi quatuor suos Angelos: atque Divina Majestas fortè volet, ut nos aliquamdiu à te absentemus. Præpara te ad id, & esto bono animo, neque existima, hoc fieri propter tua peccata. Ista mihi erant dicenda, nè nimium contristarer, ac timerem, etiamsi dolerem me destitui tam bona & antiquâ societate. Sed eo tempore me invisit Beatissima Virgo, & solata est, dicendo mihi, nè affligerer, quandoquidem ipsa esset futura mea consolatrix ac protectrix. Paulò post mihi dixerunt sancti Angeli, jam advenisse tempo ipsis à DEO constitutum, pro abitu. Incepi propterea contristari, & conqueri, illi verò me sunt solati, dicendo mihi, se, ubicunque existerent, curam mei habituros, brevique reversuros; significantes mihi, quasi id futurum post dies quadraginta, seu, se per tempus quadragesimalis jejunij abfuturos.

Non multò post vidi venientem magnam multitudinem Angelorum DEI, descendentium ex Cœlo, & venientium quodammodo ad comitivam dandam illis quatuor abituris, à quibus mihi valedicentibus accepi quatuor mysticos aureos nummos, quos mihi dederunt quasi in pignus sui reditus, dicentesque: Bene valè, Soror;

Soror, discesserunt; quamvis me subinde visitaverint in meis afflictionibus, manserintque mecum aliquantulo tempore, & statim abiverint. Sequenti feriâ quartâ Cinerum, antequam illucesceret, venerunt ex proposito, atque id ipsum mihi dixerunt. Eâdem feriâ quartâ manè illos vidi, adhibitis nonnullis instrumentis musicis, canentes quandam quasi lamentationem de casu Adami, quæ musica me summopere recreabat in meis magnis afflictionibus.

§. V.

POst tres ab hinc annos in Paschate vidi se moventes, & ad me accedentes istos meos Dominos quatuor Angelos, dixíque illis: Quid volunt, mei Domini? mandántne mihi aliquid? Ipsi responderunt: Soror nostra, volumus tibi valedicere, quia Dominus nos jussit ire ad quoddam negotium, concernens ipsius majorem gloriâ, & obsequium. Bene vale itaque, nec tristeris, nostra enim absentia non erit diuturna. Ego fui modicùm turbata, & notabiliter commota, dixíque ipsis: Domini mei, quorsum volunt ire, & relinquere me solam? nam veniet diabolus, & occidet me. Non occidet, certò, dixerunt ipsi; quia Dominus est defensor tuus, & custodiet te, atque pro tuo solatio & auxilio manet tecum Angelus tuus Custos, ac Angelus *Pammymphus*, qui quantumvis sit parvus, qualem illum in ipsius specie vides, tantâ est tamen virtute præditus ac potentiâ à Domino DEO nostro, ut possit debellare & vincere omnes diabolos inferni: atque, si id pro tuo est solatio, etiam aliquem alium tibi relinquemus loco nostri; ut tibi adsit, téq; adjuvet, ac soletur quantum nos ipsi, quin etiam ampliùs, ad nostrum usque reditum. Quibus respondi magno affectu, quo erga eos ferebar: Non, Domini, non, Domini, nihil volo, donec ipsi revertantur: hoc enim esset aliquid pro me novi. Quamvis autem illos interrogaverim, quò & quid acturi irent, dissimulaverunt mihi id dicere, datáque mihi suâ benedictione, discesserunt, me videntè, ad valde dissitas regiones, ac maria, quoadusque mihi dispparerent, & effugerent meum conspectum, sicut videri desinit Sol, quando occumbit, séque abscondit, relinquens quasi lugubri veste cooperta terram. Post hoc rememorata sum turbationem ortam ex absentia sanctorũ Angelorum, & reprehendens me vehementer propter hunc defectum, dixi ad DEUM, resignando me ex corde in sanctissimam ejus voluntatem. Mi Domine, ac DEUS mi, offero tibi cor meum, ac resigno in tuas manus istam tuam misericordiam, & gratiam, quam mihi præstas, dum facis, ut apud me maneant hi sancti Angeli: & si vis, tibique placet, ut caream hoc tanto bono, & solatio præsentiæ & societatis istorum Beatorum Spirituum, id tibi offero toto corde meo, & promptâ voluntate, etiam pro tota vita mea, sicut tibi obtuli reliqua omnia spiritualia solatia; quia nihil volo, nisi tibi placeat, sitq; conforme tuæ sanctissimæ voluntati. Postquam hoc dixissem, sanctus Angelus *Pammymphus* recedens à me, ivit ad locum sanctorum Angelorum absentium, quem, humi procumbens, est osculatus, ac veneratus; quod mea anima est mirata; cumque se erexisset Angelus, interrogavi illum, quare id fecisset. Ille verò mihi respondit: Noli mirari, Anima, quod à me vidisti fieri: quia isti quatuor Angeli mei socij sunt me superiores, ideóque par est, ut faciam, quod vidisti. Fuit autem res notatu digna, remansisse quandam virtutem instar suavis odoris, ubi soliti erant stare illi sancti Angeli, qui discesserant, atque in toto cubiculo.

§. VI.

SEquentis septimanæ feriâ tertiâ, horâ secundâ vel tertiâ matutinâ, agens cum DEO vidi alicundè, remotissimè comparentes instar lucidi Solis, dum exoriretur mundo, meos Dominos quatuor Angelos fulgidissimos ac triumphantes, cum comitatu multorum sanctorum Angelorum, qui vocibus & instrumentis musicis laudabant Dominum. Hunc in modum pervenerunt ad cœlestem Curiâ, ubi fuerunt solennissimè excepti à Domino, & à tota illa

illa cœlesti Jerosolyma. Præferebant vexillum pretiosissimum, insignitum admirabili quâdam cruce, quæ videbatur pollere magnâ virtute contra diabolos, & cum accessissent ad thronum Beatissimæ Trinitatis, DEUS est eos amplexatus quàm amantissimè, salutando ipsos, & illi prostrati coram Divina Majestate ipsam laudabant, ac benedicebant propter id quod est, & propter virtutem sibi ab illa collatam, idémque faciebant omnes Cœlites.

Deinde feriâ quartâ manè, agenti mihi cum DEO, dixit ejusdem Majestas: Anima, quando voles, ut ad te revertantur, téque solentur tui Angeli? Quia fueram confusa, & me pudebat turbationis, quam senseram in illorum discessu, respondi Domino: Domine mi, ac DEUS mi, nihil volo, nisi quod conforme fuerit tuæ sanctissimæ voluntati, & beneplacito tuo. Sit ità, ajebat Dominus, brevi redibunt, ut apud te maneant; & quia obtinuerunt victoriam, adferunt spolia, tanquam boni milites, quæ tecum partientur, sicut æquũ est, cùm sint tui fideles amici & auxiliatores.

Feriâ quintâ manè, cùm perageretur Missæ Sacrificium in Oratorio, vidi tempore Evangelij meos Dominos quatuor Angelos, adstantes valde reverenter, habentes accensos cereos in suis manibus, & indutos vestibus, ornatis auro ac gemmis: gestabant in collo catenas aureas, & in brachijs armillas quàm elegantissimas, ac pretiosissimas, relucebátque in illis magna quædam & specialis virtus, ac fortitudo DEI. Eram magnopere exhilarata eorum præsentiâ, & aspiciebam illos, neque poteram ab ipsis avertere oculos, donec mihi Sacerdos ferret sacram Hostiam, illis antecedentibus eo modo, quo fuerant in Oratorio. Solicitabar, nè eorum aspectus mihi impediret compositionem internam & externam, necessariam pro suscipiendo Domino, verùm placuit Divinæ Majestati, ut dum ingrederentur in cubiculũ, mihi disparerent. Post Communionem, & actas gratias Christo Domino, vidi ipsos, ubi semper consueverant manere, in cubiculo. Tum accedentes ad me, interrogaverunt peramanter, & vultu hilari, quomodo valerem, quámque ex voto mihi res cesserint ipsis absentibus. Primus accessit sanctus Angelus *Fortitudo*, & detractam sibi catenam auream, quam gestabat in collo, imposuit mihi. Deinde accesserunt duo Angeli, *Missus major*, & *Missus minor*, depositásque armillas ex brachijs mihi imposuerunt, ac tum Angelus *Raphaël* inseruit annulum in digitum meum manus dextræ. Fui isto mysterio confusa, ac obstupui vehementer & cogitavi, quid hoc esset mysterij. Illi mihi dixerunt: Soror, venimus victores, per DEI virtutem, ex eo loco, ad quem nos Divina Majestas miserat, & adferimus spolia virtutis, gratiáque Divinæ, ut tibi possimus applicare virtutem ac donum puritatis, pro bonis operibus Divini obsequij, cujus figura sunt armillæ, & amorem perfectum ac Divinum, significatum per catenam auream; atque suavitatem & pacem cordis in omnibus operibus, repræsentatã per annulum. Hæc sunt cimelia & spolia, quæ tibi ferimus ex nostra victoria. Sit benedictus DEUS, qui est omnium author. Hac Divinâ misericordiâ Domini, & gratiâ, quam isti sancti Angeli mihi præstiterunt, fui summopere confortata & recreata. Cœpit autem me desiderium sciendi, quare Dominus fuerit dignatus ablegare istos Dominos Angelos potiùs, quàm alios, cùm habeat tot ad eam expeditionem, id quod ex illis quæsivi; qui mihi amanter respondentes dixerunt: Soror, fuimus missi à Domino ad hoc opus gloriæ ipsius & obsequij, quia nos concernit ex officio, propter nomina quæ gerimus, & virtutem, quam nobis contulit pro ejusmodi operibus. Illuminata à Domino, intellexi istos sanctos Angelos profectos fuisse ad terram & locum sanctũ, ubi est sacrum Sepulchrum. Fuerat nimirum à diabolis suscitatus, DEO permittente, ingens tumultus inter illos infideles, contra DEI servos Religiosos Ordinis sancti Francisci, quos vehementer cruciabant & affligebant. Sed isti sancti Angeli virtute & fortitudine divinâ debellaverunt diabolos, & mitigaverunt illos rigores, atque omnia pacaverunt.

Multa alia referentur Libro sexto, eo solùm fine, ut appareat istos sanctos Angelos ità habuisse curam rerum majoris momenti, quin negligerent minimas, concernentes ipsius domum: adjungamus, quod est de re va de minuta. Vidi, *ait*, aliquando illos solicitissimè obambulantes in superiore domûs parte, acsi lustrarent parietes, quéadmodum lustrari solent ab Architectis, vel Fabris lignarijs, & conspexi subitò dæmonem in specie magnæ simiæ, qui extrahebat dentibus quendam clavũ, quo conjungebantur duæ trabes. Angeli illum percutiebant, nè id faceret, ipse verò vociferabatur, & prosequebatur opus cœptum, atque re verâ illum extraxit: sed statim ipsum coëgerunt, quamvis indignantem, reponere clavum ad priorem locum. Non intelligebam tunc quidnam id significaret, donec postridie comparuisset una trabs revulsa, quæ minabatur ruinam. Quare fuit advocatus Artifex, qui illam lustravit, unáque vidit parietes supernè esse jam sejunctos, & pronos ad casum, ac proinde statim est actum, ut occurreretur damno.

CAPVT V.

Qualiter ipsi DEUS manifestaverit modum, quo Angeli tuentur Ecclesiam contra dæmones, & monita, quibus illos instruit, ut custodiant homines.

§. I.

DUm, *ait*, quodam die (in Octobri anni 1621.) versarer cum DEO, vehementer afflicta à continuis doloribus, vidi in meo cubiculo quosdam Angelos perelegantes, & valde parvos, invicem colloquentes. Conspectis ipsis dixi intrà me: Quales parvuli Angeli sunt isti? Accessit unus illorum ad me, dixitque mihi: Videmur tibi, Soror, esse parvi: expecta, & videbis nostram potentiam. Exhibuit mihi subitò DEUS quasi spectandum oculis grandem quendam mundum, deditque manu signum illi Angelo, qui mihi, juxtà lumen datum à DEO, videbatur posse ipsum totum invertere, si ei Divina Majestas id concessisset. Admirata sum tantam potentiam, quâ erat præditus: nihilominus me averti ab eo spectaculo, & recurri ad Dominũ, donec coacta fuissem illos iterum intueri. Vidi colloquentes, acsi de re quapiam consultarent. Et ecce inceperunt derepente ædificare spiritualissimè atque elegantissimè, & celerrimè quoddam Castellum ex purissimo auro, supra demississima & profundissima fundamenta, plenum fenestris, ac tam altum, ut pertingeret à terra ad Cœlum. In singulis autem fenestris stabat unus Angelus, qui illam custodiebat. Per istud Castellum descendebant & ascendebant Angeli: per idem mutuò sibi correspondebant illæ duæ Civitates sanctæ, Jerusalem cœlestis, ac terrena. Obstupui, & hæsi spectando hoc Divinum mysterium, statimque audito strepitu bellico, & sono tubarum, vidi venientes plurimos diabolos armis instructissimos cum suo duce contra Castellum, quod circumdederunt aliquantùm eminus, ac inceperunt magnâ vi & machinis bellicis, quas propterea advexerant, oppugnare. Sed quamvis fuerint ictus vehementes, quando globi pertingebant ad Castellum, resiliebant, acsi essent lanei vel straminei, cadebántque ad terram absque nocumento Castelli, quoad ipsius substantiam; solummodò videbatur remanere quasi fumo obductum, fuligine infectum, idque modicè. Durante hac oppugnatione, vidi descendentem sanctum Archangelum Michaëlem per Castellum cum vexillo, & cruce erectâ, quem sequebatur ingens multitudo Angelorum DEI. Omnes venie-

veniebant ad defendendum Castellum. Fuit magnus terror dæmonum, non fugerunt tamen, sed retrocesserunt, ità ut non verterent terga. Sanctus Archangelus se collocavit cum socijs in bene ordinata acie contra dæmones, qui in momento incipiebant fugere, semper retrorsum incedentes, non obversis dorsis, cadebántque alij in ignes, alij in profundissimos fluvios, adeò ut omnes disparuerint, reportantibus Angelis victoriam. Ego interrogavi, qualenam esset hoc mysterium? & sanctus Angelus mihi respondit: Istud Castellum est figura Ecclesiæ Catholicæ, quam tantopere dæmones persequuntur, sed totus Infernus non prævalebit adversùs illam, sicut vidisti. Roga DEUM, & ora pro statu Ecclesiæ Catholicæ, quia ideò tibi DEUS voluit ostendere istud mysterium.

§. II.

ALio die, agens cum Domino, vidi derepéte multas catenulas aureas, pendentes ex quibusdam catenis aureis, quas quidam Angeli superiores pulsabant in cœlo admirabiliter sonantes, quasi nomine DEI convocarent & congregarent sanctos Angelos Custodes hominum, qui obedientes in momento se conferebant ad cœlum, & inter illos etiam ij, qui continuò mecum morantur. Postquam omnes pervenissent ad cœlestem Jerosolymam, prostraverunt se ante conspectum DEI, adorantésque ipsum, dixerunt Divinæ Majestati: Adsumus Domine noster omnipotens, & venimus, ut sciamus, quid nobis mandes. Dominus illos suscepit perbenevolè, & jussit surgere, dixítque ipsi: Vocavi vos, Angeli mei, ut vos admonerem, diabolum novâ solicitudine his diebus urgeri, & magnâ rabie agi contra homines, quibus nunc denuo nocere vult in tribus rebus. Existentibus in peccato mortali vult tollere vitam, ut in eo intereant: tepidos, quibus id unum sufficit, quòd non peccent mortaliter, cæteris neglectis, vult inducere in peccata gravia: & perfectos, qui sunt dediti virtuti ac orationi, vult, si possit, decipere, transfigurando se in Angelum lucis, atque hac viâ illos præcipitare. Volui vos hac de re commonefacere, ut primos strenuè tueamini & fortiter cõtra dæmones, ac denuò illis succurratis; secundis adsitis solicitudine, & utamini signo Crucis, ad fugandos dæmones, opponendo illud ipsis; tertijs autem subveniatis vestrâ virtute, disturbando fraudes diaboli, sicut vento dispellitur nebula terræ. Illi responderunt DEO, facturos se, quod ipsis Divina Majestas mandabat ac injungebat, quàm solicitissimè, & DEUS, datâ ijs suâ sanctâ benedictione, illos dimisit: qui repetierunt terram, ut exequerentur jussa DEI. Cogitabam metuendo, ut soleo, quem in finem id fecisset Dominus, ac dicebam: Nunquid Angeli sunt capaces culpæ vel incuriæ, ut illos DEUS denuò admoneat? & dæmon potéstne plus, quàm illi DEUS sit permissurus? Hoc modo me conabar operosè abstrahere ab eo, quod videram, & audiveram. Interea mihi, dum ità essem abstracta, Dominus loquutus est, dixítque: Soror, bene dicis: sed ego subinde soleo dare novas inspirationes hominibus per me ipsum, vel per meos Angelos, & Angeli superiores illuminant inferiores, pro meo beneplacito, dæmon quoque à me petit interdum facultatem tentandi homines, quam si illi concedo, dum mihi videtur, & expedit pro bono & exercitio meorum electorum, moneo de novo meos Angelos, quòd dæmon sit solutus, ut majorem impendant curam custodiendis animabus.

§. III.

ALiquid aliud simile mihi accidit aliàs. Dum quadam nocte agerem cum Domino, more solito, elevavi oculos ad cœlum, & vidi magnam multitudinem Angelorum, excedentium numero stellas Cœli, qui comparebant extra cœlũ quasi attoniti, dum contemplarentur terram, præseferentes tristitiam, propter id, quod in ipsa videbant. Cúmque illos ità tristes vidissem, mirabar, nec poteram intelligere, quænam esset causa hujus consternationis, & mœsti vultus. Post longiusculum

temporis intervallum, vidi omnes sese moventes, & bono ordine collocantes, ad eũ modum, quo cohors quæpiam militum se coordinat, ac disponit pro conflictu, seu pugna. Conata sum me ab isto spectaculo abstrahere pro viribus, & confugi ad DEUM, sicut consuevi. Verùm denique nõ potui aliud agere, quàm spectare, quod fiebat. Vidi, à majore illorum Beatorum Angelorum parte circumdari extrinsecus totum cœlum, antecedentibus ipsos tubis ac tympanis, & nonnullis vexillis elegantissimis, quæ præferebant. Conspexi etiam duos sanctos Angelos, qui pulchritudine & majestate excedebant cæteros, erántque tam potentes, ut ij soli viderentur posse totum mundum debellare. Promulgabant quædam nomine DEI, quatuor proclamationibus, in quatuor mundi partibus, & in quavis parte aliquid diversum, ità ut quatuor promulgationes, continerent quatuor Divinæ Majestatis mandata ac decreta, fierétque in una parte, una, in alia verò alia, & sic in reliquis. Prima erat, ut omnes sancti Angeli Custodes invigilarent, séque impenderent custodiendis & protegendis majore sollicitudine ac diligentiâ justis ad se pertinentibus, eò quòd peccata mundi irritavissent, magísque in dies irritarent iram DEI, atque diabolus sibi solitò plura concedi peteret, ad inferenda majora damna, ac mala populo Christiano; & propter commissa peccata, ac justam indignationem DEI timeri posse, ne ipsorum postulatis annuat. Secunda, ut sancti Angeli Custodes sacrarum Religionum, essent singulariter solliciti de illarum conservatione, & protectione, eò quòd propter defectus, & exiguam quorundam Religiosorum observantiam, ac eorum ambitiones, provocent iram DEI, ipsúmque vehementer offendant: & diabolus vehementer sollicitetur, ut illis noceat ac inferat damnum. Tertia, ut sancti Angeli Custodes animarum Purgatorij illas animarent, & impensè solarentur bonâ ac securâ spe, cessaturos brevi cruciatus, & ipsas fruituras divino conspectu. Quarta, ut servi DEI & justi continuò ac ferventer orarent pro statu sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ, ejúsque conservatione, eò quòd delicta peccatorũ in dies provocent iram & justitiam DEI, possítque metui aliqua gravis pœna. Ego eapropter extimui, & fui afflicta, orando suppliciter DEUM, ut dignaretur misereri sui populi Christiani. Octiduo pòst mihi manifestavit Dominus, se esse placatum intercessione S. Joachimi, & aliàs intercessione sancti Josephi, ùt infrà dicetur.

§. IV.

DIe Angeli Custodis (in Martio anni 1623.) agens cum meo Custode, audivi à Christo Domino per quendam sanctum Angelum, qui suavissimè inflabat quandam tubam, convocatos fuisse omnes Angelos Custodes hominum, quasi esset ab illis exacturus rationem eorum officij. Quando vidi abeuntem meum sanctum Angelum, dixi ipsi: Domine Angele, quò vadis? Respondit mihi: Nónne vides nos vocari à Domino? Et ego dixi: Nónne verò Divina Majestas scit, quòd in ipsius sanctis Angelis nullum habeat locũ culpa, vel negligentia? quare illos vocat? Sanctus Angelus reposuit: Nè hac dere loquaris, Soror; modò videbis. Hoc dicto, abivit; & vidi omnes sanctos Angelos Custodes comparuisse coram Majestate JESU Christi Domini Nostri, qui erat indutus vestibus aureis, & subnigris, mirè splendicantibus. Omnes se prostraverunt ac adoraverunt suum DEUM, & Dominum. Jussit illos Divina Majestas surgere, & interrogavit Angelos Custodes Fidelium: Quomodo vobis succedunt ea, quæ agitis cum meis fidelibus. Quidam ex sanctis illis Angelis responderunt, contrahendo humeros: Domine, totâ nocte laboravimus, & non cepimus ullum fructum. Dominus autem ipsos est solatus, dixitque: Ite modò, ac in nomine meo projicite retia, & referetis ingentem fructum. Deinde interrogavit Angelos Custodes Infidelium: Et vestra, quem fortiuntur successum? Illi responderunt: Domine, omnis noster labor est inutilis. Quibus Dominus dixit: Nolite affligi. Nónne scitis,

ſcitis, quòd ſemen ſeminantis aliud ceciderit ſupra petram, aliud inter ſpinas, aliud in viam, & totum perierit, tantúmq; illud, quod cecidit in terram bonam, protulerit fructum? ac tum Chriſtus Dominus ſtans coram Æterno Patre, monſtravit ipſi ſua vulnera pedum & manuum, ac lateris, dixítque illi: Obſecro tuam Majeſtatem, Pater Æterne, per hæc vulnera, quæ ſum paſſus pro hominibus, & per meá Mortem, ac Paſſionem, ut illorum miſerearis, & ignoſcas ipſis eorum peccata, déſque illis lumen & cognitionem tui ipſius. Pater Æternus reſpondit: Fili mi, fiat quidquid petis, juxtà Divinam Sapientiam tuam, & prout ſcis convenire ad meam gloriam, ac ſecundùm tuam Divinam diſpoſitionem. Ego obſtupui, viſis & auditis tantis myſterijs.

CAPUT VI.

De eo, quod ipſi duodecim Angeli, qui illam ſubinde inviſebant, narraverunt, quid eis evenerit cum hominibus, quorum fuerunt cuſtodes.

IN Februario, Anni 1620. quodam die vidi venientes duodecim Angelos DEI, quibus ad me appropinquantibus dixi: Quid volunt mei Domini? Mandátne mihi Dominus aliquid? Illi reſponderunt: Venimus, ut te inviſamus, tibiq; inſerviamus: quod faciemus ſæpiùs, quia Dominus nobis præcepit, ut te ſolaremur, & juvaremus. Perſuade verò tibi fortiter, non eſſe imaginationes, ſed veritates DEI, ea quæ fiunt. Interrogavi ipſos: Quomodo vocantur Domini: Dixerunt: ſumus Angeli DEI: & hoc eſt nomen noſtrum, quòd ſimus ipſius nuntij. Tum quatuor ex ijs nomine omnium acceſſerunt ad lectum, & flexis genibus, quaſi venerationis cauſâ, illum ſunt exoſculati. Ego fui tantopere pudefacta, ut abrepta in ſpiritu ſurrexerim, proſtraverimque me humi, deoſculatura eorum pedes. Et cùm meus ſanctus Angelus Cuſtos me vellet erigere, alij quinque dixerunt: Angeli DEI præſtiterunt, quod debebant, iſti creaturæ, & illa facit bene, quòd illos veneretur, propter eminentiá, ac dignitatem, quâ excellunt homines. Ità diſceſſerunt, & deinceps me interdum viſitaverunt. Aliquando mihi retulerunt quiddam horribile de vigilantia, quâ Angeli cuſtodiunt animas, quídque illis accidat cum ipſis. Agens cum DEO, vidi duos ſanctos Angelos, quos poſtea reſcivi, fuiſſe Cuſtodes hujus Civitatis Valliſoletanæ. Obſtupui ijs viſis, dixíque illis: Quid volunt mei Domini? Mandántne mihi aliquid? verùm ipſi quaſi diſſimulanter dixerunt: Anima, venimus ad te viſitandá, nomine DEI. Dum autem intrà & circum illos aſpicerem, vidi in altera parte ſtantes alios ſanctos Angelos, atque recedentibus modicùm illis duobus, adverti eſſe duodecim, quaternos in tribus ordinibus, efformantes neſcio quomodo myſticè quandam figuram, quaſi repræſentativam Beatiſſimæ Trinitatis. Conſpecto hoc myſterio ſum mirata, & avertens ab ipſis oculos, aſpexi meos Dominos, quibuſcum ago familiariùs; ſed non potui, propter vim, quæ mihi à DEO inferebatur, abſtinere à videndo eo, quod alij Angeli agebant. Et vidi, quòd ſibi mirabiliter adaptarent pallia, iisque obvolverent brachia, & circumdarent corpus, acſi ſe celeriter diſponerent ad peragendú quodpiam magni momenti, & præclarum opus. Vidi, quòd tres ex ipſis formaverunt ſinguli quendam thronum myſticum. Aſpexi primum, qui licèt mihi initio videretur eſſe inſtar admirabilis altaris, & imaginis; alia ex parte tamen creſcebat, vidíque il-

lum evasisse quasi in altum & excelsum montem, valdéque pulchrum & pretiosum, ac plenum grandi thesauro. In hoc monte erant multæ viæ & semitæ. Prima erat lata, plana & spatiosa; aliæ angustæ & arduæ, sursúmque tendentes, intercedentibus infinitis semitis longis & brevibus per alias vias, ac vergentibus ad alias partes & latera, ut in his non videretur aliud, quàm quidam labyrinthus, & quoddam rerum diversarum, ac veluti invicem intricatarum infinitum: erant quoque ibi quidam quasi gradus in una parte, valde difficiles ascensu. In vertice tandem hic mons habebat jucundissimam & pulcherrimam planitiem.

Angelus se collocavit ad radicem istius montis, dixitque mihi: Accede anima, & videbis diversitatem viarum, quas DEUS habet pro deducendis ac dirigendis animabus ad earum salutem: aspice, quali via ambulaverit quædam anima, quam Dominus meæ curæ commisit, ut illam juvarem, & custodirem. Constitui ipsam initiò in hac via lata & plana, quam hic vides, quæ est figura & repræsentatio Legis DEI, ac sanctorum ipsius præceptorum, (designabat autem mihi quasi digito, velut eminùs id, quod ostendebat) incessit, ajebat, ea anima hac viâ facilè, & cum solatio, donec attingeret & conscenderet superiorem illam angustam semitam, quæ significat ac repræsentat Consilia Evangelica: Illac progressa est aliquamdiu, aliquantum molestè & difficulter, & nonnunquam impingendo ac cespitando. Demum descendit per illud latus deorsum, quod ibi vides. Continuò autem illam, DEO juvante, arripui, prout potui, & reduxi ad priorem viam latam, quâ illam deducebam; sed dæmon ipsam tentabat varijs rebus, & inquietabat ac turbabat, ut mihi tandem evaserit è manibus, & intraverit in illam lacunam, quam ibi vides, & sic incidit in magnam miseriam ac fœditatem. Ego tamen, cum DEI auxilio, eam indè extraxi, & mundavi: atque dum illi inspirarem dolorem de peccatis, & pœnitudinem, ipsámque manu ducerem hâc viâ, contulit illi Dominus tantam virtutem, & fortitudinem, ut cum ea conscenderit illos arduos gradus, quos ibi vides, nõ absq; labore ac molestia, quæ significat magnam illam difficultatem, quæ sentitur, quantum est ex parte animæ, dum ascenditur ex statu imperfectiore ad alium perfectiorem. Indè illam DEUS deduxit ad semitam vehementer angustam & altam, quæ significabat ac repræsentabat viâ orationis & contemplationis, quam tenuit cum valde magno & insigni profectu ac spiritu. Posteà ipsam DEUS perduxit ad illas vias tam extraordinarias, quas illîc vides, & solus DEUS, ipsiúsque Sapientia intelligit, ac scit, quò vergant, & tendant. In hoc statu, & in ista via, hæc anima ultra modum profecit, mansitque in illa cum magna pace, & quiete, in admirabili quadam ac Divina solitudine DEI, & sui spiritûs. Hinc eadem anima fuit ducta à DEO, me ipsam comitante, ad illam viam altam, ac Divinam, quam ibi vides, ubi in altissima contemplatione, & cum sublimissima cognitione DEI, ipsiúsque perfectionum, ac speciali unione tradidit suum spiritum DEO, quo fruitur æternùm. Volui tibi, jussu DEI, ostendere hoc mysterium, & viam admirabilem, atque extraordinariam, quâ DEUS duxit istam animam, pro tuo solatio, útq; conquiesceres in operibus DEI, & recrearetur tua debilitas. Noveris autem, quòd nos duodecim Angeli DEI, qui te aliquoties pro tuo solatio, ex DEI mandato, visitavimus, Custodes fuerimus duodecim animarum, ex quibus tantùm tres sunt salvatæ, sicut vidisti in tribus illis sacellis, & novem damnatæ: atque ità ordinariè res eveniunt. Commenda id totum DEO, & esto bono animo, ac habe solatium in tuo DEO. Rogo autem te, amore Domini DEI nostri omnipotentis, ut evulges id, quod vidisti: cedet enim ad gloriâ DEI, & utilitatem ac solatium animarũ; atque nunc vale. Tunc omnes illi sancti Angeli à me discesserunt, relinquentes me plenam solatio.

CAPUT

CAPUT VII.

Quomodo illam multi Sancti ex omni statu visitaverint, præsertim in gravibus ipsius cruciatibus, atque in uno eorum Christus Dominus commendaverit suæ Sanctissimæ Matri, Sanctóque Joachimo, ac Sancto Josepho, & alijs Sanctis, ut eam frequenter inviserent.

POst Angelicas, recensebimus visitationes aliorum Cœlitum, quorum speciales prærogativas illi DEUS manifestabat modis admirandis. Hæ visitationes accidebant varijs temporibus & occasionibus, sed plerumque in gravibus ipsius cruciatibus, ad consolandam illam, & in ijs animandam. Et quia multarum fuit occasio id, quod ipsi contigit in quodam vehementi cruciatu, quem est passa anno 1615. quando spectato naturali cursu, videbatur esse vicina morti, nisi illi DEUS ex suis incomprehensibilibus judicijs voluisset magis prolongare annos vitæ, magnum erit operæ pretium referre priùs eum casum. Sic igitur ait:

§. I.

CUm mihi DEUS vellet præstare gratiam, quam hîc exponam, disposuit me ipsius Majestas quasi per integrum diẽ; & horâ secundâ post mediam noctem, vidi intrantem, per portam mei cubiculi, Christum Dominum, cum sanctissima sua Matre, præcedentibus multis Angelis, & sequente quodam sancto ac Venerabili Sene, staturâ altiore Christo Domino, à quo illuminata, intellexi esse Patrem Beatissimæ Virginis, sanctũ Joachimum. Veniebant unà sanctus Josephus, Sponsus DEIparæ, & sanctus Dominicus, ac sanctus Franciscus, aliiq; multi Sancti. Christus Dominus & sanctissima ipsius Mater consederunt in duobus thronis, qui ibi erant è regione mei lecti, aliquantùm remoti, reliqui sancti se collocaverunt ad pedem lecti, ità ut totum circumdarent, atque etiam cubiculum. Accesserunt ad Dominum duo sancti Angeli candidâ induti veste, ferentes elegantia candelabra, cum ardentibus candidissimis cereis, & in eorũ medio ibat sanctus Angelus, gestans librum in manu, qui videbatur crystallinus, & erat exornatus auro in extremitatibus. Postquam autem se inclinavisset coram Domino, provolutus in genua coram ejus Majestate, aperuit librum, applicando illum suo capiti. Non habebat liber folia, sed quasi duas tabulas crystallinas, aptas scriptioni. Tum Christus Dominus scripsit gravissimè, quasi quatuor lineas, in superiore libri parte, & duas lineas in medio, atque alias quatuor infrà, & in altera parte tantundem, ità ut ego viderem, quid scriberet, quamvis Angelus dorsum haberet mihi obversum. Postquam cessavisset scribere, surrexerunt Angeli, & abiverunt ad suum locum, qui verò tenebat librum, tenebat illum semper apertum: & ego intellexi, quid scriptura contineret. Erat autem, quasi notis arcanis, descriptus totus meæ vitæ cursus. Atque Angelus, qui acceperat librum, proposuit ipsum conspectui omnium illorum Sanctorum, qui in eo cognoverunt universa, illis lineis contenta. *Hoc videtur fecisse Dominus, ut Sancti inducerentur ad istam visitationem libenter obeundam, atque magnificarent illam, quam ipse tantopere æstimabat, ac amabat.*

Deinde Angeli dederunt quoddam signum, quasi captando attentionem: Divina Majestas enim volebat loqui; & factum est magnum silentium. Conversus Dominus ad Sanctos dixit: Mando ac præcipio, ut quam diu hæc mea famula vixerit, eam juvetis, solemini, ac visitetis frequenter. Et sancto Seni Joachimo dixit,

xit, se illi idem commendare, & rogare, ut id faciat. Sancto Josepho, compellando ipsum Patrem, quòd illum educavisset, ac sustentavisset, dixit: se idem ab eo petere ac postulare, & quidem peramanter, ac reverenter. Convertens se autem ad suam sanctissimam Matrem, cum magna teneritudine & reverentia, illam rogavit, ab eáque petijt, ut juvaret, foveret, visitarétq; sæpe suam Famulam: quod sacratissima Virgo acceptavit, cum magnis indicijs promptæ voluntatis, idémque fecerunt omnes reliqui Sancti. Dum id fieret, confundebar more solito, & consternabar, ut vix mei essem compos. Assurrexit deinde Christus Dominus, & sanctissima ipsius Mater ex thronis, atque postquam se erexissent in pedes, inceperunt valdè lentè ad me venire. Ego fui vehementer turbata, & confusa, petiiq; à DEO lumen ipsius, favorem & auxilium. Volebam me præcipitare ex lecto, ut osculárer pedes mei Domini, sanctus autem Angelus meus Custos, qui toto eo tempore stabat juxta me, id mihi prohibuit; & in momento me pacavit atque composuit, recollegitque omnes meas potentias. Sanctissima Virgo præcessit modicè Dominũ, & venit ad me, inclinánsque se parùm, me est amplexata, superponens sua brachia meo collo & capiti, quo tetigi sacrum ipsi pectus, dicendo, ut me dignaretur juvare, ac frequenter visitare. Ibi DEUS meam animam illuminavit, ut intelligerem causam Beatitudinis Beatissimæ Virginis, ac reliquorum Sanctorum, quæ erat cognitio summi Boni, quod est DEUS. Post hoc à me recessit Christus Dominus, & sanctissima ejus Mater, ut abirent, quod ego vehementer sensi: & accesserunt ad me sancti singillatim, ut mihi gratificarentur, séque offerrent ad præstandum id, quod illis Dominus mandaverat. Sanctus Joachimus erat primus, tum sanctus Josephus. Sanctus autem Dominicus mihi dixit, me jam scire, quantam curam mei gereret, séque deinceps, volente id DEO, sæpiùs ad me venturum. Notavi specialiter, abesse ab eo mysterio gloriosum Patrem sanctum Ignatium, quem animadvertebam potiùs emanere tanquam personam occupatam alijs animabus: quia id, propter quod reliqui advenerant, ipsi aliàs fuerat injunctum & mandatum à Domino, ut proinde hoc negotium jam pridem illius fuerit, sicut mihi significaverunt mei sancti Angeli.

§. II.

Sancti exequebantur, quod illis Dominus injunxerat, & veniebant hic isto, ille alio die, non solùm modò nominati, sed etiam noster S. P. Ignatius, & alij multi, quorum visiones recensebimus sequentibus capitibus. Nunc referemus quoddam earundem compendium, ab illa his verbis comprehensum:

Istis ipsis diebus mihi DEUS præstitit gratiam, ut me visitarent multi ex incolis cœlestis Jerosolymæ, Episcopi & Cardinales, ac duo Summi Pontifices, & Personæ graves, nonnulli quoque Principes Status sæcularis, ex diversis nationibus. Dum viderem intrantem ad meum cubiculum tantam ac tam insignem multitudinem, fui turbata, & vehementer afflicta, cogitabámque in corde meo, quale mysterium vel judicium Domini illud esset, ubi tot graves homines convenirent; erant enim longè plures, qui manebant extrà, quàm qui fuerant ingressi, videbatúrque impossibile, ut ingrederentur. Cum dicta afflictione & angustia, recurri ad DEUM, postulatura ipsius gratiam ac lumen, pro assequenda in ea occasione ipsius sanctissimâ voluntate, & cognoscendis ejus veritatibus, ac licèt viderim, quòd tres vel quatuor Personæ ex illis graviores, mihi vellent loqui nomine DEI, peterentque à me attentionem, non erat possibile, ut vellem ipsos audire, neque erat modus, propter magnam meam turbationem, donec Angelus meus Custos, & cæteri, qui aderant, quasi me increpando, mihi mandavissent, ut auscultarem, ac attenderem quietè, & sinè timore. Tum mea anima conquievit, & illæ personæ statim me sunt alloquutæ, dixerúntq; hoc modo: Soror nostra, & Creatura DEI, venimus nomine magni DEI, ac Domini nostri, & ex ipsius voluntate ac mandato, ad te visitandam & videndam.

dendam, atque ad cognoscendam in carne Creaturam, cui Dominus ex sua bonitate ac misericordia, & incomprehensibilibus judicijs, contulit & confert tot ac tantas misericordias & gratias. Ideò venimus, Soror nostra. Quare ità timuisti, & aversata es nos, cùm simus omnes ejusdem patriæ, & tu amica DEI? atque hoc dicto, relinquentes animam meam quietam, ac affluentem solatio in Domino, discesserunt à me, & abiverunt, sicut venerant.

§. III.

EOdem tempore illam visitaverunt duo Sancti ex veteri testamento, Rex David, & Propheta Zacharias, Pater sancti Joannis Baptistæ. Vidi, *inquit*, in meo cubiculo duos viros gravissimos, quorum alter erat ornatus vestibus regijs, habens coronam auream in capite; alter indutus vestitu Sacerdotali, magni pretij, more antiquo. Illis adstabant quidam Angeli, quos alloquebantur. Ego fui afflicta, & confugi ad DEUM, ut peterem ab ipso lumen, prout soleo. Sancti videntes, quid ageretur in mea anima, & meam confusionem ac timorem, paulatim, cum tenerrimo amore, mihi magis appropinquabant, atque unus dixit: Quid habes Amica, & Soror nostra? noli timere, conquiescat, ac solatio repleatur animus tuus & cor; non enim habes, quod timeas, ego namque sum Rex David, & iste beatus Socius, quem hic vides, est sanctus Zacharias. Venimus nomine nostri magni DEI ac Domini, & ipso volente ac jubente, ut te visitemus, nosque tibi promptos exhibeamus, ad te juvandam ac defendendam, ubi opus fuerit.

Alio anno, quodam festo Paschatis, me visitavit idem sanctus Rex David, cum nostro primo Parente Adamo, qui præseferebant tantam authoritatem, ut satis demonstrarent, qui essent, quive fuerint; & specialiter sanctus Adamus ostendebat, se esse dignum Patrem omnium hominum. Cùm tamen illum viderem, erupit mihi ex ore, quasi non advertenti, quid dicerè: O sancte Pater, quantum mali nobis attulit tuum peccatum! Et sanctus Rex David mihi dixit: Tace hac de re, modò enim non est tempus. Sed sanctus Adamus respondit: Ut ut sit, habetis JESUM Christum Dominum nostrum, descendentem ex mea carne. Quasi diceret: Si vobis meum peccatum attulit grande malum, meminneritis, idem fuisse occasionè, ut haberetis talem Redemptorem, qualis est DEUS, factus homo, pro redimendo homine. Dum hi Sancti essent apud me, distantes ab invicem, & nonnihil à me remoti, visitavit me Christus Dominus, & cùm per medium illorum transiret, adverti, quòd in transitu inclinaverit aliquantùm caput, quasi ipsos veneraretur. Cùmque ego id tacitè considerarem, Divina Majestas mihi dixit: Quid ergo? nonne vides, quòd fuerint mei Patres & Progenitores secundùm carnem? ut agnoscerem, qualem reverentiam DEUS velit à nobis exhiberi nostris Patribus ac Progenitoribus, cùm eam ipse voluerit exhibere suis.

§. IV.

DEnique fuerunt adeò frequentes visitationes istorum tam gloriosorum ac illustrium Sanctorum, ut in raptu quodam diceret, quod sequitur:

Videntur mihi ab uno mense oculi corporis evasisse, nescio quâ ratione, quadantenus spirituales, adeò ut eæ res ac mysteria, quæ Dominus DEUS manifestat animæ, & ipsa suis illis oculis interioribus, cùm eo lumine, quod illi dat Divina Majestas, videt tam clarè & vivaciter, ac distinctè, abripiant oculos corporeos, eo modo, & arte quadam usque adeò subtili ac spirituali, ut sæpe possem dicere, quod ipsi quoque mei oculi corporei talem rem, vel tale mysterium viderint, non rudi, ordinario, & materiali modo, quo discernitur, quid sit nigrũ vel album; quid sit hic, vel ibi, naturali distinctione, sed videatur illis anima contulisse, & communicavisse quandam suam virtutem, & quædam quodammodo conspicilia, adaptata ipsius visui, quo pacto vident quasi per pellucidum vitrũ idem, quod illa videt, & DEUS

ipsi manifestat. Ac proinde visus ille oculorum naturalium, qui ordinariè, ut apparet, solet impedire visum oculorum spiritualium, postquà pervenerunt, DEO disponente, ad hunc statum, non impedit oculos animæ, imò videtur illam adjuvare, sicut quando aliquis adhibet conspicilia, ut plus & meliùs videat. Nescio, quid sit hoc, præterquàm, quòd sint magna secreta in rebus spiritualibus.

CAPUT VIII.

De Sancto Joachimo Patre Beatissimæ Virginis, & quàm sit potens ad placandam iram Divinam suis precibus, atque quomodo ipsa procuraverit, ut illius Festum celebraretur in tota Ecclesia.

VT gloriosus Sanctus Joachimus, Pater Beatissimæ Virginis, præstaret, quod illi Christus Dominus injunxerat, incepit visitare Venerabilem Marinam in ipsius afflictionibus, hunc in modum:

§. I.

VIdi, *inquit*, in Februario anni 1615. venientem Sacratissimam Virginem Dominam nostram, cum sancto Joachimo suo Patre paulatim, & modo quodam gravi ac admirabili. Erat indutus honoratissimis vestibus, more antiquo, & comitabantur ipsum multi Angeli DEI, in candido vestitu, atque cum albis cereis, quos ferebant in manibus. Omnes autem substiterunt ad portam mei cubiculi, tantúmque intravit illa Domina, & ipsius sanctus Pater, ubi fuerunt cum magna reverentia excepti à sanctis Angelis, qui ordinariè apud me morantur. Beatissima Virgo, & sanctus Joachimus, ostenderunt, se summè gaudere & lætari, quòd illos ibi viderent, alloquendo ipsos cum ardenti amore, charitate, ac reverentia. Sanctus Joachimus ijs dixit: Spiritus beati, & Angeli DEI, vos DEUS creavit altiore ac eminentiore præditos naturâ, quàm sit nostra humana. Et subitò accedens ad me sanctissima Virgo, imposuit brachium meo capiti & collo, dixitque mihi peramanter: Amica nostra, Dominus sit tecum, detq; tibi se ipsum possidendum in sua æternitate, ubi manebis nobiscum semper. Sanctus Joachimus stabat juxtà sanctissimam Virginem, demonstrans magnam hilaritatem in vultu, & confirmans, quòd illa Domina utriusque nomine fecerat, dedit mihi suam benedictionem, dicendo: Benedicat tibi Dominus; imposterum, ipsi ipsius, te specialiùs juvabimus. Hæc tanta gratia me affecit magno solatio; sed multò magis mirata sum, quòd ultra duodecim horas non discesserint, ità ut mihi non esset possibile, me ab illis abstrahere, vel capere somnum. Tacebant, sicut fieri solet apud infirmum, quando, qui ipsi adsunt, volunt apud eum manere, & ipsum solari, sed parum illi dicunt, propter ipsius debilitatem. Elapso eo tempore, fui rapta in ecstasim, & quando ad me redij, jam abiverant; retinui verò specialem devotionem erga sanctum Joachimum, eò quòd sit, qui est, & Pater sanctissimæ Virginis, Dominæ nostræ.

§. II.

MImbilior fuit alia visio, in qua illi Dominus manifestavit hoc ipso tempore, quanti faciat orationes & preces hujus gloriosi Sancti, nè imscatur peccatoribus. Accidit autem 25. die Maji, anno 1615. ut duo post quatuor illas promulgationes & monitiones Angelorum Custodum, enarratas capite 5. Agens, *inquit*, quadam nocte cum Domino, vidi in meo cubiculo meos sanctos

sanctos quatuor Angelos valde eleganter & festivè vestitos, cum ingenti splendore. Sedebant in quatuor thronis, qui erant instar sedium, quarum esse consuevit usus in choro, ex purissimo auro; tenebant in suis manibus instrumenta musica, quibus valde suaviter ac harmonicè consonabant. Unus incepit voce discantisticâ dulcissimè decantare laudes DEI, quamvis ego non bene intellexerim, quid caneret; cæteri verò ipsi accinebant pari suavitate ac dulcedine. Fui vehementer consternata, feciqué meis consuetis perculsa timoribus, quod soleo; sed paulò post vidi ingredientem in meum cubiculum sacratissimam Virginem MARIAM Dominam nostram, una cum sancto Josepho suo Sponso, quæ in suis brachijs gestabat sanctissimum Infantem JESUM, indutum solo indusiolo, contexto ex argenteis & aureis filis splendidissimis: quod habebat in suis manib^s, pedibus, & pectore parva suorum vulnerum signa, verùm admirabiliter resplendentia, & adverti, non esse vulnera, sed eorum cicatrices. Comitabatur illos magna multitudo Angelorum, qui omnes manserunt extra cubiculum, quasi ad portam. Postquam sacratissima Virgo est ingressa meũ conclave, assurrexerunt quatuor sancti Angeli, & recesserunt, relictis vacuis thronis, in quibus sederant. Deipara consedit in uno, & sanctus Josephus in altero, qui erant duo throni medij, remanentibus vacuis alijs duobus, erant enim quatuor. Sanctissimus infans JESUS, mirè affabilis & amabilis, residebat in brachijs suæ sanctissimæ Matris, cujus collum stringebat suis brachijs & manibus, amplexando ipsam, & subinde se vertebat, ac aspiciebat sanctum Josephum, & me. Cùm id viderem, converti me ad DEUM, in mea usitata consternatione, petendo ab ipso lumen, more consueto, quod mihi non obfuit, quia Dominus Majestatis suâ solitâ bonitate & misericordiâ, me abalienatam à sensibus, abripuit ad suum Divinum Esse, in cujus profunditate ac immensitate mihi videbar submersa, fuitque mea anima unita Divinæ ipsius Naturæ, tam arctè & suaviter, ut inter me & res hujus terræ videretur intercedere chaos profundissimum, & distantia quædam infinita. Hæc res diu duravit, & quando ad me redij ex eo raptu, dixit mihi Dominus: Contemplare, Soror, istud mysterium, & confer te illuc, quia ibi me reperies. Atque tunc sum contemplata diutiùs & clariùs, quod recensui.

Ingressus est deinde meum cubiculum quidam Sanctus proceræ, quamvis non inconvenientis staturæ, quem, habito cœlesti lumine, cognovi esse sanctum Joachimum Patrem Beatissimæ Virginis. Venit indutus veste fuscâ, pro more sui temporis, accessit ad sanctissimam Virginem, cum magna reverentiâ & veneratione, flexisque genibus, accepit ex ejus manu sanctum Infantem JESUM in suas ulnas, atque dum ab illo tangeretur, illustravit ipsius vestem ingens splendor, quo anteà carebat. Sanctus Infans amplexatus est suum Avum, suavissimèque illi est blanditus, pendens ex ejus collo. Surrexerunt deinde omnes, & exiverunt ex meo cubiculo. Præcedebat numerosa Angelorum multitudo, qui stabant apud portam, ac tum ibat sanctus Joachimus, gestans parvulum in suis brachijs, quem sequebatur Beatissima Virgo, posteà sanctus Josephus, quo ordine processerunt inter cœlum & terram, per aliud medium cœlum maximum & splendidissimum, recesserúntque tantopere, ut quasi disparuerint; semper illos tamen, licèt eminùs, videbam. Totam hanc sanctam Societatem antecedebant duo sancti Angeli ex majoribus, quasi annunciantes pacem, ac dicentes, Patrem Æternum, propter merita JESU Christi Domini Nostri, & sacratissimum ipsius Sanguinem, proptérque preces sancti Patriarchæ Joachimi, suspendere exequutionem suæ Justitiæ, & pœnas, quas ipsius populus multùm promeruerat peccatis, contra ejus Majestatem commissis. Post has annunciationes, & promulgationes quasi pacis, reversa est ad meum cubiculum omnis illa sancta Societas, remanentibus ad portam sanctis Angelis. Introivit cum sanctissima Virgine, & sancto Josepho sanctus Joachimus, ferens super-

benedictum Infantem in suis brachijs, & accessit ad meum lectum, flexitque genua, quasi ob reverentiam sancti Pueri, & postquam se collocavisset, ut illum mihi ostenderet idem sanctus Puer, cum magno mutuo gaudio, amplexabatur sanctum Joachimum, ac attrectabat ipsius faciem, teneritudine & affectu nepotis, unáque dignatus est etiam me amplecti sanctus Pusio, & mea anima fuit mirè exhilarata ab ipsius Majestate, sensitque maxima solatia: ego quoq; affectu amantissimo illum dissuaviabar, tanquam abrepta in ejus amorem. His, aliisque peractis, sanctus Patriarcha redijt ad sanctissimam Virginé, reddidítque illi sanctissimum ejus Filium, & abiverunt eo ordine, quo venerant; ego verò remansi plena solatijs, propter annunciationem pacis, & gratias acceptas.

§. III.

HOc eodem anno & mense (in Majo anni 1615.) incepit desiderare, & procurare, ex devotione, quâ erga hunc Sanctum Patriarcham ferebatur, ut celebraretur ipsius Festum. Egit cum quibusdam pijs Personis, quæ tenebantur eodem desiderio; & erant valde addictæ eidem Sancto, aperiens hâc viâ aditum, ut in tota Ecclesia illius Festum ageretur, quemadmodum celebratur gloriosæ Sanctæ Annæ, Matris Beatissimæ Virginis. Exaudivit DEUS preces suæ Famulæ, & semen, quod seminavit Vallisoleti protulit suum fructum, quando, singularibus prorsus vijs, eò res deducta est, ut sanctissimus Dominus noster Gregorius XV. anno 1622. secundâ Decembris, jusserit recitari Officium de S. Joachimo, in universa Ecclesia. Pervenerúntque hæc nova in ipsius notitiam, sequenti Februario, anni 1623.

Tunc, *ait*, quodam die manè vidi gloriosum sanctum Joachimum, cum Beatissima Virgine, quam manu ducebat, & postquam fecissem, quod soleo, mihi timendo, Beatissima Virgo me salutavit peramanter, dixitque mihi: Soror, venio cum meo sanctissimo Patre ad agendas tibi gratias, pro grato obsequio mihi præstito, quòd procuraveris, quantum in te fuit, ut celebraretur Festum mei Patris. DEUS te propterea remunerabitur, unáque ego. Meus sanctissimus Pater adfert pretiosum cimelium, ut id tibi det, quod suscipe, tanquam in gratiarum actionem. Sanctus Patriarcha se vertit ad sanctissimam Virginem, dixitque illi: Filia, & Domina mea, accipiat illud tua Majestas, détque ipsi suâ manu, quia ab ista Creatura DEI meliùs suscipietur ex tua manu, quàm ex mea. Quare sanctissima Virgo accepit ex manu sancti Patriarchæ torquem aureum pretiosissimum, accedénsque ad me, injecit illum meo collo. Obstupui, & rapta sum extra me, propter tantam gratiâ, atque ad me reversa, non vidi meos Dominos.

Postquam advenit dies sancti Joachimi, vigesimâ Martij 1623. institui, ut quàm solennissimè ipsius Festum celebraretur in Monasterio sanctæ Annæ Recollectarum Monialium Ordinis S. Francisci. At ecce pridie, dum agerem cum DEO, dixit mihi sua Majestas: Anima, non poteris frui Festo, quod instituis tuo Sancto. Veni mecum, & fruéris illo, quod in ipsius honorem agitur in cœlo. Duxit me Dominus ad cœlestem Jerosolymam, vidíque sanctum Patriarcham splendidè adornatum, intrà ipsummet DEUM, & in Divino illius pectore. Angeli in honorem ipsius celebrabant solenne Festum, decantando suâ cœlesti musicâ laudes DEI, & Sancti cum magno gaudio & jubilo, offerendentes illum à se plurimi fieri. Sancti Veteris Testamenti etiâ celebraverunt illius Festum, & decantabant magnas ipsius laudes, dicebántque, sibi ab eo fuisse ad limbum allata nova de proximo adventu in mundum Filij DEI. Christus Dominus illum summopere honorabat, compellando ipsum Patrem. Fui delibuta ingenti solatio, & lætata sum in Domino propter hoc Festum. Sequenti postea die, quo dicebatur Officium de S. Josepho Sponso Beatissimæ Virginis, quia illius Festum, quod inciderat in Dominicam Quadragesimæ, fuerat translatum, vidi gloriosam sanctam Annam, venientem cum sancto Josepho, & postquam diu fuissem reluctata,

ta, nolens ipsis loqui, gloriosa sancta Anna mihi dixit: Dominus me ad te mittit, ut te visitem, dicámque tibi, pertinuisse ad singulare ipsius obsequium id, quod præstitisti, procurando Festum mei Conjugis, qui est magnus in Regno cœlorum. Ego habui maximam gloriam accidentalem, & gaudium in ejus Festo. Considera, quid velis à me fieri in tui gratiam. Cui ego respondi: Mea Domina, nihil peto, nisi ut roges Dominum, quò mihi det suum lùmen, pro cognoscendis ipsius veritatibus, ut me conformem in omnibus sanctissimæ ejus voluntati. Tunc mihi Sancti promiserunt, quòd me essent adjuturi, & discesserunt.

CAPUT IX.

De Glorioso Sancto Josepho, Sponso Beatissimæ Virginis, déque magna ipsius Sanctitate.

§. I.

CUm vacarem orationi in Festo Sancti Josephi, vidi coram me Christum Dominum, ejusdémque lateri adstantem gloriosum sanctum Josephum, aperto capite, cum magna humilitate, utpote coram Majestate tanti Domini. Habebat vestitum honestum, & perelegantem, vultus ipsius erat mirè modestus & gravis, in quo præferebat magnam mansuetudinem & sanctitatem: apparebat esse maturæ ætatis, quasi quadragenarius, habebátque baculum aureum. Aspexit illum Christus Dominus vultu amœnissimo, dixitque mihi cum ingenti gustu: Ecce iste est meus Pater, & is, quem eo loco habebam in terra; quid tibi de illo videtur? Ego ipsum intuebar & recreabar, mirabárque me videre sanctitatem, quam demonstrabat, & multò magis, quòd viderem æstimationem, & venerationem, ac amorem, quo, pro nostro exemplo, Christus Dominus se prosequi ostendebat istum gloriosum Sanctum, eò quòd ipsum educavisset, eique servivisset Infanti. Hoc enim significabat ille gustus, quo illum sibi habebat adstantem, mihique eo modo, sed absque comparatione longè meliore, spectandum exhibebat, quo nobilis quispiam magni alicujus Principis filius, quem educavisset vir honoratus & bonæ conditionis, quamvis pauper, lactavisset; ipsius conjunx, & ille deinde sustentavisset, cum labore ac sudore sui vultûs, se gratum exhiberet tali viro, eundémque æstimaret; quòd fuisset quasi educator illius, ac nutritius; & videns ipsum domi suæ, post relatas ei gratias, compensatámque eam educationem, diceret suis domesticis, volens illum commendare, honorare & laudare: Videte mei famuli, iste est meus Pater, qui me educavit, quid vobis videtur? Honorate illum, & servite ei, ut tali. Dum ipsum ità contemplarer, videretúrque mihi etiá eximius esse illius honor, quòd habuerit Sponsam sanctissimam Virginem & Matrem JESU Christi, DEI & Hominis veri, dixi ipsi: Verè, gloriose Sancte, fuit tibi præstita major gratia & favor in eo, quàm fuerit præstitus, aut sit præstandus unquam ulli virorum in terra; siquidem tibi est data in Sponsam mulier optima & sanctissima, atque excellentissima omniú quas habuit, aut habiturus est unquam mundus, quamvis universarum simul sanctitas in hunc censum veniret. Potes te æstimare felicem ac beatum. His auditis, quæ dixeram, gloriosus sanctus composuit suas manus, fixísque humi genibus, dixit cum magna humilitate, & æstimatione hujus gratiæ, quam illi DEUS contulit: Ità, omnino est, & ità esse agnosco. Deinde se erexit, constitítque ad unum latus

tus Christi Domini, qui etiam stabat, & ego stipabam alterum latus, atque Divina Majestas imposuit suam sanctissimam manum meo capiti, sicut solet imponere manum Sacerdos, quando recitat Evangeliũ super infirmum, tenuitque illam ità aliquamdiu. Sed dæmon, eâ re exacerbatus, protulit quandam blasphemiam, & contumeliam tam magnam coram Christo Domino, & sancto Josepho, ut me notabiliter afflixerit, ac turbaverit. Videbar enim mihi libentiùs toleratura qualecũq; tormentum, quàm ut audirem tam præsumptuosum dictum. Et cùm Divina Majestas videret me esse turbatam, propter blasphemiam dæmonis, elevavit suos oculos, ac aspexi ipsum, qui stabat aliquantùm remotus ad portam cubiculi, fuitque is aspectus tam severus, ac tantam indicans indignationem, ut nemo esset, quem Divina Majestas intueretur ijs oculis, quin contremisceret, ac desideraret potiùs absorberi à terra, quàm coram ipso comparere. Unde in momento aufugiebat diabolus, ac ejulabat tam lamentabiliter & dolenter instar canis, pessimè habiti, cuique confractæ fuissent & concussæ costæ fustibus, ut propterea sinè fine ulularet. Gloriosus sanctus Josephus me est solatus, dicendo mihi: Noli id ægrè ferre, nec te afflige, hæc enim est conditio diaboli, ut semper conetur vexare, ac turbare animas. Etiam me est persequutus per Herodem. Quin & Christum Dominum est ausus aggredi in deserto, nè doleas. Ità fui exhilarata, & recreata. Cùmque essem quietior, expendi terribilem severitatem, quâ Christus Dominus intuitus fuerat dæmonem, & oculos in illum conjecerat, atque consternata eâ ipsius Majestate, ac infinitâ potentiâ, quæ in illo intuitu se prodebat, incepi miseris illis compati, eorùmque vices dolere, quibus propter ipsorum malitiam & cœcitatem idem intuitus allaturus esset tantum dolorem & confusionem; unàq; aspiciebam Dominum, quasi visura, an jam esset placatus; quamvis enim indignaretur diabolo, videbatur tamen illa ipsius magna severitas, etiam mihi incutere terrorem. Adhuc Christus Dominus & gloriosus sanctus Josephus aliquamdiu manserunt apud me, pro meo solatio. Cùmque se verterent ad abeundum, quia ego nihilominus eram aliquantùm tristis, eò quòd me ità turbavisset diabolus, Christus Dominus id videns, mihi dixit peramanter: Nè maneas adeò desolata, veni nunc nobiscũ. Et hoc dicto discessit. Tum ego me reperi in Cœlo coram Divina Majestate, & glorioso illo sancto quietam & pacatam, ac oblitam illius præteritæ turbationis, nec non mei ipsius, ità ut non intelligerem, neque sentirem quidquam eorum, quæ sunt præsentis vitæ, amarem verò tranquillè & quietè, ac sinè contradictione DEUM; & Bonum infinitum, acsi essem soluta & libera à carne mortali, atq; à carcere corporis hujus. Quanto tempore id duraverit, nescirem dicere, verùm ùt mihi videtur, non duravit diu.

§. II.

ALiâ vice, pridie Festi, quo hic Sanctus colitur (anno 1614.) dum decũberem ægrota in lecto, venit mihi in mentem, quòd in supplicatione, quæ instituitur in ista Civitate, soleant portare effigiẽ Sancti Josephi, ducentis parvulum JESUM, eo modo, quo illum duxit inventum in Templo, quando revertebatur in Nazareth; & invasit me desiderium, videndæ illius imaginis, quod, ùt videtur, non contigit absque motu Divino; subitò enim audivi vocem ejusdem Sancti dicentis: siquidem optas videre meam imaginem, ego te invisam. Postridie mane, cùm peragereturSacrificium Missæ in Oratorio, ut sumerem sacram Eucharistiam, conspexi gloriosum sanctum Josephum juxta altare, ad latus Epistolæ, atque parvulum JESUM speciosissimum, supra eandem aram. Et quia vehementer angebar propter defectum, quem à me existimabam esse commissum præteriaplũ nocte, ob reprehensam quandam meam sociam, dixit sanctissimus Puer sancto Josepho, quasi subridendo: Sed quare ista angitur propter suos defectus, quasi ego illos curarem; si enim aliquid accidit, id

ortum est ex ipsius natura. *Et verò ità se res habet, nam ea illius reprehensio, fuit conjuncta sancto zelo, & si quid se admiscuit, attribuendum est displicentiæ, ad quam naturaliter inducebat is defectus.* Post hoc, quando Sacerdos tulit Augustissimum Sacramentum in sua patena ex Altari ad meum lectum, venit unà cum ipso Gloriosus Sanctus Josephus, & procubuit in genua juxtà lectum, Puer autem JESUS stetit prope me, donec communicarem, dixitq; mihi, ut DEO commendarem Regna Angliæ & Galliæ. Verùm ego nihilominus me vehementer cogebam, nè aspicerem Puerum JESUM, quia potiùs optabam, me internè colligere cum Sanctissimo Sacramento. Tunc mihi sanctus Puer dixit: Quare hoc facis? nónne scis, me posse existere in pluribus locis, sicut sum in pluribus Hostijs consecratis, & in tuo pectore, atque etiam hîc? Si Sacerdos, qui celebravit Sacrum, tibi velit aliquid dicere, tametsi communicaveris, audis ipsum, & respondes illi; cur ergo ad id non attendas, quod ego tibi loquor? Hoc dicto, Dominus, quia cognoverat Fidem, ex qua meum illud desiderium procedebat, videri desijt, atque ego me collegi, quemadmodum optaveram.

§. III.

ALio Festo sancti Josephi (anno 1618) me visitavit sacratissima Virgo cum suo sancto Sponso, dixitque mihi: Viden' hîc virum sanctissimum & felicissimum omnium, qui sunt in Cœlo; eò quòd ipsi DEUS confiderit suum Filium, ut illum educaret, & me ejus Matrem. Sanctus est humiliter protestatus, totum id sibi datum fuisse absque suis meritis. Et ego ab illo aliquid petivi, quod tum desiderabam, ac dixi: Benedicte sancte, cùm perspectam habeas puritatem hujus Dominæ, roga DEUM, ut declaretur mysterium ipsius purissimæ Conceptionis. Respondítque Sanctus: Quamvis DEUS sit Omnipotens, requirit tamen dispositionem ex parte suarum creaturarum: faciam nihilominus, quod mihi dicis. Dum vellet abire, accessit ad me, dicendo mihi: Suscipe Soror hoc, quod confortabit tuum spiritum, & corpus in cruciatibus, quos pateris. Ferebat autem intrà digitos frustillú panis, qui supernè habebat aureas strias. Ego illum nolebam suscipere, sed Sanctus ipsum applicuit meo ori, quem in momento, licèt non fuerit ingressus in os, nec illum masticaverim, sensi intrà stomachú, sicut sentio qualemcunque cibum, quem comedo. Fui eâ re turbata, & dixi Beatæ Virgini: Domina mea, quid est hoc? Respondit mihi: Panis iste est ex illo, quo vescebatur meus Filius in nostra Domo Nazarethana, dum esset parvus. Tum ego ajebam intra me: Quomodo autem id potest esse? Et Beatissima Virgo dixit, quasi me increpando: Nónne scis, DEUM esse Omnipotentem, & posse facere majora his, ac dare, quandocunque vult, de eo pane? Post hoc dixi meis sanctis Angelis: Hodie erat dies Communionis, non potero communicare, eò quòd habeam istam particulam panis intrà me; qui statim responderunt: Ille non impedit Communionem, quia introgressus est arcano modo, & tu ipsum non comedisti.

Quod ad hanc revelationem attinet, advertendum est, ità intelligendum esse, ut, si ille panis non fuit mysticus, sed verus, sicut dixit Beatissima Virgo, non existimetur fuisse panis ex eo tempore hucusque conservatus, sed reproductus à Divina Omnipotentia, à qua potest reproduci quotiescunque, & quando libet.

§. IV.

ALio die sancti Josephi, mihi agenti cum DEO, spectabilis adfuit sanctus Patriarcha, & ego propter meos timores diu sum conata me abstrahere ab eo aspiciendo. Sanctus me expectavit, quoadusque non possem amplius abstinere ab illo videndo, cogerérque frui sanctâ ipsius conversatione. Veniebat nitidissimè ornatus, pro more illius temporis, erátque gravissimus, & illuminata à DEO, cognovi meritum eximiarum ejus virtutum, ac præstantiam intellectus, quo fuerat præditus

ditus, ut ipsum magni facerem, ac æstimarem. Et dixi intrà me: Quantus sanctus erat iste Patriarcha, & erat faber lignarius! Sanctus autem valde graviter & benignè respondit meæ cogitationi, ac dixit: Verum est, me fuisse, qualem me vocas; sed DEUS me dotavit magnâ habilitate ac præstanti intellectu, unde egregiè excellebam in arte, & conficiebam quædam opera, non multa, sed exquisita & præclara, quorum pretio sustentabam Dominum, & sanctissimâ ipsius Matrem, quod ipsum Divina Majestas adeò augebat, ut, licèt me non magnopere occuparem labore, haberem tamen necessaria pro sustentatione. Scias præterea, nostram paupertatem non fuisse vilem, neque miserabilem, sed honoratam. Habebamus pauca, decentia tamen statum nostrum, & pro more illius seculi; atque hunc in modum ipsos sustentavi, quoad vixi. Mea verò Domina ac Sponsa etiam laborabat, & conficiebat quædam pretiosa opera, texta ex arte consueta fæminis, quibus distinebatur cum magna pace, quiete, & gravitate. Contulerat mihi quoque Dominus insignem notitiam sacrarum Scripturarum ac Prophetiarum, & cognovi omnia, quæ erant eventura Redemptori, unâque Crucem, quam animo suo obversantem habuit ab ipso suæ Conceptionis instanti: eandémque & ego præsentem habebam, & hæc mihi ità penetrabat animam, ut, cùm tenerem in meis indignis brachijs illum sanctissimum Dominum, sæpè mihi acciderit consideranti, quid esset passurus, ut sacras ipsius vestes copiosis perfunderem lachrymis. Aliàs verò, dum eum stringerrm meis brachijs, calefaciebam frigido tempore sacratissimas illius manus, halitu mei oris. Taliter, Anima, se res habebant. Hoc dicto, admovit manum uni lateri, & exemit latum torque, cui erant appensi nummi aurei, referentes exactissimè expressa mysteria vitæ ac mortis JESU Christi Domini nostri, modo quodam admirabili & vivaci; injecitque illum suo collo. Postea vidi in ejus pectore Crucem ex purissimo auro, cujus longitudo exæquabat quadrantè ulnæ, atque in illa figuras quasdà ovales, in quibus erant designata mysteria mortis JESU Christi Domini nostri elegantiùs, quàm in torque, videbatúrq; illic adesse virtus ipsiusmet DEI magis, quàm in torque. Summus fuit splendor radiorum & lucis, atq; claritatis, quam ex se illa Crux emittebat: unde Sanctus ità evadebat speciosus, adeóque exornabatur, ut obstupuerim viso tali mysterio. Interea se Sanctus incepit movere, mihique appropinquare. Hic cœpi denuò timere ac turbari: Sanctus tamen ad me accessit, deponénsque suum torquem, circumdedit illo meum collum, dicendo: Accipe, Anima, ex mea manu, atque in nomine Domini, ista cimelia. Et crucem applicuit meo pectori, quæ penetravit meum corpus, non absque dolore, & pervenit usque ad animam, ibique me intimè pervasit, necillam ampliùs vidi. Hoc facto à me discessit, datâ mihi suâ benedictione.

§. V.

ALiam admirabiliorem apparitionem ipsius Gloriosi Sancti, aperientis ipsi periculosum statum mundi, habuit similem illi, in qua, ut dictum est, spectabilis illi adfuit sanctus Joachimus. Alio die, *inquit*, Sancti Josephi, agens cum Domino, vidi hunc Sanctum Patriarcham venientem ad me visitandam. Ducebat manu Puerum JESUM, quasi in ætate duorum circiter annorum, qui elevavit caput, intuendo sanctum Patriarcham, dixítque *illi*: Mi Pater, sum vehementer fatigatus. Quod bis, terve repetivit. Sanctus illum interrogavit, quare esset fatigatus? Puer autem idem iterabat. Tum Sanctus Joseph sustulit quàm reverentissimè & amantissimè sanctum Puerum ad suas ulnas, quem allocquebatur verbis tenerrimis, apprehensíque manu pedibus ipsius, dicebat illi: Mi DEUS, & Domine mi, ac sanctissimi pedes, qui nostri causâ vulnerandi sunt, & conclavandi. Atque arreptâ unâ sacratissimarú ejus manuum (nam altera stringebat collum Sancti) osculabatur illam, & applicabat ad suam faciem, alloquendo ipsum blandissimè & amantissimè. Inter hæc

hæc sanctissimus Puer obdormivit acclinato capite ad Sanctum, ac plurimi Angeli, qui aderant, & cum ipso venerunt, admoverunt digitos ori, dicendo: Dominus dormit, silentium; nemo illum excitet. Dum ego stuperem & mirarer, videns hoc mysterium, convertit se ad me sanctus Josephus, dixitque mihi: Dominus dormit, roga illum, nè expergiscatur, hoc enim expedit, indicando mihi, peccatis Regnorum & Civitatum provocari Dominum, & exsuscitari ad exercendam suam justitiam, qui nunc dormit in sua misericordia, ideóque dicebat: Roga Dominum, ut dormiat in sua misericordia. Unde ego afflicta converti me ad Dominum DEUM nostrum, ac deprecata sum ipsum, quàm optimè potui, ut misereretur Populi Christiani, & suæ Ecclesiæ, propter merita hujus gloriosi Patriarchæ Sancti Josephi. Sanctus autem mihi dixit: Adhuc aliquid aliud est, quod te oportet dicere. Cùmque ego interrogarem, quid esset? dixit Sanctus: Adde; & propter merita Sanctissimæ Virginis MARIÆ, atque propter IESUM Christum Dominú Nostrum, & ejus mortem, ac sanguinem, quem effudit pro nobis. Feci, quod jubebar à sancto, & impendi huic orationi multùm temporis, petendo id à Patre Æterno. Tum conspexi in Divino ipsius pectore sanctissimam Humanitatem JESU Christi Domini Nostri, & Divinam ejusdem Personam, ac modum, quo hic illius Filius procedit à suo sanctissimo Patre ab æterno, per Divinam generationé, vidique, quomodo Pater æternus illum amaret, ac à Filio amaretur vicissim Æternus Pater, & ex utroque procederet Divinus Amor, ac Spiritus Sanctus. Viso hoc mysterio, aperui oculos, ut intuerer sanctissimum Puerum, qui jam fuerat expergefactus ex somno, & sanctum Patriarcham, qui ipsum gestabat in suis brachijs, videbatúrq; gravari, quasi sustineret grande pondus, mirantíque id mihi, dixit Sanctus: Non est mirum, quòd sit tam gravis, quia suscepit in se peccata mundi; quod pondus etiam est meum, propter amoré, quo erga illum feror; qui enim verè diligit, sentit afflictiones dilecti, tanquá proprias. Post hoc Sanctus Patriarcha collocavit sanctissimum Puerum humi, ut staret, sicut initio: vidíque ipsum subitò resplendenté, quasi mille soles, vestes ipsius radiabant maximâ luce, atque splendore, & sanctus Patriarcha continuò discessit, abducens unà Puerum, cum comitatu magnæ multitudinis Angelorum cantantium: *Gloria in excelsis DEO.*

CAPUT X.

De eximijs favoribus, quos illi exhibuerunt, S. Petrus Apostolus, dando ipsi quandam mysticam clavim, pro ingressu cœli, & S. Joannes Evangelista, animando eam ad patiendum, atque ad quatuor ferventes affectus, quos exercebat.

§. I.

CUm aliquando essem vehementer afflicta dolore capitis, attollens oculos animæ, conspexi Sacratissimam Virginem, indutam vestibus perquàm pretiosis & gloriosis, ad cujus dextram stabat gloriosus Apostolus S. Petrus, in vestitu modestissimo, coloris quasi fusci, quo repræsentabat personam magnæ authoritatis. Alterum latus stipabat gloriosus Evangelista Sanctus Joannes, gerens vestem, quæ referebat colorem quasi ignitissimarum prunarum. Et quamvis illos nunquam viderim, tamen illuminata à DEO, ipsos optimè agnovi. Intuebar eos

cum magno ſolatio, præſertim ſanctum Apoſtolum Petrum, qui mihi dixit: Venio nunc, ut te curem ab hoc dolore capitis, quem pateris. Videns ego, quòd mihi vellet præſtare tantam gratiam abſque meo merito, & ullo ipſi à me exhibito obſequio in vita mea, actis ipſi gratijs, incepi illi quædam dicere, quæ mihi DEUS ſuggeſſit, non tanti faciens ſanitatem mei capitis, quam mihi Sanctus offerebat, quanti favorem, quem mihi ea in re exhibebat. Ad hæc omnia Beatiſſima Virgo, & glorioſus Sanctus Joannes nè verbum loquebantur, imò oſtendebant, ſe adeſſe cum quadam reverentia, cedentes in hoc ſancto Apoſtolo; & ſpecialiter ſacratiſſima Virgo videbatur illic præſeferre magnam venerationem, quâ ipſum fuerat proſequuta, degens in hoc mundo. Cùm diceret verba, quæ retuli, licèt eſſent interna, erant tam vehementia, ut me magnopere debilitaverint. Quod agnoſcens glorioſus ſanctus Petrus, dixit mihi peramanter: Tace, quieſce, & dormi. Tum ego dixi: Glorioſe ſancte, eſſet ſanè pulchrum, ſi te præſente, & poſtquam veniſti ad præſtandam mihi tantam gratiam, ut mihi conferres ſanitatem, ego eſſem tam inurbana & incircumſpecta, ut dormirem, atque ſic iſtud beneficium ex tua manu ſuſciperem? hoc nullo modo fieri oportet. Glorioſus autem Apoſtolus mihi reſpondit: Et ignorásne, quòd ego non tantùm ſanaverim in Nomine Domini infirmos, ſed etiam reſuſcitaverim mortuos, qui propterea non poterant animadvertere gratiam, quam ipſis præſtabam? etiam nunc igitur te ſanabo, quamvis dormias, & non advertas. Dum id audirem, ac advertebam Sanctum dicere bene, tacui & quievi, atque ità dormivi; ſed nihilominus ſtatim vidi, cùm me componerem ad ſomnum, quòd Glorioſus Apoſtolus elevaret manum, mihiq; bene precaretur. Poſt hoc fui libera à dolore capitis, & recuperavi vires, neque illos ampliùs vidi.

§. II.

ALiâ vice, dum intereſſem Sacrificio Miſſæ, in Feſto Glorioſi ſancti Petri Apoſtoli, vidi illum pontificaliter veſtitum, ſtipatum multis Angelis, & ad quoddam Altare cum Miſſali, quaſi ſacrificaret. Conabar ipſum non aſpicere, ut eſſem intenta Sacro, quod erat audiendum ex præcepto. Vidi illum ter benedicentem toti Chriſtianitati, ac tenentem in ſua manu clavim auream, quam mihi porrigebat, & ego nolebam ſuſcipere: operâ autem cujusdam Angeli illam impoſuit intrà me ipſam. Poſt hoc, & ſumptâ ſacrâ Evchariſtiâ, incepi cogitare, qualenam eſſet illud myſterium clavis? Reſpondit mihi ſanctus Apoſtolus: Dominus tibi ſæpè dixit, daturum ſe tibi ſuum Cœlum, cum autem ego habeam claves, volui tibi hanc dare, ut illam habeas intrà te, ſciásque te eò intraturam. Duas deinde poſt horas, derepente ſenſi ingens ſolatium, quòd eſſem ſalvanda. Sed in momento diſcrevi Spiritum, cujus ea erat ſuggeſtio, compoſuitque ſe mea anima inſtar gallinæ, quæ foveat pullos, quando advolat milvus, tota conſternata, & dixi: Si ſervavero præcepta DEI, & fuero mortua in ipſius gratia, clarum eſt, me ſalvandam; ſi verò illa non obſervavero, nequaquam ſalvabor. Interrogavi meos Dominos, quis Spiritus ille fuiſſet? Illi contraxerunt humeros, & ſiluerunt. Verùm Dominos mihi dixit: Nè te affligas, ego tibi id aperiam: dæmon à me petivit copiam, te aliquoties alloquendi, dicens, quòd ſciret imitari meam loquelam, ità ut te falleret, cogitareſque, eſſe me: ipſe eſt loquutus; ſed eſt pudefactus, quia à me illuminata, ſubitò agnoviſti illius fraudem.

§. III.

ALio Feſto ſancti Apoſtoli Petri, conſpexi in cubiculo ſanctum Apoſtoli, & quia meo more timebam, ac eram defiata, conabárque me abſtrahere, Sanctus me ſatis diu expectavit; poſtquàm verò quievi, dixit mihi: Soror, da mihi iſtud Roſa-

Rosarium, quod hic habes. Quando id audivi, fui denuò confusa. Accepi meum Rosarium, & abscondi intrà meas manus, nè illud Sanctus videret: Sanctus autem mihi dixit quàm suavissimè: Nonne scis, me esse meum Patrem, quid times? Age, Anima, dimitte hoc Rosarium, quod habes. Estne possibile, quòd non sis mihi illud conceditura? Dimisi Rosarium ex manibus, & Sanctus statim disparuit ex meo cubiculo, vidique ipsum in Curia cœlesti coram Christo Domino genibus flexis, & cum meo Rosario, quod in manibus tenebat. Dominus illum aspiciebat quàm benignissimè, dicebàtque ipsi: Petre, quid vis? Ille respondit: Domine hic fero Tuæ Majestati istum florem tuæ servæ (& exhibebat illi Rosarium) supplex oro, ut illum ex mea manu suscipias in tuas. Sit ità, licet, Petre, sicut tu vis. Et suscepit Dominus Rosarium ad suas sanctissimas manus, contrectavitque illis totum, trahendo ipsas per illud iteratò, ac deinde restituit Sancto. Fui abrepta in ecstasim, videns hoc mysterium, & quando mihi fuit reddita, vidi meum Rosarium suprà meum lectulum.

Iste favor, in re adeò exigua, indicabat tenerum amorem, quo Sanctus prosequebatur hanc suam famulam, cui multa alias contulit gratias, quæ, utpote concernentes alia mysteria, referentur suo loco.

§. IV.

Specialissimus, valdèque gratiosus, & profecùs fuit favor, quem illi exhibuit sanctus Joannes Evangelista, paulò ante Festum sancti Petri. Eodem anno, quodam die, *inquit*, Sanctus Apostolus & Evangelista Joannes, ex improviso est alloquutus meos Dominos Angelos, dixitque ipsis: Venio in nomine Domini, ut ducà istam creaturam ad locum mihi à Domino constitutum, & sublevem illam aliquantùm à molestijs, quas patitur; conversùsque ad me, dixit: Anima, intellexistine id? Ego, more meo timens, incepi quasi respuere hunc favorem, nolens ullum levamen: Sanctus tamen illum re ipsâ præstitit, abduxitque me unà cum meis sanctis Angelis. Dixit mihi autem: Confer tibi, intuam te intrà illum aureum arcum, quem vides. Ostendit mihi quendam quasi medium arcum, quo jaciuntur sagittæ, tam magnum, ut me caperet; & quamvis ego mirarer conspectà istà novitate, videremque mihi nolle in illum ingredi, nihilominus Sanctus me in ipsum introduxit, atque hoc modo fui ducta per quoddam mare pellucidissimum, spatiosum & amœnum, ac devenì ad quendam campum, qui erat in medio illius maris instar Insulæ. Ibi subsistit, & Sanctus mihi dixit: Contemplare, Anima, istum campum adeò viridem & elegantem; hic habitavi, ubi mihi Dominus revelavit suas magnas arcana, & res grandes, eventuras in sua Ecclesia. Perlustravi totum illum campum, recreatàque fuit minimum in modum oculi meæ animæ, & consortata fui in Domino, cognoscendo confusè ea omnia, quæ fuerunt revelata Sancto. Deinde me duxit ad cœlestem Jerosolymam, non quò soleo ire, sed ad quendam maximum campum illius Civitatis, qui erat plenus arboribus, ac viridi, & reperiebantur in illo omnia genera admirabilium fructuum in magna abundantia, quæ res me magno affecit solatio, ac stupore, quòd viderem tantam varietatem rerum cœlestiùm. Ibi me collocavit Sanctus, dixitque mihi: Accipe, Anima, istum arcum, & has sagittas, atque magnâ vi ejaculare unam. Feci, quod jussa fueram à sancto Apostolo, & magnâ vi atque conatu ejaculata sum unam sagittam, fuitque jactus tam fortis, ac tam procul sagittam deferens, ut effugerit oculos. Jussit me jacere aliam, ac præterea duas, ut essent quatuor, quas emisi ad diversas partes, ut quasi efformarem Crucem. Et sanctus dixit: Hoc optimè peregisti, Soror. Inde me deduxit ad conspectum Beatissimæ Trinitatis, atque Dominus me secum univit, quo fum satis diu fruita, & Sanctus mihi disparuit, ut illum non ampliùs viderim toto tempore, quo ibi mansi. Mei autem Domini me reduxerunt ad meum angulum; ac tum ipsum denuò vidi, declaravitque mihi mysterium illorum quatuor jactuum, & arcus.

cûs. Noveris Anima (dixit Sanctus) per illum arcum, in quem fuisti quodammodo inclusa, tibi significatum esse, quòd animæ tendentes ad perfectionem, & cupientes obtinere cognitionem supernaturaliũ ac divinarum veritatum, quas DEUS ex mera sua bonitate illuminat, sicut te, se debeant includere intra hunc aureum arcum, id est, abstrahere se ab omnibos curis, de bonis temporalibus, & rebus terrenis, tantúmque anhelare ad res æternas, & illas appetere, ac respicere solũ DEUM, absq; diversione ad quidquam aliud. Quatuor autem illæ sagittæ, quas ejaculatæ es, sunt quatuor affectus, ac desideria ardentia, quæ habes, & DEUS tibi dedit tam vehementia ac magna, quàm erant quatuor jactus, quibus tam procul propulisti sagittas, ut effugerint conspectum. Primus est, ingens desiderium, quo teneris, ut te in omnibus conformes Voluntati DEI, placeásque ipsi in omni occasione. Secundus significat magnum desiderium, quod habes, lucrandi & salvandi animas: quamvis enim hoc desiderium non possis mandare exequutioni, sicut tu vis, non propterea perdis tuorum desideriorum præmium, quod est maximum meritum, ac tantum, ut nequeat perspici. Tertius jactus significat summũ desiderium, quo raperis ad videndum DEUM, quódque statuto tempore adimplebitur, & modò est tale, ut sit inexplicabile. Quartus, significat vehemens desiderium, quo cupis in tua morte perfici omnia, quæ DEUS de te constituit. Finito hoc alloquio, ad me redij ex isto mentis excessu: Optimè verò adverti, quòd visa mihi fuerim videre hunc sanctum Evangelistam longè alio modo, quàm viderim alios Sanctos. Etsi enim mihi omnes compareant, & ego illos videam oculis animæ, in specie corporea; istum tamen Sanctum vidi aliter; quia mihi illum videbar vidisse quasi vivũ, & cum corpore ac anima resuscitatum. DEUS quoque mihi manifestavit magnitudinem ipsius gloriæ, quæ erat maxima. DEUS sit benedictus. Amen.

Hoc loco animadvertendum est, quòd, dum dicit, ipsum à se fuisse visum resuscitatum, innuat illum esse mortuum, sed tamen ex speciali privilegio resuscitatum, atque nunc degere in cœlo cum corpore & anima, ùt sentiunt graves Doctores.

CAPUT XI.

De Sancta Maria Magdalena, & undecim millibus Virginum, atque admirandis Visionibus de gloria, & prærogativis harum Sanctarum.

§. I.

DIe Sanctæ Magdalenæ, mihi audienti Sacrum, comparuit eadem Sancta. Veniebat cum multis sanctis Angelis, dicebátque mihi: Amica, venio cum his sanctis Angelis, ut te ducam ad locum, ad quem ego vivens in carne, fui ab ijsdem frequenter deducta. Ego nolebam ire, nè Sacrum negligerem; & mei Domini Angeli, similiter abnuebant: illi tamen, qui venerant cum Sancta, dixerunt, id juberi à DEO, & hoc dicto me abduxerunt. Conabar nihilominus attendere Sacrificio Missæ. Istud mysterium evenit, quando dicebatur Evangelium, & fui mihi reddita, dum Sacerdos abluerat manus. Duxerunt me ad quendam delitiosum & pulcherrimum Paradisum, quem bene agnoscebã, eò quòd illum aliàs viderim. Ibi intrà momentum fui ter edocta, quasi in ictu oculi, qualis esset Divina illa essentia felicis ac beati DEI, & quomodo in ipso, & per ipsum redderentur beati ij omnes, qui illius majestate fruuntur. Magno, mea anima, illo brevi tempore, affluebat solatio.

tio. Reducta sum ad meum cubiculum, & Sancta redivit mecum unà cum suo bono comitatu, dixitque mihi, se in vita sua non deliquisse mortaliter actuali peccato carnis, fuisse tamen scandalosam, & peccavisse internè: quamvis istud ultimum non voluerim audire, sed tamen id ab illa fuisse dictum, intellexi.

§. II.

PRidie Festi undecim millium Virginú, manè (in Octobri anni 1617.) mei Domini quatuor sancti Angeli, DEO volente, mihi dixerunt: Soror nostra, hodie celebratur solenne Festum in Cœlo, in honorem istarum sanctarum Virginum. Veni nobiscum, & videbis illud. Erant plurimæ & speciosissimæ, vestitæ purpurâ, redimitæ coronis, ac ornatæ aureis torquibus, aliæ verò totæ cooperiebantur auro, & grandibus unionibus, ac gemmis. Elegantia vultuum & oculorum erat tanta, adeóque extraordinaria, ut mihi videretur esse quædam beatitudo, vel unius illarum conspectu frui. Procedebant ritu supplicantium, solis comitatæ Angelis, quos inter etiam erant mei, & non comparebat ibi ullus Sanctus, præter Beatissimam Virginem, quæ formosissima & pulcherrima progrediebatur in medio. Volui illam accedere, sed Angeli mihi dixerunt: Contine te, quia tu adhuc degis in exilio. Domina autem nostra se ad me vertit, cum magna affabilitate, dixitque mihi: Noli affligi, hic enim est tuus locus, qui tibi ad definitum tempus reservatur. Vidi meum locum esse quoddam spatium vacuum inter eas sanctas Virgines, proximum DEIparæ. Musica istius pompæ erat Divina; & Angeli se videbantur quasi eviscerare. Resonabat per aërem illius supernæ Jerosolymæ cœlestis quædú harmonia, quæ abripiebat animam; volitabant veluti linguæ igneæ, ac descendebant, collocabántque se super capita earú sanctarum Virginum ac Martyrum. Aliæ erant majores, aliæ minores, quemadmodum major erat vel minor amor, quo singulæ flagraverant, tempore sui martyrij. Ego, in ea processione, incedebam ex una parte, cum meis Dominis. Respexi retrorsum, ac vidi in fine processionis sequétem JESUM Christum Dominum Nostrum, & progrediente paulatim eâdem pompâ, ipse mihi videbatur immótus. Erat hic Dominus ad dextram Patris Æterni, stipatus millibus Angelorum, & sanctorum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, cæterorúmque Sanctorum Cœlitum. Illo conspecto, deserui Processionem, ac meos sanctos Angelos, atque cucurri ad meum Dominum. Angeli me impediebant, dicendo: Quò vadis, Soror? Dominus autem ipsis dixit: Permittite illá ad me venire. Permiserunt me, & ego provoluta in genua, apud pedes mei Domini, venerata sum ipsum, ut potui. Tum Dominus extendit ad me suas sanctissimas manus, & imposuit illas meo capiti, deditque mihi suam benedictioné, & petivit à suo Æterno Patre, ut & ipse mihi suam impertiretur benedictioné, quod fecit. Patrem Æternum vidi in specie humana, habebat ad dextram suam Christum JESUM Dominum nostrum, & videbam in ipsius Divino pectore candidum agnellum, qui erat Verbum æternum; ibíque mihi manifestavit Dominus, & me illuminavit ac docuit, quomodo Divinus ille Agnus procedat ex intellectu Patris, & ex amore Agni ac Patris, procedat Persona Spiritús sancti. Ibidem quoque eâ claritate vidi mysterium Sanctissimæ Trinitatis, quâ in hac vita mortali videri potest, & adverti, quòd etiamsi Agnus maneret in Divino pectore, & Christus Dominus esset ad ejus dextram, non essent tamen duo, sed unus; sicut quando sunt duæ Hostiæ consecratæ, existit in utraque unus solus Christus JESUS Dominus noster. Non est explicabile solatium, quo mea anima propterea fuit repleta, & sum mihimet erepta, cùm talia viderem. Postquàm autem mihi modicùm fuissem restituta, jam illa Processio erat finita, & videbam sanctas illas Virgines, singulas in suo loco ac throno, atque in momento nihil ultrà conspexi, sed eram in illa cœlesti Jerosolyma sola, nihil videns; sicut absolutâ aliquâ so-

lennitate, omnes revertuntur domum, & evacuatur forum ac plateæ, ità ego remansi sola, & valde afflicta, quia ignorabam, quid mihi esset agendum, vel quò eundum. Fortuitò vidi quendam Angelum DEI, qui, cùm me deberet solari, magis me afflixit, quia mihi dixit, ut abirem, non enim me posse ibi manere, & vehementer me urgebat. Ego nesciebam, quà esset eundum, donec conspexissem unum solum Angelum, ex meis quatuor, *Minorem.* Ipso conspecto, mihi videbar respiravisse, dicebámque illi: Ah, mi Domine, quomodo me reliquerunt solam? Respondítque mihi gratiosissimè: Et quomodo tu, Soror, nos reliquisti? Placétne tibi id? ubi fuisti? Deduxit me ad meum cubiculum, ubi jam erant alij tres mei Domini, & dum eodem modo illis conquererer, retuli ab illis idem responsum.

Aliâ vice, biduo vel triduo ante Festum undecim millium Virginum, vidi in mea recollectione duas Virgines eleganter vestitas; sed non multum id curavi, timens, nè propterea, quòd valde afficiar his sanctis Virginibus, mihi imaginer illas à me videri. Alio die in Templo, conspexi coram me quasdam puellas mirè gratiosas, ac formosas, & comptissimas, quæ coopertæ pallio cujusdam Dominæ, stipabant utrumque ipsius latus, & cor mihi amore illarum exarsit. Sequenti die, qui erat ijsdem sacer, vidi in Templo multas Virgines splendidissimas, in vestitu coloris quasi purpurei, vivacissimi, & pretiosissimi, quæ gestabant torques & monile in collo magni pretij. Erant autem quasi immersæ in quodam lacu, pretiosissimi & jucundissimi visu sanguinis, ut ipsius aspectus non incuteret horrorem, sed potiùs afficeret solatio. Erat sanguis instar vitri crystallini, referens colorem perfectissimæ purpuræ. Contemplata sum aliquamdiu has sanctas Virgines, fuítque cor meum illarum amore repletum, atque confirmatum in devotione, quâ erga ipsas ferebar.

CAPVT XII.

De duodecim Apostolis, déque S. Martino & S. Augustino.

§. I.

Sanctus Martinus Episcopus Turonensis, in suo Festo, aspectabilem se præbuit oculis meæ animæ, vestitus Pontificaliter, & salutavit me, deditque mihi suam sanctam benedictionem, quàm benignissimè. Sed cùm ego nihil minùs cogitarem, quàm obventurum mihi ejusmodi favorem, fui vehementer consternata, & recepi me, atque confugi ad DEUM. Sanctus verò nonnihil dissimulanter se gessit, quamvis non intermiserit me alloqui, dicendo mihi: Soror, visne spectare quandam magnam solennitatem, celebrandam ad Gloriam DEI, qui est delicium ac solatium animæ tuæ? Fui confusa hoc audito, & licèt sim venerata Sanctum, atque in meo corde illi egerim gratias pro favore, quem mihi exhibebat, nihil tamen ipsi respondi. Verùm subitò sum ducta à quibusdam sanctis Angelis ad grande & principale Templũ, cujus summa Capella erat ex præstantissimo & purissimo auro, ubi vidi Beatum sanctum Martinum, vestitũ more Pontificio quàm splendidissimè, & mysticè ibidem celebrantem Sacrum. Ministri assistentes erant, quidam sanctus Propheta, qui legit Epistolam, & quidam sacer Evangelista, qui cecinit Evangelium, in quo mihi videbantur cani illa verba Christi Domini: *Qui vult venire post me, abneget semet ipsum, tollat Crucem suam, & sequatur me.* Acolythos agebant Angeli Hierarchiæ superioris, gratiosissimè ornati, ac elegantissimis, & in

& in choro, in quo assistebant, etiam suo ordine circumquaque considebant omnes sancti Prophetæ, induti pluvialibus quàm pretiosissimis, ut illorum aspectu recrearetur anima. In corpore hujus magnifici Templi erant per circuitú duodecim Capellæ sumptuosissimæ, in quibus mysticè celebrabant Missas duodecim Apostoli, singuli in sua; quibus in eo mysterio inserviebant Angeli. Hoc modo & ordine incepit sacrum illud Officium, & admirabilis solennitas, atque Beatus Sanctus Martinus inchoavit suam Missam, cum Subdiacono ac Diacono, sicut dictum est: fuitque mirabile, quod Dominus fecit, quando Sanctus adoravit quàm reverentissimè sacram & mysticam Hostiam, eandémq;, cum illa se erigens, elevavit; quia tunc ibi comparuit Christus Dominus, indutus vestibus regijs pretiosissimis, inusitatâ conspicuus magnificentiâ & majestate, atque cùm illum adoraret tota illa cœlestis Curia, & beati Spiritus, resonuit quædam cœlestis musica illius Angelici & mirabilis Chori. Finito Sacro, conjunxit se suo ordine quàm convenientissimè sacrum illud Collegium Apostolicum, & sancti Prophetæ, ac Evangelistæ, omnésque illi Spiritus beati, exceptis sanctis duobus Ministris, remanentibus apud Altare cum glorioso sancto Martino, & maximâ solennitate, instar bipartitæ processionis sunt comitati Christum Dominum, incedentem in medio omnium eodem modo, quo comparuerat in Altari, cùm elevaretur Hostia. Progressi sunt usque ad altare, ubi fuerat celebratum illud mysterium, & adveniente Christo Domino, recessit Beatus Sanctus Martinus ad unum altaris latus, descendens uno gradu, atque sanctus Propheta cum sancto Evangelista se collocaverunt ad alterum latus sinistrum altaris, eadem ratione, & manserunt omnes inclinati summa cum reverentia, donec Dominus, postquam accessisset ad Altare, sèque aliquantùm inclinavisset, conversus ad totam illam cœlestem Curiam, cum insolita Majestate, tanquam DEUS & Homo, Rex & Dominus omnium creaturarum, ipsis impertitus fuisset suam sanctá benedictionem, cujus etiam fuit particeps paupercula mea anima. Eà verò finitâ, insonuit talis musica illorum Angelicorũ Spirituum, ut nulla valeat lingua eloqui, quantum ibi anima senserit bonorum ac suavitatis. Mirabatur tamen & stupebat ac verecundabatur, se adesse tam stupendis rebus, & versari in cœtu adeò gravi & cœlesti, ut plena solatio ac bonis, quæ illá invitabant ad nunquam inde abeundum, si posset, intueretur sanctos Angelos, qui eam illuc deduxerunt, ac circumdabant, attendens, velléntne ipsam abducere, an verò magis illi appropinquare, ut ab ijs tecta, posset meliùs sustinere suam confusionem. Datâ benedictione à Domino, omnes surrexerunt, & Dominus discessit, atque ego fui ab Angelis reducta ad locum mei exilij.

§. II.

ALiàs, inter orandum, conspexi gloriosum Patrem sanctum Augustinú, vestitum habitu suæ Religionis, vultu gravi ac splendido. Et quia illum nunquam videram, habui me neglectim, sicut soleo, non curando id multùm. Alio die, iterum se mihi eodem modo spectandum exhibuit, atque tunc attendi aliquantò ampliùs, quàm primâ vice; nihilominus tamen me abstraxi, quia illis diebus eram nonnihil timida. Sed gloriosus Sanctus cognoscens meum timorem ac imbecillitatem, dissimulanter se gessit, reliquitque me eo tempore. Redijt autem tertiò, similiter exhibens vultum splendidiorem, & gloriosiorem; habuítque vestem distinctam stellis, quæ coruscabant quadam luce promicante, ut videbatur ex ipsiusmet corpore. Sicut sum intuita exteriora, & corpus gloriosi Sancti; ità vidi interiora, & cor, quod erat plenum claritate & maximâ luce, totúmque accensum & ardens amore DEI. Tum conjeci in ipsum oculos, jam absq; timore, vel dubio, quin imò cum magno solatio, & gaudio, ac incepi illum instantissimè obsecrare, ut mihi à Domino impetraret sanctam ipsius gratiam, pro exequenda in omnibus ac per omnia

omnia sanctissima ejus voluntate, & rogavi ipsum, ut oraret etiam pro sua Religione, & pro nonnullis ex ea speciatim, constitutis in majori necessitate. Dixit, se id facturum, & nullo præterea mihi dicto verbo, fuit quasi abreptus, oculis erectis ad cœlum, manibúsq; ab invicem disiunctis, cum magna devotione. Ego sum passa ecstasim, aspiciendo illum toto tempore, quò ibi mansit, quódque non erat tam breve, quàm mihi visum est, quia apparebat instar Seraphini inflammatus, & flagrans amore DEI, atque exinde mea anima fuit repleta affectu, & amore erga istum Gloriosum sanctum.

CAPUT XIII.

Quomodo illi DEUS miris modis manifestaverit Eminentiam, Sanctitatem & Gloriam S. Patris Nostri Ignatij, & quid ei Gloriosus S. Dominicus de ipso dixerit, déque Societate JESU.

Frequentiùs invisentes Venembilem Marinam Sancti, quorum ipsi DEUS prærogativas miris modis manifestavit, fuerunt Fundatores sacrarum Religionum. Quamvis autem Sanctus Pater Nostier Ignatius non sit alijs antiquior, exordiemur à revelationibus illum concernentibus, quia alioquin non possent intelligi, quæ spectant ad cæteros; præsupposito eo, quod est dictum in capite octavo Libri primi, ac deinceps passim, dum recenserentur alia mysteria.

§. I.

Cum hic Sanctus Patriarcha fuerit specialiter addictus sanctissimo nomini JESU, ab eóque appellaverit suam Religionem, assumpto ipso pro Capite ac Duce suorum Filiorum, ut idem gloriosum Nomen per universum orbem portarent coram fidelibus & infidelibus, hanc ipsius singularem inter reliquos sanctos prærogativam DEUS suæ famulæ manifestavit, exhibendo illam in mystica quadam pompa innumerabilium Angelorum & Sanctorum, celebrantium Festum Sanctissimi Sacramenti, eo modo, qui suo loco est expositus. Id ipsum patebit ex alijs visionibus, quas illa sic refert.

Quodam die manè agens cum Domino, vidi, *ait*, Gloriosum Patrem Sanctum Ignatiũ, non ità, sicut ipsum videre soleo, nimirum in vestibus, quales ordinariè gerunt ipsius Religiosi, sed more Sacerdotali indutum, sacrâ epomide supernè plicata, quali utuntur Sacerdotes, dum ferunt Sanctissimum Sacramentum, quæ totâ erat repleta multis nominibus JESU, efformatis Phrygio opere ex auro, tam pretioso ac lucido, ut unumquodque nomen videretur esse lucidissimus ac splendidissimus Sol, & singula erant incincta circulo, circumdato multis radijs, coruscantibus instar solarium radiorum. Tenebat Sanctus in suis manibus sacram Hostiam, & ego modò illam videbam, qualis aliàs apparet, modò existentem in ipsa sacratissimum Puerulum, quem species sacramentales tegebant instar veli. Cùm vidissem hoc tam novo modo sanctum Patriarcham, abstrahebam me, quemadmodum consuevi facere, ac avertebam oculos ab eo spectaculo, & cogitabam, quidnam id posset esse? Gloriosus Sanctus quamvis videret, ac penetraret, quid ageretur in meo corde, tacebat, ac gerebat se dissimulanter, non cogens me multùm ad se aspiciendum, imò recedebat modicùm, donec Dominus, uti solet, me liberaret ab illo timore, ac pudore, disponerétque, ut possem videre mysterium, quod mihi proposuerat ostendere. Paulò pòst, cùm me jam Dominus disposuisset, denuò Sanctus Pater

Pater noster Ignatius mihi se videndum præbuit eodem modo, vidíque ipsum manifestiùs & clariùs, atq; etiam dictum mysterium.

§. II.

ALiâ vice, dum aliquando manè cum DEO agerem, amando ipsum omnibus viribus meis, vidi Nostrum S. Patrem Ignatium præsentem, in suo vestitu ordinario, & magnâ conspicuum gravitate, atque modestiâ adeò insolitâ ac Divinâ, ut me rapuerit in magnam admirationem; fuerímque ipsum singulari prosequuta veneratione. Aspiciebam illum frequenter; sed quia vehementer flagrabam amore DEI, perseverabam apud Divinam Majestatem, continuando meum exercitium. Siquidem autem volebat ut attenderem ad id, quod mihi statuerat manifestare de hoc Sancto, indulsit diabolo, ut me modicùm turbaret, & sic illa vis, quam mihi Divinus ipsius amor inferebat, cessaret, recurrerémque ad illum, quem coràm habebam. Egit mecum DEUS instar Matris volentis repellere suum filiolum sibi adhærentem, ut ad alium transeat, quæ dolo utens illum terrefacit, ut eo timore perculsus non advertat, quorsum eat, ac terrefactus confugiat ad brachia alterius præsentis. Cùm igitur ego ità adhærerem DEO, ut non possem ab illo separari, comparuit mihi diabolus in specie valde abominabili, protulítque verbum quoddam horridissimum, quod me ità afflixit, ut mallem sustinere quantumcunque grave tormentú, quàm illud audire, statímque uno saltu se à me proripuit, & collocavit in alio loco cubiculi. Tunc elevavi oculos, & vidi adesse sanctum Patrem Nostrum Ignatium, qui mihi peramanter dixit: Quid hoc fuit? accede, nè affligaris, nè turberis. Applicui me ipsius lateri, & conquievi, fuíque magno delibuta solatio. Nihilominus continuè intuebar diabolum, alibi consistentem, cujus aspectus me vehementer affligebat; sanctus verò Pater mihi peramanter dicebat: Aspice huc. Tum sustuli oculos, ac vidi in ipsius sancto pectore scriptum, & expressum aureis literis sanctissimum Nomen JESU, intrà rotundum circulum, formatum ex splendidissimis aureis radijs, qui ascendebant per illius vultum, & extremitatibus superabant caput, quod mirâ illustrabant claritate. Ego videns taliter sanctum illius vultum, quasi transfiguratum, & gloriosum, qualiter ipsum nunquam videram, attentè illum cœpi contemplari, & passa sum ecstasim ingenti perfusa gaudio, ut nihil ampliùs sentirem doloris. Quià tamen ipsum videbam tam gloriosum, ità eum reverebar, ut vix illum auderem intueri, & sanctus Pater mihi iteratò dixit: Aspice, aspice bene. Habitâ istâ licentiâ & imperio, denuò contemplabar sanctum ejus pectus, ubi gerebat impressum in ipsámet sua carne sanctissimum Nomen JESU, in cujus dulcissimi nominis medio, vidi Christum Dominum in specie parvi, & Sole splendidioris Pueruli, sanctum autè Patrem longè magis quàm antè gloriosum, vultúmq; ipsius magis fulgentem, utì & vestes, propter lucem & claritatem, quæ ex sancto ejusdem corpore promicabat, & illas irradiabat. Cùm verò ego illum tantopere amem, fuit mea anima repleta summo solatio, & prostravi me ad ejus pedes, voluíque illos osculari, verùm Beatus Pater, nè aliquid faceret contra suum sanctum morem, seu, ut meliùs dicam, quò mihi daret majus exemplum humilitatis, quia sciebat, quantopere illâ indigerem, id non est passus, sed retraxit pedes introrsum; & tunc illi dixi: Sancte Pater, siquidem me non vis dignari eâ gratiâ, ut me permittas osculo venerari tuos pedes, liceat mihi dissuaviari tuam sanctam manum. Respondit mihi amabilissimè: sit ità, licet. Quare accessi, osculatáque sum illam cum magno meæ animæ solatio, dum illam haberet extensam, ac positam supra genu, & ipse mihi impertitus est suam benedictionem. Interea, dum fruerer istâ gratiâ, vidi adesse multos Patres ex ejus Societate, quasi arrectis capitibus, ut viderent illam gloriam, atque transfigurationem sui sancti Patris ac Ducis, & postquam aliquamdiu ibi substitissent, cùm esset tempus abeundi,

eundi, accesserunt multi Angeli, apprehensáque ipsius veste, voluerunt illum abducere, sed ego ijs respondi, ut mihi eum dignarentur relinquere adhuc modicum, pro meo solatio. Quod quidem fecerunt, sed aliquantò pòst redierunt, & sustentantes Sancti vestem, ipsum abduxerunt, concinentes quàm lætissimè hæc verba: *Iste est Dux & Caput sanctæ Societatis JESU; iste est, qui assumpto hoc sacratissimo Nomine pro tessera, conatus est inferre bellum, & intulit illud diabolo, honoravitque ac venerutus est idem sanctissimum Nomen: exhibeamus illi istum honorem, tribuamúsque ipsi laudem, quam bene promeruit.* Hoc modo illum ij sancti Angeli deduxerunt ad Cœlum, sequentibus ipsum illis Patribus Societatis, filijs ejus.

§. III.

Referimus aliam visitationem, non minùs gratiosam & plenam mysterio, quæ facit ad idem propositum, & in qua ipsi exhibuit singularem favorem, atque gratiam longè utilissimam. Dum, *ait*, essem intenta orationi, elevavi oculos animæ, & vidi sanctum Nostrum Patrem Ignatium, quasi considentem in sella, indutum suo ordinario vestitu, & cum sancta gravitate, ac solita modestia. Subitò illi incepi referre querelas, quibus me ipsam ordinariè incuso, & sanctus Pater me consolans suo sancto alloquio, mihi dixit: Aspice. Ego illum aspexi, & vidi aperientem quoddam scrinium, ex quo exemit elegantissimum fasciculum variorum ac diversorom florũ, qui erant speciosissimi, & præditi admirandis coloribus, acceptúmque ad suam manum mihi ostendebat, dicendo quàm amantissimè: Contemplare istum fasciculum tam elegantem, spectat enim ad te, & pro te illum combinavi: contemplare diversitatem florum, quos habet, qualésque sint eorundem colores, quàm sint exquisiti, & gratiosi. Cúmque eos contemplarer, vidi esse ligatos & constrictos nitidissimè & elegantissimè quibusdam ligulis seu vinculis, quæ erant referta gemmis. Non poteram avertere oculos à tam pretioso fasciculo, & quidá fratres stantes post Nostrum sanctum Patrem, etiam illum fixè intuebantur: quia verò dixerat, ipsum ad me spectare, præstolabar, an illum mihi esset daturus, quídve de eo esset facturus: sed gloriosus Sanctus ipsum reposuit ad scrinium, in quo illum antè habuerat, ac deinde mihi dixit: Stupes, quòd nesciis, quales sint flores istius fasciculi, quem pro te collegi, & tibi servabo, ut eo fruaris suo tempore. Scias verò in viridario cœlestis Jerosolymæ reperiri multos Divinos flores, quibus nunc delectantur animæ Beatorum, qui illam inhabitant, & quia laboraverunt tempore sui exilij, ut inquirerent veram & perfectam virtutem, edomando suas passiones, obtinuerunt coronas eorũ florum, & illius gloriæ, quâ singuli fruuntur, pro varietate diversarum virtutũ, quas exercuerunt in terra: atq; inde ego decerpsi hos flores, & confeci tibi hunc fasciculũ, consideratis attentè virtutibus, quæ in ijs Beatis, qui erant redimiti his floribus, mihi videbantur meliores & gratiores, ac rogavi Dominũ illorum cœlestium habitaculorũ, ut tibi conferret easdem virtutes, mihique per ipsum liceret, tibi statuto tempore, offerre hoc donum & munus, ac ostendere istum fasciculum florum ex illo cœlesti horto decerptorum, quem tanquam tuũ, oblectando me ipsius fructu, sicut tibi dixi, servabo, ut tibi illum tradam suo tempore, quod fiet postremis tuæ vitæ diebus, possidendum in æternis tabernaculis. Audivi, quod mihi à Sancto Patre dicebatur, méque magno replebat solatio, dum expenderem singularem gratiam, quâ me dignabatur; impetrando mihi à DEO illa bona, & fui adeò capta amore illorum florum, qui erant tam elegantes, & grati oculis animæ, ut eorum non potuerim oblivisci. Post hoc mihi rursum Sanctus Pater noster est loquutus de alijs rebus, & cùm ego ipsi recenserem quasdam meas miserias ac fragilitates, solabatur me, ac aliquantò post mihi dixit: Aspice huc. Sustuli oculos, & aspexi illum, ac vidi, quòd haberet manum dextram applicatam pectori, & suprà illam sanctissimum Puerum JESUM splendidissimum, cinctum lu-

cidiss-

cidissimis radijs. Sanctus Pater stabat aperto capite cum summa reverentia, & in sancto suo pectore atque collo, habebat quædam elegantissima & pretiosissima cimelia, quibus declarabat excellentiam virtutum suæ sanctæ animæ. Et postquàm se ità aliquamdiu spectandum exhibuisset, cum magno meo solatio, dixit mihi: Quid tibi videtur de isto Puero? visne illum? Ego tacui, & æstimavi me indignam eâ gratiâ: videns autem meam tergiversationem Sanctus, dixit mihi: volésne osculari ipsius pedes? Tum, quamvis etiam me id puduerit facere, accessi ad sanctissimum puerum cominus, atque simul quodammodo aliquantùm eminus sum exosculata, juxtà illius pedes, quasi brachium Sancti Patris, statimque iterum recessi. Paulò pòst volentem jam abire Sanctum nostrum Patrem abduxerunt ità, sicut mihi comparuerat, quidam sancti Angeli ad cœlum, me inspectante, & vidi illum duci, usque dum collocaretur in sua sede.

§. IV.

ALiam similem visionem gratiosissimam habuit, in qua vidit gloriosum Sanctum Dominicum, qui, DEO volente, egit præconem virtutum Nostri Sancti Patris Ignatij. In ejus Festo (anno 1615.) post horam secundam matutinam, vidi venientem Nostrum sanctũ Patrem cum alijs multis ex sua Societate, existentibus in Cœlo, inter quos cognovi Patrem Petrum de Leon, & Patrem Sebastianum de Sarmiento; juxta Sanctum autem veniebat Gloriosus sanctus Dominicus. Cùm ego hoc spectaculum aversarer more solito, quamvis non ità, sicut aliàs, Gloriosus Sanctus Ignatius me est alloquutus, dixitque mihi: Venio, ut tibi adferam donum, quo majus non potes in hac vita obtinere. Hoc audito sui confusa, & obstupui, aspiciendo illum. Subitò mihi ostendit in sua manu Sanctissimum Nomen JESU inclusum elegantissimo circulo, qui erat splendidior Sole, & coruscabat admirandis radijs ac splendoribus: cùmque ipsum contemplarer, vidi intrà circulum, in quo erat Nomen JESU, stantem ipsummet Christum Dominum in specie Pueruli. Tunc mihi Sanctus dixit: Accipe, Soror, hoc donum, quod tibi adfero, majus omnibus, quæ habere potes. Hactenus habuisti in corde tuo scriprum: *Hic hospitatur JESUS*, quæ inscriptio in eo spectabatur; verùm deinceps ipsemet DEUS illud inhabitabit, quem ibidem videbis. Atque hoc dicens accessit ad me, & cùm imposuisset meo pectori illum sanctissimum circulum, sensi quòd me permearet, ac pertingeret usque ad cor, in quo vidi ipsum Dominum, & ex eo tempore illum ibi frequenter conspicio. Recessit deinde Gloriosus Sanctus, & mei Angeli videntes meã verecundiam, adduxerunt me ad ipsum, prostravíque me ad ejus pedes, exosculando sanctum illius vestitum: ille verò dimisit modicè manum, & ego ausa sum ipsam dissuaviari, ac superimponere meis oculis. Sanctus illam imposuit meo capiti, dedítque mihi suam sanctam benedictionem, & post hoc raptus est in ecstasim. Tum gloriosus Sanctus Dominicus, aspiciens sanctum Patrem, tangénsque illum manibus, dixit hæc verba: *Iste est Beatus Sanctus Ignatius, Fundator & Patriarcha sacræ Religionis Societatis JESU. Iste est, qui in spiritu genuit, virtute sibi à DEO communicatâ, tam multos spirituales Filios, qui suâ virtute ac doctrina tantopere in Ecclesia DEI profuerunt animabus. Iste est radix illa & arbor fœcunda, quæ produxit tam magnum & proficuum fructum cœlestem in terra. Iste est magnus ille & humilis contemptor sui ipsius, qui nunquam admisit pro se, vel pro suis spiritualibus Filijs, honores, dignitates, præeminentias aut prælaturas, subjecítque omnia suis pedibus. Iste est, qui inter omnes electos DEI, ac eminentiores Beatos, obtinet valde altum, & insignem locũ. Iste est, in quo propter præclaras ipsius virtutes, & Beatitudinem, quâ fruitur, DEUS Dominus noster, author omnium, laudatur & glorificatur ab omnibus Angelis.* Ità perorabat Gloriosus Sanctus Dominicus, in laudem Gloriosi Sancti Ignatij, erátque longè amplius id, quod ego intelligebam, quàm quòd sonant verba. Et placuit mihi vehe-

vehemèter iste sermo, magìs quàm si quid vis audivisse ex alijs, qui hoc die dicuntur, de ejus laudibus. Post hoc audivi Dominum loquentem cum Sancto, dicentémque ipsi: Ignati, quid agis? Expergiscere, volo enim tibi ostendere tuam Religionē. Tum Sanctus reversus est ad se ex suo raptu, & vidi illi à Domino exhiberi spectandam universam multitudinem Filiorum, quos tantùm vidi confusè, sicut qui videt multos homines in Templo. Sed Sanctus illos omnes distinctè videbat, & recreabatur vehementer bonis ac perfectis Filijs, pro ijs autem, qui non erant tales, rogabat DEUM, ut eorum misereretur. Deinde petivit à Glorioso Sancto Dominico, ut mihi impertiretur suam benedictionem, quod Sanctus fecit.

CAPUT XIV.

Quomodo illi DEUS manifestaverit præstantiam Instituti Societatis, & quandam pompam procedentium multorum ex ea Beatorum, cum nostro Sancto Patre Ignatio, in magna gloria.

QVandoquidem bona arbor cognoscitur ex bonis fructibus, voluit DEUS suæ Famulæ manifestare eminentiam Sancti Patris Nostri Ignatij per fructus, quos produxit; Ex his fuit Institutum & forma vitæ Religiosæ, quam fundavit adeò perfectam ac Apostolicam in bonum animarum; multitudo item Filiorum quos habuit, & qui ipsius vestigijs in hoc Instituto insistentes sunt consequuti cum insigni sanctitate cœlestem Beatitudinem. Quanquam uterque hic fructus sit instar unius, quia Institutum vivum aliud non est, quàm Sancti Fundatoris & sanctorum ejus Filiorum Societas, cum virtutibus impressis in eorundem cordibus, quemadmodum exstant descriptæ in Constitutionibus ac Regulis. Hoc oportebat monere, ut intelligerentur duæ sequentes visiones, quæ fuerunt verè admirabiles.

§. I.

DUm agerem, *inquit* (in Februario 1621) cum DEO, vidi venientem quendam Religiosum Societatis, in quodam quasi feretro, in quo solent collocari defuncti; ille tamen veniebat vivus, quasi abreptus in contemplatione, portabaturque in ea sandapila à multis Religiosis Societatis, quos comitabantur multi Angeli. Collocaverunt ipsum in medio mei cubiculi, & subitò vidi in ejus pectore sanctissimum Nomen JESU, quod emittebat ex se multos splendidissimos radios, eràtque illi Religioso superimpositum, tanquam corpori glorioso. Radij extendebantur per universum mundum, ad remotissimas usque illius Regiones, & ad quemcunque locum pertingebant, totum vehementer illuminabant, ac inflammabant. Derepente se moverunt, ut ipsum auferent, ac tum animadverti totum feretrum esse undequaque plenum eodem nomine JESU, collucente radijs splendidissimis, & Religiosum habere in manibus ac in pectore quosdam quasi Soles cum eodem nomine, quod ingenti lumine coruscabat. Admiranti id mihi dixit Dominus: Ut te consolarer in tuis doloribus, volui tibi exhibere Institutum Societatis, & præclarà ipsius virtutem ac ardorem ad portandum nomen meum per totum mundum, me adjuvante, ut ejusdem sectatores splendore suæ doctrinæ, atque exemplo vitæ in universo Orbe, & in remotissimis illius partibus, erudiant ac incendant animas.

Paulò pòst vidi venientes alios Angelos, ferentes quandam magnam & pulchram cistam

cistam eleganter exornatam gemmis, & cùm ipsam aperuissent, erat in illa inæstimabilis thesaurus auri ac argenti, & unionum, atque gemmarum omnis generis: & dixerunt Angeli: Hæc sunt opera Societatis, pretiosa in oculis DEI, cedentia in bonum multarum animarum. Tum ego dixi intrà me: Si igitur hoc est in Societate, quæ paulò antè fuit fundata, quid erit in alijs antiquis Religionibus, quæ à tot annis etiam satagunt, ut adjuvent animas? Respondítque mihi Dominus: Etiam habent suos pretiosos thesauros.

§. II.

Fructũ hujus Instituti ipsi manifestavit DEUS in alia visione hoc modo: Cùm essem, *inquit*, aliquãdo manè collecta more solito, dixissétque mihi pridie Gloriosus Pater Sanctus Ignatius, quòd mihi esset gratiam præstiturus, ostendendo mihi alicubi quædam, pro magno meæ animæ solatio, nesciens, qualia essent futura, cogitabam prorsus alia diversa; subitò autem elevavi oculos animæ, ità disponéte DEO, & vidi ex altitudine cœli ad terram, atque ad locum, in quo eram, incipientes descendere, suo ordine, duobus longis tractibus, more supplicantium, multos Sanctos Societatis. Mirata id fui, & aspexi ipsos, ut viderem illud mysterium, ac modum, quo veniebant, nec non speciem, & constitutionem Personarum. Dum ità illos attentè considerarem, vidi istos sanctos Religiosos esse homines sanctos, amabiles, ardentes maximâ charitate, & virtute clarissimos. Vestitus ipsorum ac ornatus erat hujusmodi: Ferebant pro insigni suæ Religionis consuetum suum pallium, præstantissimæ & pretiosissimæ texturæ, quod tantùm eorum collo erat applicatum, reliquum autem gloriosissimè habebant elevatum in altũ: omnes erant à cingulo deorsum tecti, & circumdati lucidâ nube; singuli gestabant in sua manu tesseram & symbolum significans virtutem, quam præ cæteris amaverant, & in qua specialiùs eminuerant, séque exercuerant in hoc exilio. Unde amatores Crucis Christi Domini gestabant sacram Crucem pretiosissimam in sua manu, & horum erant multi: alij ferebant aliud insigne, significans ardentem charitatem & amorẽ DEI, cui magis studuerant, erátque elegans Hierotheca, in qua includebatur pretiosa margarita, tota incensa quodam pretioso igne; horum etiam erant multi, quia major istorum Sanctorũ pars ferebat hæc duo insignia, ac symbola: eundémque in modum cæteri consequenter habebant alia insignia, quæ omitto, tum nè sim prolixior, tum quia accuratiùs aspexi & consideravi ista, utpote principaliora, ideóque illa possum bene describere. Ex parte singulos sequebantur aliquantum distantes singuli Angeli, qui ipsos comitabantur. Ità descenderunt isti Beati Sancti, sicut dixi, ex ipso summo Cœlo, usque ad terram, & locum, ubi ego miserabilis manebam: postquàm eò pervenissent, vidi descendẽtes de Cœlo, & per medium illius sanctæ pompæ duos sanctos Angelos, magnæ potentiæ & majestatis: unus erat sanctus Archangelus Michaël, alterum autem non adeò bene agnovi; qui cùm pertigissent ad locum, in quo ego eram, salutaverunt me, dicentes: Bene tibi sit anima; & nullo præterea verbo dicto, me apprehenderunt, atque in momento elevatam ex lecto, in quo decumbebam, ità ut sentirem mihi ipsum corpus alleviari, me duxerunt per illam sacram processionem, donec pervenirent ad portam Cœli, per quam illa descenderat, méq; apud eam collocarent. Atque tum ego longè magis sum mirata, ac obstupui, & miserabile corpus, quod vix sentiebam, erat ibi acsi non esset, adeò ut nescirem dicere, an meum corpus remanserit in lecto, an verò fuerit portatum ab illis Angelis cum spiritu, sicut aliàs possum, & scio dicere. Constituta in illa porta cœli, me converti ad aspiciendos illos sanctos Angelos, qui me eò attulerant cum aliquanto timore, qui mihi oriebatur ex eo, quòd me viderem in ea altitudine, quia mihi videbar, si ibi virtus & auxilium illorum cœlestium Spirituum mihi deesset, in magno versari periculo; sed ipsi agnoscentes meam imbecillitatem, dixe-

runt mihi: Esto secura, & noli timere, Amica, quia non habes causam, non enim tibi deerimus, neque te deseremus. Tunc sublato illo timore, quem habueram, aperui oculos, & aspexi, quid esset in altera parte, post illam partem, vidique ibi plures ex illis sanctis Religiosis, qui suo ordine stantes ab ea porta introrsum, conficiebant circulum gratiosissimum, in cujus medio, honoratiore loco, stabat Gloriosus Pater Sanctus Ignatius. Subitò me coram ipso inclinavi, & Sanctus Pater me est peramanter alloquutus, dixitque mihi: Bene veneris, Amica; & extendens suas sanctas manus ad utramq; partem, quam occupabant ij sancti Religiosi: vide, *ajebat*, quàm bona & sancta sit ista Societas; Sanctis autem Patribus dixit: Dent ipsi locum; quod illi fecerunt, & ego consedi penes portam, prope primum, qui illic stabat ad dextram sancti Patris, ac deinde eos sum attentè omnes contemplata, ac vidi esse viros valde graves & venerabiles, ac insigniter sanctâ & eximiâ præditos virtute. Illi verò, quos sanctus Pater noster Ignatius habebat sibi utrimque adstantes, erant Præpositi Generales, qui, pro insigni suæ dignitatis, gerebant quandam coronam, instar mitræ in suis capitibus, & reliqui illi sancti Patres, gravésque Religiosi erant ex primis ipsius socijs, qui singulari suâ observantiâ, quâ in vita sua excelluerunt, ac Divino Spiritu, sunt promeriti tam honorificum locum, quàm erat dextra & sinistra Sancti Patris Ignatij. Post hos, quasi in gyrum dispositi, circumstabant alij sancti Religiosi, quorum aliquos ego agnovi, quia cum illis fueram conversata, erántq; arbitri meæ consentiæ. Ad hæc omnia ego nè verbum protuli, neque ullum proferre potui; tantùm audiebam, videbam, attendebam, ac tacebam.

Cùm spectarem sanctam istam Societatem, ejúsque visione recrearer, vidi venientem & accedentem Christum Dominum, in dextra parte illius sancti circuli, & consistentem juxtà tertium vel quartũ Patrem, ante sanctum Patrem Ignatium, statímq; Sacratissima ipsius Majestas conjecit oculos in me, & dixit mihi: Bene veneris, Amica, dic, quis te huc adduxerit? scirésne dicere, quomodo huc veneris? Tum ego potui aliquid loqui, & dixi (nesciens, qualis fuisset meus adventus, eò quòd esset ità insuetus, sicut dictum est) Domine, isti sancti Angeli me huc attulerunt, quomodo sim hîc, tu, Domine, scis, me non assequi; & volui plura dicere ejus Majestati, petereque ab ipso misericordiâ, & gratias, more solito, quando illum video, sed non potui ampliùs ullum verbum pronuntiare: Sacratissima tamen ipsius Majestas videns, me velle loqui, & non posse, ideóque affligi, dixit mihi: Nè id ægrè feras, neque enim expedit, te hîc modò loqui, ego te optimè intelligo, & replebo sinum tuorum desideriorum. His auditis, fui delibuta solatio, & liberata ab illa afflictione, elevatísque oculis cum magna pace animæ, conspexi innumerabiles Angelos, conspicuos summâ gloriâ ac splendore, præferentes maximum gaudium, atque decantantes in illo aureo & glorioso aere, unà cum sacra illa processione & cœtu Sanctorum Patrum, laudes & gloriam Agni DEI, tanquam Domini, à quo, & per quem acceperint coronas suæ Beatitudinis. Deinde sancti Angeli, à quibus eò jussu DEI fueram allata, me reduxerunt ad illum locum & spatium, in quo sacratissima Christi Domini Majestas stabat, quod erat è regione mei, qui ex mera sua infinita bonitate me dignatus est secum ducere per illum locum, ut viderem gloriam, & bona, atque cœlestia habitacula, quæ erant ex altera parte illius portæ & sancti chori, ducendo me paulatim, ut id viderem; quemadmodum si quispiam perambularet, & semel tantùm circumiret aliquem hortum. Deinde me eadem Majestas constituit in eo loco, in quo anteà fueram, ubi paulò pòst me converti ad Sanctum Patrem Ignatium, exhibitáque reverentiâ ipsi, ac toti illi sacro cœtui, nullo dicto verbo, quia non poteram, valedixi ipsis, & Sanctus Pater mihi dedit suam benedictionem, etiam nomine omnium reliquorum. Atque in momento duo sancti Angeli me arripuerunt, sicut priùs, & inceperunt deducere sensim per illam sanctam pom-

pompam, dum interim ego amanter contemplarer utrinque illos sanctos Patres, & coram ipsis me venerabundè inclinarem, illi verò etiam me aspicerent cum magno amore & charitate, ostendentes se mihi bene velle. Hac ratione me deduxerunt usque ad terram, & locum, in quo fueram collecta in meo cubiculo, ubi statim ad me redij ex illa ecstasi, reperique me cum corpore & spiritu in meo lectulo, nec parùm mirabar, quod contigerat. Aspiciens autem sursum, vidi adhuc illam Processionē Sanctorum, qui me amanter intuentes, benedixerunt mihi in nomine Domini, & statim inceperunt ingredi per illam sanctam portam, suo ordine, quo fuerant egressi. Postquam autem intravissent, clausa est janua, & cooperta quadam nube coloris prorsus cœlestis. Sancti Angeli, qui, ut dixi, comitabantur hos sanctos Religiosos, eos reliquerunt, & non sunt ingressi unà, sed postquam illi intraverunt, & clausa fuit janua, ingressi sunt etiam ipsi suo ordine, & non per ullam portam, sed penetrabant ac pertransibant ipsum cœlum clausum. Post hæc vehementer obstupui talia DEI opera, digna solâ ipsius potentiâ ac bonitate, &, quod me vehementer reddidit attonitam, fuit inusitatus modus meæ elevationis ac raptûs, qui mihi videbatur non fieri solummodò in spiritu, ideóque dixi ad DEUM: Mi Domine, quid hoc fuit? quæ opera sunt ista tua tam admiranda, adeóque digna solâ tuâ potentiâ ac bonitate? Verùm Bonitas Divina, nolens me relinquere, quemadmodum semper Divina Majestas facit, ità admirabundam, quin aliquid intelligerem de illo mysterio, mihi dixit: Verè tibi dico, ità serem habere, sicut dicis, quòd hoc opus fuerit maximum, & speciale; neque ampliùs velis scire, quia tibi non expedit. Itus iste ac raptus tuus habuit tales circumstantias, ut vehementer superaverit ipsum opus, quod plurimùm excessit alia, quæ in te illi similia sum operatus.

Auditis, quæ Dominus dixerat, cum infinita sua sapientia & potentia, quâ impressas relinquit in anima suas veritates, repleta fuit mea anima plena solatio, & clarâ illarum cognitione, non potuit tamen uti sensibus externis, ut vix sciverim, aut potuerim intrà biduum vel triduum referre meo Confessario, quod in hoc raptu acciderat, quoadusque elapsis his diebus, & recuperatâ meâ memoriâ, id adnotavi, quia Dominus mihi omnia, quæ contigerant, repræsentavit, acsi tunc evenirent, ut illa consignaret meus Confessarius, qui id ipsũ à me petiverat.

§. III.

PEr dies istius raptûs sum aliquoties in mentis excessu versata, cum magno meæ animæ solatio, inter illos sanctos Religiosos, ac in eo sacro cœtu, & quadam die audiens Sacrum, me reperi in illo sancto loco, atque sacrâ Societate taliter, & cum tanta Spiritûs vehementia, ut vix illud audirem, quamvis valde conarer, increparémque me, ac dicerem mihi: Necesse est, ut magnam tibi vim inferas, adsisque hîc cum corpore & spiritu, dum audis & vides celebrari sacrosanctum Sacrificium Missæ. Admirabatur etiam mea anima aliud magnum opus Divinæ Bonitatis, quod erat, videre intra tam exiguum tempus præterlapsum à Fundatione Societatis, tam multos reperiri ex ea Religiosos in illa cœlesti Jerosolyma, videbatur enim mihi impossibile, plures ad id tempus migravisse ex hac vita, quàm ego ibi viderim. Sed Divina Bonitas nolens mihi etiam in ista re denegare suam illustrationem, revelavit mihi, non excessisse ex hac vita plures, quàm illos, quos ibi videram: quamvis id non dixerit clarè, sed quasi se nollet sufficienter explicare, eò quòd non expediret, vel non vellet.

Hac fuit admirabilis illa visio istius famulæ DEI, qui eam voluit consolari, manifestando ipsi beatum finem eorum, qui in hac Religione Societatis perseveraverunt usque ad mortem, vivendo secundùm ejus Institutum, & spatio octoginta circiter annorum, quot tum præterierunt ab ipsius fundatione, attigerunt tam copiosum numerum, quàm ipsi fuit exhibitus. Angeli, qui singulis assistebant, erunt Angeli eorundem Custodes,

stodes, præter quos duo illi magnæ majestatis fuerunt, alter quidem, ùt ipsa dixit, Sanctus Princeps Michaël, cujus curæ commissum est regimen, & custodia generalis universæ Ecclesiæ, ideóque consequenter etiam Religiosorum Ordinum, qui sunt illius pars; alter verò, quem non agnovit, fuerit Princeps, cui demandata est specialis tutela Societatis. Omnes autem simul juverunt illos, qui ex ea sunt in cœlo, ut adipiscerentur beatam illam coronam. Et quamvis ipsi Dominus non dixerit clarè, non fuisse mortuos plures ijs, qui ibi fuerant, tamen illo revelante, intellexit, perinde acsi ipsi id diceret, omnes, ad illud usque tempus defunctos in Societate, pervenisse ad cœleste ipsius Regnum, quod non modicè solatur, & recreat nos, qui nunc vivimus, ac speramus eò pertingere, quò pertigerunt nostri Fratres.

§. IV.

Sed opportunè hìc referetur, quod ipsi plerumque eveniebat, quando illam visitabat Sanctus Pater Noster Ignatius, adducens secum, quasi socios, Fratres aliquos ex Societate. Contemplabar, *ait*, gravitatem, modestiam, charitatem, humilitatem, bonitatem, & sanctitatem, quæ relucebat in sancto Patre, ità ut nemo esset, qui illũ videret, & non amaret, ac revereretur, optarétque ipsi plurima deferre obsequia. Quis deinde humilitatem, modestiam, puritatem, & sanctitatem, quæ resplendebat in illis duobus sanctis Fratribus, poterit verbis exprimere, vel intelligere? neq; reperio, cui ipsos possim comparare, quia videbantur magìs esse Angeli, quàm homines: non satiabar aspectu sancti Patris, & istorum Fratrum, tantáque affluebam lætitiâ ijs diebus, ut illam non potuerim dissimulare, adeóq; mirabar ac stupebam majestatem, quam videram, ut mihi non fuerim præsens. Illuminata à DEO, agnovi in sancto Patre nostro Ignatio eminentissimas ipsius & sublimes virtutes, præterea quanta obligatio ejus imitandi, & insistendi illius vestigijs, incumbat ijs, qui sunt vocati ad Religionem Societatis JESU, ut serviant DEO, sintque Filij Patris tam admirabilis, & sanctitate eximij, præsertim excellentiâ charitatis, & amoris DEI ac proximi, quo quasi reformavit orbem terrarum, satagendo omnibus suis viribus perrumpere omnes difficultates, quas illi diabolus & mundus opponebant in exequutione tanti operis, quantum erat, quod ipsi DEUS inspiraverat, ut ab illo edoctus adduceret animas ad statum perfectionis Evangelicæ, atque ad agendum cum DEO, familiaremque cum ipso consuetudinem. Hæc namque est via, quâ animæ citò perveniunt ad apicem virtutum, utpote ad cognitionem Domini DEI, & consummatum ejus amorem, atque contemptum sui ipsius, & omnium rerum. Istam autem viam nos docuit Noster Pater ex speciali Divina illustratione. Vellem ego clarissimè hæc explicare, ac proponere quandam quasi imaginem spiritualem eorum, quæ vidi & cognovi in Sancto Patre nostro Ignatio, & quæ mihi DEUS manifestavit de excellentia ipsius virtutum, déq; ista illius charitate, ut omnes ejus Filij, omnésque ipsius doctrinâ & instructione educati, nos in illa intueremur, quasi in clarissimo quodam speculo, in quo omnes nostros defectus videremus, ut illos conaremur emendare, atque ipsum imitari, quàm optimè possemus.

CAPUT

CAPUT XV.

Quomodo Sanctus Pater Noster Ignatius modo quodam mystico ipsam, approbante DEO, susceperit in suam filiam, instar aliorum ex Societate, & quid post hoc evenerit.

Sanctus Pater Noster Ignatius, jubente id DEO, voluit remunerari insignem affectum, quo hæc DEI famula ferebatur erga Societatem JESU, suscipiendo ipsam in suam filiam, instar omnium cæterorum in illa degentium, modo quodam mystico, quem illa his verbis refert.

§. I.

DUm, *ait*, quodam die, prope Festum Nativitatis (in Decébri anno 1620.) agerem cum DEO, dignatus est me invisere Sanctus Pater Noster Ignatius, & post alia dicta, subjecit: Volo tibi præstare magnam gratiam, te nimirum denuo suscipere in meam filiam, acsi verè esses ex Societate, & una è numero reliquorum meorũ filiorũm, qui istud Institutum profitentur. Die id tuo Confessario. Et bene fiet, si ipse hoc dixerit alijs. Postquam id dixisset, accesserunt mei sancti Angeli, & spirituali modo, quo consueverunt agere, me induerunt veste, quæ erat instar Sacerdotalis Albæ, candidissima, protensa usque ad pedes; cui sanctus Pater Noster superimposuit quandam quasi stolam, ac tandem me cooperuit nigro pallio, quod habebat intertexta multa, & quidem aurea, splendidissima fila, ac repræsentabat præstantiam Instituti Societatis, & amorem DEI ac proximorum, qui in eo relucet. Ego illi dixi: Sancte Pater, quid est mihi faciendum, ut respondeam meæ obligationi? Respondítque mihi: Age, quod agis, & sequere semper instructionem Societatis. Rursum ipsi dixi: Quòd si verò DEUS permitteret, ut perderem Confessarium, qué modò habeo, & non reperirem alium mihi competentem, quid esset mihi agendú? ille verò: In tali, inquiebat, eventu, non prohibeo tibi, quò minùs inquiras, quod tibi conveniat. Quanquam Dominus mihi significavit, non eventurum istum casum.

Aliquot diebus pòst, quando mihi recensuit istam visionem, ego illi dixi, me vehementer hæsitare in eo, quod ipsi fuerit imposita linea Sacerdotalis vestis, & stola, cùm iste vestitus non sit proprius Societatis, neque fœminarum, sed Sacerdotum. Quare contulit cum DEO hoc dubium, quod ego illi proposueram, post aliquot dies elapsos nò isto mysterio, qui illi dixit duas ejus facti rationes. Volui (*ajebat Divina Majestas*) honorare actum mysticum, in quo meus servus Ignatius te suscepit, & assumpsit in filiã suæ Religionis, acsi re ipsâ & verè esses membrum illius, exornando te eâ Albâ, quæ est figura puritatis ac munditiei, quâ oportet esse præditum volentem amplecti Institutum Societatis JESU, significatum per mysticam stolam, quam tibi superimposuit. Quia verò memineram, quòd Dominus mihi dignatus fuerit ante istud mysterium conferre habitum S. Birgittæ, acsi essem illius Monialis, ut alibi scriptum est, dixi Domino: Quomodo est hoc, mi Domine, quòd, cùm mihi dignatus sis cõferre habitum S. Birgittæ, modò mihi dederis, per S. Patrem Ignatium, alium novum ac diversum. Quomodo est id intelligendum, mi Domine! Audivit me Divina Majestas, & paulò pòst mihi respondit graviter ac amanter, dicendo: Ista duo mysteria spiritualia non sunt sibi contraria, atque sicut nihil in eo est contradictionis, quòd, licèt profiteantur, Ordo S. Dominici Regulam Sancti Augustini, & Ordo S. Bernardi Regulam S. Benedicti, tamen

differant vestitu ac habitu, habeántque nonnullas Regulas discrepantes, quod addiderint & omiserint S. Dominicus, & sanctus Bernardus quædam pro suo quisque proposito, & spiritu, illis tamen retentis, assumpserintque diversum habitum, ità suo modo, per hoc non fuit ablata, vel immutata prima gratia, quam tibi præstiti, ut esses filia Sanctæ Birgittæ, quia illam tibi de novo contuli, dum te feci filiam Sancti Ignatij, & ipsius Instituti.

§. II.

ANimata Marina hoc favore S. Patris Nostri Ignatij, desiderávit incorporari, quàm maximè posset, Societati, & propterea anno sequenti 1621. scripsit Epistolam ad Patrem Nostrum Generalem Mutium Vitellescum, ut sibi dignaretur concedere literas participationis meritorum, qualis solet concedi specialiter addictis Societati; qui illam petunt. Has ipsi misit Pater noster Generalis, per Patrem Alphonsum de Canjo, qui iverat Romam Procurator hujus Provinciæ, id quod tantopere DEO placuit, ut contigerit, quod ipsa his refert: Postquam mihi tradidisset quidam Pater Societatis literas, quas vocant Participationis meritorum ejusdem Ordinis, missas mihi Româ à Patre Generali, quibus me assumebat in Sororem Societatis, faciebátque participem omnium ipsius bonorum operum, & pœnitentiarum; quodam die, dum agerem cum DEO, dixerunt mihi mei Domini Angeli: Veni nobiscum, Soror, volumus enim te ducere ad cœlestem Patriam, ubi aliquantùm quiesces, respirabisque à tuis doloribus. Et statim me cum imperio sustulerunt, collocaverúntque in quodam quasi throno coloris cœlestis, & ibi mihi aperuit puer quàm formosissimus, indutus duntaxat tunicâ lineâ candidissimâ. Non agnovi illum bene, & mirabar ipsum vehementer, atque propter meos timores incepi illum aspicere quasi averso animo, ipse autem mihi exhibebat magnam affabilitatem, ac amorem. Hoc modo me portaverunt ad cœlestem Jerosolymam, & præsentaverunt Beatissimæ Trinitati. Dominus me suscepit amantissimè, ac dixit: Bene veneris, Anima, ades bene associata; veni, quiesces, & respirabis. Tum agnovi, quòd mecum veniret sanctissimus Puer JESUS. Dominus me secum univit, & sanctissimus ille Puer etiam se univit cum sanctissimo suo Æterno Patre, ac disparuit mihi. Ità ibi aliquamdiu mansi, fruendo ijs Divinis Bonis. Deinde sum relata ad meum angulum, ubi mihi revocavi in memoriam illa verba, quæ habeo scripta jam pridem in corde meo, & sunt sequentia: *Hic hospitatur JESUS.* Atq; Dominus aperuit mihi causam, propter quam mihi comparuerit ille Divinus Puer, fuisse, ut suscepta ad Societatem, in qua habitat JESUS, eidémque adscripta, recordarer in meo corde pridem hospitari JESUM, quod in illo scriptum est.

CAPUT XVI.

De alijs favoribus, quos ipsi exhibuit S. Pater Noster Ignatius, præbendo illi sacram Communionem, ac manifestando ordinem prædestinationis, quídque illi esset agendum, pro illa consequenda.

QVia Venerabilis Marina summè avebat communicare quotidie, id quod propter suas infirmitates non potuit, Sancti Patriarchæ S. Dominicus, & S. Pater Ignatius, ex speciali DEI mandato, eam sibi assumpserunt curam pro ipsius solatio & emolumento, ut illi frequenter exhiberent modis admirabilissimis Communionem spiritualem, quod patuit, antecedentibus libris, ac de Sancto Dominico paulò pòst referentur illustria exempla; de Nostro autem Sancto Patre tot sunt relata, occasione aliorum mysteriorum, ut modò sufficerit recensere unũ, quod habet peculiares circumstantias.

§. I.

QVodam die, *inquit*, Veneris (in Majo anni 1623.) eò quòd valde malè valuerim, non potui communicare, & quamvis conata fuerim in omnibus me conformare Divinæ voluntati, ut par est, dixi tamen intrà me ipsam, non cogitans, quid posset contingere: Unam Communionem mihi debet DEUS.

Sequenti Sabbatho, summo manè, me præmonuerunt mei Domini Angeli, dicendo: Anima, Dominus tibi vult præstare gratiam, ostendendo tibi Cœlos materiales, sicut illos visura es, quando te DEUS hinc auferet. Attende, & noli turbari. Post hoc, horâ secundâ matutinâ, vidi venientes multos Angelos elegantissimos, indutos candidis vestibus, gestantes albos cereos accensos in suis manibus, cantantésque admirabiliter, & artificiosissimè hymnum: *Pange lingua.* Ingressi ad meũ cubiculum omnes se applicuerunt ad parietes, flexerúntque genua. Illos sequebatur gloriosus Pater S. Ignatius, cum quatuor Sanctis Religiosis sui Ordinis linteatis, & post hos ibant alij multi Angeli, pariter instructi cereis, sicut priores. Sanctus Patriarcha veniebat nitidè vestitus candidissimâ veste lineâ Sacerdotali, gestans supernè pluviale, seu birrum elegantissimum, ex quo promicabat ingens lux ac splendor. Ferebat in suis manibus calicem coopertũ suâ patenâ, quam tegebat pulcherrimum velum. Duo ipsum ducebant medium, elevantes anteriùs pluviale, & reliqui duo sequebantur attollentes idem pluviale, quasi sustinerent limbum. Hoc modo est Sanctus ingressus Oratorium, recitando aliquid, respondentibus ipsi cæteris, ibíque modicùm substitit. Deinde intravit meũ cubiculum. Turbata sum aliquantùm ipso viso, propter meos timores, & recurri ad DEUM, petens ab eo lumen, nè paterer illusionem. Sanctus meus Angelus Custos mihi graviter dixit: Anima, cessa, quid agis? ecce enim Dominus te expectat, conquiesce. Tum conquievi. Accessit propiùs ad me Sanctus, & quatuor socij procubuerunt in genua, unus autem amovit velum calicis, ac altiùs abstulit patenam, & sanctus Pater eximens Hostiam quam ferebat in calice, me suâ manu communicavit: quamvis, quando ad me accessit, fuerim nonnihil abrepta, neque notaverim, quomodo id fecerit, tantúmque adverterim me communicavisse. Dedit mihi Sanctus suam benedictionem, ac dixit: Vale, Anima, nunc non est tempus loquendi. Sancti Socij acceperunt calicem ex manibus Sancti, & servaverunt apud se, discesserúntque eum magna gravitate, sicut venerunt, præterquam quòd Angeli, qui priùs erant ingressi meum cubiculum, remanserint ibi ultrà quadrantem

tem horæ, flexis genibus, & cùm ego id mirarer, dictum mihi fuit, remanere ipsos ibi cum Domino, existente intrà me. Quatuor sancti Patres, qui venerunt cum sancto Patriarcha, mihi bene noti, fuerant mei Confessarij diversis temporibus, & unus, qui erat Pater Petrus de Leon, mihi loquutus est duo verba, dixitque: Soror, es vehementer mutata ex eo tempore, quo ego tecum egi, & te novi, quoad statum spiritûs; alia es, vale. Finito hoc mysterio, mei Domini Angeli me duxerunt ad Cœlos, ostendítque mihi Dominus omnes illas cœlestes sphæras, quæ fuerunt novem vel decem. Fuit aspectus mirabilis illorum cœlestium corporum, atque tanta distantia unius ab altero, ut appareret infinita, & nisi me confortavissent & animavissent, impossibile fuisset ibi progredi: magnitudo autem cujuslibet cœli videbatur esse quædam immensitas. Omnia mihi Dominus valde diu explicuit, & postea me deduxerunt ad meum angulum mei Domini. DEUS sit benedictus.

§. II.

ALium sanè insignem favorem præstitit Sanctus Pater Noster Ignatius huic suæ filiæ in Domino, dando ipsi solatium summum, quod in hac vita dari potest animæ afflictæ. Dum, *inquit illa*, cum Domino agerem quodam die, post Festum Gloriosi Patris S. Ignatij (in Augusto anni 1621.) vidi ipsum cum magno meo solatio, & postquam mecum nonnulla fuisset loquutus cùm magno amore & charitate, dixit mihi sequentia: Venio, in nomine Domini, & ex Divino ipsius mandato, ut te invisam, solérque in magnis afflictionibus, quas pateris; atque ut respires in Domino, & recreeris, volo tibi referre modum, quo Divina Providentia disposuit, ut salvareris, téque posuit in statu & loco, quem decrevit à sua æternitate. Scito, jam tunc Dominum DEUM omnipotentem conjecisse in te oculos, scripsisséque te, ac scripram habere in Libro Vitæ, & exinde expendisse omnes tuas vias ac semitas, atq; cóstituisse tales tibi conferre, ac tantas gratias, quas agnoscis, & suscipis à Divina Majestate, daréque tot auxilia, pro te salvanda, atque cum magno auctario evehenda ad apicem eximiæ perfectionis: nec non consideravisse, considerariéque omnes passus tuos, & eos habere numeratos, uti etiã omnia momenta vitæ tuæ, & quidquid agis ac pateris, videri à DEO cum summo amore & charitate, ut ità pervenias ad optatum finem, útque idem supremus Dominus in te sibi complaceat, honoretur, ac glorificetur, propter ea, quæ in te operatus est, ac propter modos perfectos, securos, & admirabiles, quos in vitæ tuæ decursu observavit. Illum benedicant millies omnes ipsius creaturæ. Vehementer fuit recreata, obstupuit, ac mirata est mea anima, audiens res tam admirandas, & cœlestes, quas iste Gloriosus Sanctus sapientissimè, & modo quodam Divino ac cœlesti mihi dicebat. Addidit verò subitò plura: Itaque, Anima, ut assequaris istum beatum finem, de quo tibi sum loquutus, & quem Dominus decrevit, útque, quantum in te est, coopereris, prout DEUS vult, facies, quod tibi dicam: Primùm sit, ut abigas à te superfluos timores; deinde, ut in omnibus rebus, qualescunque sint, plurimùm confidas, & conquiescas semper, ac utiq; in Divina Providentia, cum multò majore perfectione, spiritu ac amore, quàm hactenus feceris: tum esto constans, & conserva te in pace & quiete, ut nihil te alteret, vel perturbet tuam pacem & quietem, ac dulcem & amabilem consuetudinem cum tuo DEO. Hoc procurabis omni diligentiâ & solicitudine, qua poteris. Verùm etiam te moneo, ut, ubi feceris, quod tibi dixi, cum aliqua cura & solicitudine, neque fueris assequuta prædictum finem, obtinendo istam victoriam tui ipsius, non altereris, nec turberis, neq; perdas pacem tuæ animæ & spiritûs: persuade enim tibi firmiter, & crede sine ullo dubio, ità esse, quòd, si per hujusmodi certamen non obtinueris hunc finem à DEO constitutum, perventura sis nihilominus pugnando & certando ad eundem finem & gradum perfectionis, ad quem pervenires fruendo summâ pace, superatis omni-

nibus difficultatibus naturalibus, & quidé fortè, cum majore meritorum cumulo. Atque hoc esto certissima, quod tibi dico nomine DEI. Statim ac iste Gloriosus Sanctus id dixit, postquam me fuisset solatus, mirúmque in modum exhilaravisset, accessit ad me, & dixit mihi quàm amabilissimè: Accipe, Anima, ex mea manu hoc cimelium, ut confortéris, animetúrque cor tuum; & hoc dicendo, posuit in meo pectore, & impressit, atque efformavit grandem stellam, instar stellæ matutinæ, pulcherrimam & lucidissimam, quæ emittebat ex se radios tam splendidos ac lucidos, ut non solùm anima illustraretur hoc bono, verùm etiam oculi corporei unà participarent illam lucem & claritatem adeò, ut nictarent, nec possent tantum lumen sustinere. Cúmque me ditavisset hoc thesauro, dedit mihi suam benedictionem, ac valedicens mihi abivit.

§. III.

AD confirmandum id ipsum me solatus est aliâ vice, dicendo mihi: Ego veniam horâ tuæ mortis, ut te invisam, téque comiter, & eam tecum ad cœlestem beatitudinem: comitabuntur te quoque alij Patres Societatis. His verbis fui magnopere exhilarata, ac tametsi verum sit, visitationem cujuscunque Sancti, & gratiam mihi præstandam hoc tempore, allaturam mihi maximum solatium, nihilominus ab isto Sancto, quia illú habeo pro Patre ac Domino, & sum educata ipsius doctrinâ, ac instructione totâ vitâ meâ, non est dubium, quin sim specialioré perceptura gratiam & consolationem, ubi me visitaverit, quod mihi prorsus persuadeo, & propterea illi ago plurimas gratias, acceptóque ipsius promissionem, ut illam impleat, atque confido in DEO, ac in nostro Sancto Patre, quòd ipsam visura sim completam, nisi meis magnis peccatis me reddidero eâ gratiâ indignam.

Ut autem appareat, quomodo DEUS hoc approbaverit, cùm ipsa valde desideraret migrare ad DEUM, scirétque, quòd alij ipsum rogarent, ut illam hîc diutiùs detineret. Dum me visitaret, *ait*, Christus Salvator noster, more solito, vidi Angelos ipsi porrigentes necessaria ad scribendum, & scripsisse ipsum in quadam quasi schedâ resplendente suum sanctissimum Nomen, ac veluti loco subscriptionis Crucem, quasi se subscriberet in charta vacua, ut illa persona, cui ipsam destinabat, ibi scriberet, quod vellet: dedit autem eam Divina Majestas ijs sanctis Angelis, ut ipsi illam ferrent ad Nostrum Beatum Patrem S. Ignatium, & ego illos vidi ascendentes cum scheda usque ad locum Cœli, in quo Sanctus habebat suam sedem, atque intellexi eam ipsi à Christo Domino mitti, ut decerneret de mea vita, & illius termino, quod committebat personæ, quæ ex Divino ipsius mandato mei curam gerit, & quam propterea multi instanter rogaverunt, ut ageret pro meæ vitæ prorogatione. Postquam ego id intellexi à Domino, & ex eo, quod vidi, dixi illi cum summo affectu: Non, Domine, non prorogetur vita mea magis, quamvis nihilominùs intimè animæ inhæreret conformitas, quoad eam rem, cum Divina voluntate.

Verum est, illam tam frequentem conversationem, & quasi quotidianam, quam cum illa Sanctus Pater noster Ignatius initio habebat, fuisse postea moderatiorem, licèt semper fuerit satìs frequens, & de hoc referemus, quod ipsi aliquando evenit, dum esset vehementer infirma ac debilitata. Cùm enim illi Dominus præstitisset insignem gratiam, ut per quatuor noctes continuas elevaretur in spiritu ad Cœlum, primâ vice, qua eò introivit, convenit sanctum Patrem Nostrum Ignatium, qui illi dixit, ut esset bono animo, compatiens ipsi, quòd tantopere esset fatigata, propter magnam suam debilitatem, & certam illam reddens, quòd ipse esset eam adjuturus, nè adeò fatigaretur, portando ipsam, & gestando ipsemet, quasi in suis brachijs. Et verò sic est factum, quia sequentibus noctibus non sensit fatigationem. Ultimâ nocte amanter illi est conquesta, quòd jam à multo tempore ipsam non invisisset, & eam ità, quia antecedenter illam solebat sæpe visitare, ac solari: cui que-

relæ respondit Sanctus magnâ affabilitate, & gravitate admirabili. Amica, dum amicus quispiam habet alium absentem in loco, quò profectus est negotiorum causâ, juvat illum ùt potest, & perseverat in scribendis ipsi literis, quoadusque peragat sua negotia, séque committat itineri; quando autem est in itinere, non scribit illi, sed præparat se pro eo excipiendo, eò quòd in dies præstoletur ipsius adventum. Ità ego non te invisi, quia es in via. Ego intellexi, quòd, esse in via, duas res complectetur; esse in via perfectionis, atque etiam meæ vitæ ad æternam, propter quam utramque causam tunc non expediret, ut me tam sæpe visitaret, quàm erat solitus.

CAPVT XVII.

De rebus notatu dignis, quæ ipsi evenerunt cum DEO, & Sancto Patre Nostro Ignatio, in persecutionibus, quas est passa Societas.

Constat, nostram Societatē JESU, quemadmodum & cæteras Religiones, atque Ecclesiam ipsam Catholicam, esse passam graves persecutiones. Cùm autem illam Venerabilis Marina eximiè amaret, vehementer sentiebat has afflictiones, & recurrebat ad DEUM, pro earum remedio, atque ad ipsius sanctum Fundatorem, cum quo ea de re habuit magni momenti colloquia, quæ recensebimus.

§. I.

De eo, quod hac super re egit cum DEO.

Verùm pro totius rei fundamento juverit præmittere quædam notatu digna, quæ illi DEUS dixit pro ejus solatio, ac nostro, unâque omnium, qui patiuntur persecutiones. Cùm scirem, *inquit*, quòd Societatem persequeretur quasi totus mundus, peterémque à DEO remedium, respondit mihi hæc verba: *Noli affligi, quia non subvertetur, sed humiliabitur, ut exaltetur, & quamvis extenuetur, non confringetur.* quod mihi magno fuit solatio. Aliàs verò mihi dixit Dominus, hanc Religionem Societatis JESU, quæ tantum fructum fecit, ac facit in Ecclesia, fuisse suam institutionem, atque dispositionem, pro emolumento animarum, propterea que se vehementer indignari ijs, qui illam persequuntur, nec ipsos relinquere impunitos. Dicebat præterea Divina Majestas, graviter irata: Non aliter agere videntur, quàm si illam vellent devorare, & pessumdare. Scriptura id quod mihi Divina Majestas dixerat, dubitavi, deberémne exprimere, quénam esset ista exosa Religio, vel an sufficeret hoc deferre de aliqua Religione, tacito ejus nomine: quia enim hæc res me concernit, propter multa beneficia, quæ meæ animæ à Societate sunt collata, per tam præclaram, adeóque bonam doctrinam & instructionem, timebam, nè se admisceret aliquid de mea natura, vel amore proprio. Dum versarer in hoc dubio, nec me possem determinare, dixit mihi Dominus: Dic apertè, esse Societatem JESU. Unde mihi non remansit ullum dubium, quò minùs hoc scriberem.

Manifestiùs illi declaravit Dominus suā indignationem, & exhibuit quoddam specimen pœnæ, quam sumit de injustis persecutoribus Dum ægrotaret, audiretque referri obloquutiones, ac rhytmos injuriosissimos, qui per plateas cantillabantur cōtra Societatem, sicut canebantur contra Davidem, & Christum Dominum, in cujus persona ille dicit: *Adversùm me loquebantur, qui sedebant in portu, & in me psallebant,*

lebant, qui bibebant vinum. Affligebat, *inquit*, me id vehemenèer, propterea quòd illi calumniatores nocerent tum sibi ipsis, tum alijs, quos scandalizabant, infamando Religionem, & impediendo fructum ipsius ministeriorum: recurri ad DEUM, & nescio quomodò, illi dixi: Domine, si isti calumniatores sunt damnandi, destrue illos, ac dele eorum memoriam ex terra, ut non inferant tantum damnum; verumtamen hoc à te peto, eo modo, quo tibi placet. Respondit Dominus: Noli id dicere: quia ego his peccatoribus opus habeo, ut prosint meis justis in eo, quod concernit corpus, atque etiam animam, exercendo eorum patientiam. Nunquid non recordaris parabolæ de zizanijs, quæ nolui evelli ex tritico, donec esset tempus? Paulò post tamen mihi dixit: Pro tuo solatio, volo tibi exhibere specimen quoddã meæ justitiæ. Derepente fui abrepta in spiritu, & vidi Christum Dominum considentem in quodam throno, eo modo, quo venturus est ad judicium, stipatum millibus Angelorum, qui vocatis Angelis Custodibus illorum calumniatorum, mandavit ipsis, ut sibi eos omnes adducerent. Iverunt Angeli, & singuli adduxerunt suum, quasi coactè venientem, sequente ipsum diabolo, qui illum conabatur detinere. Postquam pervenerunt ad thronum Judicis, dæmones recesserunt, atque illi miserabiles tremebant arrectis capillis, & juxtà eos stabant Angeli Custodes. Dominus ipsos corripuit asperrimè, dicendo ipsis: Proditores, generatio viperarum & serpentium, titiones infernales, quare persequimini meos servos, & malè de ijs loquimini? polliceor vobis, quòd, nisi vos emendaveritis, terribiliter sim vos castigaturus, & præcipitaturus ad ignes æternos. Erant autem ibi propè quidam quasi Inferni hiatus horribilissimi, ad incutiendum ipsis metum. Miserabiles illi id audiverunt quasi attoniti, nè verbo dicto. Deinde prodierunt ex ijs hiatibus multi dæmones, qui eos singillatim arctissimè fortibus vinculis constringebant, sed tamen animadvertebam, quod ipsi nihilominus, si vellent, se possent ijs exsolvere. Postea mihi dixit Dominus: Nonne cepisti solatium ex eo, quod vidisti? Et ego nonnihil respiravi.

In hac visione elucescunt duo, quæ digna sunt magnâ considerratione. Primum est, quòd Divinæ comminationes parum efficiant in cordibus indurtis; secundum, quàm facilè possint mali, modò velint, rumpere vincula suorum peccatorum, recurrendo per pœnitentiam ad Divinam misericordiam.

§. II.

Quid illi acciderit cum Sancto Ignatio.

VEniamus jam ad ea, quæ ipsi acciderunt cum Sancto Patre Nostro Ignatio, præsertim in quadam immani tempestate, quæ fuerit concitata contra Societatem anno 1605. dum Aula morretur Vallisoleti, quã ità refert: Magna pars Crucis, quam his diebus Dominus mihi ferendã imposuit, oritur ex afflictionibus, quas patitur Societas, & quibus ego discrutior, siquidem me agnosco illi obligatam, propter beneficium, quod mihi Divina Majestas contulit per hanc Religionem, cujus semper fui filia, cum magno meo solatio, & emolumento. Interea me recreavit Dominus visitatione mei Sancti Patris Ignatij, qui venit ad me consolandam, atque vultu blando & gravi mihi dixit: Amica, quare tristaris? Bono animo esto, quia afflictiones, quas mea Religio patitur propter quosdam Religiosos, cedent in universale bonum totius corporis & communitatis, ad gloriam DEI. Et conjectis oculis in Sanctum Patrem, quia eos aliquantùm demiserã, vidi cum ipso duos Angelos, quos mihi dixit esse Custodes suæ Religionis? omnes autem tres erant circumdati quadam nube, quasi nigrã, quæ tamen non pertingebat ad illos: quia ad mediam circiter ulnam se extendebat splendor, promicans ex corpore Sancti, & ab Angelis; ulterius autem erant tenebræ, quod me affecit vehementi tristitiã, auxitque illam, quàm anteã habueram. Intelligens id Sanctus, dixit mihi; Nonne audivisti, quòd

nos

nos oporteat tristari cum tristibus, & gaudere cum gaudentibus? Hoc modo igitur (tametsi verum sit, nos esse capaces tristitiæ) demonstramus istum affectum: atque hæc est caligo, quâ vides me & hos Angelos circumfusos. Esto bono animo, ac refocillare. Et quia ego tunc indigebam refocillatione, & conversione ad latus, neque me præ mea debilitate poteram vertere, dixit meis Angelis, ut me verterent, quo facto aliquantùm fui recreata, dixítq; mihi Sanctus: Nunc attende. Et vidi, quòd ex caligine illius nigri velaminis, sicut ex fumo prodit flamma, ità eruperit quædam exigua lux, quæ crescebat ac elevabatur in altum usque ad cœlum. Et significatum mihi fuit, ex molestijs ac afflictionibus Religionis resultaturum ingens bonum, & augmentum Divinæ gloriæ, quod mihi attulit magnum solatium. Paulò pòst, cùm quidam Pater Societatis celebraret Sacrum in meo Oratorio, quando dicebat primas orationes, vidi venientem Nostrum S. Patrem Ignatium cum alijs octo ex Societate, ex quibus agnovi solùm quatuor jam defunctos, qui fuerant exemplaris Sanctitatis, & erant P. Petrus de Leon, P. Philippus de Acunja, P. Gratia de Alarcon, & P. Christophorus de Ribera: non veniebant bini ritu supplicantium, sed alio modo gratiosissimo, induti suis ordinarijs vestibus, & S. Pater Noster Ignatius præseferebat hilaritatem ac vultum affabilissimum, cúmque appropinquavisset altari, quando Sacerdos stabat ad latus Epistolæ dicendo orationes, collocavit se in medio, quasi celebraturus Sacrum, & postquam fuisset osculatus altare, sèque profundè inclinavisset, vertit se, ut recederet. Tum vidi, quòd ipsius vestis inceperit resplendere, quódque ex ejus nigredine prodiret quidam splendor, quasi purissimi auri. Postea illi imposuerunt lineum amiculum, seu Rocchetum, supra illud verò Pluviale, dederúntque ipsi ad manus librum. Duo Patres, primi ex ijs quatuor, comparuerunt cum duobus candelabris, & luminibus admirabilis pulchritudinis. Sanctus Pater stetit quasi legens in illo libro, donec Sacerdos inchoaret Canonem. Tunc unà cum socijs se composuit ad magnam attentionem, atque ad elevationem Sanctissimi Sacramenti se omnes inclinaverunt quàm reverentissimè ac devotissimè, usquedum, postquam à Sacerdote suscepi Venerabile Sacramentum, accederet ad me Sanctus Pater cum suis Acolythis, & cæteris, eo modo, quo Sacerdos, offerrétque mihi parvulum JESUM speciosissimum, quem portabat insidentem libro, quamvis ego eum non viderim, nisi fortè ibi tum primùm comparuisset, quando mihi illum Sanctus porrexit, ut oscularer ejus pedes, quod feci, méque illo recrearem cum ingenti voluptate meæ animæ, ac admirabili complacentia & gustu sanctissimi Pueri, qui me aspiciebat, ac arridebat, quod etiam faciebat, convertendo se ad Sanctum. Et Sanctus quando ad me venit, hæc mihi dixit expressa verba: Ut te remunerer, quòd his diebus vehementer dolueris ob afflictiones, quas patiuntur mei Religiosi, adsum, ut tibi præbeam hoc solatium, méque tibi gratum exhibeam; & quia Sanctissimus Puer JESUS est nostrum caput, à quo nominamur & protegimur, ideò venit in ea specie, in qua illo es fruita: quo dicto, dedit ipsum sanctissimæ ejus Matri, quæ se illic tunc spectandam obtulit, & post hoc recessit ad eundem locum, in quo prius fuerat, astitítque sacro, donec finiretur, ac tum discessit cum suis socijs.

§. III.

A Liquot annis pòst (in Majo anni 1617) vidi Nostrum Sanctum Patrem Ignatium cum comitatu multorum Angelorú, & Sanctorum ex ipsius Religione, jam vitâ functorum. Præparaverunt ibi Angeli quandam sellam elegantissimam, & postquam consedisset, percusso volâ manus latere sellæ, alloquens suos Religiosos, dixit illis: Necesse est nostram Societatem adjuvare orationibus, est enim passa jacturá multorum senum; & juvenes, qui nunc educantur, ut possint aliquando in relictum à senibus locum succedere, multa oportebit adversa perpeti, ideóque ne concidant

cidant animis ij, qui id experientur; sed confidant, DEUM sibi præsto futurum, indigent subsidio precum. Hoc mihi revelavit DEUS, quod ipsum ego vobis significo, ut omnes oretis. His auditis, omnes flexis genibus, & elevatis manibus quàm devotissimè oraverunt. Aliquantò verò pòst, dante sancto Ignatio signum manu, se omnes erexerunt, & Sanctus illis dixit: Gaudete Fratres, quia DEUS exaudivit vestras preces. Tum Angeli collocaverunt ante ipsum quoddam quasi altare, Religiosi autem apparatum Sacerdotalem, & communicavit me eo modo Cómunionis spiritualis, cujus toties fecimus mentionem.

Tandem, petentibus id Patribus Societatis, interrogavi aliquando Sanctum Patrem Ignatium, utrum prudenter essent translaturi, quod volebant facere, Collegium Avilense, ad alium locum magis accommodatú ipsorum ministerijs, qui approbando eam translationé non obstantibus contradictionibus, quas patiebantur, hanc attulit rationé: quia benè scis, quantopere semper sit persequutus Societatem dæmon ac mundus, quantúmq; illam impediverint in fundationibus ipsius Domorú & Collegiorum; & cùm Societas adhuc sit parva, expedit, intelligere mundum, quòd DEUS corroboret ac protegat suos, atque id, quod à Divina Majestate est seminatum, nunquam sit suffocandum à mundo, vel impediendum, quò minùs crescat ac floreat. *Dominus DEUS tuum habuit eandem mutationem eâ conditione, ut in illa curanda Patres purè spectarent Divinum ipsius amorem, & fructum proximorum: neglectis humanis respectibus, observarentque id bene, & committerent omnia nostro Sancto Patri, cujus esset illud negotium, quod denique felicem habuit exitum, ut statim videbimus.*

§. IV.

TEmpore harum gravium turbarum conferebat cum DEO, & cum Nostro Sancto Patre Ignatio, de dubijs, quæ nonnulli discutiebant, optantes, Generalem non esse perpetuam (quod DEUS non probavit) & alia hujus generis, quæ brevitatis ergò, & ob alias justas causas prætermitto: solùm strictim attingam, quid illi evenerit, quoad dimissionem quorundam ex Societate, quæ res ipsos magis reddebat perplexos. Dum enim de hoc negotio ageret cum S. Patre Nostro Ignatio, respondit, assignatâ illi ratione domesticâ, dicendo: ipsam comperisse experientiâ, quandam suam ancillam, quantumvis bonam, illius tamen fuisse conditionis, ut esset inepta pro communi cum alijs conversatione; atque tales esse quosdam, qui propter peculiares causas, & ineptias in ipsis animadversas, dimitterentur, licèt alioquin viderentur boni. *Cùm verò illa proponeret inconvenientia, & damna, quæ ex quorundam dimissione sequerentur, respondit:* Observentur Constitutiones, ibi enim sufficienter obviam itum est his inconvenientibus; & non est dubium, quin orirentur majora, si porta penitus occluderetur. Habemus Constitutionem, quæ nobis dat potestatem, purgandi corporis à malo sanguine, nè corrumpat bonum. *Et in eo genere ipsi evenerunt quædam singularia. Unum tantùm referam, de Patre, cujus perseverantiam ego ipse optabam. Dum de hoc ageret cum DEO, apparuerunt illi tres sancti Patriarchæ, Sanctus Dominicus, Sanctus Franciscus, & Noster S. Pater Ignatius, sicut interdum consuevent facere. Egit apud Nostrum sanctum Patrem causam ejus personæ, sed Sanctus Pater sibi id ostendit displicere, significans ipsi ineptudinem illius hominis, dicendo:* Non est accommodatus genio nostræ Religionis. *Illâ verò urgente, rogandum ab eo esse DEUM, ut ipsum talem efficiat, reposuit S. Pater:* Pete tu id ab illo, vos enim sæpe, propter vestram simplicitatem & charitatem, petitis ac obtinetis à DEO, quod nos Cœlites, quia sumus magis illuminati, nolumus ab eo petere, sicut hic simplex quispiam homo ac rectus solet petere aliquid à Rege & obtinere, quod Grandes ab illo non audent postulare.

Cùm ipsam aliàs rogavissem, ut ab illo instanter peteret perseverantiam alterius Patris, egregijs præditi naturæ dotibus, non

absque nonnullis tamen defectibus, quos ego spembam progressu temporis emendandos, siquidem, nisi se emendaret, non valebat pro nobis; DEUS ei respondit illud, quod Matri filiorum Zebedæi: Nescitis quid petatis, optando, ut maneat in Societate, nec enim est pro ipsis aptus. *Atque idem illi dedit responsum, de quibusdam alijs.*

Hoc non obstante ipsi aliquando ostendit Sanctus Pater Noster Ignatius, quid sentiret de ijs, qui egrediebantur è Societate, & propter malam ipsorum dispositionem dimittebantur. Apparuit illi indutus nigrâ veste, quæ erat solitò longior, & inducebat quandã obscuritatem, dicens ipsi: Venio hoc modo, ut tibi dicam; quòd, si essem capax tristitiæ, & Sancti meæ Religionis, contristaremur, ac lugubri indueremur veste, propter exeuntes ex Societate, qui sunt vicini morti, quamvis non sint penitùs mortui: ora DEUM pro illis. *Ipsâ verò dicente:* Pater sancte, aliqui id fortè faciunt, ut transeant ad aliam Religionem strictiorem; *respondit illi:* Si ità est, hæc Religio non est illis accommodata, neque sunt ad eam vocati: sicut si aliquis homo plebejus indueret pulchram vestem, auro textam, & argento, hæc ipsi non quadraret, imò is propter illam pudefieret, sed alia conformis ipsius conditioni; ità se habent isti. Commenda illos DEO.

CAPVT XVIII.

De ijs, quæ ipsi evenerunt cum Gloriosis Sanctis, S. Dominico & S. Ignatio, quoad unionem Religiosorum utriusque Sancti.

Atis in tota Christianitate notum est, dissensisse Sacram Religionem S. Dominici à Societate, quoad quasdam opiniones, de modo, quo conferuntur auxilia gratiæ, contendente quavis Religione, bono Zelo, suam opinionem esse veriorem, & convenientiorẽ, ad salvandum id, quod nos Fides Catholica docet, de efficacia Divinæ gratiæ, ac de libertate liberi nostri arbitrij: verùm Societas, quemadmodum erat accusata, seu denuntiata ob suam opinionem coram Sede Apostolicæ, ità graviores sustinuit molestias. Eo tempore Venerabilis Marina de Escobar, tum quia id petebant Patres Societatis, tum etiam propter dolorem, quo gravabatur in his afflictionibus, recurrebat quàm instantissimè ad DEUM, implorando ejus opem.

§. I.

QVadam vice, *inquit*, mihi comparuerunt duo gloriosi Patriarchæ, Sanctus Dominicus, & Sanctus Ignatius: atq; gloriosus Sanctus Dominicus me jussit rogare DEUM, ut Societati feliciter accederent, ob quæ affligebatur: Admirata ego charitatem Sancti, dixi illi: Quid est hoc, Sancte Pater? nónne charitas incipit à se ipso? Quare mihi non dicis, ut orem pro tuis, sed pro Societate. Respondit Sanctus: Quia ità expedit, ad gloriam DEI. Cúmque hac de re loquerer cum S. Patre Nostro Ignatio, solùm mihi sereno vultu respondit: Fiat in omnibus, & per omnia voluntas DEI. Ego postea commendavi instanter DEO hoc negotium, & magnam concepi spem, quod habiturũ esset bonum exitum. Aliàs autem obtinui clarius responsum, non confundendã Societatem his dissidijs, & veritatem habituram suum locum. *Id accidit anno 1600. & anno 1603. atq; eventus hactenus ostendit, verũ fuisse responsum, quia anno 1601. fuit publicatum in Universitatibus Hispaniæ Decretum Sanctissimi Domini Nostri Pauli Quinti, in quo præcepit, ut quævis Religio posset liberè tueri suam opinionem, quoad*

quoad usque altera alterius sententiam alienam esse à veritate demonstret. De cætero nos debemus omnes subdere, ac subjicere determinationi Sanctissimi Domini Nostri, siquidem ipsius definitio in his materijs est certa, propter assistentiam, quam habet, Spiritûs Sancti, nè erret in rebus Fidei, quas definit.

§. II.

VEniamus ad præcipuum, quod ista serva DEI his duabus Religionibus optabat, erátque concordia ac unio cordium & voluntatum, atque etiam, quantum esset possibile, opinionum & sententiarum, quia à DEO intelligebat, quòd possent reduci ad concordiam. Dum his ferventibus teneretur desiderijs, quodam die, *inquit*, vidi Beatos Patriarchas, Sanctum Dominicum, & Sanctum Ignatium, qui postquàm me aspexissent, & quàm amantissimè salutavissent, non sine mysterio, consederunt in duabus sellis, & circa illos, ad latera, non autem antè, erant Angeli, ac sancti ex Religionibus horum sanctorum Fundatorũ; atque ego novi quosdam ex illis. Sederunt aliquamdiu valde affabiliter & amanter, præbentes indicia singularis mutuæ dilectionis. Deinde assurrexerunt, & conversi ad se invicem, colloquebantur, atque Divinum & cœlestem alternabant sermonem. Et verò ex gravissimis manuum ac vultuum gestibus apparebat, esse rem maximam, & summi momenti, de qua conferebant. Sed non potui intelligere, quid esset. Stupebam, & attonita, ipsos contemplabar, cúmque tenerer desiderio, de quo dixi initio, ac viderem charitatẽ adeò ardentem, quâ colloquebantur illi duo sancti Patriarchæ, dixi: Utinam DEUS, pro sua bonitate dignaretur concedere, ut ità se amarent filij istorum Sanctorum, & essent in omnibus ità unanimes, sicuti se ostendunt esse hi sancti ipsorum Patres, quanto me id repleret solatio! Tunc illi me denùò peramanter aspicientes, dixerunt: Si id fieret, Amica, quemadmodum dicis ac desideras, quid deesset? Post continuatam aliquamdiu suam illam cœlestẽ conversationem, iterum se collocaverunt in suis prioribus sellis: sed obtegente eos, instar alicujus cortinæ, pulcherrimâ quadam nube coloris cœlestis, non vidi illos. Derepente autem ante eam ipsam nubem comparuerunt sex Angeli DEI, stantes suo ordine, aliquantùm ab invicem disiuncti. Ego stupens hæc omnia, rogabã DEUM, ut mihi daret suum Divinum lumen, & gratiam, ad cognoscendas ejus veritates, atque nè viderem quidquam aut cognoscerem, quod non proveniret ab ipso, sicut etiam feceram in principio hujus visitationis. Expectaverunt me modicùm illi sancti Angeli, ut conferrem cum DEO, quẽ admodùm dixi, ac deinde mihi dixerunt gravi quodam & sublimi modo, tametsi affabiliter: Agè, Soror, attende, volumus enim nunc loqui nomine Divinæ Majestatis. Ego audiens id ab ipsis dici tam graviter, timebam, & quasi tremebam, quia mihi videbantur, ùt sum adeò plena defectibus, velle propter illos aliquam contra me promulgare sententiam DEI. Verùm postquam me DEUS pacavisset, & Angeli mihi iterùm dicerent: Age, Soror, auscultà; attendi, atque ipsi ità graviter, sicut dixi, omnes simul admirabiliter, & quasi unus solus, unáque omnes singillatim loquerentur, inceperunt dicere: *Magnus Dominus DEUS Majestatis decrevit in sua Divina & cœlesti mente, atque in sanctissimo Consistorio suæ æternæ ac admirabilis Sapientiæ, ut duæ sacræ Religiones, quarum Patriarchæ sunt Sanctus Dominicus & Sanctus Ignatius, ineant concordiam, & uniantur, ut sic sociatæ & unitæ confortentur in Domino, seque opponant hostibus Sanctæ Ecclesiæ, ac Fidei Catholicæ. Aderit enim tempus & occasio, in qua hoc sit necessarium, & Ecclesia Catholica eo indigeat. Ad id manifestandum nomine DEI venimus.* Et cùm ista dicerent, replebant meam animam gaudio, propterea quòd tantopere desiderarem id, quod dixi initio, atque cum istò gaudio fui aliquo modò reddita audacior, & interrogavi: Dicant mihi Beati Spiritus DEI, hoc, quod dixerunt, videbimúsne nos, qui vivimus? Responderunt mihi: Videbunt quædam initia; sed

ſed majora non videbunt, neque conſequentur. Scito autem, quòd inter hæc & illa ſint nonnulla eventura.

Hoc audito (cùm ſim aliquantùm ſcrupuloſa in conſcribendis rebus, quæ mihi accidunt cum DEO, quia ſummè deſideſidero illas ità conſcribere, ut non addam, aut mutem vel unum verbum, quamvis in eo non verſetur cardo rei) ut conjicerem in chartam, quod mihi Angeli dixerant, conceptis ipſorum verbis, dixi illis: Beati Angeli DEI, volúntne mihi præſtare favorem & gratiam, ut mihi denuò repetant verba DEI, quæ mihi dixerunt? Illi quaſi conſiderabundi tacuerunt modicùm, & poſtea mihi reſponderunt: Soror, ſemel tibi loquuti ſumus nomine DEI, & juſſu ipſius, quod tibi debet ſufficere, quia nobis non licet repetere, quod diximus. Quando Divina Majeſtas voluerit à te conſcribi hoc myſterium, & gratiam, quam tibi exhibuit, ipſe te docebit, revocabítque tibi in memoriam id, quod fuerit ſanctæ ipſius voluntati conforme, ut ſcribas. Ego propter iſtud reſponſum fui nonnihil confuſa, quòd mihi viderer fuiſſe nimis petax.

Poſt hoc, Angeli receſſerunt ex loco, in quo fuerant, & dicta nubes etiam abivit, ac diſparuit ità, ut illam ampliùs non conſpexerim, ac tum vidi duos ſanctos Patriarchas, ſedentes ſicut anteà, & colloquentes, atque conferentes invicem de re quapiam. Finito ſuo colloquio ſurrexerunt, atque exhibitâ ſibi mutuò reverentiâ, quæ tamen fuit major Sancti Ignatij, amplexati ſe ſunt peramanter & graviter. Intuitus autem me benevolè Beatus Sanctus Ignatius, rogavit Beatum Sanctum Dominicum, ut mihi impertiretur ſuam benedictionem: ſed glorioſus Sanctus Dominicus humiliter ei reſpondit, ſe id non facturum, eò quòd hoc ipſi propter multas cauſas competeret. Duravit aliquantùm iſta illorum ſancta concertatio, tandem verò Sanctum Dominicum vicit obedientia, ac Sanctum Ignatium humilitas, & Sanctus Dominicus mihi dedit benedictionē, rogavitque Sanctum Ignatium, ut etiam ipſe mihi illam impertiretur, quod fecit. Ego proſtrata ad eorum pedes, oſculata ſum illos, quàm reverentiſſimè potui, & paſſa ſum quandam ecſtaſim, inſtar ſomni ſpiritualis. Quando verò ad me redij, non vidi ampliùs Sanctos, qui jam abiverant, mansique delibuta magno ſolatio, & exhilarata, quòd ſuo tempore futuræ eſſent concordes illæ duæ Religiones, ſicut deſideraveram.

§. III.

ID fortè confirmat alia viſio, quam habuit anno 1603. quando illam viſitaverunt ijdem Sancti duo Patriarchæ, & poſtquam de quibusdam rebus contuliſſent, dum ab illa diſcederent, vidit ipſos pariter aſcendentes ad Cœlum, Sancto Dominico occupante dexteram. Sequebantur illos bini quaſi proceſſionaliter, multi Sancti utriusque Religionis eo modo, ut qui erant ex Societate, ſequerentur ordine ſanctum Dominicum; qui autem erant S. Dominici, ſequerentur ſanctum Ignatium, eſſentque ex utrique Religione invicem aſſociati: quæ omnia ſignificabant unionem, quam habent in Cœlo, ubi omnes ſunt uniti eodem ſpiritu, & DEUS optat haberi in terra ab illis, qui ſequuntur vexillorum duorum magnorum Ducum, ad pugnandum contra communes hoſtes Eccleſiæ militantis. Expreſſiùs ipſi idem declaraverunt anno 1615. in Julio, cùm illam altâ vice ſimul inviſerent hi duo Sancti, conferéntque cum ipſa de quodam negotio. Vidi, *ait*, ingredientem per portam cubiculi proceſſionem Religioſorum ex Ordine S. Dominici, & ex Societate, veniebant bini, ità aſſociati, ut unus eſſet hujus, alter illius Religionis, atque duo eorum latera, eâdem ratione ſtipabant duo Angeli DEI. Hos ſequebantur alij duo, ſemper tamen permixti, ità ut Religioſum ſancti Dominici, ſequeretur Religioſus Societatis, & Religioſum Societatis, Religioſus S. Dominici. Poſtquam omnes fuiſſent ingreſſi, qui erant multi cum ſuis Angelis, collocaverunt ſe pulcherrimo ordine ante duos ſanctos Patriarchas, qui ad illos habuerunt longum ſermonem, ſuaviſſimum, & plenum cœleſti Sapientiâ, exhortando ipſos ad unionem in Domino, pacem & confor-

mita-

mitatem in omnibus, ac per omnia, quantùm ijs esset possibile, dicendóque illis propterea, Dominum DEUM Majestatis, ex sua infinita bonitate, dedisse mundo hæc duo Instituta & Religiones, usque adeò similes quoad suam vocationem, ut incumberent in animarum salutem, & majorem earundem procurarent profectum, ideóque se rogare instantissimè, & ipsis mandare Nomine DEI, atque etiam, ut sunt eorum Capita, & Prælati, ac Patriarchæ utriusque Religionis; nè evertant, vel destruant, quantum est in ipsis, quod DEUS intendit, si non vivant uniti, ac dicto modo conformes, atq; animas, quibus deberent prodesse, turbent, agendo contrà, quàm DEUS mandet ac velit.

CAPUT XIX.

Quomodo viderit gloriosum S. Franciscum Xaverium, ac magnam ipsius Sanctitatem, & quâ ratione illam DEUS repleverit Spiritu ac virtutibus Sancti Patris Nostri Ignatij.

Djungamus Patri Gloriosissimum ejus Filium, cum illos etiam DEUS voluerit conjungere in canonizatione, disponendo, ut eodem perageretur die. Magnus iste Orientis Apostolus visitavit illã Famulam DEI, ipso volente, ejusdémque Majestas illum dignata est ei diversimodè pro ipsius solatio spectandum exhibere.

§. I.

EO, *inquit*, die, quo Vallisoleti celebratur Beatificatio S. Patris Francisci Xaverij (in Julio anni 1620.) cùm insolitos paterer dolores, dixit mihi Dominus: Libenter adesses huic Festo, sed ego tibi illud ostendam alio modo. Post paucas horas vidi gloriosum & sanctum Patrem, indutũ suo vestitu Societatis, valde splendidum, vectum curru quodam triumphali, considentem in throno. Trahebant currum gratiosissimi quatuor equi candidi instar nivis; & circumdabant illum Angeli, quorum millia præcedebant ritu supplicationis, cum instrumentis musicis; sequentibus nonnullis Sanctis è Societate, elevatis à terra, velut in quadam nube: & hunc in modum est ductus per omnes Regiones, ubi prædicavit Evangelium, quæ erant plurimæ, resonante inusitatâ instrumentorum ac vocum musicâ, quâ Angeli laudabant DEUM. In equis intellexi repræsentari Principes ac personas seculares, à quibus fuit adjutus in his expeditionibus Evangelicis. Revertente pompâ ad suum locum, venerunt ad thronum multi sancti Religiosi ex Societate, ad amplectẽda ipsius quasi genua, quos Sanctus amantissimè amplexabatur, imponens eorum humeris manus, & impertiebatur illis suâ benedictionem. Dixerunt mihi Angeli, ut & ego accederem: tergiversabar autem. Tandem me duxerunt, & Sanctus mihi dixit: Nè verecunderis, Soror nostra, es enim etiam ex Societate, & ex primis filiabus Nostri S. Patris Ignatij; ego ero instar tui fratris majoris natu, & protegam te deinceps in omnibus, quæ à me petieris. Postridie me rursum invisit, repetiitque præcedentia verba, & ego illi dixi: Pater Sancte, quod desidero, est, ut ores DEUM, quò mihi det conformitatem cum sua voluntate in ista Cruce, quam patior; complaceo enim mihi in illa, & existimo, quòd non possem absq; rubore coram illo comparere, nisi aliquid amore ipsius paterer. Sanctus autem mihi respondit se id facturum, quoad usque terminato meo exilio cum ipso migravero ad Cœlum.

§. II.

EOdem anno in ipsius Festo, quod celebratur secundâ (*nunc tertiâ*) Decembris, conspexi illum iterum corâ me, dum versarer in mea collectione, & salutavit me amantissimè, ac anima mea fuit mirè exhilarata ejus aspectu, prosternénsque me ad ipsius pedes, vidi eos esse ex purissimo auro, quod erat figura & symbolũ ipsius magnæ charitatis, quæ relucebat in omnibus ejus passibus, & operibus Sanctæ vitæ, id quod DEUS meæ animæ manifestavit. Cor Sancti erat instar igniti Divini & ardentissimi carbonis. Ex sanctissimis ejus manibus prodibat quædam fragrantia suavissimi odoris, qui erat symbolum sanctitatis, quâ in hac terra fuit præditus, & gloriæ, quâ fruitur. Rogavi illũ, ut mihi impetraret à DEO quædam pro me, ac pro alijs. Respondit mihi magnâ charitate ad omnia, cùmque ipsum vocarem nostrum Patrem, respondit: Tu es nostra dilecta Soror, neque potes negare, te talem esse, quia es educata in sinu nostræ sanctæ Religionis, & lacte doctrinæ ipsius. Hæc & alia evenerunt in ista Sancti conversatione cum mea anima, & DEUS mihi exhibuit solenne ac mirabile Festum, quod in cœlesti Jerosolyma celebrabatur in honorem hujus Beati Sancti.

§. III.

QVodam die, intra Octavam ejusdem Sancti, mihi denuò comparuit, cùmque me abstrahere ab ejus aspectu, & nonnihil repugnarem isti visioni, more solito, DEUS, in cujus versabar præsentia, mihi illum ostendit in se ipso, ut me jam non possem ità abstrahere. Aspexit me Sanctus peramanter, & alloquutus est benignè. Ego nescio, quis fuerit Spiritus meus; quòd cùm eo solatio, hausto ex ipsius aspectu, & æstimatione, quam mea anima concepit de Sancto, illi dixerim: Mi Sancte, amore DEI, da mihi aliquid è tuis rebus, pro reliquijs, quas plurimi faciam. Respondit Sanctus graviter & suaviter: Quid vis, Anima? quid est illud, quod à me postulas? Cùm hoc dicentem audirem, fui quasi pudefacta, & erubui, dixiq; Sancto: Benedicte Sancte, nunquid non malè feci? Non dixisti malè, Soror, ajebat ipse, non dixisti malè. Et post multa alia dicta, quæ concernunt alia mysteria, Sanctus subjecit: Quandoquidem à me aliquid petivisti, Anima, volo tibi quidpiam dare; sed erit res quàm spiritualissima. Et hoc dicto, exemit ex pectore quandam hierothecam, seu reliquiarium, atq; dum illud aperiret: Ecce, Anima, inquiebat, quid tibi adferam nomine DEI, & Beati Sancti Ignatij Patris Nostri. Ostenditque mihi multas gemmas pretiosas, quæ ibi erant inclusæ. Quamvis theca esset parva, gemmæ tamen videbantur esse plurimæ. Recreata fuit anima mea vehementer illo aspectu, quia ibi illuminata à DEO vidi pretium virtutum Beati Sancti Ignatij. Et postquam rursum occlusisset eum thesaurum, induissétque se mysticè veste quâdam candidâ instar nivis, quasi superpelliceo, essentque similiter vestiti, ac tenerent luminaria in manibus quidam sancti Religiosi Societatis JESU defuncti, accessit ad me, & dum mihi videretur aperiri pectus, applicuit mihi illud reliquiarium, posuitque ad cor, non absque peculiari sensu, non solùm spiritûs, sed etiam corporis. Cepit inde mea anima solatium, & obstupuit, quia illi visum est ac sensit communicatâ sibi à DEO fuisse illo modo mysticò virtutem cœlestis spiritûs Sancti Ignatij, & sacræ ipsius Religionis. Hoc facto mihi valedixit, deditque suam sanctam benedictionem.

Aliàs intrà hanc ipsam octavam, me dignatus est idem Sanctus cum Beato Sancto Ignatio diversis horis consolari, pollicebantúrque mihi suam gratiam pro me adjuvanda in occasionibus spiritualibus, quæ se mihi essent oblaturæ, & specialissimè mihi id dixit Sanctus Ignatius, inquiens, se mihi adferre hoc nuntium, & hæc bona nova Nomine DEI, ac propterea, ipso opitulante, mihi non esse metuendũ, nè errem.

CAPUT

CAPUT XX.

Quomodo ipsi DEUS manifestaverit stupendis modis magnam sanctitatem & gloriam Gloriosi S. Dominici, & de eximijs gratijs, quas illi Sanctus præstitit.

Suppositis ijs, quæ sunt narrata in libro primo de Sanctitate gloriosi Sancti Dominici, quâ eminuit in sua pueritia, referemus nunc revelationes, quæ de illo jam viro habuit, modis admirandis, unâque magnas gratias, quas illi præstitit, præter multas, quæ sunt relatæ antea in alijs mysterijs.

§. I.

QVodam die, *inquit*, Sancti Francisci, (quartâ Octobris anni 1605.) me visitavit gloriosus Sanctus Dominicus, comitante ipso S. Patre Ignatio, & fui ducta à Beato Sancto Dominico ad ipsius capellâ majorem, quæ est in Æde Sancti Pauli, ubi mihi videbatur intrà istud Sacellũ inclusũ aliud minus, unde me deduxerunt ad aliud interius in parte Evangelij, & ingressi mihi dixerunt: Hic sunt sancta Sanctorum. Et vidi illic quandam mensam, ad quam convivabantur multi Sancti, quorum cibus erat ipse DEUS. Venit Sanctus Patriarcha ad istam mensam, & sustulit ex illa quandam quasi hostiam, méque communicavit, unde me sensi adeò repleri DEO, ut neque sciam hanc plenitudinem explicare. Et cùm existimarem nihil mihi ampliùs ibi superesse negotij, atque me reducendam à Sanctis ad meum locum, dixit mihi Gloriosus Sanctus Dominicus: Plus tibi videndum restat. Et statim processit ulteriùs, circumeundo illam mensam, méque constituit in quibusdam quasi montibus gloriæ, & cùm pervenisset ad altissimum, exemit ex manica quandam veluti clavim, longitudine parem quadranti ulnæ, aut aliquantò majorem, quâ videbatur aperire illum montem, & vidi tam mirabilia, ut me reddiderint attonitam. Subitò ipsum Sanctus iterum clausit, & interrogavit me: Dicésne, quid videris? Ego illi respondi: Gloriose Sancte, quomodo id possum dicere? Tùm ipse mihi dixit illud Sancti Pauli: Quòd nec oculus viderit, nec auris audiverit, neque cor hominis capere possit, quæ præparavit DEUS ijs, qui diligunt illum. Sancti, qui aderant, ad me conversi, dixerunt mihi: Iste Sanctus est Patriarcha Dominicus, ex ijs, qui habent auream clavim. Et sic me restituerunt meo lecto, in quo priùs decubuerã, propter meam infirmitatem, advertique me ità repletam esse DEO, ut mihi viderer circumdata ab ipsius Omnipotentia, atque dum istam susciperem gratiam, & sic spiritualiter communicarem, fuit mihi dictum, quòd me non essent unquam malè tractaturi diaboli. *In hac visitatione specialiter ponderandum est illud dictum:* Est ex ijs, qui habent auream clavim, *quod pro Regum Hispaniæ more, significat singularem familiaritatem, quæ isti Glorioso Sancto intercedit cum Rege Cælesti.*

§. II.

ALiâ vice me invisit idem Gloriosus Sanctus cum Sancto Josepho, & alio Religioso sui Ordinis, qui modico tempore fuerat meus Confessarius, eò quòd tum ægrotaret Confessarius ex Societate. Veniebant cum eo multi Angeli. Cùm mihi appropinquarent, salutaverunt me: quo indicabant, se velle diu apud me manere. Idcirco mota à DEO, habui desiderium aliquid interrogandi Beatum Sanctũ Dominicum, & obtentâ ab eo facultate, dixi illi: Quid est hoc mysterij, quòd dum hic estis, gloriosi Sancti, sicut vos video, sitis unà Beati, & versemini in præsentia Divinæ Majestatis, quæ semper replet vestras animas semet ipsâ, & vos reddit Beatos?

Respon-

Respondit Sanctus: Noster magnus DEUS ac Dominus immensæ Majestatis suâ infinitâ potentiâ omnia replet, & universa complectitur, totúsque est ubivis, operando in qualibet creatura secúdùm ipsius indigentiam, & capacitatem, ac merita, juxta suam Divinam dispositionem, Sapientiam, & Bonitatem. Quapropter Animæ beatæ, quæ jam æternùm possidemus immensum mare hujus Divini Esse, in quocunque loco, ad quem nos Divinus iste Dominus destinat ac mittit, ut peragamus aliquid concernens ipsius gloriam, permanemus semper in eodem immenso mari, obtinentes æternâ possessione omnem gloriam & participationem DEI, cujus est capax quævis nostra anima, juxtà sua merita, & magnam bonitatem DEI Domini nostri, qui est instar fontis copiosissimi, profluentis ex Oceano immensæ magnitudinis, sempérque effundentis venas & rivos aquæ vivæ, quâ universi, quantumcunque ampla, replere possent vasa, pro eorum capacitate, suámque sitim extinguerent, ac mederentur suis necessitatibus, quin illis posset quidpiam uspiam deesse: quia virtus illius aquæ esset tanta, ut se ad hæc omnia extenderet, & qui eam biberet, non sitiret ultrà. Sic suo modo se habet, ut aliquantulùm est explicabile nostrum magnum mysterium, de quo quæsivisti.

His auditis à Glorioso Sancto Dominico, fui rapta in ecstasim, & quando ad me redij, vidi illum splendidissimum, & habentem in medio sui pectoris circulum rotundum, tectum quodam operculo, quasi crystallino, pellucidissimo & purissimo, qui undique incinctus radijs purissimi auri, summè refulgebat: pars illorum protendebatur, ad obtegendum quasi ipsius vultum, & caput, in superiore illa parte; reliqui autem pertingebant ad cooperienda eo modo brachia, & manus, ac reliquum corpus. Et cùm attentè contemplarer hoc miraculum, vidi sub illo operculo crystallino esse designatum & expressum mysterium Sanctissimæ Trinitatis, tantâ elegantiâ & magnificentiâ, ac sapientiâ tam Divinâ, ut mea anima præter morem obstupuerit; quia clarissimè agnovit tres Personas in Essentia Divina. Similiter vidi ibi Beatitudinem, quâ fruebatur anima illius Sancti, & quomodo pro suo captu ac meritis esset plena illo Divino Esse; adeò ut, quod intellexeram per conversationem cum isto Sancto, antequam conspicerem hoc mysterium, idem viderim ibi expressum, quasi mihi apertiùs diceret: Id quod tibi exposui, tecum agendo, veluti oretenus, vides hîc re ipsâ in me. Propter istud secundum miraculum magis sum mirata, ut diu in ea admiratione perstiterim.

Hoc tempore Sanctus Josephus non est loquutus ullum verbum, sed aspiciendo me, erat quasi abreptus in DEUM. Socius sancti Dominici, qui adstabat ipsius lateri, aliquantùm retrò, hoc solùm fecit, quòd semel iterúmque erexerit caput, præferens in vultu magnam hilaritatem, cum quodam sancto risu. Per radios autem, quibus resplendebat Sanctus, contemplabatur gaudium meæ animæ, & gratiam, quæ illi fiebat, dicebátque mihi: Si capax essem doloris, sentirem illum propterea, quòd te parum noverim, Amica, & Soror nostra. Tum subitò omnes isti Sancti & Angeli mihi valedixerunt, exhibentes se promptos, quòd me nomine DEI essent adjuturi.

§. III.

SEquenti Augusto, die hujus gloriosi Sancti, dum paterer magnas afflictiones & cruciatus, illum bis vidi: semel in cœlo assidentem cuidam elegantimensæ, cum multis Sanctis, gerentibus ipsius habitum, suis filijs, & multis beatis Spiritibus, atque omnes reficiebantur illo Divino cibo, qui satiat, replet, ac beatos reddit Sanctos: non discrevi quidem in mensa ullum cibum; sed vidi Dominum Majestatis, qui ibi ad amorem sui permovebat, & inebriabat illos Divinos spiritus ac Sanctos, visione suæ Divinæ Essentiæ. Ego stabam quasi in angulo, prope Gloriosum sanctum Dominicum, defixis in ipsum oculis, contemplando illum, & ipse mesimiliter contemplabatur. Desiderabam bolum ex ea beata mensa, & Sanctus illum mihi

mihi optabat præbere, quem denique mihi porrexit. Post hoc me intuitus est Dominus, jussitque, ex infinita sua bonitate, me abundantiùs refici. Quocirca accepi inde mysticum quendam cibum, quem mihi videbar nunquam degustavisse, & mea anima fuit recreata, ac repleta quadam beatitudine, quam sustinebat mea capacitas, quæ in hac vita potest haberi. Passa sum ecstasim, arctissimè unita Divinæ Majestati, & quando ex illa ad me redij, reperi me in meo cubiculo ac lecto, patiens nihilominus meos dolores, & tolerans Crucem, quia Divina Majestas optimè ista novit componere.

Aliâ vice, quando conspexi sanctum Patriarcham, dicebatur Sacrum in meo Oratorio, vidique unà ipsum assistentem cuidam Missæ Sacrificio, quod celebrabatur in illius domo, cùm ipsius filij agerent ejus Festum. Fui tunc vehementer afflicta, quia audiebam Sacrum ex obligatione, eò quòd esset dies festus, & interea Sanctus mihi tollebat attentionem & animam, ut cum ipso adessem ei solennitati. Aspiciebam illum quodammodo momentaneè, attendendo ad utrumque. Eo tempore, Gloriosus Doctor Sanctus Aquinas, qui præsens Festo aderat, cum alijs sanctis & beatis Spiritibus, conscendit suggestum, ut deprædicaret laudes sui sancti Patris; & postquam dixisset multa, quæ ego non bene percepi, eò quòd audirem, ut dixi, Sacrum, peroravit his ipsis, quæ sequuntur, verbis:

Beate Dominice, Pater noster, es illa aurea porta cœlestis Jerosolymæ, ex purissimo & obrizo auro, per quam ingrediuntur in illam Civitatem DEI, quicunque tuo ardenti amore, & ignitâ charitate erga DEUM ac proximum, tuâque Divinâ & cœlesti doctrinâ verè volunt uti, ex eâque fructum capere. Tu es pretiosa gemma, quæ si probetur, semper exhibet præstantiam insignium & pretiosissimarum virtutum cœlestium, ac ardentis Zeli procurandi Divinæ gloriæ. Tu, sanctissime Patriarcha & Pater noster, es arx atque castellum munitum, & defendis ac protegis omnes tuos spirituales, ac veros filios, qui tempore suæ tribulationis tuâ volunt uti opem, & confugiunt ad tuam Paternam clementiam & charitatem. Atque cùm, Gloriose Pater, sis tam Divinus & cœlestis, ac DEO dilectus, possisque tantùm apud supremam Majestatem ejusdem Domini DEI nostri, rogo te, oróque suppliciter, ut protegas, & juves, ac defendas filios tuæ sanctæ Religionis, qui degunt in hoc exilio, donec illos perducas ad securum portum Beatitudinis.

Absoluto Sermone, inceperunt mei quatuor Domini Angeli, qui mihi ordinariè assistunt, canere, adhibitis instrumentis, insolitâ ac admirabili dulcedine, in laudem Sancti Dominici, cantum quendam Divinum & cœlestem, qui abripiebat meâ animam, continebátque easdem laudes, quas sanctus Thomas deprædicaverat: atque ità finitum fuit Festum Gloriosi Patris sancti Dominici. DEO gratias.

§. IV.

ALio die (in Decembri, anno 1619.) vidi venientes geminato ordine, pulcherrimè dispositos, multos Sanctos, ex Ordine sancti Dominici, indutos suis albis habitibus, absque nigris, quos supernè gerunt, habentes in suis manibus accensos cereos, & cantantes *Te DEUM laudamus*, cum quibus veniebant multi Angeli DEI. Substiterunt in eo loco, in quo ego eram; ac deinde vidi posteriùs sequentes, & quasi in fine istius pompæ, Gloriosum sanctum Dominicum, ac sanctum Thomam. Solus sanctus Dominicus tulit nigrum habitum supra album; & postquam advenisset, incepit resplendere, ac transformari gloriosè, ut videretur esse similis Spiritui Angelico. Sanctus Thomas flexis humi genibus (quia uterque steterat) & quàm reverentissimè, discooperuit caput Beati Sancti Dominici, deposito ejus caputio: eodémque ipso momento descendit ex cœlo quædam quasi columba pulcherrima, & candida instar nivis, quæ erat figura ac imago Spiritûs sancti, consedítque in detecto capite; & postquam ibi modico tempore substitisset, me multùm stupente, disparuit ac avolavit. Tum sanctus

Thomas quàm reverentissimè imposuit pretiosissimum & perelegans ac splendens Pluviale, humeris Beati sancti Dominici, qui in suis manibus, supra patenam, tenebat parvam hostiam, in qua, & sub qua erat Majestas DEI Omnipotentis, Trini in Personis, & Unius in Essentia. Hoc modo venit ad me, cum suo socio. Fui propterea vehementer turbata. Sed cùm Sanctus accessisset, dixit mihi: (ùt puto, quasi latinè) Anima, & creatura DEI, suscipe in ista mystica hostia, quam vides in meis manibus, Majestatem DEI Omnipotentis, qui te vult reddere participem gratiæ & favoris, quam modò, te præsente, & mysticè, mihi dignatus est præstare, pro tuo solatio. Atque hoc dicendo imposuit ori meo illam mysticam hostiam, quam sumpsi, ità ut adverterem in mea anima esse DEUM ipsius ac Dominum, eo modo, quo dixerat Sanctus, qui deinde modicùm à me recedens, mihi dedit suam sanctam benedictionem, & illi sancti Beati mihi valedixerunt.

§. V.

ALiàs, quodam die S. Augustini, me visitavit, dixitque, quòd propter illud Festum sui sancti Patris Augustini, mihi ipse vellet exhibere solennitatem. Fui ducta, nescio an in spiritu, an unà cum corpore, ad Conventum sancti Pauli; & postquam venissem ad portam Ecclesiæ, vidi illam totam ornatâ quibusdam splendidissimis cortinis, & laqueare ipsius mauratum, videbatúrque tota ardere. Non audebam ingredi, nè conflagrarem; sed mei Angeli mihi dixerunt, me non conflagraturam. Intravi usque ad gradus summi altaris, ubi vidi gloriosum sanctum Dominicum vestitum pulchro pluviali. Etiâ ibi aderat sacratissima Virgo, sanctus Joannes Evangelista, & alij Sancti. Conversus sanctus Patriarcha ad sacrum tabernaculum, aperuit illud suâ aureâ clavi, factáque profundâ reverentiâ exemit hostiam, atque dum se cum illa verteret, Beatissima Virgo & Sancti se inclinaverunt. Communicavit me, ac deinde fui reducta ad meum angulum. *An istud iterùm fuerit per actum duntaxat in spiritu, an verò etiam in corpore? &, susceperitne verũ Sacramentum? non explicuit: utrumque tamen illi solebat evenire, sicut aliàs patuit.*

Alio die, vidi venientem gloriosum sanctum Dominicum coopertum pluviali, cujus unum latus stipabat gloriosus Apostolus sanctus Petrus, alterum verò noster sanctus Pater Ignatius; & venerunt ità ad quoddam quasi altare, quod ibi tunc apparuit. Ego sum speculata, quidnam id posset esse; & fui recordata, mihi postridie manè (jam tum erat præterlapsa media nox) esse audindum Sacrum, & communicandum. Sed statim mihi respondit Sanctus, eâ re, quæ erat peragenda, non impeditum iri sacram Communionem. Vertit se ad me ab hoc altari, sustinentibus extremitates Pluvialis alijs duobus Sanctis, inclinatis ad terram, tulitque in suis manibus quandam quasi hostiam, ejus magnitudinis, cujus sunt, quæ porrigi solent in Communione: & in ea Hostia vidi Christum Dominum parvulum, qualis erat in utero suæ Matris. Licèt verò infantulus esset major, quàm hostia, non extendebat se tamen ultrà illam. Quando sanctus Patriarcha venit, ut mihi porrigeret istam hostiam, fui quasi mihi erepta; & postquam sum ad me reversa, vidi intrà meum cor Puerum JESUM, quem susceperam, atq; in ea ipsius visione perseveravi triduò vel quatriduo, cum magno solatio meæ animæ. Post hoc sanctus Dominicus rogavit gloriosum sanctum Petrum, ut mihi impertiretur suam benedictionem. Sed sanctus Apostolus dixit, id hac vice esse ipsius partium. Benedixit ergo mihi, ac deinde etiam mihi bene precatus est sanctus Apostolus.

§. VI.

ALiâ vice, ex improviso audivi, *ait*, quandam cœlestem musicam, quæ fiebat instrumentis & vocibus Angelorum cantantium hymnum: *Pange lingua*. Intraverunt meùm cubiculum hi cum accensis albis cereis, alij cum instrumentis musi-

musicis. Sequebatur ipsos Gloriosus Pater sanctus Dominicus, ornatus eleganti Pluviali, cujus latera stipabant gloriosi sanctus Bonaventura, & sanctus Ignatius, qui sustinebant extremitates Pluvialis more consueto. Sanctus Patriarcha ferebat in manu quoddam vas instar calicis, tectum pulchro velo, quod continebat superpositâ alterâ manu. Postquam advenit, posuit illud supra quoddam elegans altare valde altum, quod præparaverunt mei sancti Domini Angeli: & recedentes modicùm omnes tres Sancti laudaverunt DEUM, eo modo, quo dicitur Confessio. Omnes sancti Angeli se humi prostraverunt, & ego unà cum ipsis. Subitò autem me erexerunt, & reduxerunt ad meum lectum, quem optimè composuerant, isti mei Domini: & sensi in meo cubiculo odorem suavissimum, penitus diversum à nostratibus odoribus, vidique ingentem claritatem. Gloriosus Pater S. Dominicus exemit Hostiam ex calice, eâque positâ super patenam, accessit ad meum lectum, & communicavit me. In eo verò momento, quo venit ad me Hostia, comparuit in illa pulcherrimus & formosissimus puerulus. Ego illum suscepi, quamvis non videram quomodo, quia fui abrepta. Sensi tamen ipsum in mea anima, & effectus sanctæ Communionis. Redijt Sanctus ad altare cum suis socijs, atque discedentes à me, eodem ordine, quo venerant, reversi sunt ad Cœlum.

CAPUT XXI.

Quomodo gloriosus S. Dominicus illi exhibuerit præstantiam suæ Religionis, & sanctitatem suorum Filiorum.

VT eximia bonitas hujus cœlestis arboris cognosceretur ex præstantia duorum ipsius fructuum, qui sunt Institutum & Filij, quod suprà dictum est de Nostro S. Patre Ignatio, ostendit illi Gloriosus Patriarcha S. Dominicus utriusque excellentiam, modis admirabilissimis.

§. I.

QVodâ die, *inquit*, (in Majo anni 1621.) me visitaverunt Gloriosi Patriarchæ, sanctus Dominicus & sanctus Ignatius, atque ex occasione cujusdam rei, quæ evenerat, alter laudabat & approbabat Institutũ alterius, tanquam valde conducens ad finem, cuique præfixum. Deinde recessit Gloriosus S. Dominicus, & admotis ad pectus manibus, quasi illud aperiret, exhibuit mihi pulcherrimum quoddam spectaculum, quod me magnâ affecit admiratione, verùm pectus fuit statim clausum. Paulò pòst idem fecit, & tertiâ vice vidi intrà ipsius pectus urbem pulcherrimam, munitam, ac turritam, quæ videbatur adeò inexpugnabilis, ut ad illam expugnandam non sufficeret totus mundus, neque ullæ bellicæ machinæ contra ipsum prævalerent; & lætabar, mirabárque adeò, dum eam viderem, ut illam millenis inciperem extollere laudibus, tametsi nescirem, qualisnam urbs esset. Interea vidi eandem Urbem gubernari ac regi, à corde sancti Patriarchæ, quod erat intrà ipsam. In illo corde verò morabatur ipsemet DEUS, qui nimirum fuit prima causa illius regiminis, & inspiravit Sancto, ut fundaret eam Urbem, tam munitam & pulchrã; quando ipsius operâ est usus, in extruendo hoc ædificio. Sanctus Patriarcha mihi dixit: Soror, Urbs ista, quam vidisti tam munitam & elegantem, tam amplam & pulchram, est mea sacra Religio; & Urbs, quam Dominus collocavit in sua Ecclesia, pro ipsius emolumento, custodia, ac defensione. Oportet magnam illius gerere

curam, quod equidem facio, nè patiatur detrimentum, propter suos habitatores, & incolas: atque dum aliquid corruit, statim illud conor reædificare, & consolidare, nè diminuatur. Summo mihi fuit solatio, intelligere hoc mysterium, propterea, quòd magnopere amem istam Religionem. Durante hâc visitatione, venit quædam mea socia, ut me de re aliqua interrogaret? & ego illam audivi, ac respondi. Aliquantò post venit, ut aliquid aliud ex me quæreret, cui ego similiter respondi. Tum mihi subitò venit in mentem, quomodo, licèt spiritus esset occupatus illâ visione, audirè tamen & responderem aptè, ad id, quod interrogabar; & incepi propter meos timores cogitare, an hoc esset à DEO. Sanctus agnovit meam cogitationem, eò quòd illam ipsi DEUS revelavisset, dixitque: Nè terrearis, quia hujus rei causa est vivacitas tuæ naturæ, ac magna capacitas tuæ animæ, & habitualis unio, quâ es conjuncta DEO; ac proinde nulla est in hoc illusio.

§. II.

ALio anno (in Augusto anni 1620.) pridie Beati sancti Dominici, horâ secundâ matutinâ mihi loquutus est Sanctus, dixitque amanter: Anima, in nomine DEI, & ipsius permissu, te volo habere convivam in meo Festo, ac ducere ad cœlestem Aulam, tibique exhibere meos dilectos filios, quos videbis gloriosos, & erit tibi id magno solatio. Ego egi Sancto gratias pro isto favore, eram tamen deinde illius oblita. Verùm post duas circiter horas, sensi me totam unà cum anima & corpore moveri à quibusdam sanctis Angelis, quasi me totam vellent eo modo elevare. Hoc mihi, pro more meo, accidit molestum. Conatu nihilominus adhibito, ut me componerem, ità mansi in quodam raptu. Post aliquot rursum horas, mihi idem contigit. Interea mihi dixit Dominus: Anima, veni mecum. Et Beatus sanctus Dominicus dixit: Veni, Anima, ad cœlestem Aulâ, sicut tibi mandat tuus DEUS, videbisque meos dilectos Filios gloriosos, quemadmodum tibi promisi. Postquam hæc dixisset, inveni me in cœlesti Jerosolyma, ubi fui excepta cum magna lætitia & gaudio Beati sancti Dominici, qui me duxit ad locum, in quo vidi multos Sanctos ex ipsius Religione gloriosissimos, & quasi stantes, pulcherrimo ordine, usitato in processionibus, ità ut bini starent, ac immoti, séque mutuò respicerent. Quidam ex his Sanctis gerebant quasi insignia Pontificum, alij Episcopalia, & multi tenebant ramos palmæ in suis manibus; alij videbantur habere coronas in suis capitibus; omnes erant lætissimi, & quòdimodo sibi ipsis erepti, fruentes beatifica visione sui DEI. Tunc mihi dixit sanctus Patriarcha: Dic, Anima, quid tibi videtur de istis meis beatis filijs? Nonne vehementer in Domino recrearis? Ità sanè, ajebam ego, maximo affluo solatio. DEUS sit benedictus. Diu me ibi oblectavi eo cœlesti spectaculo, ac deinde ab Angelis fui reducta ex cœlesti loco ad meum paupertinum, ubi manens in quodam quasi mentis excessu, quamvis postea mihi fuerim reddita, nunquam ità cessavi illos videre, ut nullo prorsus modo obversarentur meis oculis.

Sequenti die, qui erat ipsi Festus, manè, fui ducta ab eodem Sancto ad eundem locum, in quo fueram vesperi, ubi mihi iteratò ostendit eosdem beatos Sanctos, in illa pompa, in qua, dum primum ipsius locum teneret sanctus Patriarcha, & ego prope illum, cum magno gaudio spectans illam cœlestem multitudinem incederem; atque in illa quasi platea, quam suo geminato ordine fecerant, apparuit ineffabilis quædam lux, & potens ignis ardens atque comburens, sed vehementius ex ea parte, in qua stabat Beatus sanctus Dominicus. Cùmque defixos haberem in eo oculos, & videretur mihi totus conflagraturus, vidi ipsum gloriosum, & totum transformatum in Divinum illum ignem, lucem, & claritatem, quæ erat symbolum & figura ipsius ardentis charitatis & amoris, erga DEUM & proximum, quo flagraris, gravi degens in hac vita mortali, nec non bonorum, quibus fruitur. Videre id mea anima,

anima, convertit se ad partem oppositam, quia ipsi inde videbatur procedere illud mysterium, & vidi quendam Divinum Solem circumdatum illo mystico igne, qui prodeuntibus ex ipso radijs potenter impetebat, & quasi feriebat ubique illum Beatũ Sanctum in ejus facie, pectore, manibus & pedibus, ipsumque eo modo transfigurabat, ac transformabat. Dum hoc spectarem, dixerunt mihi sublimiore quodã modo, qui ibi erant intus, quidam Angeli DEI: Anima, quid hic agis, aspiciens adeò absorpta hoc mysterium? Ingredere, si illud vis clariùs videre, per istum ignem, & pertransibis totum hunc felicem locũ. Hoc audito, videbar mihi modicùm restituta post meam ecstasim, & nonnihil turbata, dum intuerer alios Angelos, qui me circumdabant, quasi spectaturi illum ingressum. Respondi autem: Domini Angeli, quid est hoc, quod mihi imperant? Ego enim hàc non possum intrare: quia me comburerem, & consumerer tota, redigerérque in cinerem. Ingredere, Anima, ingredere (dixerunt illi) noli timere, nam non combureris, DEUS enim te juvabit. Non possum, Domini Angeli (ajebam rursum) non possum. Dum sic disceptarem, converti modicùm oculos ad meum Beatum sanctum Dominicum, qui mihi suaviter, unáque ardenter dixit: Ingredere, Anima, ingredere Anima per istã gloriam DEI, & noli metuere, ipse enim te adjuvabit, & conservabit. Hoc audito, fui corroborata & confortata, atque permeavi celeriter illum mysticum igne, qui statim ac perveni ad conspectum illius Divini Solis, & Beati sancti Dominici, me incendit, tranformavitque in se, sicut fit ferro, quod impositum in ustrinam, prodit ex illa ardens, ac transformatum in ignem, virtute & calore, quem ab ipso suscepit. Mansi diu sic transformata, & unita meo DEO. Deinde ab Angelis, qui ibi aderant, & me fuerant comitati, sum ducta per totam illam gloriosam plateam, ac deducta paulatim per quosdam quasi gradus mysticos, donec me constituerent in meo loco, ubi mansi aliquomodo abrepta. Et quamvis modicùm ad me redierim, non perdidi tamen penitus eam unionem, nec illa desijt, sicut neque mea transformatio. Post tres autem vel quatuor horas, dum agerem cum DEO, redijt Beatus sanctus Dominicus ad me, dixitque mihi: Veni mecum, Anima, tertiò, in nomine DEI, & quia ipse ità statuit ac vult. Volo enim te habere convivam, ut mecũ edas de illo Divino cibo, quem Dominus DEUS Majestatis nobis præbet, & quo nos sustentat in æterna beatitudine. Fui statim ducta ad illam cœlestem Aulam, ubi vidi mysticam quandam & opiparam mensam, cui utrinque assidebant multi illi Sancti, quos videram prioribus duabus vicibus. Constabat hæc mystica mensa ex materia quadam valdè subtili & gloriosa; cibus, qui in illa erat, & quo vescebantur, ac sustentabantur, erat divinissimus & cœlestis: atque modo quodam sublimissimo elevati, acsi essent intenti altissimæ contemplationi, moventes se quàm gravissimè, tanquam extenderent manum ad cibum, magna cum reverentia, ac deinde illum ori imponerent, reficiebantur, explebantur, & satiabantur illæ beatæ Animæ, præstantiâ illius Divinæ Essentiæ DEI, qui eas reddebat beatas. Ego eram vicina Beato sancto Dominico, occupanti primum illius mensæ locum, qui conjecit in me oculos, datóque mihi quasi signo, jussit me appropinquare ad mensam; & subitò extendens manum ad eundem Divinũ cibum, admovit ipsum meo ori, imponens in illud buccellam Divini panis, ut mihi videbatur, per quam fui veluti repleta DEO, eidémque specialiter, & cum peculiaribus affectibus, atque cognitione ipsius magnitudinis, unita. Ità aliquamdiu fui constituta. Deinde me Sanctus expergefecit, dicendo mihi: Anima DEI, expergiscere nunc tantillùm, & sume ex mea manu hunc pretiosum & mysticum florẽ, ut illum auferas ex hac cœlesti mensa ad tuum angulum, qui tibi non solùm proderit ad confortationem, sed etiam ad recreandam & corroborandam tuam debilem naturam. Cúmque illum esset impositurus in meam manum, ego ipsam velociter retraxi, dicens: Non, benedicte Sancte,

ego non possum hoc modo, nec audeo accipere istum tam Divinum florem. Iterum Sanctus institit, ut illum susciperem, videnque meam tergiversationem, imposuit ipsum intimo meo pectori, quo fui corroborata, & quasi mihi restituta, ac tum me reverenter inclinavi & prostravi ante illam sacram mensam, ubi erat ipse DEUS, & ejus Sancti. Dominus mihi dedit suam sanctam benedictionem, atque ego rogavi illos Sanctos, præsertim verò sanctum Dominicum, ut orarent DEUM pro me, & pro omnibus, qui se commendaverant meis precibus, inprimisq; pro quibusdam ipsius filijs & filiabus. Cui postulato respondit Sanctus, se illi satisfacturum, in nomine Domini. Et statim me sancti Angeli reduxerunt ad meum locum.

§. III.

ALiquando manè, die Resurrectionis, se gloriosus sanctus Dominicus exhibuit spectandum oculis animæ, cum magna lætitia, & salutans me dixit: Det tibi DEUS Dominus noster felicissimum Pascha. Ego incitata desiderio, quo semper teneor, ut in dies crescant in bono, proficiántque ipsius Religiosi, dixi illi: Et tecum est, eritque semper Omnipotens DEUS, Beate Sancte. Det tibi Divina Majestas multos sanctos & beatos filios ex tua sacra Religione, insignes magna humilitate, & ardenti charitate, ac amore DEI, & proximi. Respondítque Sanctus: Faxit DEUS, ut ità sit, sicut dicis, propter suam infinitam Bonitatem. Tum elevavit oculos ad Cœlum, & disiunctis ab invicem manibus, fuit abreptus altissimâ contemplatione infinitæ Bonitatis Divinæ, quâ se dignatur communicare suis miseris creaturis, illásque inflammare suo Divino Amore, id quod tum videbat Sanctus. Ego dum illum aspicerem ità abreptum, sum passa ecstasim, contemplando ipsum, & vidi ex ejus sacris pedibus, manibus, ac pectore, prodeuntes lucidissimos & splendidissimos radios, qui illum adeò transformaverunt, ut totus appareret instar splendidi Solis. Postquam ità aliquamdiu mansisset transfiguratus, ostendens ardentem amorem DEI & proximi, quo flagrabat ejus pectus, redijt ad suam priorem speciè, & valedicens mihi quàm amantissimè, abijt in cœlum, deducentibus ipsum multis Angelis, cum magno honore & gaudio.

Aliâ vice, similiter optans felicem progressum Religiosorum ipsius, fui occupata à quodam timore, nè fortè pauci essent in his provincijs, ferventi & excelso spiritu præditi. Dum angerer hâc solicitudine, obtulit se videndum oculis animæ gloriosus sanctus Dominicus, amœnissimo vultu, & indicans, quòd me vellet solari, dixit mihi: Noveris, Amica, omnino inter meos reperiri Divino præditos spiritu, què tu bonâ voluntate tuâ desideras, atque pro tuo solatio volo, ut id videas: placeat tibi venire mecum. Subitò, in spiritu me duxit ad quoddam monasterium: cúmque me duceret per pulchrum claustrum, venimus ad grandem & elegantem Capellam, ubi substiti, dicente mihi Sancto: Mane hìc Soror, quia hìc tibi ostendetur, quod tibi promisi. Ingressus est Sanctus per portam Capellæ, usque ad gradus Altaris, & conversus ad portam, apud quam ego eram, aspexit peramanter ad utramque partem. Ego quando illum hoc modo vidi circumspicientem, etiam aspexi, & vidi utrinque eo modo, quo solent in choro, stantes suo ordine multos Religiosos ex Ordine S. Dominici, cum magno silentio, depositis caputijs, & manibus coopertis sub scapulari, cum magna modestia & collectione, atque quodam Divino & cœlesti spiritu. Abrepti erant in ecstasim, sublimissimè contemplantes Divinas perfectiones & opera infinitæ Potentiæ, Bonitatis & Sapientiæ Domini DEI nostri, ejusdémque attributorum, atque elicientes diversos actus, directos ad illud sacratissimum mysterium, quod contemplabantur, edebant omnes simul tam Divinam musicam & harmoniam, cujus argumentum erat cognitio, laus & amor DEI, ut illam nulla valeat lingua explicare. Aliquantò pòst isti sancti Religiosi, significantes, se absolvisse illud suum cœleste exercitium, se inclinaverunt usque ad terram,

terram, coram Beato Patre S. Dominico, qui ipsis est impertitus suam sanctam benedictionem quàm amantissimè, & erigentes se valde hilariter, propter gratiam, sibi à suo sancto Patre præstitam, discesserunt suo ordine. Deinde venit ad me Gloriosus Sanctus, dixitque mihi: Amica, vidistine hos meos sanctos filios? dic, quid tibi de illis videatur, déque eorum Divino Spiritu? Ego ipsi respondi, me speciali solatio esse repletam, quòd illos viderim, & visos mihi esse quosdam Angelos terrestres. Tum me Sanctus reduxit ad locum, in quo priùs fueram, & sum mihi restituta post illum raptum.

CAPVT XXII.

De alijs rebus notatu dignis, quæ illi evenerunt cũ Glorioso S. Dominico, concernentes ejus sanctitatem & curam, quam habet de sua Religione, déque alijs favoribus ipsi ab eo exhibitis.

§. I.

Die Gloriosi Patriarchæ sancti Dominici, vidi ipsum paulatim descendentem ex cœlo, ad eum modum, quo Sol exoritur & comparet. Comitabantur illum plurimi Sancti, ex ipsius sacra Religione, erántque tot, ut viderentur universum orbem replere. Inter eos veniebant multò plures Angeli, omnes quasi invicem permixti, tenentes in manibus luminaria geminato ordine, ritu supplicantium. In medio procedebat S. Dominicus, ornatus eleganti Pluviali. Hac ratione prodiverunt ex cœlo; & eadem procedentiũ pompa obibat totum mundũ, invisendo Conventus suæ sacræ Religionis. Substitit autem in Conventu sancti Pauli hujus Civitatis; ac deinde progressa est ad meum angulum, ut me quoque visitaret, mihique gratificaretur. Hoc autem tempore omnes Sancti & Angeli se conjunxerunt in quendam quasi maximum circulum, intrà quem stabat sanctus Patriarcha, portans aliquid in manu, quod ego tunc agnovi, atque in meo cubiculo; & non longè à me idem Sanctus provolutus in genua, compositisque manibus sustulit oculos ad cœlum, & oravit dicens: Magnas tibi ago gratias, DEUS ac Domine mi Omnipotens, infinite & æterne, pro exhibito mihi singulari favore ac misericordia, quòd me elegeris, & assumpseris in instrumentum, quamvis debile, & infirmum, ex mera tua Bonitate, ut essem Pater tot Sanctorum filiorum, & Moderator hujus sacræ Religionis, quam tu instituisti ac fundavisti, pro universali bono totius tuæ Ecclesiæ Catholicæ. Sis benedictus in æternum, quòd mihi dederis tot sanctos filios, tantámque à tua potente manu sim assequutus gratiã. Completâ hac oratione surrexit, & magis mihi appropinquans, salutavit me dicendo: Bene sit tibi, Soror nostra, Dominus sit tecum; esto bono animo, confortare in Domino inter tuas afflictiones & cruciatus, quos pateris pro ipsius Majestate; erunt enim breves, & quantocyus finientur; bona verò quæ speras, téque manent, sunt æterna. Atque etiam alia mihi dixit, pro magno solatio, quibus fui vehementer recreata, & animata ad patiendum. Ego veni (addidit) nomine DEI, & meo, ad te invisendam, adferendúmque hoc donum, quod tibi Dominus mittit, quódque te corroborabit & confortabit, pro sustinenda tua Cruce. Et extendens manum posuit intrà meum pectus, diductis meis vestibus, illud quod ferebat in manibus; atque erat gratiosissimus olivæ ramus. Surrexi ac procubui ad pedes sancti Patriarchæ,

chæ, gratias illi agens pro exhibito mihi favore, & quòd me esset solatus, attulissétque mihi tale donum.

§. II.

ALiàs agens cum DEO (in Augusto anni 1622.) circumspexi, & vidi venientem sanctum quendam Beatum ex Ordine sancti Dominici, qui graviter & paulatim introivit in meum cubiculum. Consedit in quadam sella mystica, & post ipsum stabant circiter duodecim Religiosi ejusdem Ordinis, ex etiamnum viventibus in mundo, exhibentes indicia magni honoris, quo ipsum prosequerentur. Ego illos non agnovi, neque sum intuita eorú vultum. Fui turbata, more solito. Postquam me Sanctus vidisset quietam, tunc dixit Religiosis: Filij, procedite ulteriùs, & attendite, quid sim quæsiturus ex hac DEI famula, ac audite, quid sit responsura. Duodecim ij Religiosi, appropinquaverunt quàm humillimè meo lecto, inclinantes se profundè, & præ reverentia coram Sancto prosternentes, quos Sanctus jussit surgere. Cùm ità illi, unáque ego sedulò attenderemus, vidi Sanctum ponentem manus ad latus sellæ, quasi habiturus esset ad nos sermonem. Cœpit autem sic loqui: Dic Soror, Famula DEI, mihi, & his ejus servis, quomodo bene applicabimus Ordini sancti Dominici verba dicta à Domino, quando vocavit quosdam è suis Discipulis ad suam scholam, & Apostolatum: *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum*, quæ est interpretatus linguâ vernaculâ. Ego istâ interrogatione fui pudefacta, & dixi: Quomodo sancte Pater id ex me quæris, cùm sim rudis muliercula? Tu certè scis meliùs applicare, quod dicis? Sanctus autem respondit: Noli verecundari, Soror nostra, neque recusa dicere, quod te interrogo; quia DEUS frequenter eligit infirma mundi, ut confundat fortia, & quod dices, non erit tuum, quia DEUS te docebit, quid tibi sit dicendum. Ità fui animata, ac dixi: Existimo, Sancte Pater, quòd sequi Christum Dominum, sit ipsum imitari, insistendo ipsius vestigijs, & viæ crucis ac humilitatis, atque contemptus mundi. Ubi id factum fuerit, statim sequitur, quod Dominus promittit: *Faciam vos fieri piscatores hominum.* Hoc mihi Dominus inspiravit, priusquam responderé. Audivit meum responsum Sanctus, dixitque: Optimè profectò locuta es. Et vertens se affabilissimè ad Religiosos, agensq; cum ipsis tanquam cum filijs, dixit illis: Hoc vos oportet facere, & mandare exequutioni. Ite in mundum universum, ac loquimini in aurem omnibus nostris, imbuendo ipsos hac doctrinâ, & Dominus vos faciet piscatores animarum. Tum replicui: Quomodo verò debent isti Patres perambulare totum mundum, ut hoc dicant in aurem omnibus suis fratribus, qui sunt per illum dispersi? Sanctus reposuit: Optimè, si id dixerint omnibus, qui ipsis occurrerint, & conati fuerint ità vivere, atque relucere tali exemplo, sanctitate ac imitatione Christi Domini, ut fama virtutis ipsorum perveniat ad aures absentium. Obstupui his auditis, & aspexi Sancti manus superimpositas sellæ, ac vidi ex ipsis exorientes quasi duos Soles splendidissimos, qui eam sellam illuminabant, reddebántque splendidam. Tunc elevavi oculos, ut intuerer vultum Sancti, & vidi esse sanctum Patriarcham Dominicum. Procubui ad ipsius sacros pedes, volens illos exosculari, ex quibus prodiverunt alia duo lucida ac admirabilia lumina; ex ejusdé sancto pectore promicabat aliud longè majus, quod mirum in modum exornabat totam ipsius sacram faciem & corpus. Sanctus mihi dixit: Filia mea, & Soror, surge, surge. Et imposuit quàm gravissimè suas sacras manus meis humeris, acsi me vellet elevare, cúmque me erigerem à sacris illis pedibus, injecit in meum collum quoddam pretiosissimum Rosarium, ex purissimo & splendidissimo auro, dixitque: Accipe, Soror, & suscipe hoc cimelium, quod tibi adfero Nomine sanctissimæ Virginis Dominæ Nostræ, à qua tibi mittitur me petente, ut mihi, atque unà tibi gratificetur. Mirata sum, videns tam pretiosum donum ac Rosarium, & surrexi, agens magnas

magnas gratias meæ Dominæ, ac sancto, pro tam singulari favore. In quovis grano Rosarij erat exsculptum aliquod mysterium ex dolorosis, gaudiosis, & gloriosis Christi Domini, neq; solùm erant exsculpta, sed etiam prædita quadam virtute, quam ijs Dominus indiderat, ut propterea vehementer obstupescerem. Sanctus jussit Religiosos à me abire, quod illi fecerunt cum magna humilitate, inclinantes se profundè coram Sancto, & Sanctus ipsis dedit suam benedictionem, quam & mihi est impertitus, valedicendo mihi peramanter, & blandè.

De alijs Rosarijs, quæ iste Gloriosus Sanctus ipsi dedit nomine Beatissimæ Virginis, dicetur in fine hujus libri.

§. III.

ALio anno, in suo Festo, me dignatus est invisere gloriosus Pater sanctus Dominicus, dixitque mihi: Dominus sit tecum, Soror nostra, quid habes, quòd sis adeò afflicta ac desolata? scias velim, me venire, ut tibi gratuler nomine DEI. Auditâ hac voce gratulationis, reliqui Sanctum, & recurri, quasi fugiendo, ad DEUM, cum meis timoribus, petiviq; ab eo lumen & gratiam, pro agnoscendis ipsius veritatibus, & Dominus mihi dixit: Noli timere, perge ad meum Sanctum, & audi, quod meo nomine tibi dicturus est. Postquam id audivissem, in momento redivi ad Sanctum, & ille magnâ charitate, quâ inter omnes Sanctos eminet, id quod mihi significavit DEUS, atque amore, comitate, ac suavitate singulari, diducendo brachia, mihi dixit: Soror, quid times? non recordaris, quid dixerit sanctus Propheta: *Dicite justo, quoniam bene.* Verum respondi: Sancte Pater, ego non sum justus, ideóque ipse non loquitur mecum. Bene est, dixit Sanctus, neque ego nunc dico, te esse talem; sed assero nomine DEI, tibi bene futurum in vita, bene quoque tibi cessura omnia in afflictionibus, bene in consolationibus, & bene in universis, quæcunq; fueris aggressa. Atque in hunc modum sumus loquuti alia. Addidit autem Sanctus, se id ipsum gratulari suis filijs & filiabus, quas ego noveram, nominando mihi sex Religiosos & duas Moniales, quibus ego familiariùs sum usa, ex ejus Ordine, non exclusis alijs. Dixit præterea Sanctus: Felicissimus fuit dies, quo assumpserunt meum sanctum habitum, & felicissimus erit dies, quo migrabunt ex hac vita, (significans illos omnes bene morituros, in Domino,) verùm cavesis, nè hæc bona nova, ac felicem finem indices ijs personis, longè verò minùs Monialibus, quia hoc pro tuo duntaxat dico solatio, quamvis ea de re bene possis unum reddere certiorem.

§. IV.

ALiâ vice, fui ducta in spiritu ad Sanctum Paulum, eo die, quo erat eligendus Prior (in Julio anni 1606.) & cùm essem apud portam Claustri, quâ solent egredi supplicationes, vidi prodeuntem solennem quandam processionem Religiosorum, qui omnes erant adscripti catalogo Beatorum, intermixtis Augelis DEI, tendentium Capitulum versus, & concinentium Divinas laudes. Gloriosus Pater sanctus Dominicus procedebat in medio, deducens alios ante, alios autem post se. Postquam pompa pervenit ad Capitulum, Sanctus dedit benedictionem ei loco, & ibidem sepultis. Ego ibam unà in processione ultimo loco, ità ut omnia viderem, quæ fiebant. Postquam pervenissemus ad Refectorium, quod adhæret uni anteriori muro Claustri, cogitabam, quòd sanctus Pater illud non secùs esset benedicturus ac Capitulum. Cùm autem eam benedictionem intermisisset, rogavi illum instantissimè, ut id faceret, & Sanctus mihi nihil respondit, sed arrisit me. Verùm videns hoc ab eo non fieri, procubui ad illius pedes, quasi ipsum propterea detinendo. Et Sanctus processit ulteriùs, neglectâ illâ benedictione, pertransivitque supplicatio reliquum Claustrum, donec perveniret ad sacellum majus; quod ingressi induerunt sanctum Patriarcham eleganti pluviali, & ipse dixit Orationem. Tum accessi Sanctum, rogans illum denuò, ut benediceret

Refectorium. Qui dixit, se id non facturum, eò quòd in eo committerentur nonnulli excessus à juvenibus, appetentibus alia, quàm illic præbeantur, quamvis non essent graves. Ego replicui: imò vel ideò, sancte Pater, ne committantur; noluit tamen, sed dixit, se missurum, qui illud benediceret. Misitque duos ex ijs sanctis Patribus, qui ipsum comitabantur, & unũ ex illis agnovi, esse sanctum Fratrem Ludovicum Bertrandum, simúlque sanctos duos Angelos, qui tandem benedixerunt illud Triclinium. Postea mihi indicavit, quis futurus esset Prior; & alia huc spectantia. Aliàs, cùm fuissem rogata, ut commendarem DEO electionem Provincialis, feci id, & feriâ sextâ ante electionem, vidi gloriosum Patrem sanctum Dominicum, ornatum Albâ ac Stolâ, sinè Casula vel Pluviali, atque multos cum illo Sanctos ex ejus Ordine, tum in Sanctorum numerum jam relatos, tum non canonizatos. Tenebat Sanctus in manu librum, in quo erant scripti omnes ipsius Fratres, quem lustrabat, quasi aliquid in eo quærens, dicebátque ad cæteros Sanctos: Quis erit Provincialis? Omnes autem dicebant, se probaturos, quod Sanctus decerneret. Sed Sanctus Pater nihilominus illos denuò interogabat: Quis ex istis erit Provincialis? Qua in re præterijt aliquid temporis, donec sanctus Thomas de Aquino accessisset ad librum, indicavissétque unum digito: & gloriosus Patriarcha ratam habuit designationem, dixitque esse idoneum.

§. V.

Aliâ vice, in fine Quadragesimæ (anno 1610.) fui ducta ad quendam grandé Conventum Ordinis Sancti Dominici, ubi vidi Gloriosum Sanctum cum multis Sanctis ex ejus Ordine, multisque Angelis, inter quos ibat quædam magna Domina, cum comitatu multorum Sanctorum, qui omnes visitabant illum Conventum, & ingrediebantur cellas Religiosorum, impertiebantúrq; suam benedictionem Religioso in illa dormienti, quin tamen ipsũ expergefacerent; quæ res diu duravit, eò quòd esset Conventus magnus: Tantùm non sunt ingressi duas, tresve cellas, & fui propterea vehementer afflicta, rogavique Sanctum, ut inviseret etiam illos Religiosos. Sanctus id noluit facere, & dixit: Noli affligi, quia isti Religiosi hoc à me non sunt promeriti: ego enim eos visitavi, & intellexi, esse valde negligentes in suo ordine.

Alio suo Festo (anno 1616.) me invisit Sanctus graviter ægrotantem, dicendo mihi, placiturum sibi, si adirem ipsius Ecclesiam sancti Pauli. Quamvis me excusaverim, confugerímve ad DEUM pro meo more, mei sancti Angeli mihi dixerunt, id debere fieri; & statim me erexerunt in pedes super terram. Induerunt me quadam quasi candidâ lineâ tunicâ, & pallio cæruleo; pedibus autem imposuerunt quosdam quasi textos calceos, dixerúntque mihi: sic bene perges, gestando insignia Conceptionis sanctissimæ Virginis. Inceperunt me ducere, & advertebant me descendere per gradus proprijs pedibus, ac incedere per plateam, quamvis cum difficultate, atque defatigatione. Ibant autem mecum duo Angeli, quorum unus me antecedebat, alter sequebatur. Cùm pervenissemus ad Ecclesiam, aperuerunt magno impetu portas, quantùm aperiri poterant: prodiitque ad me excipiendam gloriosus Sanctus Dominicus, gaudens me advenisse. Intravi Ecclesiam, quæ mihi visa est penitùs nova, & valde magna, instar alicujus navis. Habebat lucem quandam extraordinariam, majorem lumine candelarum, & lampadum, quâ tota mirum in modum illustrabatur, quamvis esset media nox. Persolutâ oratione iterum abivi, & postquam essem egressa, fuerunt clausæ portæ, atque sicut anteà perveni ad meam domum fatigatissima.

Istud iter solùm fuit peractum in spiritu, quia dum illa diceret sanctis Angelis: Domini, cùm sim hîc, bonum esset consequi Indulgentias; *Ipsi responderunt:* Non venisti huc ideo. *Et verò, credibile est, quòd si venisset corporaliter, sicut illam aliàs duxerunt*

xerunt ad consequendum Jubilæum Portiunculæ, fuisset permissa onere pro ijs lucrandis.

§. VI.

VErùm adjungamus huic dulcedini acerbitatem justi rigoris, quem vidit in Sancto. Vidi, *ait*, ex meo lecto Cœlum apertum, & magnum istum Patriarcham, cum multis Sanctis sui Ordinis, indutos albo habitu, in quo erat signum quoddam nigrum supra pectus. Sanctus erat vestitus Sacerdotaliter, & cum suis filijs constitutus coram DEO, oravit hunc in modũ: Obsecro te, Domine, per merita tui Filij Unigeniti Christi JESU, tolle ex mea Religione, sive per mortem, ità ut salventur, sive eo modo, quo tu volueris, illos superiores, qui non observant in electionibus statuta, sibi à me tuo nomine relicta, dum non moventur intentione, & puro zelo gloriæ tuæ, sed aguntur alijs particularibus respectibus. Præterea eos, qui puniunt subditos, illósque affligunt, non ex puro zelo Justitiæ, sed propter alios fines sinistros. Atque tum vidi multos hujusmodi afflictos, & aliquos agnovi, qui invicem colloquebantur, consolantes se, & animãtes ad tolerandam suam afflictionem.

Hoc eodem rigore egit etiam Sanctus quadam vice, cum ipsamet Venerabili Marina: Dum, *inquit*, audirem Sacrum, quodam ejus Festo, in aliquo Monasterio ipsius Ordinis, comparuit mihi Gloriosus Sanctus, & modo quodam subaspero mihi dixit: Amica, quâ ratione permisisti hodie turbari adeò tuum animum, & nonnihil intepuisti in affectu erga me, & meum Ordinem? Dic age, quâ ratione id facias, Amica? His verbis prolatis, cum eo modo reprehensionis, fui tantopere afflicta & confusa in mea anima, ut si id diu duravisset, putem, me penitus defecturam fuisse. Fui per horam quasi muta, quâ elapsâ, mihi DEUS dignatus est reddere usum linguæ. Incepi flere, & petere ab eo veniam. Atque ecce Sanctus transivit ad sinistrum cornu summi Altaris, ubi illum susceperunt sex Sancti ex ejus Ordine, & ipso jubẽte, me adduxerunt prope illum quatuor sancti mei Angeli Custodes. Tum derepente vidi venientem sanctum Patrem Ignatium, cum quibusdam Sanctis sui Ordinis, quem gloriosus sanctus Dominicus excepit cum meo gaudio; & ego fui recreata ipsius aspectu: quia ille me amantissimè intuebatur. Interea venit Christus Dominus cum comitatu multorum Beatorum Spirituum, & consedit ad dexteram partem Altaris, aspiciens inde cæteros Sanctos, qui stabant ad latus sinistrum, & me inter ipsos, cúmque vidisset meam afflictionem, dixit Glorioso sancto Dominico, ut me consolaretur, quod Sanctus fecit, abblandiendo mihi, & imponendo extremitatem unam sui habitũs meo capiti; atque petente sancto Patre Nostro Ignatio, mihi dedit suam benedictionem; quo facto, Angeli me inde abduxerunt ad locum Ecclesiæ, in quo priùs fueram. Incepit Concio de Festo. Audivi laudes Sancti, & ipsius Ordinis, atq; alios quosdam discursus, qui licèt essent boni, non erant tamen fundati in tam perfecta humilitate & charitate, qualem Sanctus optavisset, quod ostendebat se improbare, & ægrè ferre, quamvis Beatus sanctus Ignatius fuerit conatus ipsum placare: & in fine Sacri illum rogavit, ut bene precaretur suis filijs, quod Sanctus fecit, postquam priùs benedictionem accepisset à Christo Domino, qui ad hæc omnia tacebat, utpote permittens unumquemque fungi suo officio.

CAPUT XXIII.

Quomodo viderit gloriosum Sanctum Franciscum & ipsius stigmata, nec non eminentem ejusdem Sanctitatem.

Voluit quoque DEUS, ut hanc suam Famulam interdum visitaret Gloriosus Patriarcha Sanctus Franciscus, patefaciendo illi suam sanctitatem, & sublimitatem virtutum, ac inprimis humilitatis, quæ in eo præ cæteris relucebat.

§. I.

DUm, *ait*, quodam die loquerer cum Sancto Patre Nostro Ignatio, qui dignatus fuerat mecum diutissimè conversari, vidi quòd se erigeret ex sella, in qua sederat, ut exciperet Gloriosum sanctum Franciscum, venientem cum quatuor vel quinque Religiosis sui Ordinis, magnâ reverentiâ ac humilitate ipsum comitantibus. Et postquam sanctus Pater Noster illam valde hilariter excepisset, consedit Gloriosus sanctus Franciscus in sella ejusdem coloris cum habitu, quem gerebat. Erat is ex materia quadam cinericia, quæ tamen non videbatur esse texta nostro modo, sed quasi miraculosa, & profecta ex cœlo. Habebat vultum vehementer sui afflictatione emaciatum, & exhibebat in eo quandam sanctam ac profuudam animi demissionem; pedibus erat nudis, in quibus etiam apparebat sanctitas, ac puritas animæ ejus. Ipso conspectu fui repleta ingenti solatio, verùm tanto suffundebar pudore, adeóque erubescebam coram illo glorioso Sancto, ut vix auderem ipsum intueri: neque mihi videbatur fieri posse, ut ille veniret ad me visitandam, sed existimabam ipsum procul dubio venisse, ut assideret Nostro sancto Patri: propterea ego tantùm accedebam ad latus Nostri sancti Patris Ignatij, qui me aspiciebat subridendo, & intuitus gloriosum sanctum Franciscú corridebat illi, quasi ei diceret: Quàm ista est verecunda & meticulosa? Tunc sanctus Franciscus dixit: Quisq; agnoscit suos, séque ijs associat. Sanctus autem Noster Pater me jussit transire ad latus illius gloriosi Sancti, susciperéque ipsius benedictionem. Surrexi, & prostravi me ad ejus pedes, petivíque ab eo facultatem illos osculandi, quod Gloriosus sanctus Franciscus admisit, & osculata sum pedem ipsius sinistrum, qui erat in ea parte, quâ accesseram, in quo habebat sacrum vulnus instar vulnerum Christi Domini, quod potiùs videbatur esse pretiosa quædâ & pulcherrima rosa, quæ recreabat oculos animæ, quàm vulnus horroris aut doloris. Affecit me id summo solatio. Postquam autem surrexissem, quodammodo conquerens, dixit mihi: Quare nunquam voluisti meminisse rerum concernentiú meos? Fui vehementer turbata hoc audito, quia non memineram commissæ ullius culpæ; cúmque sim adeò debilis, sensi grave nocumentum, ac dolorem capitis. Rogavi Sanctum, ut mihi manifestaret, in quo deliquissem. Quod fecit. Et respondi illi cum magno pudore, dicendo ipsi: Quid ego poteram hac in re præstare, cùm mihi DEUS non dederit specialius lumen, ut scirem, quid à me in isto negotio vellet fieri? Sanctus tacuit, & non me redarguit ampliùs, eò quòd paterer tantum capitis dolorem; atque ità mihi fuit sublata turbatio, quam senseram, Rogavi Sanctum, ut me dignaretur sublevare. Surrexit ex sella, in qua sedebat, me flectente ad ipsius latus, & superimposuit manicam sui habitús meo capiti; quod continuò convaluit, fuitque liberatum ab illo dolore. Surrexi, ac transivi iterum ad latus mei Sancti Patris.

§.II.

§. II.

ALiàs, cùm ægrotarem, & vehementer affligerer, memor Gloriosi sancti Francisci, dixi DEO: Amem te ego, Domine, quemadmodum te sanctus Franciscus diligebat, veniántque afflictiones ac desolationes, quas volueris, quamvis id non dicam, ut mihi des, quod ipsi dedisti. Divina Majestas mihi respondit: Putásne ullum, quantumcunque faciat, ut vel minimùm proficiat, id posse præstare, nisi ego velim, ipsúmque adjuvem? aut nunquid existimas, casu hos potiùs eligi, quàm alios, ut ipsos repleam bonis, conferámq; ipsis extraordinarias gratias, nullâ aliâ motus ratione, prout possem facere, quàm tantùm, quia mihi placet; sicut faciunt Reges ac Domini terreni, qui nemini inferendo injuriam, favent cuipiam suo Clienti, in quo sibi complacent, & non alteri, conferúntque per illum gratias quibus volunt, & non alijs? Non ità se res habet, quia ad id moveor occultis rationibus, ac finibus meæ infinitæ Sapientiæ. *Dixitq; illi in hanc rem multa præclara, quæ mihi videbantur esse prætermittenda, eò quòd non valerent pro omnibus, sed neque apta essent libro excudendo typis linguâ vernaculâ.*

Immediatè postridie ex voluntate ipsiusmet DEI, venit gloriosus S. Franciscus ad me invisendam, solatúsque est me verbis ac alloquijs admirandis, agendo de excellentia Patientiæ, ac de thesauris in illa reconditis, quos tantùm exploratos habet is, qui bene patitur. Et quasi expertus loqueretur, ostendit mihi manus cum stigmatibus, tanquam pro testimonio atque confirmatione suorum dictorum, animando me vehementer ad patiendum. Dum loqueretur, adverti, quòd Sanctus penes se haberet puerum, vestitum habitu sui Ordinis, & gerentem quoddam signum Angeli, dicebátque ipsi: *Sancte Pater Francisce, ora pro ea;* quod aliquoties iterabat. Et fuit mihi indicatum, illum puerum esse quendam meum nepotulum, qui obierat septem vitæ mensibus exactis, & matre ejus volente, fuerat vocatus Antonius, ob devotionem, quâ ferebatur erga sanctum Filium sancti Francisci, cui ipsum obtulerat, priusquam nasceretur, quam oblationem Sanctus acceptaverat. Quod autem ille parvus Angelus ab ipso petebat ijs verbis, intelligebam esse, ut me consolaretur, quemadmodum faciebat, ideóque mihi ostenderet sublimem locum, quem in cœlo obtineret, propter ea quæ fuerat passus. Id quod ipse fecit, ducens me secum in spiritu ad cœlestem civitatem, ubi vidi sedem Sancti, quæ erat admirandæ altitudinis, & eminentiæ, unde intellexi, illum meritissimè appellatum fuisse Seraphicum ab eo, qui ipsi hoc nomen indidit, quod illi omnino debetur.

Aliâ vice (tertiâ Maji anno 1617.) cùm vehementer affligerer à meis doloribus, vidi in quodam magno campo grandem & pulcherrimam Crucem. Venit ad illam quidam Sanctus, qui ipsam adoravit, & postea sibi imposuit. Is mihi videbatur jam esse Christus Dominus, jam verò sanctus Franciscus. Incepit progredi cum Cruce, à qua vehementer gravabatur; fatigatus, quievit modicùm; iterúmque se illâ oneravit, donec præ lassitudine cogeretur subsistere, & secundò quiescere. Dum illi esset descendendum per paucos aliquos gradus, sentiebat ingentem difficultatem, atque adeò majorem, quàm unquam aliàs, ac tum vidi ad ipsum venientes alios, quasi ex ejus Religione, qui illum adjuvabant. Vbi descendit ex gradibus, deposuit Crucem, quam sustulerunt, qui advenerant, & Sanctus subitò incepit lætissimus ascendere ad Cœlum. Quando ad me redij, eram afflicta, ignorans quid accidisset, cúmque optabam esse immunis ab illusione, dixit mihi DEUS: Is, quem vidisti, est servus meus Franciscus, constitutus in quadam sua molesta afflictione interna, quâ majorem & graviorem non sustinuit; adeò ut agnoverit, se indigere suorum Religiosorum auxilio, & solatio. Quod illum videris ascendentem ad Cœlum, factum est, ut intelligeres, quantopere mihi placeat patientia, & quid per illam possit comparari meriti, ut idem consequaris. Quod ipsum ità videris, ut existimares, jam illum esse, jam me, significat, quòd in his San-

ctorũ apparitionibus, aliquando ſim ego, qui loquor, & per illos operor, aliàs Angelus loco Sancti, dicendo & faciendo, quod diceret vel faceret Sanctus tali occaſione: aliàs verò ſit ipſemet ſancti Spiritus. *In quibus verbis bene ſunt notandi tres modi talium apparitionum.*

§. III.

VOluit quoque DEUS, ſi non integrè, ſaltem aliquatenus ſatisfacere deſiderio, quo ferebatur ad ipſum amandum, ſicut illum amavit Glorioſus Sanctus Franciſcus, in cujus Feſto (anno 1620.) Poſtquam, *ait*, communicaviſſem, vidi intrà me ipſam, non abſq; peculiari lumine & ſolatio meo, Majeſtatem DEI Domini noſtri, Trini in Perſonis, & Unius in Eſſentia, ſimúlque Chriſtum JESUM Dominum noſtrum, ac Beatum Sanctum Franciſcum, modo ſpiritualiſſimo & arcaniſſimo, quod me notabili admiratione affecit. Ac tum Chriſtus Dominus adducens me ad Beatũ Sanctum Franciſcum, tangénsque ipſius vulnera manuum & pedum, ac lateris, ejusdémque pectus & caput, mihi modo quodam Divino infudit & communicavit, atque contulit ipſius magna merita, & ſpiritum; ità ut mea anima ſibi viſa fuerit complecti theſaurũ fragrantiſſimi & pretioſiſſimi ſuaviſſimique odoris, ejúsq; adeò reddita fuiſſe particeps, ut is illam totam intimè quaſi permearet, evaderétque velut ipſi proprius & naturalis. Deinde dixit Dominus: Anima, reddidi te ità, ſicut vidiſti, participem admirandarum virtutũ, & ſpiritûs mei ſervi Franciſci, quæ omnia proveniunt habéntque ſuam vim & pretiũ ex meo ſanguine, fuſo per mea vulnera, & ex meis inæſtimabilibus meritis, ut proinde id, quod in te peregi, ſit opus primariò meum, & quædam quaſi deſponſatio ſpiritualis, in qua ego tibi trado ac dono has divitias ſpirituales, & virtutes. Neque ſolùm ego ipſe tibi præſto iſtam gratiam; ſed volui præterea, ac rogavi meum ſervum Franciſcum, ut tanquam meus ac tuus amicus, tibi etiam ille, quoad poteſt, offerret ſimiliter iſtâ occaſione aliquid ex bonis ac theſauris Divinis, quos à me accepit, quemadmodum ſolent facere amici, qui taliter in meo nomine conveniunt; id quod nunc præſtitit, ex mea Divina diſpoſitione. Hoc mihi magnopere placuit, fuitque gratum. Et poſtquam Dominus id dixiſſet, Beatus S. Franciſcus, præſeferendo ſpeciale gaudium, propter illud opus DEI, mihi dixit magna cum charitate, & modeſtia, ac ſancta lætitia: Jam, Anima & creatura DEI, cum iſta gratia & miſericordia, quam tibi præſtitit Dominus, ſicut & me dignatus eſt hoc favore, manebis deinde Soror noſtra ac filia in Domino, ſiquidé illi placuit pro ſua bonitate; & quia eſt, qui eſt, te ſecum unire, tibíque conferre ſua dona, & facere te participem in omne futurum tempus eorum, quæ mihi dedit & contulit, & quæ ipſo opitulante promerui, patiendo ac obtinendo in vita mortali, quantum in me erat, perfectionem vitæ Evangelicæ. * Propter hoc dictum anima mea fuit perfuſa ſingulari ſolatio, & concepit peculiarem affectum ac devotionem erga Beatum Sanctum Franciſcum.

§. IV.

IN alia gravi afflictione (anno 1613.) mihi ſpectabilis glorioſus adfuit S. Franciſcus, dixitq; pro me conſolanda: Vellésne venire mecum, & videre meum corpus? quia iſti tui Angeli te ducent. Ego tergiverſabar more conſueto, & recurri ad Chriſtum Dominum, qui me animavit ad eundum. Et in momento me ſenſi duci in ſpiritu ad quendam locum remotiſſimum, ac vidi corpus Glorioſi Sancti, inſiſtens pedibus. Habebat unum pedem totâ plantâ collocatum in terra; & alterum quaſi extremitatibus digitorum eidem innitentem; atque in illis vulnera; uti etiam in manibus, quas gerebat expanſas. Non animadverti vulnus lateris, eò quòd corpus eſſet veſtitum ſuo habitu. Volui me humi proſternere, optans exoſculari illos ſacros pedes; & Sanctus movit paululum pedem, qui digitorũ extremitatibus contingebat terram, adeò ut ego cohorruerim, ac receſſerim. Et poſtquam ibi aliquam-

quamdiu mansissem magno affluens solatio, reperi me in eo loco, in quo antea fueram.

Die Sancti Bonaventuræ (anno 1615.) me dignatus est Sanctus invisere, & cùm loquutus quædam fuisset ac fecisset, non expectatis meis responsis, dixit mihi: Soror, veni mecum, apprehensóque meo brachio duxit me in spiritu ad Oratorium, ubi vidi gloriosum Sanctum Franciscum, vestitum suo habitu, discoopertis vulneribus pedum, & manuum ac lateris, & abreptum, in altissimam contemplationem. Contulit mihi DEUS speciale lumen, ad agnoscendas ipsius magnas virtutes; & quia pro illis singillatim intelligendis illuminabar, sanctus Bonaventura mihi dicebat: Ecce hæc est profunda humilitas; hæc est vera paupertas; hæc est sincera devotio. Interea audivi Dominum dicentem sancto Francisco: Quare hîc dormis? Expergiscere. Volo enim tibi ostendere, quàm malè sit constitutus mundus. Et cùm Sanctus fuisset expergefactus, quasi reverteretur ad se ex magno quodam métis excessu, manifestavit illi DEUS, unáque mihi, per singularem illustrationem, malum statum Regnorum; non patefaciendo mihi speciatim quisnam esset reus, & author hujus miseriæ. Tum gloriosus S. Franciscus incepit obsecrare DEUM, ut averteret hæc mala, propter merita Christi JESU Domini nostri, ac deinde Beatissimæ Virginis, nec non sancti Bonaventuræ, ac tandem ei allegavit exigua obsequia, ipsi à se præstita. Hanc petitionem Dominus sibi ostendebat displicere, videbatúrque eam rejicere. Verùm Sanctus prosequebatur suas preces. Atque tum, novo quodam modo raptûs, me inveni cum ijsdem Sanctis, & meis Angelis in cœlo ante thronum Divinæ Majestatis, aliquantùm remotam. Et præcedebant me multi cœlestes Aulici. Tum mihi dixerunt mei Angeli: Postula etiam tu remedium illius necessitatis. Sed respondi illis: Cùm petierit sanctus Franciscus, & non fuerit exauditus, quamvis allegaverit tot titulos, quâ ratione mihi id erit petendum? dixerunt autem mihi, ut nihilominus peterem. Incepi igitur orare quàm ardentissimè ac instantissimè, & quasi desiderabam appropinquare Divino throno, ut orarem vicinior, sed non poteram. Dixítque mihi DEUS, videns me adeò solicitam: Quid habes? quid petis tam ferventer? Ego respondi; iterando easdem petitiones. Tunc vidi Christum JESUM Dominum nostrum, postulantem à suo Patre æterno, ut me audiret, & dato signo meis Angelis, ut me adducerent, illi mihi viam paraverunt per omnes, méque collocaverunt juxta thronum DEI, ubi ipsum valde ardenter rogavi, ut averteret hæc mala. Respondit mihi autem DEUS: Non sunt dispositi ij, pro quibus intercedis, ut illis præstetur ista gratia; & æquè necesse est, ut locum suum habeat Justitia, ac Misericordia. Quod te petere oportet, est, ut habeant hanc dispositionem. Accepto hoc responso, denuò aspexi Christũ Dominũ in diverso raptu, amando ipsum impensè propter illum mihi exhibitum favorem. Et subitò me reperi in Oratorio, ubi anteà fueram cum Glorioso Sancto Francisco: prostravi me ad ipsius pedes; Sanctus autem illos removit ac retraxit; & paulò post cùm alio raptu me inveni in meo lecto, sicut soleo.

§. V.

Verùm ut appareret felicitas Religiosorum, quòd habeant tam sanctos Fundatores & Patronos, quorum duntaxat intuitu ipsis DEUS interdum confert magna bona, exhibuit illi DEUS sequens spectaculum, partim quidem horridum, partim verò jucundum. Quodam Festo, *ait*, sancti Francisci, summo manè (anno 1614.) conspexi oculis animæ in cœlo arcum similem ei, qui formatur in nubibus, cessante pluviâ, supra quem commeabant aliqui Angeli, & sub illo vidi pendentem quendam Religiosum, qui erat indutus habitu proprio Religionis, atque dæmones ad ipsum ascendebant, infligebántq; illi nonnullos ictus, quos ille ostendebat se patienter tolerare. Vehementer aversabar hoc spectaculum, & stupebam, tale quid fieri in Cœ-

in Cœlo. Verùm mei Angeli mihi sustulerunt errorem, dicendo, hos arcus non efformari in cœlo, sed sub illo, ubi sunt nubes. Deinde vidi venientem Gloriosum sanctum Franciscum, cum multis Sanctis, qui consedit in quodã gloriosissimo throno; ac tum ibidem comparuit Christus JESUS Dominus noster, Judex vivorum & mortuorum, cum magna majestate, & quæsivit ex ipso, noscerétne illum Fratré, & essétne ipsius? Sanctus respondit, se ipsum non novisse, nec habere pro suo, eò quòd sit valde superbus, arrogans & appetens honorum. Quamvis autem hoc responsum fuerit conforme Justitiæ, tamen Christus Dominus respexit viscera misericordiæ, quibus erat præditus Sanctus, dixítque illi: Nihilominus propter tua merita, misereor ipsius, & volo illi concedere tempus, ac locum pœnitentiæ, ut se emendet. Subitò vidi, quomodo fuerit inde depositus, ubi pependerat, & ablatus. Intellexi autem, illum fuisse quendam Religiosum ægrotum, constitutum in periculo mortis & damnationis; atque propter merita sui sancti Patris fuisse tam à morte, quàm à damnatione liberatum.

Eodem die pòst, vidi eundem Sanctum cum Gloriosis sancto Dominico & sancto Ignatio; & loquuta sum cum singulis specialiter; Gloriosus autem Sanctus Franciscus mihi dixit: Teneris diligenter commendare Domino meam Religionem, siquidem ipse te, & me, induit eadem veste, quæ sunt sacratissima ejus vulnera, quamvis cum hoc discrimine, quòd mea fuerint manifesta, & tua sint occulta, qualis est in capite cicatrix tecta capillis. Postea fui ducta in spiritu ad Cœlum, cum his tribus sanctis Patriarchis, & sacratissima Virgo Domina Nostra, aspiciebat cum speciali gaudio Gloriosum sanctum Franciscum, dicendo illi, esse sibi ipsum charum, eò quòd ejus Religiosi defendissent suam Purissimam Conceptionem.

CAPVT XXIV.

Quomodo illam cum S. Bonaventura, S. Antonio, S. Ludovico Rege Galliæ, & S. Junipero Gloriosus Sanctus Franciscus duxerit, ad videndum suum sacrum sepulchrum & Corpus, fuerítque consequuta ab ipsis quædam mystica cimelia.

§. I.

Admirabilis & plena mysteriis fuit sequens visio: Elapsis aliquot diebus, ex quo mihi Beatus Sanctus Franciscus dixerat, quòd me pro meo solatio esset ducturus ad videndum suum sepulchrum, & sanctum corpus, quodam tempore matutino (in Septembri anno 1621.) agens cum DEO, sensi per cubiculi portam ingredientes Angelos DEI, qui comitabantur quosdam gloriosos Sanctos. Circumspexi, ut melius viderem, quid esset; & vidi verum esse, quod senseram; sed cum solitis meis timoribus statim me abstraxi à spectaculo, & recurri ad DEUM, sicut consuevi, ut peterem ejus lumen. Verùm quia à me DEUS volebat videri, quod mihi statuerat exhibere, denuò aspexi sanctos Angelos, vidíque Beatum sanctum Franciscum, qui mihi benignissimè dixit: Soror nostra, quare me fugisti, & hos benedictos Sanctos, quos mecum adduco, cùm omnes ad te veniamus in nomine DEI, ipsóque jubente, ut te recreemus & solemur? Quapropter te nunc volo cum illis ducere, ut videas meum corpus, & sepulchrum, sicut me facturum tibi præteritis diebus sum pollicitus, id quod te magno replebit solatio, addiditque jucundè: Aspice,

Aspice, Anima, hos gloriosos Sanctos, qui sunt mecum, & agnosce illos, quia eorum aspectu vehementer exhilaraberis; veniunt enim, ut tibi gratificentur. Audivi omnia mihi à sancto tam amanter dicta, sed aliquantùm adhuc verebar, ac tergiversabar. Atque licèt illi egerim gratias pro favore, quem mihi præstabat, dixi ipsi cum eo spiritu timoris: Benedicte Sancte, si mihi dicis, quòd me velis ducere ad videndum tuum sepulchrum, & sanctum corpus, quomodo nunc es in hoc loco, quasi cum corpore & anima, cùm non habeas nisi unum corpus, atque hoc sit mortuum? Subrisit Sanctus, gravi & læto vultu, dixitque: Bene manifestas, Anima, tuos timores, quia licèt clarè scias, id, quod vides, non esse meum corpus, sed speciem, quam assumpsit meus spiritus, ut per hunc illum agnosceres, ità DEO disponente; quæris tamen, quomodo sit hîc meum corpus, unáque existat in sepulchro. Animadverte, quòd sicut famuli Regij dignoscuntur ex certa forma vestitûs, quem gerunt differentem ab alijs, ità plerumque Dominus DEUS noster vestiat suos Sanctos hujusmodi distinctivâ veste, ut animæ facilè, & suo modo deveniant ad cognoscendum spiritum Sancti, quem illis exhibet. Mea anima obstupuit, quando id audivit dici à Sancto, & advertit suum errorem, fuítque delibuta solatio. Aspiciebat illum, unáque intuebatur reliquos etiam Sanctos reverenter, & cum solatio, néque ipsi quidquam respondit, sed dixit illi: Benedicte Sancte, qui sunt isti Sancti tui comites, ego enim illos non bene novi? Seraphicus Pater reposuit: Ecce, Anima, iste benedictus Sanctus (tetigítque illum manu) est sanctus Doctor Bonaventura. Et tangens similiter alios, dixit: Iste est S. Ludovicus Rex Franciæ: hic autem sanctus Antonius, & iste est sanctus Frater Juniperus. Quid tibi videtur de ista gratia, quam tibi modò DEUS præstitit? cùm autem jam sis bene instructa, veni nobiscum, ità enim vult DEUS. Postquam ad me accessisset gloriosus sanctus Franciscus cum sex Angelis mihi assistentibus, qui me in momento erexerant, & essem induta quodam vestitu, ac pallio mystico, fuissétque mihi superinjectus quidam veluti cucullus, à Beata sancta Birgitta, quæ mihi etiam comparuerat, ducta sum ab omnibus illis Sanctis & Angelis, non absq; cœlesti musica, ad sepulchrum Beati Sancti Francisci, ubi Sanctus evanuit ex meis oculis, vidíque ipsius sacrum corpus, quod insistebat pedibus, disiunctis ab invicem manibus, & oculis elevatis in altum, acsi versaretur in magna quapiam contemplatione. Sacros autem suos pedes tenebat ità, ut unus modicè esset post alterum; suáque sacra vulnera habebat in illis valde recentia ac speciosa, qualia fuerunt & lateris, ac manuum. Prostravi me, & osculata sum ejus pedes cum magna reverentia, consolatione ac admiratione, videbatúrque mihi in illo sancto corpore mortuo esse Spiritus sancti Patris, ubi me solatus est, & arcano modo, immotis manibus mihi benedixit. Deinde surrexi, & illi Angeli ac Sancti me eduxerunt ex eo loco, & compuaruit mihi denuò gloriosus Sanctus Franciscus, fuíque deducta ad meum angulum, sicut fueram abducta, ac tum mihi dixit Beatus Sanctus Franciscus: Soror nostra, dic mihi amore DEI, nónne ingens cepisti solatium ex visione tanti mysterij, quod tibi Dominus ostendit? Ità sanè, benedicte Sancte (ajebam ego) ingens. Benedictus DEUS! Nunc verò, Soror nostra (subjecit Sanctus) cogita, quid velis à nobis; & pete à nobis in nomine DEI, quod sit pro tuo solatio & emolumento: faciemus id quàm libentissimè, quia Dominus DEUS tibi vult conferre beneficia.

§. II.

TUnc agens gratias DEO, & ijs Sanctis, dixi illi: Cùm mihi id mandes, benedicte Sancte, rogo in primis Beatum Sanctum Ludovicum Regé Galliæ, quàm humillimè possum, ut quandoquidem ipse fuit præditus tam ardenti charitate ac amore magni Nostri DEI & Domini, mihi obtineat à Divina Majestate perfectum ipsius amorem, quo solum DEUM quæram,

ram, ac velim toto corde meo, totâ animâ, & omnibus viribus meis, potentijs ac sensibus. Omnino, Anima, dixit Beatus Sanctus Ludovicus, faciam, quod à me petis, & in signum ac pignus, ità me facturum, suscipe ex manu mea hoc cimelium pretiosum, quod est ex auro purissimo (habebat figuram cordis) symbolo perfecti amoris DEI; atque hoc dicens, imposuit illud, & impressit intrà me cum magno solatio. Deinde conjectis oculis in Beatum sanctũ Franciscum, dixi illi humiliter: Benedicte Sancte, peto à te, ac supplico instantissimè, ut cùm tibi DEUS ac Dominus noster dignatus sit dare donum & spiritum sanctæ paupertatis, quam habuisti, & servivisti tam rigidè, mihi impetres à Divina Majestate donum sanctæ paupertatis spiritûs & contemptûs rerum omnium, quæ non fuerint DEUS, vel in ipso DEO, aut directæ ad DEUM, ut illas conculcem, ac proteram pedibus, adhæreámque soli meo DEO, & ipsum possideam in æternum. Placet, Anima, dixit Sanctus; faciam, quod à me petis, perlibenter; útque intelligas, & credas, me ità facturum, suscipe ex manu mea hoc cimelium, symbolum doni sanctæ paupertatis spiritûs; atque id dicendo, posuit illud ac impressit in me, cum magno solatio. Illud pretiosum cimelium erat quasi grisei & splendidissimi coloris, habebátque tres angulos seu cuspides, quæ significabant firmitatem, & in medio hujus cimelij erat literis aureis sculptum nomen JESU. Summo me affecit solatio hoc donum, quod mihi Sanctus obtulerat.

§. III.

POstea aspiciens Beatum Sanctum Bonaventuram, dixi illi cum humili fervore: Benedicte Sancte, siquidem Dominus DEUS noster tibi contulit tantam gratiam, dando tibi & communicando tam præclaras virtutes, ac tam sublimia ac singularia dona, dedítque tibi & communicavit tantam scientiam, obsecro te, per DEUM quo frueris, ut mihi obtineas à Divina Majestate lumen clarissimum, & magnam cognitionem, pro percipiendis veritatibus mei DEI, in rebus & mysterijs spiritualibus, ac supernaturalibus, quæ Divina Majestas adeò ordinariè mihi manifestat, & de quibus me edocet, ut hac ratione non aberrem ab ipsius Divina voluntate. Ità, Anima, dixit Sanctus, faciam, quod mihi dicis, quàm promptissimè; verùm rogo te modò, ut mihi duo dicas. Primum est, quare, cùm te amet DEUS, & ferat in oculis, cumulétque te tantis gratijs, non vivas cum magna fide, ac fiducia, quòd ipse te sit instructurus, ac ductarus in vijs tuis? Alterum, quod ex te quæro, est; quare aliquo modo sis negligens in rogando DEO, ac orando pro nostra sancta Religione? Nè, amore DEI, id facias. Ego illi respondi: Benedicte Sancte, generatim semper oro DEUM pro omnibus, pro quibus orare teneor, ac proinde etiam hoc comprehendo. Non te excusa, Anima, ajebat Sanctus, quia sic se res habet, sicut dico. Tunc me humiliavi, & agnovi meam culpam, gratiásque egi Sancto pro reprehensione. Satisfecisti mihi, dixit sanctus Bonaventura, imponens manum meo capiti. Et ego tibi manu meâ volo dare istud donum, quod hic vides, in pignus & signum, me facturum, quod à me petivisti: inseruitque annulum in digitum meæ manûs, qui erat lucidissimus, & quasi ex purissima crystallo, quæ est figura & symbolum luminis ac doni, quod mihi DEUS communicabat, pro cognoscendis ac discernendis spiritibus. Attulit mihi etiam hoc donum notabilissimam consolationem.

§. IV.

POstea converti oculos ad Beatum sanctum Antonium, ac dixi illi: Benedicte Sancte, rogo te, amore Domini DEI Nostri, ut, cùm tanto pietatis ardore coluéris sacratissimum mysterium Incarnationis Verbi Divini, & in corde tuo ac anima gesseris quasi præsentem istum Dominum Incarnatum Puerum Parvulum, mihi obtineas à Divina Majestate magnũ lumen, & cognitionem hujus sacrosancti Mysterij,

rij, ac ingentium bonorum, quæ mihi & omnibus animabus provenerunt à Verbo Divino Incarnato, DEO & Homine veto, ut ipsum idcirco amem, exhibeámque me illi quàm gratissimam, pro tam immenso beneficio, & misericordia. Sit ità, licet Anima, dixit Sanctus, faciam quod mihi dicis, diligentissimè ac promptissimè; atque in signum, quòd ità sim facturus, suscipe ex mea manu hoc donum in nomine DEI. Et accedens ad me, impressit mihi in intimo mei spiritûs, quoddam cimelium valde coruscans instar cordis & coloris cœlestis, in cujus medio erant sculptæ literæ quædam aureæ, quæ referebant nomen JESU, & supra illas erat minimus Puerulus. Non dixit mihi Sanctus significationem hujus cimelij, permittens id meo ratiocinio. Cepi ingens solatium ex ista quoque gratia & favore.

Post hoc sanctus Frater Juniperus me est intuitus, & hilari vultu ac amanter mihi dixit: Nihílne petis à me? etiamsi verò non petas, ego tibi volo aliquid dare amore DEI. Et extendens manum, mihi dedit quoddam quasi lignellum, seu quendam paxillum pulcherrimi coloris, & suavissimi odoris. Præterea tibi volo dare (inquiebat Sanctus) bonum & salutare consilium, in Nomine DEI ac Domini Nostri; & est, ut extraordinarios ac singulares favores & gratias, quas tibi ille ex sua bonitate præstat, suscipias cum humilitate, sinceritate, & sancta simplicitate, fidendo tuo DEO, ac absque tot discursibus, certísque ratiocinationibus, ortis ex tuis timoribus. Fruere nunc anima cum pace, & quiete sancta tuo DEO: cimeliú verò, quod tibi dedi, fuit figura mei consilij. His omnibus nihil respondi, quia fui aliquantùm confusa, quamvis absque molestia. Tum Beatus sanctus Franciscus subitò petijt à sancto Bonaventura, ut mihi impertiretur suam benedictionem nomine omnium: sed Benedictus Sanctus id recusabat, pro sua humilitate, rogans sanctum Franciscum, ut ipsi id præstaret, qui se multùm excusando, petijt idem à sancto Antonio. Cúmque nullus vellet, propter suam sanctam humilitatem, & omnes hoc peterent à sancto Bonaventura, Gloriosus sanctus Doctor, ut cæteris obsequeretur, mihi dedit suam sanctam benedictionem cum magna charitate, postquá me prostravissem ego, & omnes illi Sancti pro ea suscipienda. Atque hoc modo mihi valedixerunt, abiveruntque unà cum sanctis Angelis.

§. V.

A Lijs vicibus me visitaverunt duo gloriosi sancti filij Seraphici Patris, quorum est facta mentio. Eorum unus est Sanctus Antonius de Padua, qui me invisit in suo Festo in Ecclesia sui nominis, quæ est Domûs Professæ Societatis. Cùm audirem Sacrum, tempore elevationis, conspexi illum oculis animæ proximum sacræ hostiæ, & timens diabolum, averti celeriter oculos à Sancto, dicendo: In sacra hostia non est alius, quàm meus Dominus JESUS Christus. Paulò post iterum se oculis meis objecit, cum magno splendore & claritate, & quia adhuc timebam, propterea quòd ipsum antea vidissem ità vicinum Sanctissimo Sacramento, necdum illum volui aspicere.

Elapso illo die mihi apparuit iterum, vestitus habitu sui Ordinis, qui erat ex pretiosissima tela, dixítque mihi peramanter: Quare me noluisti videre, & me fugis? scias, velim, quòd, qui degimus in Cœlo, magnopere afficiamur, benéque velimus ijs, qui degunt in mundo, ac desiderant exequi, & exequuntur DEI voluntatem, sicut nos illam desideramus exequi, & exequimur. Respondi: Ego quidem Gloriose Sancte, te volo videre, tibíque inservire, sed timui diabolum, nè mihi fortè illuderet.

Alter Sanctus erat Gloriosus sanctus Doctor Bonaventura, qui me frequentiùs visitavit. Primò, cùm vacarem orationi octiduo ante ipsius Festum, vidi oculis animæ pulcherrimum & gratiosissimum puerum decennem, qui habebat grandes oculos ac formosos, & præseferebat magnam puritatem suæ animæ, eximiámque sanctitatem & scientiam. Indutus erat veste candi-

candidâ, disiunctas habebat manus ab invicem, & in dextera tenebat Rosarium coloris pulcherrimi, quod habebat crucem, & grana majora ex auro purissimo. Aspexit me, sed quia illum non agnovi, averti ab ipso oculos, & ille disparuit. Verùm retinui illum firmiter infixum memoriæ eo modo, quo ipsum videram, cogitans, quisnam posset esse iste Puer. Sed DEUS me illuminabat, quòd esset Gloriosus sanctus Bonaventura, qualis fuit, quando erat ejus ætatis ac staturæ, in qua ipsum conspexi.

Alio die mihi illum clariùs ostendit DEUS, dicens, se propter singularem devotionem, quâ afficererer huic Sancto, voluisse ut me visitaret. *Deinceps autem illam invisit sæpe, occasione aliorum mysteriorum, quæ suis locis referuntur.*

CAPUT XXV.

De singulari devotione, quâ ferebatur erga Indulgentias Portiunculæ, déque rebus notatu dignis, quæ ei evenerunt cum DEO, & cum Sancto Francisco, ut illas consequeretur ægrotans in lecto.

ERat Venerabilis Marina, speciali pietatis sensu addicta Indulgentijs Portiunculæ, sic appellatis ab ejus nominis Ecclesia, dicata honori DEI paræ, quarum Festum tota celebrat Christianitas, secundâ Augusti, eò quòd sit communicatio facta per Papam, Indulgentiarum, quas DEUS concedi voluit Sancto Francisco. Quia verò illas propter suos tam graves morbos affixa lecto non poterat consequi, DEUS respiciens ejus bonum desiderium, id ipsi multis annis adimplevit triplici viâ miraculosâ, plerumque per Sanctum Franciscum.

§. I.

IN primis tribus annis illi miraculosè dedit vires, ut surgeret ex lecto, seque conferret ad eas obtinendas, hac ratione. Pridie, *inquit*, harum Indulgentiarum, mihi dixit Dominus: Placeretne tibi ire ad ipsas consequendas? ego respondi: videt Tua Majestas, quomodo valeam. Hoc ipso die, antecedente illud Festum, à meridie, horâ tertiâ mihi dixerunt mei sancti quatuor Angeli, ut me pararem, eò quòd me essent ducturi ad lucrandas Indulgentias. Petivi confestim vestes, non cum exiguo stupore mearum sociarum, & adjuta ab Angelis, me nullo negotio indui. Cùmque una è sociabus me vellet juvare, ut exirem ex cubiculo ad atrium, dixi illi, non esse opus, & facilè sum egressa. Dum essem in atrio, Angeli se subduxerunt ad me probandam, atque reliquerunt me tam debilem, quàm naturaliter fueram, & quia non poteram progredi, recurri ad DEUM. Tum statim redierunt Angeli, quibus adjuvantibus descendi ex gradibus. Ut verò omnia procederent viâ ordinariâ, absque nota miraculi, curaveram parari sellam, qualibus nunc utuntur, coopertam, in qua me tulerunt duo viri ad Monasterium sancti Jacobi, eò quòd esset quietius. Comitabantur me mei quatuor Angeli, unáque diabolus, qui mihi intentabat minas. Mansi aliquamdiu in Ecclesia, ut potirer Indulgentijs, & postea redivi eodem modo, ac ascendi per meos gradus sinè difficultate, quod videbatur naturaliter impossibile.

Postquam pervenissem ad atrium, iterum me deseruerunt Angeli, ut me probarent, sensíque me more solito debilem. Dixi autem intrà me: Jam nihil refert, quia meæ sociæ me deducent ad lectum. Sed Angeli subitò advenerunt, & potui progredi sinè auxilio sociarum, decubuique in lecto,

in lecto. Tum rediverunt priores dolores, molestiæ, ac debilitates.

§. II.

ALio anno, quo erat debilior, illi fuerunt concessæ eædem Indulgentiæ in ipso lecto, hunc in modum: Die Portiunculæ, *inquit*, me visitavit sanctus Franciscus cum sancto Dominico, & sancto Patre Nostro Ignatio, dicens, DEUM velle mihi concedere illud Jubilæum; ego reluctabar propter meos timores, neque ipsum volebam alloqui, abstrahendo me ab ea re, ultra unam horam. Postea vidi in spiritu Christum Dominum in Cœlo dicentem sancto Francisco, ut mihi id denuò significaret. Sanctus se excusavit dicendo, me noluisse cum ipso loqui, avertisséque animum ab eo, quod mihi dixerat. Tum illi respondit Dominus: Diversæ sunt naturæ, quas ego do meis creaturis, neque sunt omnes ejusdem conditionis. Tua natura fuit austera & rigida erga suum corpus & spiritũ, hortatúsque es alios ad viam & regulam valde asperam, ista est ducenda suaviore viâ. Bene potes redire, & nuntiare ipsi, quod dixi. Redijt Sanctus, nuntiavitque mihi id, impertiendo mihi suam benedictionem. Paulò pòst, venit Christus Dominus, dixitque mihi: Quia vices tuas doleo, ob ea, quæ pateris in hoc lecto, ex quo jam pridem non surgis, concedo tibi ex mea gratia has Indulgentias in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & in virtute meritorum meæ Passionis. Datáque mihi trinâ benedictione, disparuit.

§. III.

ALio anno, quia Festum Portiunculæ est intra Octavam Sancti Patris Nostri Ignatij: Agens cum DEO, vidi, *ait*, multas aureas campanulas, quasi pendentes ex cœlo, quæ resonabant, ac edebant valde concordem, suavem & cœlestem musicã. Subitò mihi comparuit Sanctus Pater Noster Ignatius, indutus superpelliceo, super quod gerebat mozettam (seu sacram epomidem) quâ utuntur Sacerdotes, dum deferunt sanctissimum Sacramentum ad infirmos. Veniebat cum illo Sanctus Franciscus Xaverius linteatus, & alij complures ex ejus Ordine in sua consueta veste, atque etiam multi Angeli DEI. Sanctus Patriarcha me salutavit blandissimè & amantissimè. Ego me prostravi ad ipsius pedes, & ille mihi dedit suam sanctam benedictionem, dixitque, quòd me amet in Domino, sicut istum suum Filium, designando mihi sanctum Patrem Franciscum Xaverium, séque venisse in nomine DEI, ut me comitaretur, eò quòd essem ferenda, pro obtinendis Indulgentijs, ad Conventum sanctæ MARIÆ Angelorum, quæ est Assisijs. Cùm id diceret, adfuit Beatus Patriarcha sanctus Dominicus, valde hilaris ac lætus, & salutando me magnâ affabilitate, dixit mihi, se eadem de causa venire in nomine DEI. Postremus venit Sanctus Patriarcha Franciscus, ut & ipse esset meus comes. Mei Domini Angeli me collocaverunt in quadam veluti sella, seu lecticula, & tulerunt me per aërem, comitantibus me omnibus his Sanctis, ad prædictum Conventum, sanctus autem Patriarcha Franciscus aliquantùm præcessit. Morati sumus satis diu in itinere. Et postquam pervenissemus ad Conventum, sanctus Franciscus nos duxit per duo vel tria conclavia subobscura ac parva, & intravi sepulchrum, seu sacellum, in quo sacrum corpus sancti Francisci est sepultũ. Stat erectum, DEUM deprecantis speciem referens, vestitum suo habitu nonnihil curto, ut conspiciantur ejus pedes & vulnera. Atque eo tempore, quo vidi sacrum corpus, mihi disparuit Sanctus. Ego me prostravi, oravi, & accessi, ut osculo venerarer unum pedem, ac vulnus Sancti. Sed retraxit pedem, acsi vitâ esset præditũ, non permittens sibi infigi osculum. Satis mihi fuit dissuaviari terram, quam calcaverat. Conspexi illic Majestatem Christi JESU Domini Nostri, qui mihi dignatus est concedere Indulgentias, dicendo: In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti concedo has Indulgentias, Soror: deditque mihi suam sanctissimam benedictionem. Deinde me retulerunt mei Domini

ad meum angulum, sicut me abstulerant. Sancti verò mihi valedicentes discesserunt.

§. IV.

DEnique explicuit DEUS vela suæ libertatis in concedēdu ipsi his Indulgentijs, non solùm suo die, sed quotidie in hunc modum. Dum, *inquit*, mihi fuisset perdita quædam corona Indulgentiarum, quas consueveram quotidie lucrari, invisens me Christus Dominus, dixit mihi: Pete à me, quidquid vis. Et cùm ab eo petivissem nonnulla pro alijs, ac pro me, subjecit: Volo tibi præstare gratiam, quæ hæc est, ut quotiescunque recitaveris semel Orationem Dominicam, & semel Angelicā Salutationem, addendo ter versum *Gloria Patri*, &c. lucreris Indulgentias, quas concessi meo servo Francisco: concedo enim illas tibi in nomine mei Patris, & meo, ac Spiritûs sancti. Et cùm hoc diceret, dedit mihi suam benedictionem, quæ res me affecit stupore, & humiliavit, quòd susciperem talem gratiam. Verùm subitò mihi venit in mentem: Si Indulgentiæ istæ sunt plenariæ, quid refert illas toties lucrari? dicit enim, me, quotiescunque recitavero, quod suprà dictum est, posse illas consequi. At Dominus respondit meæ cogitationi: Nónne scis, quòd in horas multa committatis peccata? Alio modo mihi respondit aliàs. Cùm cogitarem me ream esse multorum peccatorum, eò quòd mihi toties concederet plenarias eorum Indulgentias: Anima, quid habes (ajebat) quid cogitas? si aliquis pauper esset debitor decem ducatorum, & magnus quispiā ipsius amicus ac valde potens, illi mille ducatos offerret, ut inde exsolveret totum debitum, quam injuriam faceret huic suo pauperi amico? & quàm rationem haberet cogitandi iste obæratus, quòd, cùm amicus ipsius illi commodaverit mille ducatos pro solvendo omni debito, sinè dubio oporteat esse grande suum debitum, quandoquidem tantùm sibi sit oblatum pro solutione? ità verò tecum modò agitur: Certò tibi persuadeas, velim, debita tua esse pauca, & multum quod pateris, unde computus tuus erit tibi ingenti solatio, mihi gloriæ, ideóque esto bono animo, & quiesce in me.

CAPVT XXVI.

Quomodo Sancti Fundatores Religionum eam frequenter visitaverint, ac de rebus notabilibus, quæ ipsi cum illis evenerunt, præsertim cum Sancto Francisco.

INsignes gratias præstiterunt Venerabili Marinæ Fundatores sacrarum Religionū, associantes se, quemadmodum jam patuit, ad illam invisendam, & apprecandæ illi felicia festa, atque ad consolandam illam in afflictionibus, præsertim ij, in quorum Religionem induxit aliquas Virgines, cum quibus illi acciderunt nonnulla notatu digna, & proficua, quæ hoc loco afferemus.

§. I.

QVodam die, *inquit*, (in Martio anni 1622.) agens cum DEO, vidi in meo cubiculo sanctos Patriarchas Religionum, cum multis Angelis DEI, qui illos comitabantur. Erant sanctus Benedictus, sanctus Bernardus, sanctus Augustinus, sanctus Dominicus, sanctus Franciscus, & sanctus Ignatius. Omnes erant simul quasi vincti quadam pretiosa catenâ aureâ, & gestabant libros in suis manibus, excepto sancto Francisco, qui nullum ferebat. Mirata

rata sum, quòd ipsos viderem ità concatenatos, nesciens mysterium. Alloquuti me sunt omnes ac salutaverunt, & specialiter Gloriosus Sanctus Dominicus, aperiénsque librum, quem ferebat parvum, ostendit mihi illum apertum, ac dixit: Aspice, Soror, lege. Erant in eo libro scripta nomina quinque Monialium ipsius sancti Ordinis. Et addidit: Ista quinque cimelia mihi dedisti, ac meæ Religioni. Sanctus Augustinus & sanctus Bernardus etiam mihi revocaverunt in memoriâ eas, quas dederam ipsorum Religionibus, quæ non sunt paucæ, exhibentes mihi ipsas scriptas in suis libris. Et post varia, quæ contigerunt cum Sanctis, vidi singulos habentes pretiosam catenam in cœlo; atque illuminata à DEO intellexi, illam catenam auream, quâ erant vincti, significare maximam charitatem & vinculum arctissimi amoris, quo illi Sancti in cœlo se amant uniti in DEO. Catenæ speciales, quibus singuli erant circumdati, repræsentabant instituta peculiaria cujusque Sancti, & ejus Religionem. Causa, cur Sanctus Franciscus non tulerit librum, erat, quia hucusq; nulla earum Virginũ fuerat ingressa ipsius Religionem, quod Sanctus vehementer optabat, & significavit mihi id aliquoties, præsertim verò quâdam vice hoc mystico modo.

§. II.

DUm quadam nocte agerem cum DEO, more consueto, venit ad meum lectum quædam Venerabilis Persona (in Majo anni 1615.) videbatúrque me velle auferre in suis humeris. Ego non agnovi quis esset, solùm intellexi esse Bonum Spiritum, & rem securam. Vehementer tamen sum reluctata, abstraxique me dissimulans, acsi non intelligerem, quid vellet agere, & confugi ad DEUM, ùt soleo, ac restiti quantùm potui. Sed tandem debui permittere me ferri, tulitque me ad quendam magnum & amœnum, valdéq; pulchrum hortum, plenum elegantibus floribus suaveolentibus. Erant in eo multæ areæ, optimè dispositæ. In hoc horto me erexit in pedes. Aspexi quis esset, qui me tulerat, & per specialem DEI illustrationem agnovi, esse Gloriosum Patrem sanctum Franciscum. Postquam ipsum fuissem alloquuta, jussit me spatiari in eo hortô, & illum lustrare, ac aspicere multos ejusdem & odoriferos flores, atque ex ijs decerpere, qui mihi viderentur meliores, & conficere fasciculum, quem offerrem DEO. Ego diligentissimè, acsi bene valerem, & essem sana, perambulavi totum hortum, & decerpsi multos flores ex illis, qui mihi præ cæteris placuerunt, præterquam quòd unam aream horti non attigerim, neque ex illa acceperim flores. Atq; id fuit factum, non quòd non judicarem ipsos esse bonos, neque quòd hoc facerem ex proposito, sed quòd re verâ illos vel non adverterim, vel quia ità disposuerat DEUS. Tuli multos flores accumulatos in manu, & dixi Sancto: Pater sancte, fac tu fasciculum, ego enim illum nescio componere: Ecce hîc sunt flores ex ejs, qui mihi maximè placuerunt in horto. Sanctus Pater nolebat connectere fasciculum, imò dixit mihi: Fac tu illum Soror. Confeci igitur fasciculum, quàm optimè potui. Deerat autem illi aliquid, & non erat integrè perfectus, qualem Sanctus voluisset. Dedi ipsi meum fasciculum, quem Sanctus suscepit & aspexit, dixitque mihi: Adverte, Soror, ea, quæ fiunt pro DEO, & propter DEUM, oportet esse valde perfecta, & omnibus numeris absoluta. Aliquid deest huic fasciculo. Dic, quare non decerpseris flores ex illa area? designando eam, quam ego neglexeram, non decerpto ex ipsa ullo flore. Redi, ac decerpé inde aliquos flores, qui tibi placuerint, & comple istum fasciculum. Ego redivi & lustravi aream, ac elegi ex floribus, mihi præ reliquis placentes, habebat autẽ valde bonos, quibus perfeci compositionem mei fasciculi, quem attuli sancto Patri. Accepit illum in suas manus, & placuit illi, quòd esset bene completus & compositus, dixitque mihi: Soror, jam tibi dixi, ea, quæ fiunt, ut offerantur DEO, debere esse perfecta, & omnibus absoluta numeris. Tu dedisti DEO multas Virgines,

gines, quas apud te in domo tua educavisti, offerendo ipsas DEO, ut illi servirent in diversis Religionibus, Sancti Dominici, sancti Augustini, & sancti Bernardi, ac alijs: meæ verò non fuisti recordata. Ut ergo tuum opus omni careat defectu, da etiam mihi, pro mea Religione, aliquam Virginem ex tuis, & sic tuum opus, & fasciculus erit usquequaque perfectus. Post hoc me retulit ad meum cubiculum eo modo, quo me abstulerat.

Videtur DEUS ratum habuisse dictum hujus Gloriosi Patriarchæ. Ut enim fasciculus esset completus, evenit multò pòst, quod continet sequens revelatio.

§. III.

ELeemosynis, quas mihi piæ personæ erogabant non paucas, cooperata sum, ut quædam mea paupercula consobrina susciperet habitum sancti Francisci, in Conventu sanctæ Annæ Cuellavi, quéadmodum ipsa optaverat; non suscipiebat autem illum ob defectum dotis. Data ei fuit eleemosyna collecta: atque tum (in Julio anni 1623.) mihi comparuit Gloriosus Patriarcha sanctus Franciscus, cum suis vulneribus pedum & manuum, ac lateris, quod conspiciebatur per aperturam habitus. Salutavit me, & gratias mihi egit pro obsequio sibi exhibito, quòd sibi dedissem novam filiam, asserens, vehementer istud factum DEO placuisse. Atque ut hoc (ajebat) videas ac intelligas, aspice. Et vocavit quatuor Religiosos seu Angelos, qui post ipsum stabant, vestiti ipsius habitu, ferebántque in humeris manticas ejusdem coloris cum habitibus, ac deinde coram Sancto, deponentes ex humeris manticas, ostenderunt id quod illis continebatur, & exposuerunt in pavimento, quod non carebat mysterio: fuerunt autem ibi multi uniones & gemmæ pretiosissimæ. DEUS verò per peculiarem illustrationé mihi manifestavit pretium meritorum, quæ significabátur illis unionibus, & gemmis. Atque sanctus Franciscus dixit: Anima, vidistine pretium tuorum operum, quod tantum est, quantum tibi DEUS ostendit. Postquam id dixisset, vidi quendam lucidissimum Solem illuminantem suis radijs eas gemmas, & uniones, suáque vi & igne Divino convertentem ac transformantem in se ipsum, relictis in pavimento quibusdam quasi cineribus. Obstupui, dum viderem tale DEI opus, & mysterium Solis ac cinerum. Tum sanctus Patriarcha jussit unum ex ijs Sanctis Religiosis colligere illos cineres: quos sanctus nitidâ quadam scopula paulatim congregavit, collegítque in strophiolo, ac tulit ad certum locum, ubi ab ipso fuerunt abjecti ac dissipati, & disparuerunt. Hoc facto mihi valedixit sanctus Patriarcha, relinquens me repletam magno solatio. Optabam autem scire mysterium cinerum, quod mihi quidam sanctus Angelus ex meis declaravit, dicendo: Ecce, Anima, quod tibi DEUS voluit indicare, & significare, ut id alijs diceres, in eo spectaculo, est, quòd multa bona opera vestra plerumque sint permixta imperfectionibus. Acceptat DEUS, quod in illis est bonum, relicto eo, quod est imperfectum instar cineris. Hi verò defectus & imperfectiones dissipantur per dolorem de illis commissis, & ignem Divini Amoris, quo flagratis, ac evanescunt. Id mihi dixit, propter quendam defectum & imperfectionem, quam admiseram, per imprudentiam, eo tempore, quo tradebam dictam eleemosynam.

§. IV.

QVodam die Paschatis (in Aprili anni 1623.) cùm paterer summos dolores, vidi derepente Gloriosum Patriarcham sanctum Benedictum, qui mihi dixit: Soror, Dominus sit tecum, détque tibi sanctissimum Pascha. Angeris, & es afflicta, esto bono animo, & confortare in Domino. Egi magnas gratias Sancto, pro exhibito mihi favore, quòd mihi compareret. Dixit autem mihi graviter, unáque amanter: Est, cur de te querar, Soror. Cujus querelæ ego causam existimabam esse, quod cuidam servæ DEI suaserim, nè susciperet habitum sancti Benedicti, propter nonnullas gravissimas rationes. Sanctus

ctus me intellexit, dixitque: Non, Soror, non est, quod cogitas. Tua sententia hac in re fuit valdè prudens, & circumspecta, bene fecisti; mea querela est, quòd cùm habeas in mea Religione duas tibi sanguine junctas, meas filias, DEI famulas, & optimas Religiosas, adeò te ab illis abstrahas, ut cum ipsis non agas, nec ullam earum curam geras. Cui respondi: Sancte Benedicte: Ego non sum tenerè affecta erga meos consanguineos, id quod me oportet facere. Postquam hoc dixissem, Sanctus respexit, & dixit: Ista famula DEI est vehementer afflicta. Aspexi, quem alloqueretur, & vidi adesse duos Patriarchas, sanctum Dominicum, & sanctum Ignatium, qui recedente sancto Benedicto ad me accesserunt. Et sanctus Dominicus prior loquutus est, dixitque: Soror, DEUS sit tecum, détque tibi felix Pascha. Es afflicta, & cruciaris, sed scito, magnos esse thesauros & præmia, quæ te expectant, pro eo, quod pateris. Excita te, & anima ad patiendum, ac adverte, hoc esse æstimabilius, tèque ampliùs eo mereri quod sustines, quàm si tui forent omnes thesauri mundi, possésque pro tuo arbitrio illos omnes impendere in obsequium DEI, & bonum animarum. Ego expendi id, quod Sanctus dixerat de bono animarum, ac dixi: Quid est hoc, benedicte Sancte, si obsequijs DEO exhibitis conjunctum esset bonum animarũ, nónne esset melius, quàm quidquid ego patior & mereor, ac mereri possum? Respondit sanctus Dominicus graviter: Bene est, Anima, hîc subsiste; quasi diceret, relinque istam considerationem, neque te tam profundè immerge. Et conversus ad sanctum Ignatium, dixit illi: Bene loquuta est. Deinde me respiciens, subjunxit: Adverte, Anima, quamvis ea omnia, quæ dicis, secundùm se sint majora; tamen pro te nihil est melius, nec majus eo, quod tibi suâ manu contulit DEUS, cum circumstantijs, quas idem Dominus apposuit, & cum tua bona cooperatione, ac proinde in hoc statu animæ, in quo te habet DEUS, nihil potes facere, quo ipsi magis placeas, quàm si patiaris, sicut pateris. Completo eo alloquio, vertit se sanctus Patriarcha Dominicus ad sanctum Patrem Ignatium, tangénsque illum quasi in pectore, dixit: Vidésne hîc, Anima, istum sanctum Patriarcham Ignatium, tuum Patrem? ille tibi exponet hac de re suum judicium. Sanctus Patriarcha respondit: Quod tibi est dictũ, verum est, age magnas gratias DEO pro beneficijs, quæ tibi confert. Tum sanctus Dominicus rogavit sanctum Ignatium, ut mihi bene precaretur, & quamvis se initio excusaverit pro sua humilitate, dedit mihi tamen benedictionem liberalissimam, inclinante se sancto Dominico, & Angelis more Religiosorum, dum illam mihi imperturetur.

§. V.

ALiâ vice me inviserunt sanctus Dominicus, sanctus Franciscus, sanctus Bernardus, sanctus Augustinus, sanctus Benedictus, & sanctus Ignatius: & prætermissis alijs rebus, de quibus cum ipsis egi, interrogavi ipsos de quodã scrupulo, quo angebar, dicendo illis: Benedicti Sancti, ego vehementer desidero placere DEO in omnibus meis operibus, & esse quàm pauperrima, atque omnia deserere, ut me possim totam tradere DEO, absque omni terrena occupatione. Possideo modò quasdam imagines, atque alia etiam necessaria ad vitam humanam, ac ad sustentandas meas socias. Opto, si DEO placet, omnia derelinquere: quid vobis videtur, benedicti Sancti? Primus cœpit loqui sanctus Benedictus, dicens: Soror nostra, multæ & variæ sunt viæ, quas DEUS habet in sua Ecclesia, quibus ducit animas; omnes autem bonas & sanctas. Ego institui meam Religionem, & volui in illa possideri fundos ac reditus, quò meis Religiosis suppeterent omnia necessaria pro sustẽtatione, ità ut illis nihil deesset, & hoc modo liberi à solicitudine quærendorum bonorum temporalium, quæ jam haberent, quærerent DEUM solicitiùs & quietiùs. Præterea volui, ut haberent famulos, qui ipsis inservirent, quò essent expeditiores ab occupationibus, ad contemplandum.

Omnia hæc sunt aptissima ad finem meæ Religionis, & placet mihi, ea modo ab ipsis haberi. Iste sanctus Patriarcha (designando sanctum Franciscum) res suas aliâ bonâ & sanctissimâ viâ disposuit, fundando suâ Religionem in magna paupertate, ac ità stricta, sicut vides. Utrumque fieri magnopere conveniebat, juxta statum cujusque Religionis. Noli igitur angi, neque solicitari de eo, quod possides: quia spectatâ via, quâ te DEUS ducit, expedit, ut aliquid possideas; & optimè facis, præsertim si omnia fiant ex voluntate tui Confessarij. Sanctus Patriarcha Ignatius approbavit istam sententiam, & reliquorum Patriarcharum, qui omnes confirmaverunt judicium sancti Benedicti. Sanctus Dominicus verò addidit: Nè te reddat solicitam possessio eorũ, quæ habes; vult enim id DEUS, propter fines, quos tu bene habes perspectos, & Divina Majestas tibi declaravit. Etiam in mea Religione, ad Divinum cultum habentur imagines, reliquiaria, & pretiosa ornamenta, placétque mihi, quod id habeat, propter tam sanctos fines, sicut haberi vides in Æde meæ sancti Pauli. Talia sunt quæ tu possides, siquidé omnia cedunt in obsequium DEI, pro ratione statûs, in quo te ipse collocavit. Quia verò es fatigata, diu conversando cum sancto Benedicto, par est, ut te relinquamus. Vale.

Etiam Gloriosus sanctus Bernardus me solatus est in meis afflictionibus, dicendo mihi, se magnam gloriæ partem, quâ fruitur in Cœlo, obtinuisse morbis à se toleratis, cùm eorum tolerantia plurimùm DEO placeat, atque idem eventurum mihi, propter eos, quos patior: neque mihi anxiè solicitandum esse, de tribus spiritualibus filiabus, quas habeo in ipsius Religione, illas enim ab eo protegi. Postea subjunxit, se mihi adferre insigne donum nomine Beatissimæ Virginis, ostendens mihi album cingulũ, simile ijs, quæ gestant ipsius Religiosi: Ego tergiversabar, quia mihi videbatur esse cingulum oculis corporeis visibile; semper enim talia refugio. Sed Sanctus respondit meæ cogitationi: Non est, ut cogitas, res exterior, sed mystica, quæ repræsentat donum castitatis, quod tibi sacratissima Virgo concedit, & nunc confirmat. Tange, & videbis. Ego illud tetigi, cinxiq; me ipso, & in momento penetravit intrà meam animam. Tum Sanctus à me discessit, & ascendit ad Cœlum cum comitatu multorum Angelorum.

§. VI.

DEnique licèt illam isti Sancti totiès visitarent, non perdidit tamen solus suos timores, id quod ipsi probaverunt, & laudaverunt. Quodam die, *ait*, cùm me invisérent Gloriosi Sancti, S. Dominicus, & S. Ignatius, ac S. Franciscus, conata fui me abstrahere, dicendo intra me. Ità prorsus, modò veniunt Sancti ad invisendam Sanctam! quasi irridendo me ipsam, cum profunda cognitione, quam mihi DEUS tunc dederat, mearum miseriarum, eò quòd mihi viderer esse indigna ejusmodi visitatione. Interea recurri ad DEUM, ut cum ipso agerem, sicut consuevi, & sancti expectaverunt, donec me componerem. Postquam autem quædam cum ipsis contulissem, vidi illos invicem colloquentes; quo colloquio finito, mihi dixit sanctus Dominicus: Soror nostra, admirabilis est status tuæ animæ, & modus, quo DEUS in te conjunxit res tam distinctas; quod licèt certò ac fimiter tibi persuadeas, DEUM tecum loqui, séque tibi communicare in visionibus ac visitationibus suis, quas experiris, adeò ut id mihi non possis negare, atque si esset opus, assereres in judicio; unà tamen in his tuis vijs sequaris ductum tuorum timorum, juxta ordinarias leges prudentiæ Christianæ, & doctrinæ Sanctorum, ac sacræ Scripturæ, quasi careres certitudine, quam in cordis tui & animæ intimo habes de eo, quòd sit DEUS, qui se tibi communicat. Hoc est ingens donum DEI, magni illud æstimatum. Tum, postquam mihi omnes tres bene precati fuissent, reversa sum ad me extra ptu, in quo fueram.

CAPUT

CAPVT XXVII.

Quomodo eam visitaverint Sancta Catharina Senensis, ac S. Teresia à JESU, quámque fuerint differentes illarum naturæ ac vocationes, & qualiter viderit in Cœlo multos, qui ipsi fuerant in hac vita familiares.

Similiter visitaverunt Venerabilem Marinam aliæ duæ Sanctæ, quæ fuerunt Fundatrices, vel amplificatrices suarum Religionum.

§. I.

Una erat Sancta Catharina Senensis. Cùm me aliquando vehementer persequeretur dæmon, *inquit*, venit ad me solandam Gloriosa sancta Catharina Senensis, vestita habitu suæ Religionis. Habebat manus impositas intra manicas sui habitûs, & spineam coronam in capite. Comparebat vultu aliquantùm macilento, & modestissimo, ac præseferebat magnâ sanctitatem. Alloquuta est me peramanter, dicendo mihi: Quomodo tam citò fuisti afflicta ac turbata? si scires, quid mihi fuerit factum in mundo, videres amplius esse, quàm id, quod tibi modò contingit. Et videor mihi illam audivisse loquentem, quasi auditu corporeo, atque loquelam ipsius fuisse nonnihil tenuem, & valde moderatam, ac suavem. Ingens inde cepi solatium. Sed postquam abivit, eram quasi abrepta, cogitans, qualis fuisset ista visio. Dixitque mihi DEUS: Illa, quam vidisti, fuit sancta Catharina Senensis, quæ venit ad te solandam & animandam; noli timere. quod mihi attulit multò majus solatium, & memor hujus Sanctæ, nec non verborum, quæ mihi dixerat, non affligebar tantopere, quando me dæmon persequebatur.

Aliàs in alia afflictione, me invisit eadé Sancta, adducens secum tres parvas moniales sui habitûs, quarum duæ stipabant unum ipsius latus, & tertia alterum, dixitq; mihi: Noli adeò affligi timoribus, quos tibi diabolus immittit; longè pejus me tractabat, dum degerem in mundo. Esto bono animo. Ego illi respondi: Credo ità esse, Gloriosa Sancta. Et non cessabam contemplari illas Virgunculas. Videns autem ipsa, quòd eas aspicerem, dixit mihi: Istæ puellulæ, quas mecum vides, sunt meæ filiæ, mei habitûs ac Religionis, & obierunt novitiæ, fruuntúrque cœlesti beatitudine, ac fuerunt in mundo oriundæ ex illustri sanguine. Post hæc atque alia mihi dicta, reliquit me plenam solatio.

In alia afflictione me visitavit tertiò hæc Sancta, induta suo habitu candido instar nivis, ex panno quasi cilicino, qui videbatur cœlestis; adeò enim erat elegans, & solatio afficiebat animam, quæ illam contemplabatur; ferebat in manibus baculú. Eâ conspectâ, incepi ipsi narrare meas afflictiones, & cruciatus, ut pro me oraret Dominum, qui tunc est loquutus, & dixit Sanctæ: Alloquere illam, & solare, hæc enim est mea voluntas. Subitò Sancta ad me conversa, me est solata, dicendo mihi quædam valde accommodata meæ necessitati.

§. II.

Invisit illam etiam sancta Teresia à JESU, cujus consuetudine fuerat usa ante ipsius felicem obitum, & cor probè habuerat perspectum, quòd non fuisset timidum, nec pusillanime, sed magnanimum, & generosum, ad agendum cum proximis, atque in hanc rem cum ipsa nonnulla contulit, quæ sic refert: Quodam die mihi spectabilis adfuit Gloriosa Sancta Teresia à JESU, quando jam regnabat cum Christo Domino in cœlo: sed ego reluctabar, more meo, expo-

exponendo illi causam, ob quam id facerem. Illa verò instabat objiciens se meo conspectui, útque me deliniret, incepit mihi dicere, quæ mihi conveniebant, & erant grata, inquiens: Nónne scis etiam me esse filiam Societatis, & fuisse illi bene addictá, confessámque Patribus Societatis, ac habuisse in ipsa meum Confessarium, quem modò in Cœlo agnosco & veneror. Dum id audirem, attendi, & libenter ipsi accommodavi aures. Interea Sancta prosequendo sermonem dixit: Noveris quoque à me non solùm diligi meas Moniales, sed etiam, quotquot optaverunt meæ Religioni nomen dare, sicut tu optavisti. Hoc audito, incepi deponere illum meum metum, & eam intueri, ac alloqui, recensendo ipsi meas miserias ac fragilitates, & quomodo quavis re turbarer, præsertim quando me vellem obstringere aliquo voto, rogans illam, oraret pro me DEUM, ut me redderet humilem, & gratam suis oculis, laudánsque ipsius animum & generositatem, quâ vivens in hoc mundo promisit facere, quidquid intelligeret cedere ad majus DEI obsequium. Sancta mihi ad id respondit: Animadverte, quòd, cùm me DEUS condiderit, ut aggrederer, & exequutioni mandarem tantum opus, quantum opitulante ipsius gratiâ & auxilo sum exequuta, fundando istam Religionem, ideo mihi etiam illum indiderit animum, & generositatem, ut attentarem tam hoc, quàm alia omnia, ac amorem Divinæ suæ Majestatis ferventé & imperterritum ad agendum, quidquid intelligerem ipsi esse gratius, & cedere in majus illius obsequium. Tibi non est datum tam multum, ideóq; non miror magnopere te, ùt mihi dicis, esse imbecillem, ac timidam. Orabo pro te DEUM, ùt à me petis. Inter hæc & alia, quæ mihi dixit, est elapsa media circiter hora, & recreavit me ista visitatio, fuitque mihi exemptum per specialem DEI illustrationem omne dubium, ut crederem esse sanctam Matrem Teresiam à JESU, quæ mecum loquebatur. Id ipsum verò mihi fusiùs declaravit aliàs, dum me visitavit. Quia cùm animo revolverem admiranda opera, quæ præstitit, fundando tot monasteria, & considerarem, quàm essent disparia ac vilia, atque inutilia opera mea, incepi metuere, an bene progrederer his inusitatis vijs. Intenta isti cogitationi, vidi sanctam Matrem Teresiam à JESU, quæ veniebat quasi festinans, hilarémque exhibens vultum, & suo more mihi dixit: Dominus sit tecum, Filia mea, quid nunc agis mea Amica, ac Dilecta? & quales sunt his diebus cogitationes tuæ, atque conjecturæ de operibus Domini DEI, ac diversis vijs, quibus Divina Majestas ducit animas, ad majus earum bonum, & gloriam, ac obsequium suum? Noveris, Amica, nos non posse assequi judicia DEI, & ipsius intentiones, vel intelligere; & cuivis esse acquiescendum Divinæ voluntati, atque acceptandum, quod de ipsius anima statuit. Te creavit DEUS, ut consequeretur unum gloriæ suæ & obsequij finem, me verò ob alium; & propterea tibi dedit naturam idoneam ad istud propositum, direxitque tua opera & vias ad hunc finem; mihi verò meam valdè discrepantem à tua, dedit aptam pro eo, ad quod volebat meâ operâ uti, & profine, quem sibi idcirco præfixerat. Quænam ex his duabus naturis, operibus & vijs, quas nobis DEUS dedit, sit melior & utilior coram Divinis ejus oculis, ipse scit, & novit meliùs, quàm ulla pura creatura posse suo ratiocinio assequi. Audiens hæc à sancta Matre dici, fui vehementer exhilarata, & respondi illi cum solatio ac reverentia, dicendo: Chara Mater animæ meæ, bene video, & agnosco, quidquid dixisti; verùm ad hoc postremum, quod dicis, respondeo, tuâ veniâ, quòd, etiamsi verum sit, à DEO tantummodo, & ipsius Sapientia, penetrari fundum animæ, quidve sit melius; clarissimè tamen perspiciatur, tua tam præcelsa & heroica opera, tuásque virtutes & Spiritum Divinum distare plurimum à paupertate, ac vilitatibus & miserijs meorum operum, atque exiguo spiritu meo. Et hoc est certissimum, ut aliud cogitare vel intelligere, magnus esset error, & manifesta ignorantia. Bene dicis, Anima mea, bene (dixit sancta Mater) quia loqueris ex sensu tuo. Sed ego tibi nunc

nunc dicam verum de eo, quod scio, & intelligo in Domino. Quæ in me DEUS est operatus, ac spiritus, quem mihi dedit, & gratiæ extraordinariæ, quas mihi præstitit, atq; viæ, quibus me duxit, fuerunt admirabiles, utpote opus ipsius potétis dextræ. Videtur Dominus in suo cœlesti horto suarũ misericordiarum, beneficiorum, ac donorum cœlestium, viarúmq; admirabilium, ac proficuarum animabus, decerpsisse singulos flores ex singulis plantis, & confecisse ex ijs omnibus suaveolentissimum, magnæque virtutis ac utilitatis fasciculum, & illum posuisse in suo Altari, seu sacra mensa, ad quam illi servitur, & in qua reponuntur pertinentia ad ipsius obsequium. Sic DEUS mecum videtur egisse. Verùm ego tanquam miserabilis creatura necessario interdum nescivi perfectè conservare illos pretiosos flores, quos mihi DEUS donavit, ut idcirco decideret aliquod folium ex fasciculo, aliàs verò flos, atque aliquando etiam ramusculus: quia conversatio cum animabus ac proximis, & negotia ac opera externa divini obsequij, secum ferunt hæc pericula. Et nisi DEUS singulariter adesset suo auxilio in ejusmodi conversatione & occupationibus, accidere posset frequentiùs, ut qui ijs distinetur, cespitaret, ac etiam caderet. Ista fuerunt, quæ à me DEUS voluit fieri, & hæ viæ, quibus me duxit. Viæ verò, quibus tu, Anima, à DEO duceris, & ea, quæ te vult agere ad suum honorem, ac res internæ & extraordinariæ, sunt diversæ ab his meis: quia potissimùm, quod in te, Anima, DEUS operatur, est purè Spiritus Divinus. Scisne, quomodo id fiat? sicuti, si ex eo fasciculo, quem dixi, mihi fuisse à DEO donatum, & ex omnibus ijs floribus sui viridarij multos decerperet, injectisque ipsis in alembicum suæ bonitatis, potentiæ & sapientiæ, per distillationem ex ijsdem eliceret aquam Angelicam, aquam Divinam, fragrantissimam, suavissimam, & pretiosissimam in suo conspectu, atque hanc tibi daret, & gratiosè donaret, ut illam infunderes in phialam ac vas animæ tuæ, túque illam offerres & poneres in altari ac mensa admirabili, in qua reponuntur, spectantia ad obsequium DEI. Hæc spiritualis aqua ac Divina, est perquam proficua ac secura, optimèque conservat suam virtutem ac pretium. Non est instar floris, qui quandoque marcescit, vel perdit folium, aut patitur aliquod detrimentum, propter majus periculum, cui subest, nè non conservetur. Hæ sunt viæ tuæ, Anima, & spiritus tuus. Et quia tibi Dominus DEUS dedit atq; communicavit magnum amorem sui, ac proximi, nec non efficacia desideria, quantum est in te, faciendi, & amplectendi omnia opera, concernentia ipsius servitium & bonum animum, quantumcunque magna essent ac difficilia, idé spiritus, ex DEI Bonitate, facit sua hæc opera charitatis & servitij Divini, acsi illa præstaret. Ità se res habet. Age magnas gratias DEO, & confortare, ac solatium habe in DEO, & vale. Auditis his verbis ac dictis hujus sanctæ Matris, vehementer est mirata mea anima, & magno solatio fuit repleta; cúmque videret illam, ut putabat, tam citò abeuntem, jámque plurimùm recrearetur ipsius præsentiâ, incepit illi dicere, ac repetere aliquoties: Noli abire, sancta Mater, noli abire, amore DEI, nè me solam relinquas. Sed sancta Mater dicebat amanter & benignè: Non potest aliter fieri, Anima mea, non potest fieri aliter, quàm ut abeam, quia non habeo facultatem à DEO, me diutiùs detinendi. Vale. Tum statim quidam sancti Angeli cõparuerunt meæ animæ, qui sunt ipsam solati, ac distraxerunt, donec sancta Mater discederet.

Istud responsum Gloriosæ sanctæ Teresiæ fuit sapientissimum, & prudentissimum, quod ad præsens propositum dari potuerit, juxta ea, quæ DEUS dixerit Venerabili Marinæ, nimirum, ipsius naturam timidam ac verecundam esse meliorem & securiorem pro vijs extraordinarijs, quibus illam ducebat, & pro admirandis operibus internis, ad quæ ipsam erat elevaturus, operando occultè in proximis per ejus preces, & colloquia privata, ac alia media accommodata ipsius meticulosæ naturæ, quòd per alios sanctos & sanctas operabatur manifestè: sicut aqua Angelica, non minùs diffundit suum odorẽ,

quàm ipsi flores, licèt non sit tam pulchra, quàm illi, ut apparebit in sequenti libro.

§. III.

EX hac visitatione sanctæ Teresiæ à JESU, cum qua familiariter egerat in hac vita, colligamus etiam curam, quam DEUS habuit, gratificandi suæ Famulæ, ut venirent ad illam visendam Sancti ex Cœlo, qui ipsi hîc fuerant noti, vel ut elevata in spiritu ad Cœlum, eosdem ibi videret, & alloqueretur. Quadam vice, *inquit*, cùm paterer graves dolores, visitavit me sacratissima Virgo, adducens secũ duas Virgines, unâ vestitam instar Monialis S. Dominici, & aliam in vestitu seculari. Et postquam me fuisset solata, aspiciens sanctam Monialem, dixit mihi: Novistíne istam? Ego illam aspexi, & non agnovi statim; cogitabam autem, essétne sancta Catharina Senensis? Beatissima Virgo mihi secundò dixit: Aspice ipsam bene. Tunc illam sum intuita attentiùs, atque agnovi esse sororẽ meorum Confessariorum, Monialem ex Monasterio, quod habet nomen à Matre DEI, cum qua mihi intercesserat arcta amicitia ab infantia, quia jam tunc valde seriò erat addicta virtuti. Obijt sanctè, sicut vixerat, & post mortem venit aliquoties ad me visitandam cum magna jucunditate. Atque hac vice, postquam se manifestavit, quæ esset, me est amplexata, & solata in afflictionibus, quas patiebar, dicens mihi, quòd si ob aliquid posset dolere in cœlo, doleret, se non fuisse plus passam in isto exilio. Hoc non dixit, quasi non fuerit multùm passa, sed quia voluisset, ut longè ampliùs passa fuisset, quò magìs placeret suo DEO ac Domino. Deinde mihi dixit Beatissima Virgo, intuita alteram Virginem secularem: Noscisne hanc? & cùm illam bene considerarem, agnovi esse unam meam consobrinam, quæ sexennis desierat vivere; tum etiam rescivi, fuisse illi acceleratum usum rationis, & promeritam esse multum in morte.

Ad extremum, brevitatis causâ, pro nostro solatio, qui etiamnum vivimus, texam brevem catalogum quarundam personarum secularium & religiosarum, quæ vidit in cœlo, quarum nonnullæ venerunt ad illam invisendam. Vidit Serenissimam Reginam Margaritam Austriacã, Conjugem Regis Philippi tertij, magnam Matrem & Protectricem nostræ Societatis, cujus vita adeò pia & exemplaris certam reddit veritatem hujus revelationis; Ducissam de Alba; Dominam Mariam de Toleto, Fundatricem Monasterij Laurę, quæ ostendebat, se esse in magna gloria, propter sua præclara facta; Episcopum Vallisoletanum Franciscum Sobrinum, qui ipsius Confessionem sæpe exceperat, & asseruerat veritatem Purissimæ Conceptionis Beatissimæ Virginis; Doctorem Mendez de Duebla, Auditorem in hac Regia Cancellaria, virum eximiæ pietatis, & summopere addictum isti famulæ DEI: eodemque modo vidit alios ex statu seculari, quos prætermitto.

Vidit etiam multos insignes viros ex Societate, qui illi fuerunt familiares hic Vallisoleti, ut erant P. Garcia de Alarcon, Visitator hujus Provinciæ Castellanæ; P. Christophorus de Ribera, ejusdem Provinciæ Præpositus; P. Philippus de Acunja; P. Franciscus de Lara; Frater Joannes Garciæ; P. Alphonsus Ferrerius, qui fuerat Provincialis, & Præpositus hujus Domûs Professæ; P. Petrus de Leon ipsius Confessarius, & alij, qui illi fuerant à confessionibus, quorum nomina non expressit, fortè quòd eorum fuerit oblita, sicut neque aliorum Patrum sancti Dominici; qui illam similiter erant soliti visitare, & audiverunt confitentem, quósque conspexit in cœlesti gloria; Patrem præterea Sebastianum de Sarmiento ex Societate, qui illi consueverat aperire suas internas afflictiones, quémque ipsa non parum in illis juvit, vidit valde hilarem, dicentem sibi: Bona nova, bona nova, victor, victor. Illa audito hoc dicto timuit, an non incurrerit aliquod periculum. Ipse autem ei respondit: Subtilissima filà ducuntur illâ horâ, sed gratia sint DEO, quòd evaserim victor. Et aliâ vice ipsum vidit, quòd in manibus gestaret suam palmam, in quadam pompa Beatorũ. Rursum cùm defunctus fuisset in Domo Professa quidam Frater, dictus Thomas Bravus, antequam esset munitus Sacramentis, excepta

ptâ extremâ unctione, eò quòd derepente fuerit dimotus à mtione, postridie finito Sacrificio Missæ solenni, quod pro eo fuerat celebratum, vidit ipsum conscendentem Cœlum, cinctum Angelis, & sanctum Patrem Nostrum illi venientem obviàm. In ejus ingressu videbatur totum Cœlum commoveri præ gaudio, ut hinc pateat verum esse, quod dicit sacra Scriptura: Justus, si morte præoccupatus fuerit (*repentinâ*) in refrigerio erit. *Omitto multos alios, quos vidit priùs in Purgatorio, & agnovit, ac deinde adjutos suis orationibus & suffragijs conspexit ascendentes ad cœlum.*

CAPUT XXVIII.

Quomodo Christus Dominus illi revelaverit purissimam Conceptionem suæ Sanctissimæ Matris.

REServavi pro fine hujus Quarti libri speciales revelationes, quas Venerabilis Marina habuit de Purissima Conceptione DEI præ Virginis, immuni à peccato originali, qualem fuisse suo testimonio comprobaverunt illustrissimi Sancti, ut memoratum est. Inceperunt hæ revelationes in Decembri anni 1616. occasione tunc innovatæ Vallisoleti & in universa Hispania prorsus inusitatæ devotionis ad celebrandum hujus mysterij Festum, cui illa semper fuit addictissima. Et quia multæ sunt de eo revelationes, adferemus solùm præcipuas, propè ipsismet verbis, prætermissis nonnullis, quæ illi semper eveniebant in ejusmodi casibus, vel concernunt alia diversa mysteria.

§. I.

CUm, *inquit*, biduo vel triduo ingens gaudium perciperem ex devotione, quâ colebatur Intemeratissima Conceptio Beatissimæ Virginis, aliquando manè venit mihi in mentem quædam hujus argumenti cogitatio, seu ratiocinatio, in qua ità hæsi immersa & abrepta, ut quasi nescirem cujusnam illa esset, meane, an DEI; sed continuò adverti, quòd me Divina Majestas alloqueretur, ac diceret: In quo ex his duobus, quæ proponam, major favor exhiberetur & gratia cuipiam Principi Filiæ magni Regis? an si hic bene illi volens, eam præter morem vestiret, atque exornaret venustissimè, hoc verò facto, ipsam sineret abire, quocunque illam casus deduceret: atque si, ubi eadem Princeps abiens, lapsa fuisset in aliquo non nihil difficili transitu, séque commaculavisset, tum Pater ejus ex amore, quo ipsam prosequeretur, cernens afflictam ac gemètem, illi blandiretur, eámque pacaret, dicendo: Noli affligi, filia mea dilectissima, propter maculam tuæ vestis, ego enim tibi dabo aliam, istâ elegantiorem; juberétq; illam subitò exui eâ veste maculatâ, & indui aliâ elegantiore & pretiosiore? an verò, si idem Rex hanc suam filiam adeò dilectam, postquam illam vestivisset, & venustè ac admirabiliter exornavisset gemmis, apprehensâ ejus manu, sublatam in sua brachia ferret, ac traduceret per illum difficilem & periculosum locum, nè ibi caderet, séque defædaret? Dic jam, quò ex his duobus tibi à me dictis modis existimas majorem favorem & gratiam à Rege præstandam suæ filiæ? Intellecto ac percepto hoc discursu, respondi: Existimo, mi Domine, absque dubio fore majorem gratiâ, quam Rex præstaret suæ filiæ, si ipsam manu duceret, ferrétque in suis brachijs, ditatam à se & exornatam gemmis, nè caderet, séque macularet, quàm si lapsam ac defœdatam rursum vestiret, ac denuò ornaret. Bene est, dixit Dominus, bene est. Sed subijt deinde ea mentem meam cogitatio,

tatio, quomodo ista comparatio Regis, qui tam splendidè exornaret suam filiam, quæ postea cecidisset, séque maculavisset, adaptari posset sanctissimæ Virgini, eò quòd ipsa non fuerit exornata, neque habuerit ulla merita, antequam esset. Dixi id Domino, & Divina Majestas mihi respondit: Bona est comparatio: quia ego in mea æternitate, & in mente mea Divina, istam creaturam elegi in meam Matrem, ipsámque prædestinavi, & in mea prædestinatione jam inde extitit, modo à me explicato. Paulò pòst conspexi duas nubeculas, unam candidam & pulchram, & alteram veluti fuscam, à qua erat quasi obumbranda prior, sed Dominus ipsam detinuit. Et intellexi primam fuisse corpusculum recens formatnm Virginis, alteram verò culpam originalem, quæ illud erat occupatura, sed esse inhibitá à DEO.

§. II.

HAnc eandem veritatem confirmavit aliâ vice Beatissima Virgo, declarando, quid ex semet ipsa haberet. Dum, *inquit*, Dominum, & ejus Matrem quàm instantissimè rogarem, ut felicem sortiretur exitum hoc negotium (in Decembri anni 1617.) alloquuta me est, significando mihi, me id bene ac rationabiliter petere à Domino, & dixit: Amica mea, ego non nego, sed fateor, me esse filiam meorum Parentum: Verùm noveris, Dominum Majestatis ex mera sua bonitate & clemétia mihi præstitisse eam gratiam & misericordiam, ut me præservaret à lapsu peccati originalis, id quod fuerat ab æterno decretum in Consistorio Sanctissimæ Trinitatis, ibidémque erat constitutum, ut Virgo, in qua Verbum Divinum erat assumpturum Carnem humanam, esset purissima & mundissima ab omni macula, & immunis à nævo peccati originalis. Atque hoc est certissimum.

Alio die (in Aprili anni 1618.) cùm post sacram Communionem DEUM orarem, ut hanc veritatem illustraret, respondit Divina Majestas: Nónne vides? Nunquid enim mihi erat assumenda caro ex fæmina, quæ fuisset maculata peccato? indicando, id non fuisse conveniens infinitæ ipsius Bonitati.

Alio die illi dixit Sanctissima Virgo, agens de hoc mysterio: Scias velim, pluris à me fieri gratiam, quòd non fuerim vel per momentum subdita peccato, & inimica DEI, quàm quòd sim ab eo assumpta in Matrem.

Hoc & ideò Divina Virgo asseruit, ut agnosceremus, quàm sit detestabile, nos vivere destitutos gratiâ DEI, & esse ipsius hostes vel unico momento. Neque exiguum hujus rei indicium est, falsa insultatio diaboli, dicentis isti famulæ DEI aliquando cum incredibili rabie: Ista, quàm vos adoratis, fuit priùs mea, quàm vestra; quia Pater mendacij conabatur hac falsitate illâ affligere. Et cùm eo tempore sentiret terribiles cruciatus, dixit ad Dominum: Unde mihi, Domine, advenit tantum malum? qui respondit, provenire illud à diabolo acto in rabiem ob id, quod fiebat pro honoranda sanctissima ejus Matre.

CAPUT

CAPUT XXIX.

Quomodo fuerit à DEO jussa publicare hanc veritatem, & Beatissima Virgo illam ad idem sit hortata, remunerando mysticis donis ipsius curam, quâ id egit.

PEr idem tempus Christus Dominus, & sanctissima ejus Mater illam hortabãtur, ad cooperandũ, quantum esset in ipsa, modo quo posset, ut publicaretur hæc veritas, & promoveretur ista devotio.

§. I.

QVodam die, *ait*, mihi Dominus dixit, accommodando se meæ timidæ ac verecundæ naturæ: Nonne aliquid faceres in mei gratiam? Non ageres gratias Regi Philippo pro obsequio, quod mihi exhibet, dum piè tuetur purissimam Conceptionem meæ sanctissimæ Matris? quia sentiebam ingentem difficultatem in ejusmodi rebus, rogavi illum humiliter, nè mihi id mandaret. Et postquam multis hac de re egissem, quæ brevitatis ergò omitto, sanctus meus Angelus Custos, loquens mihi in intimò & secretissimo meæ animæ recessu, dixit hæc verba: Quod te scribere oportet ad Regem Philippum, est hoc: *Rex Domine noster, millies tibi exosculor pedes, propter eximium obsequium, quod præstas DEO Domino Nostro, ac Sanctissimæ ejus Matri, & propter magnam gratiam, quam nobis omnibus facis, dum tanto pietatis sensu honoras ac tueris Purissimam Conceptionem hujus Dominæ nostræ. Dominus te idcirco remunerabitur; id quod ego ab eo suppliciter petam in meis indignis precibus.* Quid in hoc habes difficultatis? ajebat Angelus. Post biduum vel triduum mihi rursum Angelus est loquutus, dicendo: DEUS sit tecum, serva DEI, & Soror nostra. Constet tibi, me esse ad te missum à Domino Majestatis, ut tibi id persuadeam, de quo tecum est loquutus. Vult verò ut statim exequaris, quod tibi mandatum est, & injunctum: hæc enim est ipsius Divina voluntas. Ego timens, nè Dominus indignaretur, propter repugnantiam, quam ostenderam, dixi illi: Sancte Angele, ob quam causam te Dominus misit ad ferendum mihi istud nuntium, & quare mihi id non dixit Divina Majestas, sicut aliàs consuevit? Estne fortè ista, quòd fuerim tam incircumspecta ac inurbana: & dum mihi significaret, quid hac in re fieri vellet, sim illi obloquuta, exhibendo me ipsi difficilem? Non est hæc causa (dixit Angelus) ob quam tibi non loquitur Dominus per se ipsum, sed quia mihi voluit præstare istam gratiam, ut me constitueret suum legatum, qualem præstat suis Angelis, & præstitit sancto Archangelo Gabrieli, mittendo ipsum, tanquâ suum legatum, ad Beatissimam Virginem, in negotio tanti momenti, quanti erat Incarnatio Filij DEI. Et animadverte, quid hæc Domina responderit ad nuntium Angeli: dicendo tandem: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Atque hoc supposito, quid respondes ad id, quod tibi dixi nomine DEI? Id ipsum, ajebam ego, quod respondit mea Domina, Virgo MARIA, cujus sum ancilla, & dico: Ecce vilissimus vermis & creatura Domini, fiat in me voluntas ejus, quia eadem est mea, nec aliud volo ac desidero. Bene est (dixit Angelus) vale. Subitò desijt videri à mea anima. Et scripsi Epistolam ad Regem Philippum tertium, sicut mihi fuerat imperatum.

Aliam Epistolam jussit ipsam scribere deinde ad eundem Regem, adhibitâ operâ duorum Angelorum, cum multis circumstantijs, quas etiam omitto, dicendo illi, ut ei scriberet, expedire ad majorem gloriam Domini DEI, & obsequium ipsius, ac sanctissimæ ejus Matris, ut Episcopatibus ac Prælatu-

ris Hispaniæ prospiciat de personis, non solùm bene meritis, sed etiam qui teneant & profiteantur sententiam de Purissima Conceptione Beatissimæ Virginis, conceptæ sinè peccato originali. Hæc Epistola fuit scripta ac tradita ipsimet Regi ad manum.

Alias literas exaravit ad Reverendissimum Patrem Provincialem Ordinis Prædicatorum, Fratrem Dominicum Pimentellum, in hæc verba:

DEUS sit in anima Tuæ Paternitatis, détque ipsi suum sanctissimum ac Divinum Amorem.

Reverendissime Pater, bene adverterit Tua Paternitas, quàm timidè ac verecundè egerim, eò quòd non fecerim, quod debeo, ut clarè ipsi loquerer de negotio Purissimæ Conceptionis sanctissimæ Virginis MARIÆ Dominæ nostræ. Non feci bene, ùt dico, & Dominus DEUS noster Majestatis me propterea reprehendit: Quia postquam mihi injunxisset, ut exponerem ac dicerem, quod intellexeram à Divina Majestate, de veritate hujus sanctæ doctrinæ, designavissetque mihi viros graves, & sapientes ac Religiosos, atque ex Ordine Nostro, quibus id dicerem; postquam etiam fuissem obsequuta obedienter, quoad cæteros, id quod per DEI misericordiam habuit optimum successum, tantùm cum Tua Paternitate, quæ erat ex designatis, quibuscum mihi erat agendum fusiùs, egi timidè & verecundè. Nollem hunc defectum utrique imputari, quòd ego sim inobediens; Tuæ autem Paternitati, nescio desitne dispositio. Negotium in eo versatur, mi Domine; quòd sit infallibilis veritas, sanctissimam Virginem MARIAM Dominam nostram fuisse conceptam sine peccato originali, quod scio ab ipsomet DEO, qui est veritas infallibilis, quæ non potest falli, neque nos fallere. Et quia hoc est præcipuum, sufficiat. Omitto allegare Sanctos, & Nostros, quemadmodum etiam possem. Benedictus sit DEUS! Cùm ità sit, obsecro Tuam Paternitatem, quàm maximè possum, & rogo Nomine DEI, in cujus versor præsentia, dum id dico, expendat hanc rem bene, & amplectatur ex corde, atque credat, esse veram istam sanctam sententiam, quam pleriq; omnes tenemus, ad majorem gloriam DEI Domini Nostri, & sanctissimæ ipsius Matris, animétque se Tua Paternitas ad id, siquidé ista sancta doctrina æquè potest teneri propter honorem sanctissimæ Virginis Dominæ Nostræ, & tenenda est, quia est vera, ac summus Pontifex nobis concessit, ut ipsam honoraremus, eique faveremus, volens, ut ista doceatur pro concione, & contraria, quoad id, prematur silentio. Hoc est, quod fieri convenit, & quod DEUS vult à tua Paternitate. Atque id sufficiat, amore DEI. Divina Majestas Tuam Paternitatem conservet, exornétque cumulatè donis cœlestibus ipsius animam. Ex Domo, Die Martis.

Marina de Escobar.

§. II.

JUssu itidem DEI scripsit alias literas Reverendissimo Patri Generali Ordinis Sancti Dominici, rogando ipsum, curaret, ut omnes ex ejus Religione propenderent ad hanc sententiam, & sigillatim loquuta est Patribus ejusdem Ordinis, qui ipsam invisebant, scripsitque de hoc ipso ad absentes, qui illam noverant. Ut autem intelligerem, *inquit*, quantum DEO placeat, si fiat, quod ipse jubet, etiamsi non sortiatur statim optatum exitum, dignatus est mihi manifestare, quid contigerit eo tempore, quo meæ literæ fuerunt traditæ Reverendissimo Generali Sancti Dominici, quia juxta bonas conjecturas, tunc accidit hæc visio.

Cùm vacarem Orationi (in Januario 1617.) converti oculos animæ ad meos Dominos quatuor Angelos, & vidi illos splendidissimè indutos, atque exornatos auro purissimo cœlesti, & gemmis. Quamvis autem illis exhibuerim honorem, vix ipsos volebam aspicere. Quotiescunque enim Dominus mihi exhibet tam pulchra & gloriosa hujusmodi spectacula, sic soleo reluctari. Nam in hac vita non desidero videre tam admiranda, & quæ tanto solatio afficiunt animam. Sed obstupescens dixi

dixi illis: Domini mei, nónne mihi dicent, quare sint taliter ornati, & præter morem gloriosi? id enim fieri consuevit, quando speciale Festum celebratur in nostra Ecclesia, & Dominus Majestatis vult, ut celebretur ac honoretur in cœlesti Jerosolyma: verùm ego modò neque video, neq; percipio ullam talem solennitatem. Solennissimum Festum agitur, Soror (dixerunt illi) in cœlesti Jerosolyma hoc die. Et ratio est, quia hodie per te Nomine DEI & sanctissimæ ipsius Matris intimatur Ordini Sancti Dominici, quæ sit sanctissima ejus voluntas, quoad opinionem, quam ab illis vult teneri, de materia Purissimæ Conceptionis Dominæ Nostræ. Illud festum solennissimè celebramus sancti Angeli in cœlesti Aula. Audiens id ab ipsis dici, obstupui, dixíque illis: Estne possibile, mei Domini, quòd propterea celebretur tantum Festum? & quòd hoc tantopere fuerit DEO gratum, eíque placuerit? Tunc, dummodo DEO gratum esset, ac placeret, ut dicerem, quod ea de re sciebam, concepi desiderium id ipsum exponendi ac indicandi ipsius nomine universo Ordini Sancti Dominici, quemadmodum faciebam.

§. III.

PRæterea ut pateret, quomodo Beatissima Virgo remuneretur obsequia sibi præstita, notabiles fuerunt eæ revelationes, quas ità refert: Dum aliquando manè (in Decembri anno 1616.) agerem cum DEO, & circumspicerem oculis animæ, vidi venientem, mihíque appropinquantem sanctissimam Virginem, Dominam nostram, mirè speciosam, comitantibus illam plurimis Angelis DEI. Dexteram autem ipsius stipabat sanctus Michaël, & sinistram sanctus Gabriel. Dixitque mihi amantissimè: Amica mea, & serva DEI, magnas habeo gratias pro eo, quod fecisti, quódque pro meo honore istâ occurrente occasione præstitisti. DEUS te remunerabitur. Cùm audivissem id ab illa esse dictum, neque meminissem cujusquam rei pro ejus honore præstitæ, mirata sum, ac dixi: Saeratissima Domina mea, verè ego non memini, quid pro tuo honore fecerim. Omnino fecisti (subjecit) eâ occasione, quæ se tibi obtulit, ideóque tibi refero gratias. Quod verò nunc vellem, est, ut alloquereris, quos scis, & novisti (significans mihi, qui essent isti) dicerésque ipsis id, quod tibi mecum nunc evenit, & ego dixi: Quid tibi videtur hac de re, quam à te peto? Audivi, quod sanctissima Virgo mihi dixerat, & quia eram resignata in DEI voluntatè, respondi: Domina mea, certè libenter facio, quod mihi imperas, si tibi sit gratum ac placeat; verùm spectatâ dispositione rerum præsentium, existimo ipsos mihi non credituros, nihilque mea dicta profutura. Et quia me pudebat, quod adeò liberè alloquuta fuissem tam magnam Dominam, tamque sapientem, dixi: Nósti, Domina mea, me nihil scire, & esse ignorantem. Bene est (dixit sanctissima Virgo) probè scis, quòd, ex quo Filius DEI venit in mundum, & publicatum fuit ac prædicatum Evangelium, semper viguerit in Ecclesia Catholica mos intimandi Verbú DEI, sive id bene susciperetur, sive malè: ideóque non debet tergiversari is, quem DEUS vult loqui, ac denunciare veritatem, quia sic satisfacit suæ obligationi, quamvis non obtineatur finis & fructus, qui optatur, & esset obtinendus. Verùm, ut ut se res habeat, id quod modo facies, erit, conferre, quod tibi mecum contigit, & à me audivisti, cum tuo Confessario, eidémque aperire ac facere, quidquid ille tibi injunxerit Nomine DEI, & meo; hoc enim erit magis conforme tuæ naturæ timidæ, atque adferet tuæ animæ solatium. His à sanctissima Virgine auditis, fui recreata. Addidit autem statim: Dic mihi modò, quid tibi debeo dare pro exhibito mihi obsequio? quid vis tibi à me dari? Tunc respondi: Mea Domina, si tua Majestas, quia es, quæ es, mihi vult præstare magnã aliquam gratiam & favorem, id quod à te peto, ac demissè postulo, est, ut mihi impetres à tuo pretioso Filio, ac Domino meo, lumen & gratiam, nè aberrem ab ipsius veritatibus, & sanctissima voluntate, utque tu sis illuminatrix & dux, ac adjutrix

trix mei Confessarij in omnibus occasionibus, quæ ipsi occurrunt, & necessitatibus animæ ipsius; hoc à te peto, pro præmio. Sit ità (dixit sanctissima Virgo) verùm ego etiam tibi nunc volo præstare gratiam, dareque tibi meâ manu quoddam cimelium ac donum. Et impositâ suâ sanctissimâ manu ad suum sinum, exemit torquem ex auro purissimo & gemmis inæstimabilis pretij, ac splendidissimis, injiciendóque ipsum in meum collum, dixit: Accipe, Amica, istud donum, quod tibi do ex amore, & æstima illud magni, atque custodi, & conserva in corde tuo, ac anima: cum eo enim eris secura, & non poterit te lædere, neque tibi nocere, aut damnum inferre dæmon, qui deinceps timebit, ac tremet coram te, sicut timet hostis inermis, quando videt suum adversarium instructum validis armis, tum pro sui defensione, tum pro illo offendendo. Postquam hoc audivissem, vidissémque me ditatam illo pretiosissimo & mystico torque, stupebam vehementer & erubescebam, quòd me viderem ità ornatam: Videbárque mihi tremere, & vix mihi incidebat modus, quo agendæ essent gratiæ illi sacratissimæ Dominæ, pro tanta gratia & favore mihi ab ea exhibito. Videns id sanctus meus Angelus Custos, supplevit illum defectum, actis magnis gratijs eidem Dominæ pro præstita mihi gratia, & accedens ad me, abstulit ex meo collo illum pretiosum torquem, imposuitque ipsum, & intromisit mysticè ac admirabiliter in meam animam, ità ut anima re verâ acceperit, possideátque illa dona, & gratias significatas, atque expressas per illum mysticum torquem: quin & ipsa natura videtur accepisse suam partem levaminis ac solatij, & nescio quæ bona, ut vix ea sciam explicare, propterea quòd parum in id propendeam, ut illa fiat particeps bonorum, & solatiorũ animæ, donec adveniat ipsius tempus, quod DEUS decrevit.

§. IV.

ALiàs agens cum DEO, vidi venientem Beatam Virginem speciosissimã, & cum comitatu multorum Angelorum. Ferebat in sua manu coronam textam ex floribus, & ego recurri ad DEUM, sicut soleo, atque post mediam circiter horam, tranquillato corde, Virgo me accessit, salutánsque me, dixit: Accipe istam coronam, pro præstitis mihi obsequijs. Et imposuit illam meo capiti, vidíque oculis animæ, totam fuisse quasi conversam in aurum. Deinde subjunxit: Veni mecum. Apprehendénsq; ipsa unũ meum brachiũ, & alterum alia persona, quam non videbam, qualis esset (postea rescivi fuisse meũ sanctum Angelum Custodem) ascendi per quosdam gradus ad thronum, in quo Christus Dominus sedebat circumdatus innumeris Angelis. Postquam accessissem, prostravi me, & deponens coronã, deposui illam ad ipsius pedes. Dominus me est solatus, & cùm se moveret, acsi se vellet inclinare ad accipiendam coronam, accesserunt Angeli, qui eam elevaverunt, & ipsi porrexerunt. Dixitque mihi Dominus: Ecce hìc tibi restituo coronam perfectiorem, & in Nomine mei Patris, ac meo, & Spiritûs sancti te benedico. Vade in pace. Intellexi verò deinde à meo Angelo, restitutam mihi fuisse à Domino coronam perfectiorem ideò, quòd acceptaverit actum, quo ipsam deposueram ad illius pedes, attribuerámque illi omnia.

Alio die, audivi solennem musicam in Cœlo, & vidi descendentem sacratissimam Virginem, ornatam pallio cæruleo elegantissimo, cum qua veniebant, Processionaliter multi Sancti & Sanctæ. Postquam pervenissent ad meum cubiculum, prostravi me, & mei sancti Angeli me adduxerunt ad Beatam Virginem, vidíque me splendidè vestitam alio pallio, & habitu coloris ac formæ monialium sanctæ Birgittæ. Beata Virgo incepit ascendere ad cœlum per quosdam veluti gradus, & cum illa Sancti ac Sanctæ ordine geminato, atque ego unà cum ipsis. Ubi sacratissima Virgo ingressa fuisset Cœlum, venissetque ad Thronum Beatissimæ Trinitatis, hæc illi dixit: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Et cùm subitò apprehendisset Beatissima Virgo meam manũ, dixit

dixit ad Patrem æternum: Domine, ista est amica mea, & famula tua, Marina: quale præmium ipsi vis dare pro obsequio, quod tibi exhibuit, promulgando, ut potuit, meam purissimam Conceptionem? Dominus illi dixit, se permittere, ut mihi pro suo arbitrio daret ejus nomine, quidquid vellet. Hoc audito, Beatissima Virgo imposuit elegantem torquem meo collo, dicens mihi: Accipe istum torquem in signum doni perseverantiæ, quod tibi do nomine Filij mei. Ac deinde me exornavit alio pretiosissimo, dicendo, eum esse pignus præmiorum, quibus postea essem fruitura, brevi enim me migraturâ. Tum Sancti solemniter circumiverunt cœlum, canentibus Angelis quosdam hymnos de Beatissima Virgine, quibus finitis cum ecstasi, me inveni restitutam meo lecto.

CAPVT XXX.

De notatu dignis, quæ illi acciderunt cum Gloriosis Sanctis Dominico & Thoma, atque alijs Sanctis ex ejus Religione, comprobantibus Immaculatam Conceptionem Beatissimæ Virginis.

Dignissima notatu fuerunt, quæ hoc tempore isti Famulæ DEI evenerunt cum Sanctis Ordinis Sancti Dominici, ex quibus afferemus præcipua, ad perhibendum eximium testimonium veritatis, de Purissima Conceptione Magnæ DEI Matris.

§. I.

HOc tempore me interrogavit quidâ magnæ authoritatis Religiosus, ex Ordine Sancti Dominici, qui magnam habebat rerum mearum notitiam, an sanctus Dominicus mihi aliquid esset loquutus de hac materia, quæ agitatur, concernente Purissimam Conceptionem Beatissimæ Virginis. Respondi illi, non fuisse mihi quidquam loquutum, neque ipsum à me fuisse visum multis jam diebus. Biduo autem vel triduo pòst, agens cum DEO, adverti in mea anima, more solito quædam indicia, quòd Divina Majestas mihi esset exhibitura extraordinariâ gratiam, atque unà intellexi, eam fore aliquam visionem Gloriosi Sancti Dominici. Et quia sum adeò timida in his materijs spiritualibus, atque ille Religiosus me interrogaverat, an vidissem Sanctum, dixi statim ad DEUM valde seriò: Non, Domine, non, Domine, nullo modo me oportet videre sanctum Dominicum: siquidem postquam ille servus tuus me interrogavit, an illum viderim, cogitandum mihi est, vel credendum, quòd, si mihi illum nunc ostendas, sit mea imaginatio, orta ex interrogatione illius Religiosi, & propterea, tuâ veniâ, nollem ipsum videre. Bene est (dixit Dominus) scito tamen, me habere multos modos ducendi animas, & peragendi in illis, quod volo. Ordinariè me accommodo naturæ, quam unicuique dedi; subinde illis manifesto diversis vijs, quod sum facturus; aliquando autem me gero ut Dominum animæ, & venio, vel mitto ad illam, dum volo, & sicut volo, juxta meam voluntatem, ac dispositionem animæ. Ideóque conticesce, & non te turbet cogitatio, de qua loquutaes. Audiens id à Domino, conticui, neque ea de re quidquam ampliùs dixi.

Paulò pòst circumtuli oculos animæ, & conspexi Beatum sanctum Thomam, qui mihi gravi quodam & sapientissimo modo dixit: Soror, exhibe mihi istam charitatem, & gratiam, amore DEI, ut dicas meis Fratribus, me, si fortè cogitant, quòd me honorent, mihique rem faciant gratam;

ac præstent obsequium, dum defendunt opinionem, quæ nunc tantopere discutitur de sanctissima Conceptione, ipsis significare, mihi hac in re nullum exhiberi ab illis obsequium, neque ullum deferri honorem. Dic illis id, ob reverentiam DEI, quem amas, & ejus Matris. Atque hoc dicto mihi valedixit, & abivit. Ego vehementer obstupui talia DEI opera, & quod mihi fuerat dictum à Sancto.

Cùm id scriberem, & pervenirem ad verba, quæ dixit Sanctus Thomas *De Sanctissima Conceptione* Dominæ Nostræ, substiti, rogans DEUM, ut illuminaret meũ intellectum ac memoriam, nè alia scriberem verba, quàm dicta à Sancto. Ità me hæsitantem Domini mei Angeli, & alij cœlestes Palatini, inceperunt valde potenter & vehementer urgere, dicendo: Ità dic, Soror, ità dic, quia ità tibi dicendum est, & ità dixit Sanctus. Dic ità. Ideóque fui compulsa, ad hoc scribendum.

Paulò pòst vidi venientem Beatum sanctum Dominicum, qui apprehenso meo brachio, dixit mihi: Surge, Soror, & nè te affligas, nec turberis meo adventu, neque enim tecum volo de eo loqui, quod tu times: id námque jam fecit sanctus Thomas. Veni mecum, & videbis, quod te magno afficiet solatio. Fui subitò abrepta. Erectam verò me, duxit secum quasi ad sex passus, dixítque mihi: Aspice Soror; dato mihi quasi signo, quónam deberem aspicere. Elevavi oculos animæ, & vidi vicinissimam mihi sanctissimam Virginé, cinctam multis Angelis: ad dextram suam ducebat sanctam Catharinam Senensem, & ad alteram manum sanctam Luciam. Intuita me est peramanter, ac dixit mihi: DEUS sit tecum, Soror. Omissis alijs, quæ evenerunt, brevitatis causâ, gloriosus Sanctus Dominicus discooperuit aliquantum meum caput, quod habebam tectum quodam velo, quasi coloris cærulei. Sanctissima Virgo intingens quandam plumulam, veluti auream, in aliquo pretioso liquore, qui habebat colorem rutilantis rubini, quem gloriosa Sancta Lucia ferebat in quodam quasi reliquiario, seu vasculo, signavit trinâ cruce meum caput, modo quodam admirabili, ut mihi id videretur esse quædam repræsentatio mysterij Sanctissimæ Trinitatis. Deinde signavit aliâ unicâ Cruce frontem, & aliâ os, aliâ verò pectus, orando pro me; & Beatus Sanctus Dominicus rursum cooperuit meum caput velo. Non dixit mihi Beatissima Virgo, quid hoc significaret, sed, ut mihi persuaderem, totum cedere ad majus bonum, & solatium animæ.

Postea conjeci oculos in Beatam Sanctam Catharinam Senensem: quia semper illam amavi à mea infantia, quæ me intuita quàm amantissimè & jucundissimè, dixit mihi: DEUS sit tecum Soror. Et tangens suâ manu sanctissimam Virginem, dixit: Aspice, mea Amica, aspice istam sacratissimam Dominam nostram, tam sanctam ac Divinam, tam admirabilem, & tam speciosam & pulchram, tam puram & mundam ab omni macula, atq; ab omni culpa ac peccato, quo nunquam fuit contaminata, nè quidem Originali, quod est verum. Auditis ijs, quæ ista Beata Sancta dicebat, modo quodam sapientissimo, ferventi & efficaci, fui repleta magno solatio & stupore, agens magnas DEO gratias, & sanctissimæ ejus Matri, pro omnibus ipsius Divinis operibus. Tum Beatissima Virgo à me discessit, dixítque mihi: Aspice, Amica, Luciam, cui magnopere afficior, & vale.

§. II.

DIe Gloriosi Sancti Dominici, horâ tertiâ matutinâ (in Augusto anni 1622.) me est dignatus Sanctus Patriarcha invisere, comitantibus ipsum multis Sanctis ex sacra ejus Religione, & magno numero Angelorum DEI. Salutavit me Sanctus, dixítque se venire nomine DEI, ut me ducat ad suum Conventum hujus Urbis, pro consequendis Indulgentijs sui Festi. Duxerunt me Domini mei Angeli, indutam quadam quasi togâ talari, quæ habebat manicas pertingentes usque ad cubitos, & erat coloris quasi fusci, præterea coopertam pallio. Ivi pedes, quamvis aliquantum elevata, cum omnibus his San-

Sanctis. Antecessit sanctus Patriarcha, ac postquam venit ad Ecclesiam, fuerunt illi apertæ portæ Conventûs, & disparuit mihi. Intravi in Ecclesiam, quæ tota erat plena luminibus, & splendoribus cœlestibus, ac propterea undique coruscans; ubi vidi quosdam Religiosos ex viventibus, qui manè surrexerant; & nonnullos agnovi: Ingressa oravi, & vidi Majestatem Christi JESU Domini Nostri, ipsiúsque sanctissimam Matrem in summo Sacello, qui habebant in medio Gloriosum sanctum Dominicum, quasi illum in Domo ejus ac Festo honorantes. Accessi ad pedes JESU Christi Domini nostri, adoravi ipsum, & dedit mihi suam sanctissimam benedictionem, dixitque mihi: In nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti, tibi concedo has Indulgentias; sed & sanctissima Virgo, ac sanctus Patriarcha mihi sunt bene precati. Postea Christus JESUS Dominus noster bene precatus est Instituto Ordinis Sancti Dominici, ac deinde omnibus ipsius filijs quàm affabilissimè & amantissimè. Postea vidi venientes multos Religiosos Ordinis ex ijs, qui etiamnum degunt in carne mortali, ad ferream cratem Collegij Sancti Gregorij, quorum erat ingens numerus, & quosdam agnovi. Ibant autem bini, & comitabantur ipsos multi Angeli DEI. Accedebant ad locum, in quo erant Christus JESUS, unicum nostrum Bonum, & ipsius sanctissima Mater, ac sanctus Patriarcha, ibique se prosternebant, ac statim modicùm erigebant, & Dominus illis benedicebat, imponebátque suam sacram manum capiti singulorum, peramanter & affabiliter. Deinde Beatissima Virgo illis est impertita suam benedictionem, quæ imponebat cum magna benevolentia suas sacratissimas manus, singulorum humero, *quasi illis agendo gratias pro devotione, quâ afficerentur erga ejus Majestatem, & Purissimam ipsius Conceptionem: omnes enim illi, qui advenerunt, tenebant piam opinionem, & hi, ut dico, erant multi.* Dixitque illis, se ipsis semper gratificaturam, & futuram eorum specialem Advocatam, neque illos unquam deserturam. Sanctus quoque Patriarcha illis bene precatus est cum magna charitate. Dum spectarem hoc mysterium cum magno meo solatio, audivi, quòd venirent colloquentes à ferrea crate ejusdem Collegij multi Angeli, & differentes cum quodam Patre gravi Ordinis, ac pererudito, mihi bene noto. *Hic veniebat cum sancto Doctore Thoma, qui ipsi agebat magnas gratias pro eo, quod fecerat in favorem piæ opinionis de Sanctissima Conceptione.* Mox vidi venientes alios multos Angelos, qui comitabantur alium Patrem gravem ejusdem Ordinis, quem etiam novi, veniebántque loquentes cum ipso de eadem materia, & hi duo Patres simul, qui hodiéque vivunt, fuerunt ducti ab Angelis ad conspectum Christi JESU Domini Nostri, & sanctissimæ ejus Matris, ac sancti Dominici, dederúntque ipsis suâ benedictionem eodem modo & ordine, quo reliquis.

§. III.

ALiquando vidi quendâ Beatum Religiosum ex Ordine Sancti Dominici, qui exceperat meas Confessiones per aliquot menses. Salutavit me jucundè; & cùm illum intuerer, vidi quòd sustineret manibus nonnihil elevatam vestem superiorem, in qua habebat multas gemmas, & illis immixtos flores suaveolétes, quamvis eos tunc non viderim, donec Sanctus expanderet habitum, & mihi ipsos ostenderet, dicéns cum magno gaudio: Aspice, Anima, quid tibi feram, ut videas, & recreeris in Domino. Magno me affecit solatio aspectus eorum thesaurorum, quia mihi videbantur esse magni pretij & valoris. Interrogavi ipsum: Quales thesauri sunt isti? & quales flores? Respondit mihi: Hæ gemmæ, quas hîc vides, sunt symbolum, & *repræsentant magnum valorem ac pretium sententiæ, quam tenent nonnulli Religiosi nostri sacri Ordinis, de Purissima Conceptione Beatissimæ Virginis.* Hi flores autem sunt figura & repræsentatio opinionis contrariæ, quam tenent cæteri Religiosi nostræ Religionis. Scito, quòd DEUS mihi dignatus sit injungere hoc munus, ut colligam istas gemmas, & hunc fructum ac

flores

flores, atque cùm ab eo fuero jussus, illos exhibeam ac offeram Sanctissimæ Virgini Dominæ Nostræ, nomine omnium Religiosorum nostræ sanctæ Religionis, quæ libentissimè hoc donum suscipit, & gratissimo animo: gemmas, propter veram sententiam; & flores, propter bonam intentionem ejus, qui illos offert. Ingens cepi solatium ex his dictis. Dum autem mihi valediceret, dixit mihi: Accipe hanc gemmam ex mea manu, ut confortéris ac recreeris in Domino; & imprimens illam meo pectori, impertiensque mihi suam benedictionem, discessit.

CAPUT XXXI.

De eo, quod illi hac ipsa in re evenit cum alijs Sanctis.

Videtur Gloriosus sanctus Ildephonsus voluisse docere Concionatores modum publicandi in quavis concione Purissimæ Conceptionē Beatissimæ Virginis, cui fuerit tantopere addictus in vita. Cùm enim eo tēpore Vallisoleti sæpe concionaretur loci Episcopus D. Franciscus Sobrinus, quem Marina apprimè noverat, & quo frequenter usa fuerat conscientiæ arbitro, esset que quasi afflicta, quòd non posset audire ullam concionem, dixerunt illi ipsius Angeli: Noli affligi, brevi enim aliquam audies, quæ tibi magnum adferet solatium. Subitò conspexit venientem Gloriosum S. Ildephonsum, qui in admirabili cathedra ibi extructa, superponens manum uni ejus lateri, & alteram alteri, exorsus est dicendo: Laudetur purissima Conceptio Beatissimæ Virginis MARIÆ, immunis à peccato originali. *Ac deinde dixit admiranda, quam omnes creaturæ sint obligatæ suo Creatori.*

§. I.

Sed mirabilius est, quod illi contigit cum ipsomet Episcopo Domino Francisco Sobrino, qui modico post tempore diem obiemt, & migraverat ad Cœlum, sicut sancta ipsius vita, & multa obsequia, quæ per complures annos exhibuit Divinæ Majestati, merebantur. Profectus fuerat Madritum, vocatus à Rege Philippo Tertio, ad negotia concernentia Conceptionem Beatissimæ Virginis, atque tum vivere desijt in Januario anni 1618. Paulò post comparuit Marinæ, gaudens, dixitque ipsi: Constet tibi, me in hora meæ mortis habuisse ingens solatium, propter obsequium, quod exhibui DEO, & sanctissimæ ipsius Matri, in defendenda ejus Purissima Conceptione. Tum, *ait ipsa*, ego illum interrogavi: Dic mihi autem, sancte Pater, quid hoc super argumento ibi rescivisti, & quid vidisti? Respondit mihi peramœnè: Quod intellexi, defendi, & credidi, id hic vidi & cognovi; atque hoc dicto à me discessit, relinquens me in quodam raptu meæ animæ. Post biduum oblatâ mihi quâdam occasione loquendi de materia hujus sanctæ Conceptionis, cum aliqua persona, dum hac de re cogitarem, alloquutus est me iterum, & cum magno ardore, bis terve eadem verba repetens, mihi dixit: Noli esse timida, noli esse timida, neque pudibunda, in loquendo de hoc argumento, nec intermitte promovere, pro viribus, hanc sanctam opinionem, quam tenes.

§. II.

Per idem tempus, quidam Religiosus Sancti Dominici disserens de hac materia, aperuerat causam, ob quam non crederet his novis revelationibus, dicendo: Quare, cùm DEUS possit inspirare Pontifici hanc veritatem Conceptionis, id non faceret? & quomodo manifestaret res tam admirandas unā fœminæ? esseque rem valde difficilem, cogitare,

tare, quòd ista fœmina possit integrum Religionem perducere in suam opinionem. Devenit hæc res in notitiam Marinæ, cúmque ipsa eam perpenderet, agens cum Domino, dicta illi fuerunt ab eo ista verba: Nunquid ego fortè opus habeo magnis instrumentis, ut loquantur admirandis & stupendis operibus id, quod ego volo facere? Nunquid pro subjiciendo mihi mundo, & fundanda mea Ecclesia, elegi magnos & eximios Sapientes? Non, profectò, sed pauperes, & rudes piscatorculos, qui exercebant suis refectis retibus hanc artem? Et nónne, cùm possem loqui per me ipsú, & per Angelum, vel alio modo, quo voluissem, loqui volui per asellam Prophetæ Balaam, & sæpe loquor per innocentes infantes, ac per simplices & idiotas: neque cupio aut volo loqui cum ijs, qui suo intellectu & ingenio naturali volunt humanæ similem reddere scientiam meam Diviná, volúntque indagare veritatem meorum judiciorum, & illa penetrare atque scrutari, cur non fiat hoc, & cur fiat illud; quos oportet animadvertere, nè se intromittant in explorandam veritatem meorum sapientissimorum judiciorum? Estne fortasse mihi quidpiam novi, loqui cum humilibus & parvulis, ac bene dispositis, nec non facere magna opera per debilia instrumẽtà? Antiquum est id, ac ordinarium, atque dignissimum meâ Majestate ac Sapientiâ, & facio, quod volo, pro meo libitu, non indigens ullâ re, vel quoquam homine. Unde discitur ac discendum est, quid sit infinitudo meorum judiciorum, ac tenuitas & exiguitas humanæ scientiæ.

§. III.

Adjungamus hoc loco, quomodo approbaverint id, quod de hoc argumento est scriptum, duo Religiosi Patriarchæ, Sanctus Dominicus, & sanctus Ignatius. Agenti mihi, *inquit*, aliquando manè cum DEO, indicavit Divina Majestas, more consueto, præstandam aliquam extraordinariam misericordiam. Statim instantissimè petij à DEO sanctissimum ipsius lumen, pro cognoscendis ejus veritatibus, iisque assequendis. Et post biduum, nihil tale cogitans, vidi introeuntes quasi per portam cubiculi, in quo erant Angeli DEI, cum luce & claritate, quosdam sanctos Religiosos, ac postea Beatum sanctum Dominicum, & sanctum Ignatium; quibus ingressis in cubiculum, sancti Religiosi ex eorum ordine collocaverunt quàm reverentissimè quasdam sedes, valde mirabiles & magnificas, in quibus consederunt quàm modestissimè & gravissimè, méque salutaverunt, & Beatus sanctus Dominicus rogavit sanctum Ignatium honorificè, & reverenter detecto capite, ut ipse me alloqueretur, diceretque mihi, quam ob causam venissent nomine DEI; sed Beatus sanctus Ignatius humillimè, discooperto similiter capite, petivit amore DEI, ut ille id præstaret, cùm esset res adeò æqua & conveniens. Perseveraverunt aliquamdiu in hoc sancto certamine, ac tandem vicit obedientia sanctum Dominicum, & humilitas sanctum Ignatium, ideóque incepit loqui Beatus sanctus Dominicus, & dixit mihi: Soror nostra, vides hìc (& tetigit illum manu) Beatum sanctum Ignatium, Patrem tuum, qui venit ad te invisendam, alloquendam, atque ad gratificandum tibi. Licèt verò & ego sim tuus Pater, téque sim adjuturus ac protecturus, in quacunq; re potero, isti Benedicto Sancto tamen principaliùs congruit hoc munus Patris, propter multa tua merita. Et hoc dicendo, aspiciebat quendam sanctú Angelum loquentem cum duobus, ex ijs, qui ordinariè adsunt in meo cubiculo; ac deinde intuitus me, dixit mihi: Nos, Soror, venimus, ità jubente & facultatem concedente DEO, ut tibi referamus gratias pro eo, quod fecisti & scripsisti de hoc argumento, concernente Purissimam Cóceptionem Beatissimæ Virginis, dicemúsqué tibi, quàm id bene factum sit, quámque fuerit gratum DEO, & sanctissimæ ejus Matri. Habe solatium in Domino, qui te propterea remunerabitur. Hoc audito, quódammodo obstupui, & fui mihi erepta, atque confugi ad DEUM, quia

propter meos timores omnia mihi videntur nova; & paulò post redij, ac petij, mihi id ignosci à Sancto, qui mihi dixit; Nè tè idcirco affligas, Soror. Tum dixi: Benedicte Sancte, ego sum miserabilis peccatrix; & obnoxia cuidam defectui, quem existimo esse superbiam, éstque iste, quod mihi aliquando veniat in mentem, quasi eminus: si Papa definiret contrarium nostræ opinioni, & ijs, quæ scripta sunt de dicta materia, quid de me fieret? & quales essent afflictiones meæ animæ, dum arbitrarer, me erravisse? quia veritas, & quod oportet credere, est illud, quod definiverit Papa. Noli affligi Soror (dixit Sanctus) nec admitte istam cogitationem, neque illam cura. Permitte id DEO, nec puta esse superbiam, cùm non sit; sed effectus nimiorum tuæ animæ timorum. Hinc mea anima percepit solatium, & fuit recreata. Deinde mihi dixit: Dices meis dilectis Filijs (& nominavit mihi duos) me ipsis agere gratias, pro charitate, quam tibi exhibent, quódque crediderint ijs, quæ scripta sunt, & *à Domino Majestatis, atque à sanctissima ejus Matre, favore & gratiâ cumulandos omnes bene affectos Purissimæ Conceptioni Dominæ Nostræ, ac Matris DEI.* Hoc dicto, rogavit cum humili reverentia Sanctum Ignatium, ut me alloqueretur, diceréteque mihi etiam, ac annuntiaret, cur venisset Nomine DEI, ut sic integrè adimpleretur id, quod ipsis erat injunctũ, & ego majorem acquirerem notitiam illius veritatis, magisque recrearer, & plus caperem solatij.

§. IV.

TUm Sanctus Ignatius, conjectis in me oculis, mihi dixit: Soror, & Filia nostra dilectissima: scias, velim, persuadeásque tibi indubitanter, Domino DEO Nostro Majestatis, ejúsq; sanctissimæ Matri, plurimùm placuisse omnia ea, quæ fecisti & scripsisti concernentia materiam, de qua est loquutus Beatus Sanctus Dominicus, Purissimæ Conceptionis Dominæ Nostræ. Gaude, & solatium habe in DEO. Dices etiam Fratri Nostro, & Filio dilectissimo, magnopere Domino DEO, ac sanctissimæ ejus Matri, factum illius placuisse, & quòd te hac in re juverit, idque à Divina ipsius Majestate illi compensandum maximo præmio, ac fore, ut ei gratificetur. Mihi quoque idem summè placere, ageréque me ipsi gratias, & fecisse illum mihi in eo rem gratissimam, facturúmque semper acceptissimam, dum tibi succurrerit in omnibus, solicitúsque fuerit de te, ac de spectantibus ad animam tuam, & solatium tuum, tanquam de re propria. Hoc illi ex me dices, absque tergiversatione. Dic mihi autem nunc, quomodo valeas, & quem res tuæ habeant successum? Nescio, Benedicte Sancte (dicebam ego) sum plena defectibus, & miserijs, sicut vidisti in eo, quod dixi sancto Dominico, & DEUS te edocebit. Ora pro me Divinam Majestatem. Bene se jam res habet (ajebat Sanctus) ego id faciam, imponensque suam sanctam manum in sinum, exemit rosam candidam instar nivis, & cùm aspicerem Beatum sanctum Dominicum, vidi, quòd teneret in sua aliam rubram, æmulam perfectissimæ purpuræ. Dum se mutuò intuerentur duo Sancti, intelligentes se invicem, commutaverunt rosas, & surgentes ex sellis, in quibus sederunt, iverunt ad me, donec proximè accederent. Ego admirans hoc mysterium, & pudefacta, quòd viderem ad me venientes illos Sanctos, quódque mihi viderentur se inclinavisse, circumspexi oculis animæ, & vidi ipsos agentes cum meo sancto Angelo Custode. Inclinavit se etiam Angelus, & duo illi sancti obtulerunt ipsi eas rosas mysticas, quas ille accepit, & servavit intrà se. Hoc viso fui denuò mirata mysterium, & postquam Sancti redijssent ad suas sellas, interrogavi ipsos humiliter, qualénam mysterium esset illarum rosarum, quas obtulerant meo Angelo. Postea id scies, Soror nostra (dixerunt illi) vale, & quiesce. Nos te commendabimus DEO. Hoc dicto abiverunt, eo modo, quo advenerant. Post octo horas circiter, videns meum sanctum Angelum, qui adhuc ibi manebat, interrogavi ipsum, tametsi cum renitentia, & valdè reverenter. Quale fuit illud mysterium

rium rosarum? Pandam tibi id, Soror, pro tuo solatio, dixit Angelus. Rosa alba, quam mihi pro te obtulit sanctus Dominicus, repræsentabat & significabat veritatem mysterij, quale est in se ipso, Purissimæ Conceptionis Dominæ Nostræ; rubra verò, quam mihi etiam pro te obtulit Sanctus Ignatius, repræsentat ac significat, verè ac fideliter omnia de hoc argumento à te esse scripta. Quòd autem rosas illas permutaverint, quemadmodum vidisti, duo Sancti, factum est ideo, quòd tibi singuli mysticè obtulerint illa duo dona nomine DEI, pro tuo solatio, & bono tuæ animæ. Hoc audito, fui delibuta solatio, agens DEO gratias pro omnibus.

§. V.

ALiam visionem habuit post felicem obitũ Patris Magistri Fr: Laurentij Gutierrez, insignis Ecclesiastæ, ac defẽsoris hujus Immaculatæ Conceptionis, qui cùm esset Rector Collegij Sancti Gregorij, istius Civitatis, sæpe egit cum Venerabili Marina, estque unus ex ijs, qui superiùs fuerunt allegati in favorem hujus sententiæ. Sic igitur ipsa ait: Quodam die Jovis (14. Decembris anni 1623.) mihi dictum est, præteritâ vigiliâ Conceptionis Beatissimæ Virginis defunctum esse Toleti Patrem Magistrum Fratrem Laurentium Gutierrez, ex eodem Ordine sancti Dominici, quæ res me afflixit, eò quòd Ordo jacturam fecisset tanti viri. Commendavi illum enixè DEO in meis indignis orationibus.

Sequenti Sabbatho (16. Decembris) adverti, quòd mihi DEUS vellet præstare gratiam, pandendo mihi aliquod mysterium: & hoc mihi videor quasi expectavisse cum solicitudine, quod nunquam soleo facere; imò me abstraho ab ejusmodi rebus; unde habui scrupulum, & fui afflicta, cogitans, me peccavisse. Sanctus meus Angelus Custos autem me pacavit, dicendo: Non est ità, Soror, non deliquisti; imò est naturale, quando expectatur aliqua visitatio, habere talem curam. Deinde paulò pòst vidi intrantes paulatim ad meum cubiculum multos Angelos, qui tot fuerunt, ut satis multum temporis cõsumpserint ingrediendo. Omnes gerebant palmas in manibus, & concinebant laudes DEI, ac defuncti, de quo loquor. Post ipsos sunt ingressi quidam Sancti ex Ordine sancti Dominici, & Sanctissima Virgo Domina Nostra, ac sanctus Thomas de Aquino, deducentes in medio animam Patris Magistri Fratris Laurentij, gestantis palmam in manibus, & redimiti pretiosâ coronâ, qui erat valde hilaris, contentus, resplendens, quòd jam in Cœlo frueretur DEO. Sanctissima Virgo incepit loqui, & salutavit me, ac dixit: Soror, adduco tibi hîc istum virum generosum, qui est concionatus de mea Purissima Conceptione, eandémque publicè docuit, ac propterea illum fovi, & juvi, usque dum illum perducerem ad statum Gloriæ, quâ, ut vides, fruitur; & Dominus DEUS meus illi contulit talia auxilia, & subsidia in illius morbo, atque ipse tam bene est ijs usus, me adjuvante, ut potiatur jam bonis æternis, datáque sit ipsi palma & corona victoriæ. Deinde Sanctus Thomas idem dixit: Iste est vir generosus, qui tuitus est honorem meæ Dominæ, & ipsius purissimam Conceptionem. Ad hæc omnia sanctus Vir siluit, & cum ingenti gaudio ac lætitia me salutavit, dixítque: DEUS tibi rependat, Famula DEI, beneficium, quod mihi præstitisti, quia propter tuas preces, ac gemitus, quos DEUS exaudivit, eidem placuit, ut multi Religiosi meæ sacræ Religionis, & ego habuerim, ipsíque habeant jam, hoc sanctum propositum, profitendi istam veritatem, Purissimæ Conceptionis sanctissimæ Virginis Dominæ Nostræ, immunis à peccato originali; & quia ego de illa sum concionatus, data mihi est hæc palma & corona. Valedixítque mihi dicendo: Volo tecum dividere istam palmam. Et decerpens ex illa unum ramusculum, dedit mihi ipsum, admovénsque manum coronæ, sustulit ex ea gemmam splendidissimam, quam mihi tradidit, atque tam illum, quàm hanc intromisit in me, ac addidit: Referes hanc visionem meis amicis ex meo Ordine, quibus tibi videbitur; nominavítque aliquos

ſpeciatim. Ego me converti ad ſanctiſſimam Virginem, & rogavi illam, ut me ſecum abduceret, neque me hîc relinqueret, eò quòd me jam tæderet vitæ. Reſpondit, necdum eſſe tempus, brevì tamen adfuturum. Ego, quaſi per vim, volebam ire cum ipſius Majeſtate, ac tandem, ut me pacaret, duxit me ſecum viâ pacis ad Cœlum, fuiſque compulſa omnes præcedere; atque hoc modo vehementer pudefacta, quòd antecederem, venimus omnes ad cœleſtem Patriam. Ego prima intravi ad conſpectum DEI. Quia verecundabar, Divina Majeſtas vultu affabiliſſimo mihi dixit: Anima, quæ es? quare venis ad me? Tum humi proſtrata, reſpondi: Ego ſum Marina peccatrix. Bene veneris, reſpondit Dominus, & univit me ſecum, atque ità unitam me reduxit ad meũ angulum.

Poſtea intellexi à DEO, hanc ſanctam animam fuiſſe in Purgatorio tam modico tempore, ut ſolùm adverteret, quid ibi toleraretur, & prope nullam pœnam ſuſtinuerit. Dedit illi Dominus Purgatorium in lecto, & ipſe habuit ac elicuit perfectiſſimos actus contritionis:

§. VI.

TAndem conſiderans tot gratijs & inſpirationibus, quibus impellebatur ad aſſumendos animos, & depoſitâ larvâ ſucrum timorum, ad loquendum & ſcribendum quibuslibet de veritate ac voluntate DEI, quoad hoc negotium Puriſſimæ Conceptionis, ità inquit: DEUS mecum agit, ſicut venator, habens falconem ligatum, qui videtur ſibi non poſſe volare, & cui ille oſtendit eminus eſcam, vocando ipſum ad ſe. DEUS relinquens meam animam, ſuis conſtrictam timoribus, oſtendit illi eſcam ſuæ voluntatis ac beneplaciti, id quod ipſa quærit ac deſiderat; ſed propter vincula ſe modicum movet, & nullatenus volat. Hoc modo ſum loquuta DEO, qui ſecretiſſimo interno alloquio mihi dixit: Ità docetur & inſtruitur, ac cibatur bonus falco, qui debet diſcere, quomodo præda ſit apprehendenda, dextrè, agiliter, & ſecundùm ingenium boni venatoris. Ex his verbis intellexi, DEUM per ſe, ac per ſuos Angelos conſuevisſe manifeſtare quædam plena myſterijs, ejusdémque Majeſtatem ſe occultare, dum videntur eſſe mandanda exequutioni, & abſcondere myſterium tam diu & eo modo, quo ipſi placet, ut probet ac exerceat fidem animæ, cui tale quid pandit, vel propter alios altiſſimos fines ſuæ ſapientiæ, conferendo illi claram & ſufficientem cognitionem harum veritatum, ipſam probat ac humiliat, ità tamen, ut nullum illi remaneat dubium.

CAPUT

CAPVT XXXII.

Quomodo DEUS ipsi manifestaverit simul duas Purissimas Conceptiones, nimirum Beatissimæ Virginis, & Filij DEI, intrà ipsius viscera, dederítque eidem Virgini tres coronas, propter id, quod in utraque præstitit.

DUæ sanctæ Conceptiones extiterũt in mundo: altera Christi Domini, quæ fuit sancta jure suo; altera verò Beatissimæ Virginis, Sancta ex singulari privilegio. De utraque simul habuit revelationem Marina hunc in modum.

§. I.

QVodam Festo, *inquit*, Beatissimæ Virginis, expectantis partum (quod in Hispania celebratur 18. Decembris) dignatus est mihi DEUS manifestare mysterium Incarnationis Verbi Æterni, & simul Purissimam Conceptionem sanctissimæ ipsius Matris, quam vidi, non absque Divino lumine, & cognitione admirabilium ejus virtutum. Sanctus autem Archangelus Gabriel stabat coram illa decussatis manibus, quasi stupens magnitudinem illius mysterij, jam peracti in sanctissima Virgine. Obtulit ipsi sceptrum & coronam, honorando illam, ut Matrem DEI, & Reginam Angelorum ac Cœlorum. Hoc viso, obstupui, & sanctus Angelus meus Custos mihi dixit: Expecta Anima, necdum enim completum est mysterium. Redij ad me, & vidi, à diabolis raptari quandam bestiam, plenam cornibus & oculis, quam ille affligebat quibusdam lanceolis. Antecedebat ipsam unicus Angelus. Prostraverunt illam coram sanctissima Virgine, quæ gravissimè & modestissimè elevavit unum pedem, eóque calcavit bestiam, quæ subitò cœpit paulatim disperire, donec absorberetur, ut non ampliùs compareret. *Hoc fuit symbolum victoriæ, quam Beatissima Virgo retulit de diabolo, tam, quando fuit concepta in ventre suæ Matris sanctæ Annæ, absque peccato, quàm etiam, quando ipsa concepit in suis visceribus Filium DEI, absque jactum suæ Virginitatis: quod illi expressiùs fuit declamatum die sequenti.*

§. II.

QVo, *ait*, me peculiariter illuminavit DEUS, ut cognoscerem puritatẽ, & munditiam, quâ DEI Filius, cooperante Spiritu sancto, est conceptus in visceribus suæ sanctissimæ Matris, & quàm immaculatè ac sanctè fuerit sacratissima Virgo concepta absque originali peccato. Vidi, quomodo Angeli, postquam concepisset suum Filium, venerint ex Cœlo, exhibituri ei honorem, ut DEI Matri, ac suæ Dominæ. Millenis id ipsi applausibus omnes gratulabantur, cum magno gaudio & jubilo. Deinde vidi, illam à tota sanctissima Trinitate coronari, ùt Reginam ac Dominam omnium creaturarum. Pater Æternus sic ipsam alloquebatur: Filia mea dilectissima! Et imposuit illi coronam, in præmium promptæ voluntatis, quâ suum Filium statim atque illum concepit in suis visceribus, obtulit Æterno Patri, ut redimeret ac servaret genus humanum, suâ morte ac Passione. Filius autem ei dixit: Mater mea & Domina mea; imponens illi aliam coronam, propter puritatem virginalem, quam habuit in Conceptione Verbi Æterni, quod Caro factum est in ejus utero. Sanctus denique Spiritus ipsam appellavit Sponsam, dando illi aliam coronam propter ejus purissimam Conceptionem, immunem à macula originalis peccati. Hunc in modum coronata sanctissima Virgo ad me accessit, & impertita mihi est

hi est suam sanctam benedictionem, méque perbenevolè est amplexata, dicendo: Soror, hunc tibi amplexum do propter te, ac pro te, & subitò me iterum suis ulnis strinxit, dicens: *Hunc tibi amplexum præbeo pro meis servis & amicis tuis, qui tuentur ac profitentur meam Purissimam Conceptionem, expertem peccati originalis, & hoc ipsis dic meo nomine, ità enim volo.* Valedixit mihi sanctissima Virgo, & redij ad me ex raptu, humiliavique me coram DEO meo, sicut consuevi. Postridie, ante sacram Communionem, mihi Dominus dixit: Anima, venio ad te, & adfero tibi tres flores ex coronis meæ Matris. Unum florem, ajebat Dominus, se mihi ferre, eò quòd meam animam, & universa subjecerim Divinæ voluntati, cùm essem in ætate viginti mensium, postquam mihi DEUS acceleravisset usum rationis: alterum, propter virginalem puritatem, quam per omnem vitam DEO adjuvante conservaveram: tertium propterea, quòd asseruerim & crediderim Puritatem sanctissimæ Conceptionis Dominæ Nostræ, liberæ à peccato originali. Quando mihi Virgo valedixit in prima harum visitationum, bene mihi precata est, dicendo: Benedicta esto tu ipsa, benedictus locus, quem inhabitas; benedictum, quod manducas; & benedictum, quidquid contingis; vale.

In his duabus revelationibus, pes Beatissimæ Virginis elevatus ad destruendam bestiã, & nomen coronæ, significant sacratissimam Virginem, in sua prima sanctificatione, ex speciali privilegio etiam fuisse præditam usu rationis, & elicuisse excellentem actum Amoris DEI, quo se disposuit pro obtinenda gratia, ac vincendo diabolo. Et propterea ipsi fuit simul data corona, sicut illi est collata propter virginitatem, & acceptatam Maternitatem DEI. Hæc est sententia gravium Doctorum, quos ego sum sequutus in meis commentarijs super Cantica.

Addamus quiddam exiguum de duobus his Festis junctim, quod evenit hoc eodem tempore. Adverterunt, *inquit*, mei Angeli, quòd præ me ferrem teneriorem affectũ erga statuam Beatissimæ Virginis, quæ est in meo Oratorio. Contulerunt se eò, & prostrati humi illam adoraverunt. Minor exprompsit instrumentum quoddam musicum, collaudans cantu Purissimam Conceptionem & Annuntiationem Beatissimæ Virginis. Deinde descenderunt multi Angeli ex Cœlo, & impositam cuidam quasi feretro argenteo, tulerunt more supplicantium ad conspectum Sanctissimæ Trinitatis, quæ illi dedit suam benedictionem, & Christus Dominus ostendit, eam esse gratam suis oculis. Postea ipsam retulerunt cum silentio, & reposuerunt suo loco.

CAPUT XXXIII.

Quomodo ipsi DEUS manifestaverit, quid acciderit in Assumptione Beatissimæ Virginis, & magnam ejusdem gloriam.

NE prætereamus ullum mysterium & Festum sacratissimæ Virginis, superest, ut referamus revelationes, quas Venerabilis Marinæ habuit de gloriosa Assumptione ejusdem Dominæ, & gratias, quas ab ipsa consequuta est, atque à Christo Domino Servatore Nostro, ob honorem hujus Festivitatis.

§. I.

IN Festo Assumptæ Beatissimæ Virginis (anno 1622.) dum vellem audire Sacrum, fui ducta in spiritu ad locum, in quo hæc Domina è vivis migravit. Vidi illam decumbentem in suo sacro lecto, mirum in modum speciosam, ac sanctissimum ipsius vultum roseo perfusum rubore, & quasi inflammatum, ut manifestè indi-

indicaret ardentissimum amorem suæ animæ, séque mori amore sui sanctissimi Filij. Aderant ibi sancti Apostoli, qui tenerrimè dolebant ob mortem suæ Dominæ; circumdabant lectum, exosculabantur sacrum stragulum, quo cooperiebatur illud sanctissimum Corpus. Sacratissima Virgo illos solabatur, & animabat verbis gravibus & paucis, appellans ipsos filios suos. Interea paulatim, quàm suavissimè, instar inchoantis dulcem somnum, sanctissima illa anima est egressa è suo corpore. In momento patefacti sunt Cœli, & apparuerunt ibi milleni Angeli, ac spiritus beati, qui veniebant, stipantes Beatissimam Trinitatē. Filius DEI specialiter dixit quàm reverentissimè: Veni Mater ac Domina mea, ut fruaris bonis æternis, quæ es adeò bene promerita. Omnes eæ tres Divinæ Personæ susceperunt, univerúntque sibi ipsis illam sanctissimam animam, & sub augusta umbella, cum magna majestate, ipsam introduxerunt in cœlestem Jerosolymam, summo cum gaudio ac solatio totius illius cœlestis Aulæ, & resonante solenni musicâ, ac suavi melodiâ omnium Angelorum DEI; fuitque collocata in optima & gloriosissima Sede Cœli, post sacratissimam Humanitatem Christi JESU Domini Nostri. Sancti Apostoli susceperunt cum magna reverentia & authoritate illud sacratissimum corpus, impositum decentissimè feretro, & tulerunt ad locum sepulchri, cum ingenti fletu ac teneritudine, sepeliverúntque coopertum lapide cœruleo, coloris cœlestis, collocato sanctissimo corpore in alio lapide excavato, ità ut non contingeret terram. Et post duas horas Dominus suscitavit in mea anima vehementissimos affectus, ac desideria, exequendi in omnibus sanctissimam ipsius voluntatem; atque cum tali affectu invocavi Dominum dicens: Ah, mi Domine! ah, mi Domine! Aliàs verò invocabam sanctissimam Virginem: Ah, mea Domina! ah mea Domina! Tum Cœlorum Regina, pro sua solita clementia, dixit suo sanctissimo Filio: Mittat tua Majestas aliquem sanctum Angelum, ut illam soletur, ac resciat, quid velit, siquidem tanto affectu nos invocat. Dominus autem respondit: Non, Domina mea, non eat Angelus, nos ipsi statim ibimus. Et vidi Majestatem Christi JESU Domini Nostri, unáque sanctissimam Virginem, cum comitatu plurimorum Angelorum, qui replebant meum cubiculum. Dominus se constituit ad unam mei lectuli partem, sanctissima Virgo verò ad alteram, ità ut ego essem in medio. Fui vehementer turbata, neque mei eram compos. Tum utraque Majestas accepit quoddam pulcherrimū linteum, & suis sacratissimis manibus extendit in meo lecto; statímque comparuit supra linteamen quædam turricula, seu Castellum, habens altitudinem unius ulnæ, ex auro purissimo, splendidissimo, & infiniti pretij, ità ut non attingeret linteū. Dominus exporrexit suam sacratissimam manum, quasi aperiret portam illius Castelli, indicavítque mihi digito inæstimabiles & admirabiles thesauros, ac Divitias gemmarum, ut rubinorum, & aliarum diversi coloris, quæ erant intra Castellum. Nulla lingua potest explicare, neque cor humanum capit magnitudinem ejusmodi thesaurorum, ac bonorum. Quæ omnia repræsentabant & significabant merita ac valorem Sanguinis JESU Christi Domini Nostri. Obstupui, fuíque attonita, videns tantam opulentiam. Dominus mihi blandissimè & amantissimè dixit: Anima mea, vidistíne thesauros, & bona infinita hujus Castelli? sume hinc, quidquid pro te volueris, unáque, quod possis impertiri, quibus volueris. Tergiversabar vehementer, & non audebam accedere, quia eram quasi mihi erepta, dum audirem Dominum, & considerarem, quod videram. Dominus autem extendens suā sanctissimam manum, occlusit portulam Castelli, disparuítq; linteum, & simul Castellum, ità ut non viderim, quomodo id contigerit. Et mea Domina mihi peramāter valedixit, inquiens: Filia mea, & Amica, vale. Similiter mihi valedixit Dominus, dicendo: Quiesce modò Soror, es enim afflicta. Vale. Fui rapta in ecstasim, & quando sum ad me reversa, non vidi Dominum.

§. II.

§. II.

BIduo vel triduo pòst, omnia alia animo volventem, vocavit Dominus de nomine: Marina. Respondi: Domine. Quomodo neglexisti, ajebat ipse, petere, quod tibi eo die obtuleram pro te, & pro tuis proximis? Ego, ut quæ hac de re nihil cogitaveram, reposui: Nescio, mi Domine, non venit mihi id in mentem. Dominus verò subjecit: Eja! pete, quidquid volueris pro te, & pro quocunque, quia ego tibi id præstabo. Puto mihi Dominum suggessisse, ut intercederem pro animabus Purgatorij. *Reliquum, quod accidit, refertur in libro quinto, capite secundo, de animabus Purgatorij.*

In Festo Assumptæ in Cœlos Virginis, dum essem vehementer afflicta à multis doloribus, quos passa fueram in ejus vigilia, & ipso die, voluerunt me Domini mei Angeli consolari, & venientes ad me, dixerunt mihi, quòd me essent ducturi ad Cœlum, ut interessem Festo, quod illo die celebraretur in honorem Reginæ Angelorũ. Atque licèt ego vehementer repugnarem, nollémque duci, erexerunt me tamen, ac duxerunt. Et existimo, me pervenisse usque ad Cœlum, illúdque contigisse capite. Verùm tantopere sum reluctata, ac tam potenter, ut denique me reduxerint ad meum lectum. Aliquantò pòst, cùm jam essem soluta à cura, & fuissem pacata à DEO, denuò me elevaverunt, ac duxerunt ad illam cœlestem Jerosolymam, & penetravi omnes cœlos, usque dum pervenirem eò, ubi manebat sacratissima Virgo Domina Nostra, ad cujus pedes me constituerunt. Erat hæc Regina elegantissima, & usque adeò formosa, ut solus ipsius aspectus essent sufficiens præmium infinitarum molestiarum, quæ in hac vita tolerantur, ut obtineatur illius visio. Dixitq; mihi: Soror, bene veneris. Et amplexata est me, stringens me utrinque suis sanctissimis brachijs. Summum fuit meæ animæ gaudium, & levamen ac solatium, quod percepi ex hoc aspectu, & reliquorum Cœlitum.

Alio Festo DEIparæ, vidi eandem sanctissimam Virginem, circumdatam magnâ multitudine Angelorum, qui omnes ardebant igne Amoris DEI, ac hujus Dominæ, omnésque concinebant melodiam tam cœlestem, ut cor abriperet, dicentes: *Conceptio tua, & Assumptio tua, DEI Genitrix Virgo, gaudium annunciat universo mundo. Alleluja.* Erat Virgo splendidissimè exornata, plena gemmis ac pretiosis lapidibus, quorum aliqui dependebant instar pretiosorum unionum ex fimbrijs vestimentorum ipsius: dedítque mihi Dominus lumen speciale, ut cognoscerem illius præcellentiam, & potentiam DEI, quæ tantum potuit ac novit facere, videtúrque mihi nullum esse opus, quod luculentiùs manifestet DEI Potentiam, quàm hæc Domina. Ego illam rogavi, ut mihi donaret aliquem pretiosum lapidem ex illis, quos habebat dependentes ex suo vestitu. Accessit ad me, deponénsque ex digito elegantem annulum ex ijs, quos in ipsis gestabat, dixit: Da mihi manum, Soror, ego enim ipsa volo inserere istum annulum in tuum digitum manûs sinistræ. Ego consternata, tenebam manus compressas, ac digitos implexos, & stabam quieta. Venit autè ad me sanctus meus Angelus Custos, percussítque paululùm meum brachium, seu manum, ac separavit meas manus, extendítque meum digitum, cui Domina nostra inseruit annulum, qui penetravit usque ad cor meum. Fui tota immutata, vehementer recreata, & confortata.

§. III.

BIduo ante Festum Assumptionis (anno 1623.) cogitanti mihi de mysterio illius diei, incidit desiderium exarandi literas ad Dominum DEUM, quas ad illum deferendas traderem sanctissimæ Virgini, siquidem abiret ad Cœlum, constituendíque ipsam Advocatam, pro obtinendo à DEO, quod exoptabam.

Eodem die Festo, summo manè, abrepta in spiritu, vidi sanctissimam Virginem, cum magno numero Angelorum. Salutavit me, ac dixit: Soror, visne aliquid à meo Filio, abeo enim ad Cœlum, secundùm

dùm ſolennitatem, quam celebrat Eccleſia! Ego ex eo affectu, quem habebam, dixi: Utique, Domina mea. Deſidero enim magnopere mittere quasdam literas ad meum Dominum. Sit ità, dixit ſanctiſſima Virgo, ego illas volo ferre, & agere tuâ Advocatam ac Patronam in eo, quod petieris. Tum dixit meis ſanctis Angelis, date ipſi neceſſaria ad ſcribendum, & ſcribat literas. Mea Domina, ajebam ego, & poterone illas ſcribere? Reſpondit mihi: Ità, Soror, Bene poteris. Mei Domini mihi dederunt inſtrumenta ſcriptionis, & ſanctus Angelus *Parvus* mihi tulit lumen, ſcripsiq; cum magna renitentia ac tremore epiſtolam, & literæ, quas ſcribebam videbantur aureæ, adeò enim ſplendebant. Scripſi autem in hunc modum: Domine DEUS meus Omnipotens, & infinitæ miſericordiæ ac majeſtatis, obſecro tuam Divinam Majeſtatem, per maxima merita JESU Chriſti Domini Noſtri, Filij tui, pérque ejus ſacratiſſimum ſanguinem fuſum pro nobis, & per merita ſanctiſſimæ ipſius Matris, ac Dominæ Noſtræ, quæ hîc adeſt, & quam aſſumo in meam Advocatam, ac Patronam, ad eum finem, quem habeo propoſitum; ut mihi eam præſtes gratiam, & favorem ac miſericordiam, propter infinitam tuam bonitatem, déſque mihi copioſum & novum lumen tuum, quo cognoſcam & intelligam veritates ac myſteria, quæ communicas meæ animæ, nè errem, aut decipiar: præterea, ut mihi concedas veram ac abſolutam promptitudinẽ meæ animæ & cordis, ad exequendam in omnibus, & per omnia, tuam Divinam voluntatem; & largiaris mihi bonam mortem, in qua te cognoſcam, amem, & in te conquieſcam, tanquam in meo DEO, & unico meo bono. Hoc à te peto, Domine DEUS Majeſtatis, ex toto meo corde, ac anima, & confidendo, ac innitendo, quemadmodum dixi, theſauro meritorũ mei Domini JESU Chriſti, ſanctiſſimáque ejus Matris. Poſtquam ſcripſiſſem epiſtolam, dixit ſacratiſſima Virgo: Subſcribe illam ſoror, & appone cognomen tui ſancti Patris. Subſcripſi his verbis: *Marina de Eſcobar*. Tum ei tradidi hanc epiſtolam, cum magna reverentia, apertam, rogans illam, ut ipſam deferret ad cœlum, ad meum Dominum, obtinerétque mihi à Divina Majeſtate, quod in ea petebam. Sanctiſſima Virgo ſuſcepit epiſtolam quàm libentiſſimè, & interrogavit me, vellémne aliquid aliud? Reſpondi: Ità, Domina. Rogo Tuam Majeſtatem, ut dignetur adjuvare, & fovere certas perſonas, quæ ſe mihi commendant, & rogant, ut id à te petam. Nominavi ipſi, quæ eſſent; & illa mihi reſpondit, ſe hoc facturam, valedicénsque mihi, aſcendit ad cœlum, cum comitatu plurimorum Angelorum. Eſt ſolenniſſimè in illud admiſſa; & lætitia eorum cœleſtium aulicorum erat maxima, videbatúrque tota illa cœleſtis Aula ardere Divino Amore. Venit Beatiſſima Virgo ad conſpectum Beatiſſimæ Trinitatis, à qua eſt admirabiliter ſuſcepta, & provoluta in genua ad pedes æterni Patris, rogavit illum, per merita ſanctiſſimi ejus Filij, ut dignaretur protegere ac defendere totam Eccleſiam Catholicam, & Fideles vehementer afflictos, darétque lumen & auxilium omnibus exiſtentibus in peccato mortali, ad emergendum ex eo; ac tandem dixit: Hîc adfero iſtam epiſtolam, quam mihi tradidit tua ſerva Marina; obſecro Divinam Tuam Majeſtatem, ut illam perlegas, & concedas ipſi, quidquid in ea à te poſtulat, ac petit. Pater Æternus ſuſcepit epiſtolam quàm libentiſſimè, non abſque indicijs lætitiæ, & aſpexit illam ac dedit legendam JESU Chriſto Domino Noſtro, qui ipſam accepit cum magno gaudio, & legit. Reſpondítque Pater Æternus, futura, quæcunq; in illa petieram. Tum ſanctiſſima Virgo dixit ſuo Filio, ut etiam ſubſcriberet epiſtolam, id enim ego deſiderabam. Et ſubſcripſit ipſam taliter: *Chriſtus JESUS*. Anima, conſidera, cui velis tradi iſtam epiſtolam? & cùm ego neſcirem reſpondere, ſanctus meus Angelus Cuſtos mihi dixit: Dic, Anima, ut illam ipſa retineat, ſic enim convenit. Unde rogavi Virginẽ, ut eã mihi ſervaret, & ſervavit ipſam intrà ſe. Totum iſtud myſteriũ ſpectavi ex meo angulo, ubi ſemper manſi extra Cœlum.

CAPVT XXXIV.

Quomodo Beatissima Virgo ipsi per Sanctum Dominicum dederit Rosaria à se benedicta, pacaverítque illam in timoribus, quibus propterea angebatur.

Alios favores exhibuit suæ Famulæ Beatissima Virgo circa hoc suum Festum.

§. I.

CUm me visitavisset, *inquit*, Gloriosus Sanctus Dominicus, questúsq; contra me fuisset, quòd à multis diebus non petijssem in ipsius Conventu Sancti Pauli ullum Religiosum, qui venisset pro celebrando Missæ Sacrificio, ad meum Oratorium; petenti mihi veniam hujus negligentiæ, & verecundiæ, post alia dixit: Ecce, Soror, adfero tibi quoddam cimelium, & pretiosum thesaurum, quo poteris confortari, & plurimùm exhilarari. Admovénsque manum cingulo in latere, extraxit nigrum Rosarium, quasi eburneum, præstantissimum, & grandiusculum, dixítque mihi: Accipe, Soror, istum thesaurum, quia etsi hoc donum sit meum, mittit tamen tibi illud sanctissima Virgo Domina nostra, priùs à se attactum & benedictum. Fui idcirco notabiliter turbata, quia videbatur illud velle quasi sensibiliter ponere ad meam manum. Confugi ad DEUM, petitura ab eo lumen, sicut soleo, & Sanctus mihi dixit: Nè timeas, neque turberis istâ cogitatione, an id eventurum sit sensibiliter; DEUS enim, qui novit imbecillitatem tui animi, in hujusmodi rebus, nolet ità fieri, ad sedandam tuæ animæ turbationem, quæ esset ingens: atque si Divina Majestas vellet, hoc mysterium peragi externè, fieret taliter, ac tam dextrè, ut tu id vix posses percipere. His dictis non obstantibus, replicui denuò, & dixi: Non, Benedicte Sancte, ego non possum istud donum suscipere in specie sensibili, etiamsi fiat eo modo, quo dicis. Postquam hoc dixissem, fui aliquantùm abrepta, non adeò tamen, ut non viderem Sanctum, quem audiebam dicentem: Accipe, Soror, istud tam Divinum Rosariũ. Noli metuere, & pone illud suprà tuum pectus & cor; inseruítque Rosarium in meam manum; quod ego accepi, & posui, quò fueram ab eo jussa: statímque introivit in me, & induit colorem quasi corallij præstantissimi ac splendidissimi, habuitque crucem & majores globulos ex auro præstantissimo, puro ac obrizo. Eo verò mihi imposito, summum mea anima & cor percepit levamen, robur & solatium in DEO. Tum intuita Sanctum, vidi ipsum tenentem in sua sancta manu quinque Rosaria, quæ ego habueram in diversis locis domûs, & dixit mihi: Soror, hæc tua Rosaria honorabis, ac æstimabis plurimùm deinceps: nam sanctissima Virgo Domina nostra, quia est ea, quæ est, útque tibi gratificaretur, & solaretur tuam animam, unáq; pro bono ac devotione multorum, ipsámet illa attigit, ac tenuit in suis sanctissimis manibus, impertiendo ipsis suam sanctissimam benedictionem. Reponam illa in loco, in quo fuerant, ubi ea reperies. Ego propter meos timores vehementissimè cruciabar, & volebam interrogare Sanctum, quomodo invenisset ista Rosaria, essétque repositurus eò, ubi fuerant; non audebam tamen. Sed Sanctus cognovit meam cogitationem, & respondit illi dicendo: DEUS potest omnia facere. Et acceptâ quadam sellâ, consedit in ea, contulítq; mecum de quodam lamentabili casu (*qui referetur in libro quinto cap: 13.*) Post longum sermonem, rogavi ipsum, ut me commendaret DEO, darétque mihi suam sanctissimam benedictionem, quod Sanctus præstitit, & porrexit mihi osculandam suam manum ac habitum. Deinde postquam ab illo modicùm

cùm recessissem, ipsum vidi sensim admirabiliter splendescentem lumine quodam Divino, usque dum radiaret instar clarissimi Solis, ac tum fui quasi abreptus in altissimam contemplationem.

§. II.

ISta me vehementer turbaverunt, propter meos timores, & cùm his vehementer angerer, conspexi Beatissimam Virginem, quæ mihi dixit: Soror, & Amica mea; Dominus sit tecum, déque tuæ animæ ardentissimum sui amorem, & magnam pacem & tranquillitatem animi, ac fidem, quâ credas ipsius veritates. Dic mihi jam, Amica, quomodo es constituta cum his novis gratijs, quas tibi DEUS præstitit his diebus, & quæ te tantopere consternaverunt ac turbaverunt? Ego reddita eram quasi attonita, ut nullum verbum protulerim; quod intelligens sanctissima Virgo, cœpit loqui denuò, dixitque: Adverte, Amica, de eo, quod Dominus DEUS manifestat suis amicis, déque mysterijs ac veritatibus, quas ipsis patefacit, nunquam illos posse dubitare, sed potiùs esse certos & securos; quamvis unà possint sentire timores, & turbationes ingentes, profectas ex natura, & amore, quo feruntur erga DEUM, ac desiderio, non aberrandi ab ipsius veritatibus, atque id etiam frequenter fit ex instigatione diaboli, qui tanquam hostis majoris boni, ac profectus animarum, & gloriæ Domini DEI, ipso permittente, conatur inquietare animam, & illam turbare in rebus, quæ ipsi tantopere possunt prodesse, & conducere. Sicut potest suscitare aliam tentationem contra legem DEI, vel contra fidem, in quam sancta anima non consentit; ità, suo modo, in his occasionibus & gratijs, quas DEUS præstat animabus, potest illas aggredi, non autem efficere, ut non acquiescant his veritatibus intellectis, minúsque sint de ijs certæ ac securæ, nisi anima se velit permittere decipi à diabolo, & credere ejus mendacijs, cum magno suo detrimento, sicut si consentiret in tentationem adversantem legi DEI; quamvis istud peccatum esset longè diversum ab illo. Atque tu ipsa id experta fueris in his occasionibus, & intellexeris aliquid de hac re; id quod, ut mihi nunc dicas, vehementer te rogo, quæ tantopere acquiescis istis veritatibus, & misericordijs, quas DEUS tibi modò manifestavit, téque docuit. Cùm hæc audirem dici à sanctissima Virgine, videbar mihi quasi expergisci ex somno, & raptu, aliquantùm dolens de eo, quod acciderat, & quàm ardentissimè ex Divina inspiratione, statim respondi: Ità acquiesco, ut nequeam de facto dubitare, nisi resistendo veritati & voluntati DEI, qui me in hoc vehementer confirmat. Bene est, Amica (dixit Beatissima Virgo) sed quæro præterea, dic mihi, si pro gloria Domini DEI, & animarum bono, à te nunc oporteret præstari juramentum coram personis gravibus & judicibus, qui te ad id possent obligare, quòd ista mysteria, quæ tibi acciderunt, sint puræ, certæ & securæ veritates, ipsiusmet DEI, absque mistura ullius alterius rei, dic age, quid diceres, & quomodo te hoc in negotio gereres? Ità mihi illa sacratissima Domina istú casum posuit ob oculos, acsi id mihi re ipsâ, & verè eveniret. Tunc respondi prorsus ex animo, & ferventer: Ajo, Domina, me juraturam eo modo, quo dicis, & quem mihi hìc repræsentavisti, ea mysteria, quæ mihi acciderunt, esse Divinas veritates, puras & sincerissimas, atque id me facturam cum summo gaudio & solatio meæ animæ. Et nisi hoc facerem, angerer gravi scrupulo, propterea, quòd me hac in re opposuissem voluntati DEI Domini Nostri. Dixitque sanctissima Virgo: Convici te, Amica, & cepi te in verbis, occupatam tuis timoribus. Sufficit jam, sum enim vehementer exhilarata in Domino. Ipse sit benedictus, eò quòd tibi sustulerit tuum dolorem, & confusionem, confregeritque in isto eventu caput diabolo, & abegerit ipsum à te confusum ac pudefactum.

Ità fui delibuta solatio, animata, & mirum in modum recreata: sed subitò mihi venit in mentem, ut aliquid quærerem ex sanctissima Virgine, dixique illi: Cùm mihi tantam præstiteris misericordiâ & gratiam,

tiam, Domina mea, rogo te nunc, per DEUM, ut mihi præstes aliam, dicásque mihi, quid sit faciendum animæ, ut acquiescat, quemadmodum ipsamet dixisti cupiam mysterio vel veritati, quam illi DEUS indicavit ac manifestavit, si advertat dubitare de ea Confessarium, non credentem ipsius revelationes esse veritates DEI, sed à diabolo aut aliundé provenientes imaginationes, ac præsertim, si ista anima sit assueta mysterijs, cupiátque se conformare cum Divina voluntate? quod oportet facere animam (dixit sanctissima Virgo) constitutam in tali afflictione & angustia, quæ pro ipsa non esset exigua, est, ut confidens DEO, qui illam juvabit, & patefaciet suas veritates, obediat humiliter, & patienter suo Confessario, in eo, quod illam jusserit facere, & dicere, quoad illam revelationem: quanquam non poterit persuadere suo intellectui, ut credat Confessario sibi dicenti, quòd erret, sicut non poterit præditus valde perspicaci visu sibi persuadere, quòd nigrum sit album; ideóque cohibeat suum judicium, quàm potuerit optimè, obediátq; in nomine DEI, cùm ipse mandaverit, ut illius ministris præstetur obedientia.

CAPUT XXXV.

Quomodo illam Beatissima Virgo docuerit recitare quoddam breve Rosarium, commemoratis mysterijs ipsius Nativitatis, Præsentationis, & Assumptionis.

CUm Venembilis Marina fuerit tam debilis, ut non potuerit omne Rosarium Marianum, more consueto, placuit Beatissimæ Virgini in eadem visitatione, quæ cœpit præcedenti capito, id ipsi abbreviare, modo quodam peculiari, quod ab ea recitaretur, commemoratis proprijs ipsius mysterijs.

§. I.

POst hoc, *ait*, vidi sanctissimam Virginem, tenenté in suis manibus quoddam parvum Rosarium, trium solummodo decadum, habens colorem lucidissimorum & purissimorum rubinorum, cum tribus globulis aureis. Vidi quoque simul quendam Angelum DEI, qui ivit ad certum locum, & aperiens suismet manibus quandam cistulam, & scrinium illi insertum, exemit indè Rosarium album. Eo occluso, attulit Rosarium, summáq; cum reverentia tradidit sanctissimæ Virgini in manus, quod ipsa suscepit, ostendens sibi illud vehementer arridere ac placere, admovitque suo sanctissimo ori & oculis, ac suâ deinde sanctâ benedictione consecratum restituit angelo, quod quàm reverentissimè receptum cum osculo reposuit, & recondidit in loco, in quo antea fuerat, aperiens cistulam & scrinium, eandemque occludens. Tum mihi sanctissima Virgo dixit: Constet tibi, plurimi à me fieri devotionem erga sancta mysteria mei Rosarij, & propterea me voluisse honorare istos ipsius globulos, quos vidisti, atque etiam, ut tibi gratificarer. Statimque ad me accessit, ac peramanter imponens in meum sinum illud parvum Rosarium, quod tenebat in suis sanctis manibus, dixit: Accipe Soror hoc cimelium, & istum thesaurum ex mea manu, do enim tibi illú ex amore. Custodi ipsú ac observa in tuo corde, usurpabis verò deinceps hanc devotionem, quam tibi dicam, quæ plurimùm proderit tuæ animæ, & omnibus, qui eam usurpaverint, eritque gratissima meo sanctissimo Filio JESU Christo Domino Nostro. Habebis Rosarium trium decadum, & in quávis decade unum majorem globulum, dicésque

cesque in singulis globulis decadis: *Benedicta sit, ac laudetur sanctissima Nativitas, & Præsentatio in Templo, sanctissimæ Virginis Dominæ nostræ.* Cùm autem perveneris ad majorem globulum, repetes idem, addendo: *Et ipsius sanctissima Assumptio.* Atque ità progredieris, donec persolvas istud parvum Rosarium, quod est dicendum devotè pro fructu animæ, & gloria DEI. Hoc dicto mihi valedixit, relinquens me summopere confortatam & exhilaratam in Domino.

§. II.

ALiquantò post, dum recitarem Rosarium, quod me Beatissima Virgo docuerat, vidi unum ex meis Dominis Angelis *Minorem*, qui vocatur *Pannymphus*, & est cæteris formosior, ad singulas sphærulas mei Rosarij, quod dicebam, numerantem quasi totidem elegantissimos flores, usque dum illud complevissem; & eo à me persoluto, ipse combinavit Rosarium ex illis floribus, imposuitque suo collo, quo evasit pulchrior, quàm antea. Ego ei dixi: Domine, non habebas opus isto Rosario, pro te exornando, satis enim eras elegans & comptus. Ille verò respondit: Est verum; sed tantum est gaudium, quod Angeli in Cœlo percipimus, dum videmus recitari hoc Rosarium, ut ad illud significandum fecerim id, quod vidisti. *Quia hæc omnia evenerunt, antequam habuisset dictas revelationes de Purissima Conceptione Beatissimæ Virginis, non fuit illius factamentio in isto Rosario*: sed post hoc (inquit ipsa) ego addebam verbis, quæ mihi Beatissima Virgo dixerat, etiam, quod pertinet ad ejus Conceptionem, dicendo: *Benedicta sit ac laudetur sanctissima Conceptio, Nativitas, & Præsentatio, &c.* Interrogavi ea de re meos Angelos, facerémne bene? responderúntque mihi omnes, me bene facere.

LIBER

LIBER V.

MIRABILIS VITÆ VENERABILIS VIRGINIS MARINÆ DE ESCOBAR.

De rebus memoratu dignis, in quibus juvit animas Purgatorij, & promovit ſalutem proximorum, dum illi DEUS manifeſtaret ipſorum miſerias, & quid ei agendum, dicendum, vel ſcribendum eſſet, ad ferendam illis opem.

QVia ſe DEUS accommodabat meticuloſæ ac verecundæ naturæ Venembilis Marinæ, abhorrenti à converſatione cum proximis, ùt patuit in Libro primo, ſolùm eſt ipſius operâ uſus, ut illos juvaret ſuis orationibus, alloquijs & monitis privatis, atque nonnullis ſcriptis, revelando ipſi ea, quæ requirebantur ad hoc præſtandum, cum inſigni zelo & emolumento, tam vivorum, quàm defunctorum; quod erit argumentum hujus Libri Quinti, quem exordiemur à revelationibus, concernentibus animas Purgatorij magis conjunctas ſanctis Cœlitibus, de quibus erat Liber antecedens.

CAPUT

CAPUT I.

Quomodo illi DEUS aliquando oſtenderit Infernum, Purgatorium, & Limbum, atque perditionem potioris partis Mundi, quin tamen ipſi exhibuerit, ullum damnatum ſpeciatim; nec non quibus de cauſis hæc omnia fecerit.

PRopter inſinuatos fines, ut fructum inde perciperent animæ, dignatus eſt DEUS oſtendere ſuæ famulæ terribilia loca pœnarum alterius Mundi, & multitudinem hominum, hinc ad illa inhabitanda migrantium.

§. I.

ALiquando, *ait*, manè (in Novembri anni 1619.) mihi dixit Dominus: Anima, veni mecum. Cùm enim te toties ducam ad meam cœleſtem Aulam, volo te jam etiam ducere ad diſparem locum ac regionem. Expectabam, quid Divina Majeſtas mecum eſſet actura, atque poſt valde longú tempus fui arcaniſſimo quodam modo & compendiosè ducta per quaſdam vias extraordinarias, ac deveni ad quendam locum triſtiſſimum & obſcurum, ubi in foſſa quadam & abyſſo anguſta ac abominabiliſſima, erant infinitæ animæ ac diaboli, ſimul omnes conjuncti & permixti, in magna confuſione, anguſtia, & intolerabilibus tormentis. Volutabant ſe miſerabiliter, gementes, plorantes, & ululantes animæ, cum diabolis, intra illas infernales flammas, inſtar rabidorum canum, ſe mutuò devorantium: proſiliebant per diverſos Inferni hiatus multi dæmones, qui aggravabant horridum ſupplicium, & per intervalla obruebat iſtam deſolatam turbam graviſſimum pondus, inſtar rotæ molaris, à qua omnes comminuebantur, cum ingenti dolore, & redigebantur in quandam peſtilentem mephitim. Licèt verò ipſos ità peſſumdaret, non privabat illos tamen vitâ; quin imò innovabatur graviùs eorundem tormentum, ac infernus. Mea anima contemplabatur deſuper, cum maximo ſtupore, dolore, & commiſeratione infernale illud barathrum, & miſerias earum deſolatarú ac infelicium animarum.

Aliquantò pòſt ducta fuit mea anima ad aliú locum, ubi ei fuerunt oſtenſæ in quadá ampla voragine, quæ erat inſtar lacûs, plurimæ animæ, tolerantes ibi gravem pœnam, anguſtiam ac dolorem, circumdatæ à flammis validiſſimi ac ſubtiliſſimi ignis, à qua penetrabantur ac urebantur potentiſſimè & vehementiſſimè. Habebant animæ iſtæ, quæ comparebant in ſpecie parvorum corporum, brachia elevata in altum, & manus junctas, oculos erectos ad cœlum, ora aperta, & nares undequaque afflictiſſimas, aliæ magis, ac aliæ minùs. Circa iſtum lacum igneum ambulabant, quaſi locum illum circumeuntes, & habentes ipſius curam, ſancti Angeli, qui intuendo amanter eas animas, animabant ipſas (non ademptâ tamen eis pœnâ) dicédo, ut meminiſſent ſe viſuras DEUM, tranſacto tempore ſui Purgatorij, ſibi conſtituto. Manſi ibi aliquamdiu, non abſq; magna commiſeratione, contemplans illas animas uſque adeò afflictas.

Atque inde ſum ducta ad alium locum, ubi vidi quandam planitiem campeſtrem, & in ea lucem ſuboſcuram. Hîc erant multæ animæ, in ſpecie parvorum infantium, qui commeabant per illam obſcuram lucem, elevati à terra. Hæ animæ videbantur, nec pati quidquam, neque frui ullâ gloriâ. Ambulabant quaſi deſtitutæ ſenſu, oſculis apertis, brachiolis exporrectis, acſi ipſas nihil delectaret, neque affligeret, ſed eſſent velut abreptæ in ecſtaſim. Conſideravi illas cum ingenti dolore, & compaſſione.

Deinde

Deinde ducta sum ad vastos quosdam & spatiosos campos, ubi erant ampli agri, apti serendo tritico, & nonnullæ vineæ: in agris jam seges erat demessa, solæque residuæ manebant stipulæ; fructus etiam vinearum erat collectus, & omnia erant destructa. Hæsi diu in his spectandis, vehementer dolendo & ingemiscendo; quia illuminata à DEO intellexi, id esse speciem quandam & figuram destructionis ac stragis, quâ potior Mundi pars est deformata. E vestigio conspexi advenientes per ea latifundia quosdam pulcherrimos & nitidè exornatos Angelos, qui videbantur esse Spiritus præditi magnâ fortitudine ac virtute Divinâ; & inceperunt quàm gratiosissimè ac diligentissimè colligere paucas spicas, quas in ijs campis reliquerant messores ac vindemiatores, & fecerunt ex illis aliquot manipulos, tam elegantes, pulchros & fœcundos, támque frugiferos, ut viderentur valere thesaurum, & esse utiliores omni reliquo tritico. Contemplanti mihi hoc mysterium, dixit Dominus: Dic age, consideravisti mysteriũ eorum agrorum destructorum, & istorum meorum messorum? Noveris, id ipsum prorsus fieri in Mundo. Diabolus enim aufert majorem partem fructûs & messis, atque pro me solùm remanent istæ spicæ, & pauci hi à meis Angelis colligati manipuli, verùm pulchri, fructuosi, & accepti meis oculis. His animabus, significatis per istas spicas, ego ditesco; in illis honoror, & fio felix; in quantum ipsæ, ex sua parte, ad id cooperantur suâ charitate, & virtutibus. Cúmque ego reponerem: Ergóne, Domine, peribit illa multitudo animarum, & fructus tuorum præstantissimorum meritorum, ac pretiosi sanguinis, quem profudisti? Respondit Dominus: Eæ animæ, quæ videntur esse paucæ, illum perceperunt seriò & ferventer, quod me magnopere delectat.

§. II.

POst hoc me duo sancti Angeli reduxerunt ad meum locum, quos sum contemplata, eò quòd essent admodum graves, ac potentes, magnáque virtutis, præsertim verò intuebar unum, quia mihi illum videbar novisse. Et ille mihi dixit: Anima, ego sum Archangelus Michaël: Ego, & meus socius, qui est sanctus Archangelus Gabriël, te duximus ad ea loca, ad quæ te jussit duci DEUS, & in quibus fuisti. Quod autem Divina Majestas propositum habet in his mysterijs, est, ut illũ ores, & instanter intercedas pro animabus existentibus in peccato mortali, quarum ut vices doleas, ostendit tibi pœnas Inferni. Duxit te quoque ad Purgatorium, ut visis tormentis, quæ ibi patiuntur animæ, deprecareris pro illis sedulò Dominum, ũnáq; illum rogares, ut det viventibus gratiam ac lumen, ad expianda per pœnitentiam sua peccata. Orabis præterea DEUM, pro fæminis prægnantibus, ut illas illuminet, educátque in lucem earum proles, quò suscipiant beneficium Baptismi; propterea enim tibi ostendit limbum parvulorum, qui decedunt è vita, priusquam baptizentur. Exhibuit tibi devastationem agrorum ac tritici, quæ significat ac repræsentat dissolutionem & Corruptionem Mundi, ut deplorares tantam miseriam, invocarésque DEUM. Ut autem te solaretur ac mitigaret tuum dolorem, quem percipis ex tanta animarum jactura, útque ageres DEO gratias, ostendit tibi illos Sanctos spicarum collectores, qui suis manipulis attulerunt tantum gaudium, & gloriam DEO. Audivi cum magno solatio dicta mihi à sancto Archangelo, qui injecit meo collo torquem, cujus annuli erant ex purissimo ac splendidissimo auro, & dixit: Accipe, Soror, hoc cimelium in nomine DEI, erísque deinceps Ancilla ipsius & Sponsa. Auditis his Angeli verbis, immemor vocabuli Sponsæ, tantúmque insistens appellationi Ancillæ, dixi: Ah, Domine Angele, volétne me Dominus tanquam malam & infidelem suo Domino, Ancillam vendere? Respondit Angelus: Nequaquam fiet, quod dicis. Dominus enim te emit valore & pretio infinito, sui pretiosi sanguinis à se profusi, ésq; ipsius multis ac justissimis titulis, & desposavit te sibi, adaptavitque in filiam suam, ac pro-

ac proinde non habet locum, quod dicis, nec id unquam fiet. Hoc dictum Angelicum me affecit magno solatio, & fui recreata, atque confortata in Domino.

§. III.

ERit autem operæ pretium animadvertere stylum DEI, in his visionibus & revelationibus prædictorum locorum. Quia in Cælo & in Purgatorio, illi ostendit speciatim nonnullas animas defunctorum ipsius tempore, pro earum honore, ut aspectu existentium in cælo recrearetur; quemadmodum suprà dictum est; detentis verò in Purgatorio succurreret ac ferret opem: sed in inferno ipsi nunquam exhibuit spectandum ullum nominatim damnatum, neque ei revelavit damnationem cujusquam, qui ipsa vivente esset defunctus. Atque si aliquid tale, vel eminus se se ipsi offerret, abstinebat se pro viribus: nolebat namque malè de ullo sentire, & damnati non poterant juvari. Unà duntaxat vice, in eventu, secundùm fidem nostram, certo, concernente infantes morientes absque Baptismo,

Accidit, ut ad me veniret, *ait*, quidam parvulus, præseferens ætatem circiter quatuor vel quinque annorum, vultu neque tristi, neque hilari, sed malè vestitus, & dixit mihi: Nostine me? aspice me bene, ego enim sum filius tui fratris. Respondi illi: Relinque me, quia meus frater non habuit filium. Intuita sum ipsum, & erat vultu persimilis suo Patri. Tum mihi dixit: Non meministi, primum filium, quē habuit, natum fuisse exanimem? atque ego sum ille, & maneo in Limbo. Compatere mihi. Quo dicto evanuit. Interrogavi deinde DEUM, quare mihi ipsius Majestas exhibuerit istam visionem, siquidem non posset jam juvari? respondit mihi: Ut ores pro parturientibus, nè illis partus tam infeliciter cedat: nam hujus rei te cura non tangit.

Isto casu excepto, non habuit de ullius defuncti, qui esset provectioris ætatis, damnatione, peculiarem revelationem. Et, quod hanc rem attinet, occasione cujusdam libri, tunc editi in lucem, in quo referebantur nonnullæ revelationes factæ cuidam servo DEI, de personis notis, quòd essent damnatæ, dixit illi DEUS, illum spiritum non esse suum, additâ hac doctrinâ utilissimâ. Nonne, *ajebat*, advertis, me longè aliter consuevisse loqui? Quædam malè intelliguntur, & aliqua perperam scribuntur, ideóque magnopere erit necessarium, & expediet in hujusmodi eventibus, qui videntur esse revelationes, de cujuspiam damnatione, avertere cor, & abstrahere ab illis spiritū. Ego enim rarissimè & extraordinariè manifesto similes casus; atque si id aliquando feci, vel fecero, certè non aliter, quàm ut sit secretissimum, solique constet animæ, cui tale quid revelo, & quidem in casu admodum necessario, ex quo dependeat specialis meus honor, & fructus animarum. Non decet verò animam, cui me communico, esse nimiùm audacem in interrogando, cum exiguo timore; si enim hoc faceret, proxima esset illusioni, ut existimaret, me sibi loqui, & respondere, cùm tamen se aliter res haberet. Ut animæ sua DEUS communicet arcana, oportet illam esse humilem, verecundam, timidam & solicitam, nè erret, ac liberam ab omnimoda propensione ad res singulares & inusitatas, adeò ut debeat esse instar bonæ aquæ, quam necesse est expertē esse omnis saporis. Quæ hoc habuerit, & amaverit ex corde ac verè DEUM, collocaveritque in ipso omnem suam spem & fiduciam, talis non errabit, neque decipietur, ego enim illā illuminabo, ac docebo.

Præterea, dum anima familiariter agit cum suo DEO, & ipsum deprecatur pro anima defuncti, cujus statum ignorat, utrū in via sit salutis, solet DEUS oranti pro illa immittere quandam incuriam, ac magnam in petendo tepiditatem. Atque hoc est, quod DEUS ordinariè facit in simili eventu.

Hæc omnia Marina intellexerat ex Divina revelatione, neque ijs obstat illa, quam habuit de triginta damnatis, de quibus statim erit sermo: quia fuit revelatio confusa, ità ut non videret, nec dignosceret quenquam speciatim.

CAPUT II.

Quomodo illi DEUS manifestaverit modum, quo animæ puniuntur in Purgatorio, ac de ardenti ipsius desiderio, earundem juvandarum.

Duo profitetur sancta nostra Fides, quæ sunt certis casibus, instar januæ, ac aditûs, ut justi ingrediantur in cœlestem gloriam. Alterum est, Purgatorium ignis, ubi purgantur animæ, & luunt pœnas suorum peccatorum, pro quibus non satisfecerunt in hac vita, cujus jam facta est aliqua mentio. Alterum, sunt Indulgentiæ Ecclesiæ, & preces, ac opera satisfactoria, quæ vivi applicant defunctis, ut illos liberent ex Purgatorio. De utroque Marina multas habuit revelationes, utrumque confirmantes.

§. I.

Quàm sint graves hæ pœnæ?

INprimis pro solatio vivorum, qui patiuntur graves afflictiones, fuit à DEO edocta, quantò sit meliùs satisfacere hîc pro peccatis, quàm hanc satisfactionem differre ad Purgatorium, cujus cruciatus sunt incomparabiliter graviores. Quodam die, *ait*, rogabam DEUM instantissimè, ut liberaret, si ei placeret, quendam infirmũ ab acerbissimis calculi doloribus, quos patiebatur; persoluturum enim in Purgatorio, quod deberet pro suis peccatis, quorum esset reus, si propterea Divina Majestas illi hîc immitteret hos dolores. Respondit Dominus: Noli me tuis precibus inducere ad id faciendum, quia meritò de te postea hæc anima queretur, ubi luerit pœnas Purgatorij. Ego autem dixi DEO: Mi DEUS, multum est, pati in Purgatorio, cum securitate te non offendendi: dum enim hîc patimur dolores & afflictiones, potest nostra naturalis imbecillitas & miseria deficere in resignatione, vel patientia, aut similibus, téque offendere. Tum DEUS: ego gero curam meorum servorum, qui cupiunt ac volunt me non offendere, nec illos permittam labi; atque si valde magna esset eorum imbecillitas, & eò usque pertingeret, quò ego illam pertingere posse scio, mitigarem ipsorum cruciatus, vel disponerem ipsorum res eo modo, qui esset convenientissimus eorundem saluti. Ego enim sum vester Pater, vester Dominus & vester DEUS. Mea anima fuit vehementer his mei DEI dictis exhilarata.

Aliàs orando pro quadam persona, quæ ægrotaverat multis mensibus, & gravissimos erat perpessa dolores, cùm esset vicina morti, rogavi unum è meis Angelis, ut iret ad opem ipsi illâ horâ ferendam. Respondit mihi: Non erit necesse, quia proprius ipsius Angelus illi adest, opémq; fert sufficientem, & fortè in Purgatorio non manebit uno horæ quadrante. Mirata sum id: quia in diuturnis morbis, inter acutos dolores, solent intercurrere quædã impatientiæ, & querelæ. Dominus autẽ mihi dixit: Noli mirari. Pati enim, quod à DEO immittitur, tanta est res, ut quávis non desint multi defectus, ego tamen ex hoc fimeto eruam margaritam & gemmam, quæ est incomparabilis pretij, ad satisfaciendum, pro multis annis Purgatorij.

Existimo hoc dictum fuisse à DEO, quia tales infirmi quandoque eliciunt quosdam actus heroicos resignationis & conformitatis cum Divina voluntate, quæ est præcipui pretij in Divino conspectu.

Præterea illi ostendit DEVS, quàm sit terribilis ignis Purgatorij, ùt constat ex Visione relata præcedenti capite, & alijs deinceps referendis.

§. II.
Modus & ordo pœnarum.

Manifestavit ipsi quoque modum ac ordinem, quo patiuntur animæ, & proportionem, quæ reperitur in earundem pœnis. Dum, *inquit*, aliquando manè agerem cum DEO, indicavit ipsius Majestas meæ animæ, velle se illi præstare aliquam peculiarem gratiam. Reluctabatur more solito, quasi non intellexisset, quod resciverat à suo DEO; & postquam, ultra unam horam, se fuisset conata abstrahere ab eo, quod intellexerat, dixit illi DEUS: Anima, quid agis? veni jam mecum, & videbis, quid tibi sim ostensurus. Atque tum in momento abduxit meam animá, quæ se reperit constitutam ante quendam locum, qui erat Purgatorium. In hoc loco vidit multas animas, congruis quodammodo & in longum protractis ordinibus dispositas, quarum aliæ stabant loco demissiore, aliæ altiore: & quamvis viderentur juxta se consistere, patiebantur tamen singulæ seorsim, atque tam mirabiliter à Divina manu erant collocatæ, ut quælibet esset separata ab altera, neque aliam sustineret solitudinem, quàm si in eo loco tam spatioso ipsa unica existeret. Interdum veniebant ad quasdam Angeli DEI, & solabantur illas, atque animabant, dicentes ipsis, quòd essent visuræ DEUM, & ea tormenta, non semper duratura. Ardebant illæ animæ in vivis flammis, & cruciabantur gravissimè: neque omnes torquebantur eodem modo, & æqualiter. Quod nonnullas summè angebat, erat vehemens desiderium videndi DEI, atque in eo consistebat præcipuum ipsarum Purgatorium. Non vidi illas patientes in ulla corporea specie, sed visu spiritualissimo cognoscebam, ac penetrabam spiritualem essentiá earum animarum, quæ illic eo modo luebant & affligebantur.

Aliam visionem notatu dignissimam huc spectantem habuit, quodam Festo Sanctissimæ Trinitatis. Vidi, *inquit*, venientes, quasi eminus, tres viros in candido vestitu, indutos quasi angustis *albis* sacerdotalibus, & tristi vultu. Unus ibat medius, erátque altior reliquis duobus, qui stipabant ipsius latera, & quasi pertingebant ad ejus humerum. Pervenerunt ad locum, in quo mecum manebant mei Domini quatuor Angeli, & prostraverunt se humi, acsi ab illis aliquid peterent. Paulò pòst, accesserunt ad me duo ex meis Angelis, & dixerunt mihi: Scisne, qui sunt isti, cur veniant, & quid petant? Hi (ajebant) fuerunt tres Religiosi idiotæ, & singulariter addicti Sanctissimæ Trinitati; inierant autem pactum, ut quisque speciali devotione coleret unam è Tribus Divinis Personis, ab eáque postularet quampiam pro se, & pro cæteris duobus virtutem. Id diu egerunt, sed ex ignorantia erraverunt, existimantes, Patrem esse majorem Filio, & Filium majorem Spiritu Sancto. Obtinuerunt autem veniam suorum peccatorum, eò quòd ipsos pœnituerit erroris; sed sustinuerunt in Purgatorio gravissima tormẽta, quæ hunc in modum possunt declarari. Qui occupat locum medium, passus est, acsi proceræ vir staturæ comprimeretur & constringeretur, ut evaderet æqualis cuipiam parvo: duo verò ipsius comites, acsi parvus aliquis extenderetur, ut fieret par magno. Dixerunt autem nobis, ut, cùm patiaris tam multùm in isto lecto, atque DEUS exaudiat preces patientium, ab hodierno die, ad Octavam usque Corporis Christi, ores pro illis DEUM, & communices quotidie, offerásque ipsi aliquid ex tuis cruciatibus, ità enim ipsos liberatum iri ex suis. Ego me exhibui promptam ad id præstandum, & tres illi Viri subitò disparuerunt. Post aliquot autem dies venerunt Angeli Custodes harum trium animarum, &, me spectante, egerunt gratias meis sanctis Angelis, pro collato ipsis beneficio, dicentes, jam illas frui DEO, in Cœlo.

In hac visione est animadvertere, quomodo pœna Purgatorij sit proportionata peccato, illa enim ignorantia erat culpabilis, quãvis fuerint idiotæ, quia eam potuerunt facilè deponere; sed ante suam mortem averterunt à se malum, agendo pœnitentiam.

§. III.

§. III.

Animæ certò sciunt, se esse salvas.

ADmodum, quo animæ cruciantur, pertinet, quòd careant afflictione, quam illis posset adferre dubium, sintne damnatæ, an non; qua de re illam reddidit certiorem Dominus, dicendo ipsi: Ecce, Anima, reperire est nonnullos, qui usq; adeò volunt exaggerare tormẽta Purgatorij, ut dicant, tanta esse, quanta sunt in Inferno. Ego diligentes me diligo, ideóque me miseret animarum existentium in Purgatorio, & submitto illis aliqua solatia per meos Angelos. Atque esto certa, nullam esse animam in Purgatorio, seu in loco, in quo purgat sua peccata, cui non certissimè constet, se esse in via salutis, & statu gratiæ.

§. IV.

De alijs locis, in quibus cruciantur animæ.

MAnifestavit illi quoq; Dominus, quasdam animas cruciari in alijs locis extra Purgatorium ignis, quemadmodum dicit S. Gregorius, quendam Diaconum, nomine Paschasium, cruciatum fuisse in quibusdam balneis. Cùm, *inquit*, vehementer affligerer à meis doloribus, somniavi, me esse in littore cujusdam fluminis (fueram enim aliquando singulariter addicta ei recreationi, quam percipiebam ex aspectu aquæ) & sum expergefacta, dixerúntque mihi mei Domini Angeli: Vísne à nobis duci ad littus alicujus fluvij, ut te modicùm recrees istâ creaturâ, quam DEUS condidit in usum hominum? Ego dixi: Non, Domini, malè valeo, non possum. Nos te ducemus, nè sis solicita (dixerunt illi) & absque mora me duxerunt juxtà quendam fluvium Castellæ, constituerúntque me in quodam loco, in quo vidi spatiosa & procul excurrentia littora. In altera littoris parte conspexi quatuor pueros, pedibus cogentes arenam, & laborantes, séque valde fatigantes, quasi vellent ingredi fluvium, neque tamen possent. Et interrogavi: Quid est hoc, Domini? Respondérunt mihi: Brevì scies. Duxerúntque me ulteriùs, & vidi in eodem littore alios quatuor, valde tristes, & obrigescentes præ frigore, séque contrahentes, & afflictos. Repetij priorem interrogationem. Et paulò post vidi alios quatuor parvulos, aliquantò ulteriùs immersos in fluvium, usque ad umbilicum, qui acriter vexabantur à frigore. Atque tunc me DEUS illuminavit, ut intelligerem esse animas Purgatorij, luentes extra illud in eo loco suas pœnas.

§. V.

Ferventia ipsius desideria, liberandi omnes animas Purgatorij.

PEr has revelationes DEUS suam famulam vehementissimis incendit desiderijs, juvandi istas animas, liberandique illas omnes, si posset, ex Purgatorio, ut patebit ex eo, quod illi evenit, cùm id petenti in festo Assumptæ in Cœlos Beatissimæ Virginis, postquam ipsi Christus Dominus, ut dictum est (in cap: 33. lib: 4.) *fuisset dignatus applicare magnos suorum meritorum thesauros, cum potestate, ut eorundem posset particeps reddere proximos.* Paucos post dies, *ait*, mihi dixit Dominus: Marina, quomodo neglexisti petere, quod tibi obtuli præteritis diebus, pro te, & pro tuis proximis? Ego, ùt quæ nihil minùs, quàm tale quid, cogitaveram, respondi: Non venit mihi id in mentem. Dominus verò reposuit: Eja, pete, quidquid volueris, pro te, & pro quocunque, quia ego tibi id præstabo. Puto mihi à Domino fuisse suggestum, ut intercederem pro animabus Purgatorij, & existimabam, bonum fore, si omnes inde liberarem. Dominus intellexit meam cogitationem, ac dixit: Paulatim, Anima, procede pedetentim, petis nimiùm. Continui me, & dixi: Concedat illis saltèm tua Majestas mille annos Indulgentiarum. Dominus autem subjecit: Tempera tibi, Soror, multùm enim postulas. Petivi minùs, dicendo: Concedat illis tua Majestas octingentos annos. Et dicente Domino, esse adhuc multùm, dixi: Concedat ipsis Tua Majestas ducentos annos Indul-

Indulgentiarum; atque ſpecialiter interceſſi pro certis animabus Purgatorij. Sed Dominus reſpondit: Quomodo tu ſcis, iſtas animas ibi eſſe? Ego, quamvis id à DEO illuminata ſcirem, reſpondi Domino: Si ibi non eſſent, intercedo pro animabus meorum conſanguineorum & benefactorum, quæ ibi manent, & ſi illæ non habent opus ſuffragijs, pro ſummè egentibus. Tum mihi Dominus reſpondit: Modò bene petiviſti. Ità fiet, ſicut dicis. Et pro vivis, quid petis? addidit Dominus. Ego reſpondi: Omnibus illis, qui ſe commendaverunt meis precibus, & meis benefactoribus, atque præſertim duabus perſonis, quas nominavi, obſecro tuam Majeſtatem, ut largiatur magnum gratiæ, donorúmque cœleſtium augmentũ, & præbeat auxilium, ad reſiſtendum diabolo in tentationibus, quibus eos infeſtaverit; quod mihi Dominus conceſſit, & deſtiti ab omni ulteriore petitione. Dominus tamen mihi dixit: Pro te verò quid petis? Cui reſpondi: Nihil peto, mi Domine, aliud, quàm quod mihi tu dare volueris. Excitas in me Domine, tantum deſideriũ & aviditatem petendi, atque nihilominus dicis, me multum petere. Et Dominus dixit: Anima, nè te affligas, neque contriſteris; verè enim tibi dico, quòd, ſi ſcires gratiam, quàm magnam propter tuos ferventes actus tuæ petitionis, ſum præſtiturus animabus Purgatorij, obſtupeſceres. Neſcis autem id modò.

CAPVT III.

Quomodo illi DEUS præſtiterit gratiam, ut quàvis Sacrâ Communione liberaret ordinariè quatuor animas ex Purgatorio, & quâ ratione liberaverit quasdam, cum circumſtantijs ſanè admirandis.

HIs revelationibus animatu Marina, cœpit ſubvenire animabus Purgatorij, orando pro illis, atque offerendo ſuas Communiones ac afflictiones, & applicando ipſis Indulgentias, quas ſuis Roſarijs potent conſequi. Divina verò Majeſtas, viſis ijs deſiderijs, ipſi in hunc finem contulit ſingulares gratias.

§. I.

INſigniſſima fuit hujusmodi. Die S. Antonij Abbatis (Anno 1615.) inquit, mihi agenti cum DEO, more ſolito, dixit Divina Majeſtas, ſe mihi in Feſto hujus Sancti, qui tantopere fuit infeſtatus à dæmonibus, quandoquidem illi in hoc eſſem ſimilis, præſtiturum quandam gratiam, atque etiam ideo, quòd Sanctus id ab ipſo petiviſſet. Vidi Dominum conſidentem in throno, circumdatum ab Angelis, in meo cubiculo, quorum duo acceſſerunt ad Divinam Majeſtatem, quaſi ipſi lucentes lumine admirabili, & Dominus ſcripſit octo ſchedas paucis literis; quod autem continebant, erat; à Divina Majeſtate in mei gratiam, libertate donari eo die, octo animas exiſtentes in Purgatorio. Quatuor ſchedæ fuerunt datæ quatuor Angelis, mihi ordinariè aſſiſtentibus, qui illas ſuſceperunt cum magna reverentia, & oſculo, receſſerúntque ad ſuum quiſque locum, unde venerant ad eas accipiendas. Quatuor animæ liberandæ, erant meorum conſanguineorum, non tamen parentum, qui jam pridem fruuntur DEO. inter Angelos comparuerunt quatuor pulcherrimi pupuli, quos, à DEO illuminata, cognovi eſſe beatos puerulos, mortuos ſtatim poſt Baptiſmum, priuſquam pervenirent ad uſum rationis, & hi ſe collocaverunt ante quatuor dictos Angelos, fuerúntque

runtque ipsis datæ aliæ quatuor schedæ, pro liberandis quatuor suis parentibus, existentibus in Purgatorio, quorum animæ erant omnium derelictissimæ. Pueruli autem illi petierant à DEO liberationem suorum parentum. Dixerunt mihi Angeli, vellémne eas animas subitò liberari? Ego annui; ideóque tempore Consecrationis in Sacrificio Missæ, quod peragebatur in Oratorio, iverunt, & liberaverunt illas. Post septem dies, agens cum DEO, vidi quatuor puellas, splendidè vestitas, & quia illas non noveram, dixit mihi Dominus, ut illas bene considerarem, & ex peculiari illustratione habita, agnovi esse duas meas sororculas, quæ mortuæ fuerant parvulæ, & duas consobrinas. Accesserunt ad me, suntque me amplexatæ, quod & ego feci. Dominus, qui aderat cum multis beatis spiritibus, dedit singulis peramanter & blandè aliquid, quod non vidi, quid esset. Puellæ id acceperunt, dederuntque quatuor Angelis mihi ordinariè assistentibus. Interrogavi ipsas, quali fruerentur gloriâ? Responderunt mihi: Omni, cujus essent capaces; adeò, ut neque majorem velint, nec possint habere, neque desiderent. Tum specialiter à DEO illuminata, vidi gloriam, quâ fruebantur. Una illarum, quæ obierat sexennis, mihi dixit, quòd ipsi DEUS in morte acceleraverit usum rationis, fuerítque in morbo, ex quo decubuit, promerita majorem gloriam, quàm sit cæterarum. Interrogavi sanctos Angelos, qualia essent illa dona, quæ Dominus dederat puellis. Responderunt mihi: DEUM, in mei gratiam velle liberare quatuor animas ex pœnis Purgatorij, dedisseque ijs quatuor quasi schedas sibi tradendas, qui essent futuri ejus rei executores: viderem modò ego, quæ animæ deberent esse, siquidem id DEUS permitteret meæ electioni. Ego dixi, ut essent quatuor animæ meorum propinquorum cognatorum, & illis deficientibus, quatuor animæ maximè desolatæ ac derelictæ: Urgebam Angelos, ut irent citò. Dixerunt mihi autem, eundum sibi esse tempore Consecrationis sub Sacrificio Missæ, quod eo die celebrandum erat. Angeli acceptas puellas, abduxerunt inde secum ad Cœlum.

§. II.

POstridie deinde habui quædam indicia, quòd mihi DEUS esset præstiturus aliquam prorsus extraordinariam gratiam. Repugnavi vehementer, sicut soleo, petendo ab eo lumen, pro cognoscendis ipsius veritatibus. Inter hæc vidi Majestatem Christi Domini, sedentem in eleganti Throno, qui admotâ sanctissimâ suâ manu lateri, gravissimè exprompsit quandam pulcherrimam clavim auream, cujus mihi ab ipso exhibitæ aspectu fui territa, ac turbata. Dominus autem animadversâ meâ turbatione, conjecit oculos in quédam sanctum Angelum ibi præsentem, cui, cùm ad ipsum accessisset, dedit illam Divinam clavim; is verò ipsam suscepit quàm reverentissimè, & inclinans se usque ad terram, osculatus est illam, statimque eandé tradidit uni ex quatuor sanctis Angelis, mihi continuè assistentibus, quam ipse eodem suscepit modo, quo prior, ac dedit alteri ex quatuor, hìc autem consequenter reliquis; donec, postquam omnium pertransivisset manus, ab ultimo fuisset data meo sancto Angelo Custodi; quam ille susceptam, cum indicijs gaudij, atque actis DEO gratijs, servavit in se ipso. Postea conversus ad me Dominus, dixit mihi: Amica, accipe hoc donum ex mea manu, & à mea misericordia, quod tibi præsto in ista specie clavis; ea enim est mea potentia & voluntas, ut possis illâ in nomine meo, quotiescunque confessa priùs fueris, & communicaveris, liberare quatuor animas ex Purgatorio, quas designaveris; ad quod executioni mandandú se conferent simul tui sancti quatuor Angeli, quos tibi dedi Custodes, à Consecratione peragenda in Sacrificio Missæ, usque ad Communionem. Ego fui attonita, & obstupui tantam misericordiam, quòd existimarem istâ gratiâ DEI, posse liberari multas animas ex Purgatorio? Et dum deinde agerem cum Divina Majestate, de hac tanta munificentia, respondit mihi: Noli

Noli consternari, neque mirare, me id fecisse; ad hoc enim faciendum sum his rationibus & causis permotus. Prima est, mea bonitas, ac desiderium & prompta voluntas tibi gratificandi: secunda, quia respicio obsequium, quod mihi exhibuisti, in deducendis ad Religionem, offerendisque mihi in illa animabus, quas potuisti, ut ibi salvarentur, & mihi perfectè servirent, volui tibi idem obsequium rependere tam largâ & benignâ manu, donando tibi tot animas, brevi tempore tuæ vitæ, ut te allaborante fruantur meo conspectu, & eruantur ex pœnis, quas patiuntur. Tertia causa est, quòd istæ animæ, quibus obveniet hæc tam beata sors, sint indigentissimæ, ac destitutæ tanto auxilio & subsidio quo opus habent. Atque si ideo obstupescis, quòd existimes per hanc misericordiâ & privilegium, quod concedo, posse plurimas animas absolvi à pœnis Purgatorij, noveris, has omnes, comparatas cum ijs, quæ pœnas sustinent, & cum tam enormi earundem numero, esse instar unius guttæ aquæ, collatæ cum vasto fluvio.

Cùm id audivissem à DEO, videretúrque mihi, spectatâ hac ipsius gratiâ, bonũ fore, si sæpiùs iterarem Communionem, quia illam interdum, constricta à morborum symptomatibus, intermittebam, licèt habeam facultatem communicandi quotidie, dixerunt mihi mei sancti Angeli nomine DEI: fac, quod soles, quódque tibi hac in re fuerit solatio, & noli propter istam gratiam curare, communicésne frequentiùs, an verò etiam rariùs; neque, etiamsi subinde feceris plus, quàm alioquin faceres, si frequentiùs sacram Communionem obtuleris pro animabus, fiet malè, sed erit opus virtutis & obsequij Divini.

Post hoc, cùm aliquantum fuissem solicita, ut confiterer, quotiescunq; mihi diceretur Sacrum, eò quòd non semper habeã Confessarium idoneum, elapsis quindecim diebus, vidi Christum Dominum ad me venientem, qui ferebat in manu quendam globum rotundum, impositum longo manubrio, in quo erant expressæ animæ, egressæ è Purgatorio, & dixit mihi: Marina, es afflicta, & solicita, ut quotidie confitearis. Quiesce, & noli te affligere. Concedo, ut sufficiat, si ter confitearis quavis septimanâ, pro consequenda gratia, ut liberes quatuor animas ex Purgatorio singulis diebus, quibus communicabis. Hoc dicto, mihi porrigebat globum, sed ego illum non audebam accipere. Suscepit ipsum meus Angelus Custos, & posuit ad meum pectus, intromisítque intrà me, nec illum unquam ampliùs conspexi.

§. III.

VErùm, ut intelligeret, eam gratiam fuisse limitatam, permisit illi DEUS evenire quosdam speciales casus. Post paucos dies, *inquit*, obierunt duæ personæ, diversis temporibus, quæ in vita complura gesserant publica munera, & applicatâ ipsis gratiâ, vidi illas post octiduum adhuc hærere in Purgatorio; quod admirans, interrogavi DEUM, quomodo id fieret? Divina Majestas autem mihi respondit, ejusmodi personis, quæ promeruissent graves pœnas, secundùm ordinem Divinæ Justitiæ, esse diutiùs manendum in Purgatorio, & pro his animabus oportere multiplicari sacras Communiones, ut liberentur ex Purgatorio.

Aliud quid rarius & mirabilius mihi fuit manifestatum uno abhinc anno (in Martio anni 1617.) postquam defuncta fuisset quædam persona, cui ego eram obligata. Vidi illam in terribilibus Purgatorij tormentis, ut præ commiseratione fuderim lacrymas. Obtuli pro ipsa novem Communiones, quamvis non fuerint continuatæ novem diebus, sed pluribus, & adverti tormenta illius sensim imminui. Persolutis ijs Communionibus, vidi illam animam eductam ex illis ignibus, & quasi cõsistentem apud portam Purgatorij, junctis manibus. Tum Christus Dominus descendens de cœlo ei dixit, se propter bona opera facta in vita (nominatis quibusdam) & Indulgentias à sua famula (quod percepi de me dici) illi applicatas, ipsam liberare ex ijs tormentis. Vidi eam educi ex Purgatorio, non tamen duci ad Cœlum. Cogita-

gitabam biduo vel triduo, quidnam id esset, ac deinde intellexi, illam re verâ necdum esse in Cœlo, sed extra Cœlum, cum aliquo cruciatu, quamvis exiguo, modò hîc, modò ibi oberrare instar avis, quæ afflicta circumvolat, & in diversis locis subsistit. Obstupui propterea, & interrogavi Dominum, cur illa anima non esset in Cœlo, cùm tamen ipsam ob Indulgentias liberaverit ex Purgatorio. Respondit mihi, gratiam mihi à se concessam, esse quidem pro liberandis ex Purgatorio animabus, atque è tormentis ignis, quæ illic perferuntur, sed ex justis suis judicijs à se quasdam relinqui aliquantò diutiùs, ut purificentur cruciatibus lenioribus, easdémque, ut pro his citiùs satisfaciant, posse juvari ordinarijs Ecclesiæ suffragijs.

CAPVT IV.

Quomodo liberaverit ex Purgatorio alias omnis conditionis animas, & nonnullas, quæ patiebantur propter leves culpas, alias verò, quæ ibi manserant, multis annis.

ALia ipsi, non solùm eâ gratiâ, quam illi Dominus præstiterat, verùm etiam consuetis in Ecclesia medijs utenti, evenerunt notatu dignissima, ex quibus nonnulla, quæ prodesse possunt, referemus.

§. I.

CUm, *ait*, aliquando essem vehementer afflicta, misertus mei Dominus, dixit mihi: Anima, quid habes? quid vis? pete à me aliquid pro tuo solatio, quia id faciam. Suggessit mihi Dominus, quòd bonum foret, orare pro animabus Purgatorij, ideòque sum illum pro ipsis deprecata. Tum Dominus mihi respondit: Quot vis, ut liberem ac eruam ex pœnis, quas patiuntur? dubitabam in animo meo, quotnam peterem? quia petere paucas, mihi videbatur adversari charitati; & petere multas, existimabam esse temeritatem. Dum hærerem in ista perplexitate, vidi novem animas Purgatorij, quarum singulæ summo cum desiderio dicebant: Ora pro me, ora pro me, sum enim pauperrima, nec est qui mei meminerit in vita mortali, & nullum aliud mihi suppetit auxiliũ, quàm communia Ecclesiæ suffragia. Quædam verò anima pueri, qui in tenera ætate fuerat defunctus, circiter decennis, urgè clamabat ac dicebat: Ora pro me, nam eò, quòd obierim puer, qui superstites máserunt, cogitantes, me non indigere suffragijs, permiserunt me pati; Famula DEI, ora pro me. Auditis harum novem animarum clamoribus, vehementer ijs sui permota ad commiserationem, quia cupidissimè flagitabant suam liberationem, ideòque rogavi Dominum, ut omnes novem liberaret. Et Dominus mihi dixit: Fiat, licèt, quod petis. Sed una inter illas est, cui, ut satisfaciat, deest multum. Ego verò reposui: Non, mi Domine; omnes oportet exire, ità rem istam Tua Majestas disponat. Tum Dominus: Sit ità, dixit, applica tu illi Communionem. Feci quod jussa eram à Domino, & in momento omnes eæ animæ fuerunt exhilaratæ ac recreatæ, atque Dominus illis dixit: Ego vos absolvo ab omnibus peccatis vestris. Et Angeli earum Custodes ipsas liberaverunt, ac duxerunt ad Cœlum, summo cum gaudio & jucunditate, occurrerúntq; illis multi Angeli ad eas excipiendas, & fuit ingens in Cœlo solennitas, cùm exciperentur.

§. II.

ALiàs, cùm orarem DEUM pro quadam mea cognata, quæ migraverat è vivis

vivis, dixit mihi Divina Majestas: Visne eam videre, & audebisne ipsam inde eruere, ubi manet? Respondi: Ità, audebo, Domine. Ergo illam intuere (ajebat) & cùm respexissem, vidi ipsam intra quasdâ flammas, quasi alicujus pyræ, quâvis non ità afflictam, sicut videram alias. Statim præmisso signo Crucis, sum ingressa flammas, atque licèt senserim ignem, non tamen magnopere. Strinxi illam, atque extraxi; & paulò pòst ipsam acceperunt Angeli, ac duxerunt ad Cœlum. In eodem rogo, post alias, vidi duas animas, manibus junctis me rogantes, ut earum meminissem, dicentésque se esse animas mariti, & uxoris, pauperum, mihi notorum, opificum: quibus dixi, me id facturum, & orando pro illis DEUM, ipsas liberavi.

Alio die mihi simul apparuerunt S. Pater Ignatius, & meus Parens, à me aliàs in Cœlo visus, qui mihi dixit: Filia mea, non venio, ut te contristem, verùm, ut tibi jussu DEI dicam, quomodo sis oblita, orare pro tuo illo cognato, qui jam pridem est in Purgatorio? cùm ores pro alijs, ora etiam pro isto. Ego respondi: Pater, ac Domine mi, hoc equidem non animadverti, quamvis ipsum generatim DEO commédaverim: at nunc monita id faciam; tum mihi valedixit. Et venientes sancti Angeli duxerunt illum (*cognatum*) ad cœlum, quasi ipsum comitantes, quod tamen non est ingressus. Post hoc communicavi pro anima defuncti, applicuíque ipsi Indulgétias mihi concessas, ac simul pro alia anima cujusdam Religiosi, quam ego jam sciebam esse in Purgatorio, & vidi illas ab Angelis introduci in Cœlum; quæ ad me cóversæ, gratias mihi egerunt pro præstito sibi beneficio. Erat tantus Angelorum jubilus in Cœlo, dum illud ingrederentur, ut interrogaverim, cur id fieret, fuítque mihi dictum: ideò, quòd diuturnas sustinuerint pœnas.

Atque ut appareat, quasdam animas diutiùs manere in Purgatorio, quàm communiter existimetur; rescivit in his revelationibus, aliquas ibi hæsisse viginti annis, alias quadraginta & quinquaginta, alias verò longiore tempore. Fuitque anima, quæ illi dixit, se esse ad tam diu duraturas damnatâ pœnas, ut earum diuturnitas horrenda esset auditu, nisi abbreviatæ fuissent per suffragia.

§. III.

QVâdam vice, *inquit*, adfui in spiritu cuidam infirmo, cujus incolumitatem optabam & postulabam à DEO. Vidi illum extensum humi, decussatis manibus, & indutum albâ veste. Deinde conspexi venientem quendam Angelum cum libro aperto, & Christum Dominum modicè distantem. Angelus infirmo legit in eo libro, de genibus, omnia ipsius peccata ac defectus, atque etiam virtutes ac merita, & utrisque computatis, reperit longè plura esse ejus merita, & bona opera, ideóque propter merita sanguinis Christi Servatoris nostri, & propter ipsius cooperationem, nec non id, quod pro illius anima feceram, Dominus ipsum absolvit, pronunciavítque liberum à commissis ab eo peccatis, ac declaravit suum amicum, dedítque ei suam benedictionem. Deinde illum vidi exspirantem, non tamen adverti, quonam anima ipsius migraverit. Post mortem ipsum conspexi, & intellexi esse in Purgatorio. Dixi illi, me pro eo obtulisse novem sacras Communiones, & respondit mihi, tertiâ peractâ Communione, desituram ipsius pœnam, cujus etiam rescivi causas, atque inter alias erat nimius amor, quo fuerat prosequutus suam conjugem, & immoderata vitæ desideria. Absoluto, tertiâ die, missæ Sacrificio, cui defunctus adstitit, vidi illum cum multis Angelis ascendentem ad Cœlum, alijs descendentibus ad ipsum excipiendum, cum ejus prolibus, quæ in infantia obierant.

Eodem tempore est defunctus quidam Sacerdos, meus benefactor, quem postridie obitûs enixè commendavi DEO in Sacrificio Missæ, quod audiebam in meo Oratorio, cum proposito applicandi ipsi Indulgentias, quas habeo, & Communionem. Priusquàm communicarem, sancti Angeli deduxerunt ad meum cubiculum illius animam. Comparebat mihi valde afflicta, erat circumdata flammis,

vehementérque optabat, ut finiretur Sacrificium, quod ei videbatur diu admodũ durare, tametsi non esset longum. Post sumptam à me sacram Synaxim, cessavit ipsius pœna, & comparuit pulcherrimus ac splendidissimus, indutus more Sacerdotum vestibus candidis, instar nivis. Egit mihi gratias pro charitate sibi à me exhibita, vidíque illum duci ad Cœlum, valde exultantem.

Aliàs, conspexi animam cujusdam Religiosi, qui mihi fuerat commendatus, ut illi applicarem Communionem, si esset in Purgatorio; quod cùm semel fecissem, vidi ipsum in suo habitu, altiore loco, quàm cæteras animas, brachijs valde exporrectis in altum, & vultu elevato ad Cœlum, vehementer dolentem ac afflictum: habebat circa inferiorem unius tibiæ partem annulum igneum, instar compedis, à quo detinebatur, nè posset abire ad intuendum DEUM. Iste erat ipsius mœror, ac dolor. Cúmque illum ità viderem constitutum, sum ipsi magnopere compassa, maximè, quòd illuminata à DEO, agnoverim, pati illum in Purgatorio diu, propter non gravia peccata: ideóque, quia id acciderat sub initium noctis, & supererant multæ horæ ad meam Communionem, accepi statim unam coronam precatoriam, quæ habet annexas Indulgentias, pro liberandis animabus, & recitavi, quod mihi suggerebat memoria. Fuit liberata illa anima ab illa compede, quæ ipsam detinebat, & evanescente ex oculis eâ corporeâ figurâ, vidi Spiritum illius Religiosi, absque ulla externa specie, deduci ad Cœlum à à sanctis Angelis; quod me magno affecit solatio.

§. IV.

ALiâ vice, multis annis pòst, defuncto quodam Religioso, qui complures annos exegerat in excipiendis multorum Confessionibus, méque sibi plurimùm obstrinxerat, & erat vir doctus, valde collectus, ac timens DEUM; cùm viderem, multas preces & Missæ Sacrificia in omnibus domibus Ordinis, ex quo ipse fuerat, offerri pro singulis, ex eo morientibus, neglexi illum DEO specialiter commendare, quemadmodum debuissem, parvi pendendo meas exiguas preces, & cogitando, ipsum haud dubiè jam esse in Cœlo. Quadam verò vice, dum ingrederer per januâ mei cubiculi, ut me pro more colligerem, vidi ibi stantem Patrem valde afflictum, & tristem, & quasi fatigatum. Cúmque illum conspexissem, agnovi ipsum, & intellexi, quòd esset in Purgatorio, atque nonnihil turbata, dixi: JESU! éstne hic iste Pater? ego sanè ipsum jam ante multos dies cogitabam esse in Cœlo. Et ille mihi respondit ità afflictus: Non sum, sed in Purgatorio, propter hos & illos defectus à me commissos, quos mihi enumeravit, nec erant valde graves. Ego expavi, animadvertens, quàm parvi fortè pendamus ea, quæ nobis non videntur esse gravia, sed levia, & quàm exactè expientur in Purgatorio. Vehementer indolui, videns in eo statu istum Patrem, & intellexi à DEO, quòd mihi illum voluerit comparere, ut pro illo peculiariter orarem, quamvis meæ orationes parum profint; dicerémque alijs, ut idem facerent. Quod quidem præstiti solicitè, & post aliquot dies mihi DEUS dedit speciale lumen, ut intelligerem istum Religiosum jam esse in Cœlo, indicavítq; mihi etiam Divina Majestas suam voluntatem esse, ut alloquerer Superiorẽ ejus Domûs, in qua ille Pater obierat, dicerémque ipsi, ut moneret Patres Confessarios, caverent hos & illos defectus, qui erant ij ipsi, quos mihi ille Pater defunctus dixerat; expiari gravi cruciatu in Purgatorio. Ego id dixi, quia vidi, sic velle DEUM. Utinam sciremus vitare exiguos defectus; quia præterquam, quòd luantur in Purgatorio, sunt instar graduum, per quos fit progressus ad majores, & refrigescit charitas ac Amor DEI: neque est ullus hostis tam exiguus, qui si permittatur agere pro suo libitu, neque contra illum pugnetur, non convalescat, sibíque subjiciat quidquid potest; præsertim si se occulter, simulétque esse amicum: & est pessima dispositio ad proficiendum in virtute, languere in his parvis defectibus: quia Domino

DEO

DEO vehementer placet, ut ipsi demus, quidquid possumus, neque nobis quidquã retineamus. Si verò aliquid retineamus, offendimus illum, & multùm perdimus: siquidem omne nostrum bonum, & divitiæ nostræ, consistunt in eo, ut deseramus universa ex corde, & nos ipsos, habeamúsque & possideamus DEUM, cujus ea est conditio, ut modicum nostrum velit, cùm, quidquid illi dare possumus, sit parum aut nihil; atque, si aliquid est, provenit ex ejus manu, pro quo tamẽ nobis dat plurimùm, utpote semetipsum. Ille sit benedictus in æternum! Amen.

§. V.

EX ijs, quæ hactenus sunt narrata, clarè constat, sanctos Angelos non deponere cuum animarum Purgatorij, sibi commissarum, quoadusque illas inde eruant, ac deducant ad Cœlum; nunc tamen id ipsum confirmabimus nonnullis exemplis.

Mortuo quodam Nobili Juvene, cujus ego salutem plurimùm exoptabam, dixi intra me, quasi non advertens, quid dicerem, ac velut ex inspiratione & motu alieno: Amice, quomodo te mors rapuit in flore tuæ juventutis? quo loco es? derepente audivi quandam vocem, me sic alloquentem: Ità est, ùt dicis, sed sum in via salutis, rogo te, ut pro me ores DEUM, sustineo enim incredibiles pœnas. Ego fui turbata & afflicta, eò quòd præcessisset in mente mea id, quod dixi, & incepi mihi ipsi dicere, fortasse hoc totum esse imaginationem. Tunc mihi dixit meus sanctus Angelus: Quod est à DEO, noli attribuere alteri Spiritui. Qui tibi est loquutus, fuit Angelus Custos illius animæ, ut faceres, quod à te pro ipsa petivit: quemadmodum etiam feci.

Cùm obivisset alius Nobilis Juvenis, qualem se ostendit & factis, multúmque orarem DEUM pro ejus anima, sicut antea oraveram pro ipsius incolumitate, Angelus meus Custos mihi dixit, illum valde difficulter fuisse salvatum; sed unum ex meis quatuor Angelis, sanctum Raphaëlem, ivisse ad infirmum, admonuisseque Angelum Custodem dicti infirmi, de quodam bono opere, quod ille in hac Urbe fecisset per Marinam (revocavitque mihi in memoriam bonum opus) & propter illud fuisse intercessum pro ipso apud DEUM, ut se compararet ad bene moriendum, ità ut iniret viam salutis. Atque adverti, mihi hoc ità ab Angelo recenseri, ut mihi id rursum repræsentaret, acsi tunc eveniret. Iste enim est modus, quem Angeli consueverunt observare in quibusdam rebus recensendis.

§. VI.

REferamus alium casum, pro magno solatio Matrum, quæ habent filios valde dyscolos, quorum conversionem à DEO postulant, multis cum lacrymis, sicut Sancta Monica postulavit ac obtinuit conversionem sui Filij sancti Augustini. Talis erat præcipua quædam Domina, quæ, cùm haberet ejusmodi filium, multis cum lacrymis ac suspiriis à DEO petebat ipsius salutem; quod ut obtineret, promisit sanctæ Monicæ, se subventurum alicui pauperi Virgini, ut ingrediatur quempiam Conventum Monialium sancti Augustini. Atque cùm hac de re conferret cum Venerabili Marina de Escobar, quam interdum invisebat, promisit, se daturam ipsi dotem, ut Monialibus adscriberetur quædam ejus valde inops consobrina. Obijt bona Domina, antequam videret satisfactum esse suo desiderio, commendatâ sui voti executione filio, per quem fuit impletum. Hic perseveravit in suo vivendi modo adeò dissoluto, ut fuerit derepente occisus, relictâ apud omnes malâ opinione, de sua salute. Paucos post dies (anno 1662.) ipsum vidit Marina in Purgatorio, inter horribiles cruciatus, atque attonita, quòd illum videret in eo loco, dixit ipsi: Quomodo es hìc? qui respondit: Paulò antè, quàm interficerer, comparuit mihi mea mater (ità tamen ut ipsam alij non viderent) & amplexando me, cum magna mihi dixit vi, & efficacia: Fili, reconcilia te cum DEO, quia tibi proximè instat ingens periculum. Quæ verba ità fuerunt prolata, ut, DEO adjuvante, statim inceperim dolere de meis peccatis,

tatis, cum firmissimis propositis emendationis; & non multò pòst me occiderunt, placuitque DEO, ut devenirem ad Purgatoriũ, ubi patior horribilissimas pœnas. Compatere mihi.

Vivebat, juxta meam domum, pauper quædam mulier, exiguæ prudentiæ, sed honesta, atque ùt erat vehementis naturæ, non poterat refrænare linguam, & molestabat suos vicinos, quamvis fortè absq; sua culpa. Ego illam commendabam DEO, ac desiderabam, ut ipsam DEUS transferret ad aliam domum, pro suo Divino beneplacito. Immisit ipsi DEUS talem infirmitatem, ut fuerit destituta usu linguæ integro quatriduo: non potuit cõfiteri, neque sumere Viaticum, solámque suscepit extremam Unctionem, & expiravit. Vehementer dolui, & fui afflicta, quòd ipsam scirem obivisse absque Sacramentis: commendavi illam DEO instantissimè, & applicui ipsi Communionem, confidendo in DEI misericordia; quanquam semper cum dolore. Dominus autem (in Novembri anni 1622.) mihi dixit: Nè te affligas, Anima, neque te perturbet mors istius fæminæ; est enim in via salutis. Noveris, quòd eo tempore, quo caruit usu linguæ, me ipsam adjuvante, eique succurrente, habuerit dolorem de suis peccatis sufficientem ad salutem: nè proinde angereris, volui tibi id manifestare. Nolite cogitare, quòd ego tam facilè permittam damnari animas. Mortuus sum pro illis, constiterúntque mihi magno, & multùm requiritur ad damnationem animæ. Non existimate, omnes illos, qui moriuntur absque Sacramentis, damnari. Fui vehementer exhilarata hoc dicto Domini. Benedicta sit ejus Majestas in æternum!

CAPUT V.

Quomodo ipsi Dominus concesserit Indulgentias, quas posset applicare defunctis, benedixerítque illi quædam Rosaria, & de alijs hujusmodi gratijs.

Voluit DEUS remunerari fervorem, quo Marinæ subveniebat animabus Purgatorij, concedendo ipsi novas Indulgentias, quas posset applicare defunctis, quod illa perlibenter faciebat.

§. I.

ALlatæ fuerant Vallisoletum, *ait*, quædam precatoriæ Coronæ benedictæ, quæ habebant annexas majores Indulgentias & gratias pro liberandis animabus Purgatorij, quàm unquam aliàs fuerint concessæ. Datæ mihi sunt tres, quatuórve. Quare constituta coram DEO, in Festo S. Francisci Xaverij, gratias ipsi agebam, pro inæstimabili beneficio nostræ Redemptionis, & pro thesauris, quos habemus in Ecclesia Catholica, meritorum ac sanguinis, fusi à Christo Domino. Subitò mihi dixit Divina Majestas: Quantum capis solatium, Anima, ex Indulgentijs concessis isti Coronæ! & bene facis. Ut autem habeas majus solatium, exhibeo tibi favorem & gratiam, ex mea voluntate, ac pro mea infinita potentia, confirmando & concedendo de novo eidem Coronæ Indulgentias, ad eum modum, & cum eo ipso valore, quo ego illas possum dare, sicut sonat Breve Pontificium: atque ità illi do meam benedictionem, & applico dictas gratias. Ingenti affecit solatio meam animam ista gratia, quam mihi Dominus præstitit. Postea, quodam die, intra Octavam ejusdem Sancti, dum versarer in actuali DEI præsentia, tenerémque in manu aliam Coronam earundem Indulgentiarum, quas habebat solùm ex benedictione Pontificia, con-

conspexi Beatum Sanctum Franciscum Xaverium; & post alia, quæ suo loco sunt commemorata, dixi illi: Sancte mi, magnas gratias nobis reliquit Dominus in sua Ecclesia; tantùm id collige ex gratijs, quibus prædita est ista Corona. Sanctus respondit: Ità est, sicut dicis; multæ enim sunt Indulgentiæ concessæ à summo Pontifice isti Coronæ; sed summè æstima illam, cui ipse Dominus benedictionē suam elargitus est, concedendo & confirmando gratias ac Indulgentias, quas habebat à summo Pontifice, eodem modo, quo sonat Breve. Hoc enim fecit Dominus, tanquam DEUS omnipotens, qui potest cōferre omnem istum valorem, ità ut quicunque recitaverit, quod in illo præcipitur, statim lucretur & obtineat, quod ibidem conceditur; hæc autem Corona, quam tenes in manu, solummodò habet, quod illi potest conferre Papa, pro potestate sibi à DEO collata, tanquam Pontifex Ecclesiæ, & Vicarius Christi.

Videtur his verbis Sanctus voluisse significare, quod dicunt Doctores, summum Pontificem in istis concessionibus se non gerere, ùt Dominum thesaurorum spiritualium Ecclesiæ, sed ùt Dispensatorem, ex justa causa illos distribuentem: id quod ipsi fuit aliquādo indicatum, dum quidam Summus Pontifex in principio sui Pontificatûs concessit Jubilæum, ut omnes DEUM rogarent, quò ipsum dignaretur illuminare ac dirigere in gubernatione Ecclesiæ: Divina enim Majestas illi dixit, hoc Jubilæum fuisse concessum ex causa sufficientissima, sibique illud plurimùm placere.

§. II.

ALiâ vice, *inquit*, mihi datum fuit Rosarium trium decadum benedictū, habens multas Indulgentias, cui specialiter fui addicta. Et optabam recitare, quod requirebatur pro obtinendis ipsius Indulgentijs, utpote trigesies orationem Dominicam, atque in quavis decade semel Salutationem Angelicam. Sed quia id pro mea debilitate, & exiguis viribus erat multum, non poteram tantùm orare, ideóque eram aliquantùm desolata. Cùm autem me ità videret constitutam Dominus, dixit mihi: Anima, noli tristari, quòd non possis orare in isto Rosario omnia requisita, pro lucrandis Indulgentijs plenarijs, quas habet, ego enim ex favore & gratia mea tibi illas concedo, qualemcunque in eo dixeris orationem, quantumvis sit brevis. Mea anima obstupescens tantam bonitatem ac misericordiam sui DEI, & admirans incomprehensibilia ipsius ac altissima judicia, laudabat illum, & benedicebat, ajebátqué: éstne possibile, Domine, quòd huc usque se extendat Tua Bonitas, & amor erga tuas creaturas? Quid miraris, Anima? dixit Dominus, me ità tecū agere, jam enim sunt quindecim anni, ex quo te detineo in lecto, ut non possis frui Indulgentijs & Jubilæis, concessis à Pontifice in templis? Mea anima fuit vehementer exhilarata hâc gratiâ sibi à Domino præstitâ, & æstimavit valde istud Rosarium, habuítque illud in magna veneratione.

Postridie manè, agendo cum DEO, vidi descendentes ex Cœlo plurimos Angelos, quorum magna pars remanebat in aëre, alij verò multi veniebant ad terram, ubi se universi prostraverunt; & Christus Dominus descendebat ex supremo Cœlo cum magna majestate, pertranseuudo illos omnes, qui bipartiti efficiebant regiam & gloriosam viam, per quam progrediebatur. Pervenit usque ad terram, & postqnam consedit in throno quodam regio, non adeò procul à me, stipantibus ipsum omnibus illis sanctis Angelis, duo ex ijsdé accesserunt ad Dominum, collocaverúntque coram eo elegantem & pretiosam pelvim, ac tum vidi advenientem quendam sanctum Angelum cum Rosario, quod ego habui in meo sinu, & ipse injecit in illam pelvim, quæ erat ante Dominum, tanto excitato strepitu, ut videretur in eam injecisse magnum aliquem cumulum pretiosorum lapidum. Dominus apprehendit illud Rosarium suâ sanctissimâ manu, ex qua transpositum ad alterā denuò resumpsit, transtulítque secundò ad priorem manum, ac tum consecravit trinâ solennissimâ

nissimâ benedictione. Quod videns mea anima, erat attonita, & vehementer stupebat, ùt erat timida, ac dicebat suo loquendi modo: Bone DEUS, Rosarium est in meo sinu, & simul in manibus Domini? Atque in ea cogitatione volebam tangere manu Rosarium, quod apud me habebam, sed intuitus me Dominus graviter, dixit mihi: Quid volebas facere? nunquid fortè vis rimari veritatem meorum Judiciorum, & altissimorum mysteriorum, ac dicere: si res ista existit hîc, quomodo est ibi? Quo Domini dicto, mea anima fuit vehementer objurgata. Derepente vidi recedentes à Domino Angelos, qui tenebant pelvim: atque ecce inter ipsos & Christum Dominum, apparuit clarissimus & lucidissimus Sol, qui suis radijs ac splendore mihi obtexit Majestatem Christi Domini, ut ipsum vix viderem. Hic Divinus Sol Justitiæ arripuit Rosariũ, & postquam illud reposuisset in semet ipso, illisque Divinis radijs undique collustravisset, ut quasi à me non posset conspici, & recessissent Angeli, venit ad me, atque Divino quodam & mystico modo feriens meum pectus Divinis quibusdam radijs ex eo prodeuntibus, ingressus est paulatim in meam animam cum magna suavitate & amore, dimittendo à se Rosarium, quoadusque illud reponeret in loco, in quo priùs fuerat. Conspexi in meo sinu idem Rosarium, quod tamen non sum ausa contingere manu, donec meus Confessarius mihi id mandavisset, sustulissetque illud ipse suâ manu, ac mihi porrexisset.

Die sequenti, quo peragebatur Commemoratio Defunctorum, vidi in meridie Majestatem Christi Domini, more consueto, cujus lateri dextro & sinistro adhærebant nonnullæ animæ tristes & afflictæ. Dixítque mihi Dominus: Hæ animæ sunt jam diu in Purgatorio, nec est repertus, qui earum curam susciperet, erant enim pauperes. Volo, ut tu illas liberes ex tormentis, quæ sustinent. Recitabis pro qualibet, tenendo hoc Rosarium in manu, quatuor orationes Ecclesiæ, quibus à te recitatis egredientur ex Purgatorio, atque hoc facies ad mediam usque noctem. Erant duodecim animæ; singula latera stipabant senæ. Feci id, atque sic pervenerunt ad conspectum DEI. Post paucos dies mihi comparuerunt gloriosæ, intrà quandam nubem, exerentes capita, & rogabant Beatissimam Virginem per gaudium, quod habuit in Nativitate sui Filij, & quando illum educabat, ut mihi præstaret aliquam gratiam, pro beneficio ipsis exhibito, dum illas liberavi ex Purgatorio.

§. III.

QVodã die (10. Februarij anno 1623) agens cum DEO, sum recordata Indulgentiarum plenariarum, quas mihi concessit, si recitarem semel Orationem Dominicam, & semel Salutationem Angelicam, ac ter Gloria Patri, &c. Propter meos verò timores, incepi dubitare, utrum possem, quod ad me attinet, hac in re decipi, nec ne. Tum meus Sanctus Angelus mihi dixit graviter: Verè, Soror, es incredula, & inurbana. Ego me converti ad DEUM, petens mihi ab ipso ignosci meã culpam. Divina Majestas autem mihi quàm benignissimè dixit: Nè te affligas, Anima, jam enim ego novi tuos timores & naturam, ex qua id oritur. Non deliquisti; nè contristeris, neque te angas: scias, velim, quòd quotiescunque fueris passa quidpiam speciale, tibi sim aliquam novam gratiam præstiturus. Post istam communicationem, jussi eximi ex quadã cista duo Rosaria, ut unum illorum mitterem cuidam pauperi Moniali, quæ fuerat educata domi meæ. Fuerunt posita supra meum lectum, & vidi, quòd meus sanctus Angelus Custos illa contemplaretur, dixíq; ei: Domine Angele, visne mihi benedicere unum ex his Rosarijs, quod mittam illi famulæ DEI? Respondit: Non, Soror, id enim ego modò non possum facere: est negotium majoris considerationis. Relinque illa hîc, & depone eorum curam. Feci, quod mihi mandaverat: & aliquantò pòst ipsum vidi provolutum in genua, junctis manibus, atque in illis meum Rosarium, petentémq; à DEO Nostro Domino, Trino & Uno, ut illud bene-

benediceret, atque Dominus præsentibus multis Angelis, tenentibus accẽsos cereos, ei est impertitus suam benedictionem.

§ IV.

UT verò semel concludamus, quod concernit benedictionem Rosariorum, vel Crucum, aut Numismatum, persæpè ea ipsi benedicebat Christus Dominus, vel ejus Angeli, ut illa plurisfaceret; quæ distribuebat pijs personis, aliquid ab ea ex rebus ipsius posentibus, non manifestando illis secretum benedictionis, sed occultando hæc mysteria, quoad posset. Huc spectantia referemus nonnulla breviter, quæ illi evenerunt. Inter agendum cum DEO, *ait*, aliquando invocavi Divinam Majestatem; & subitò conspexi juxta me Majestatẽ JESU Christi Nostri Servatoris, stipatam magnâ multitudine Angelorum, cum tanto splendore, ut meum cubiculum videretur esse Cœlum. Dominus mihi dixit: Adsum, quid à me vis? Ego fui turbata & confusa, cùm illum viderem, ac tantopere pudefacta, ut nescirem, quò me verterem. Dominus autem iterum mihi dixit: Adsum; & post bonam moram: dic mihi modò, quid velis? quo opus habes? dabo enim id tibi. Sancti Angeli subitò erexerunt quendam veluti thronum & sedem mysticam, quam collocaverunt quasi juxta meum lectum, ubi Dominus quàm gravissimè consedit, superimpositâ unâ suâ sanctissimâ manu alteri, iterúmque mihi dixit: Dic mihi, quid velis, ac desideres: omnia enim faciam. Quando vidi Divinam Majestatem, adeò mihi vicinam, cum magno metu ac pudore me modicùm retraxi intra lectum, ac dixi: Domine mi, ego nihil volo, ego nihil volo, præter ea, quæ ordinariè à Te peto. Habebam tunc in manu quoddam album parvum Rosarium, & rogavi Divinam Majestatem, ut illud benediceret. Dixítque mihi Dominus, se quàm libentissimè benedictionem impertiturũ tam mihi, quàm etiam omnibus meis vestimentis, omnibúsque Rosarijs, quæ haberem. Tum ego cogitavi in animo meo: quomodo benedicet Dominus Rosaria, quæ ego habeo in meis cistis? Dominus autem mihi respondit: Esne similis Marthæ, quæ mihi dixit, quòd, si adfuissem, non fuisset mortuus ipsius frater? nónne ego potero benedicere Rosaria absentia? Surrexítque Dominus, ac dixit: Benedictio mei Æterni Patris, & mea, ac Spiritûs sancti, sit tecum, atque cum omnibus tuis rosarijs ac vestibus; & designans suâ sanctissimâ manu crucem, mihi bene precatus est, abiens à me cum magno amoris atque benignitatis indicio, consolando me, & vehementer animando, dixítque mihi Amica, Vale.

CAPUT VI.

Quomodo ipsi Dominus manifestaverit corruptelam mundi, quantóque sint mali plures bonis, & quàm tremenda sit infelicitas malorum, ut pro omnibus oraret.

QVia miseriæ peccatorum, degentium in mundo, sunt longè majores, quàm justorum existentium in Purgatorio, quemadmodum culpa majus est malum, quàm pœna, longè frequentiùs DEUS manifestavit suæ Famulæ has peccatorum miserias, excitando ejus zelum, ut pro ipsis oraret, ac impediret supplicia, placarétque DEUM illis iratum. Multæ ex his revelationibus sunt relatæ in libris antecedentibus: modò referemus alias directas ad prædictum finem.

§. I.

§. I.

DUm, *inquit*, aliquando manè (in Aprili anno 1620.) agerem cum DEO, prorsúsque nihil cogitarem de eo, quod ipsius Majestas mihi subitò ostendit; vidi desuper pendentes, quasi ex suprema contignatione patente, & veluti destituta asseribus, multos & grandes funes, aliquátùm crassos, & quasi implicatos. Obstupui, & fui afflicta eâ visione, conatáque sum me abstrahere ab illa, quantùm potui; sed non poteram avertere oculos animæ, ab eo, quod mihi Dominus exhibebat, utcunque conarer. Conspexi derepentè venientes multos homines, diversimodè affectos, quamvis essent quasi ejusdem statûs & conditionis. Veniebant autem omnes quodammodo cumulatim, certantes, quis posset fortiter arripere aliquem ex ijs funibus ibi pendentibus, & per illos ascendere in altum, ubi erat ingens quidam thesaurus, ut ipsum comprehenderent, eóque ditarentur, & redderentur beati. Laborabant vehementer, & sudabant, ut firmiter adhærerent funi, & reperent per illum sursum; sed difficulter id assequebantur: modò enim non pertingebant ad arripiendum illum funem, modò verò is, quem arripuerant, ipsis evadebat ex manibus, atque ità fatigabantur, & majorem in modum delassabantur. Tandem tamen suæ perseverantiæ pretium referentes, rependo, tanto cum labore, ac difficultate, per suum quisque funem, perveniebant sursum, atque celerrimè & lætissimè complectebantur, ùt poterant, partem illius thesauri, quæ ipsis obtingebat. Dum autem ità lætarentur, existimantes, se assequutos esse, quod optaverant, nescio quâ ratione se involvebant & intricabant eo fune, per quem ascenderant, ut decidentes hærerent collo suspensi, & suffocati ac mortui, magno cum dolore & angustia. Atque tum, cùm ità penderent, resolvebatur supernè funis, & singuli, stringentes suum thesaurum, ruebant in terram cum summo tumultu ac strepitu, absorbebátq; illos terra ingenti vi, & devolvebantur in quandam abyssum. Solus DEUS novit angustiam ac dolorem, & cruciatum, quê mea anima sensit in hac visione. Sed confortata & animata à Domino, quievi aliquamdiu.

Interea aspexit mea anima aliorsum, & vidit aliud mysterium hujusmodi: Multi Angeli DEI erant in alto quodam Cœlo, quasi Paradiso; singuli tenebant pendentem ex sua manu quendam funiculum, instar fili delicatissimi, ex purissimo auro. Hæc visio me vehementer obstupefecit, præsertim propter visum præcedens. Subitò vidi multos homines, valdè honoratos, & servos DEI, ac modestos, transeuntes sub illo cœlo, & sub filis aureis, quæ Angeli tenebant pendentia ex suis manibus, ad quendam locum, in quo exercebantur multæ & variæ artes, ut singuli suâ possent exercere, & lucrari partem panis, pro sustentanda sua vita in obsequio DEI, & ad ipsius gloriam. Ideò transibant sub eo Cœlo; sed cùm illac præterirent, advocabantur suaviter ac benignè ab Angelis DEI, suprà existentibus, & ipsi auditâ voce Angelorum, attollebant caput, visisque illis cum aureo filo, quod quisque tenebat in sua manu, incitati aviditate ac desiderio eundi, quo vocabantur, singuli firmiter apprehendebant illud filum, confidentes in DEO, se per illud ascensuros ad Cœlum, & Paradisum, ubi manebant sancti Angeli. Neque spe suâ fallebantur: quia statim illi sancti Angeli, mirabiliter, & in momento eos elevabant ad illum Paradisum, ubi replebantur gaudio, solatio, & suavitate Divinâ. Hoc spectaculo mea anima fuit recreata, & confortata in Domino, quia ab ipso illuminata, agnovit, per illos insignes homines repræsentari multos & magnos servos DEI, quos habet Divina Majestas sui amantes, sibique serio & ex corde servientes, dum singuli fatigantur opere & labore manuum suarum, cum sudore vultûs sui, DEO ipsos juvante, in sanctis eorum exercitijs & occupationibus, ac ministerijs, in quibus illos constituit; & quisq; suam fert crucé, in nomine Domini. Hujus visionis solatio mea anima fuit satìs diu exhilarata, ac tum reversa est ad conversandú cum DEO, sicut priùs.

Verùm

Verùm non iste solùm fuit finis visionũ, quas DEUS meæ animæ illâ nocte & eo matutino tempore exhibuit, quia mea anima ex improviso conspexit grandẽ campũ, in quo multi dæmones, cum magno labore ac defatigatione congerebant ingentes & altos, instar illorũ, qui fieri consueverunt in areis manipulorum demessi tritici, acervos humanorum cadaverum, quæ alij dæmones properanter adferebant, alij accumulabant & coacervabant, atque post congestas multas tales strues, abiverunt. Aliquantò autem pòst, reversi cum magno impetu, strepitu ac tumultu, quibusdam magnis uncis & harpagonibus ferreis, apprehendebant homines illi⁹ infelicis mortuæ turbæ, quos habebant in struibus, atque raptabant ipsos, & quàm velocissimè auferebant, dilaniabant, ac projiciebant ad quendam hiatum Inferni patentissimũ, abominabilem, & profundum. Hi miserabiles homines erant ij, quos antea diabolus suspenderat. Significavit mihi DEUS officia & status, in quibus fuerant damnatæ illæ infelices animæ; ex quo mea anima magnum percepit dolorem, fuitq; confusa, & remansit egregiè compuncta.

§. II.

ALiàs (in Augusto, anni 1620.) vidi Christum Dominũ in sublimi throno, qui cõscendebatur per multos gradus. Præcepit Angelis, ut me eò ducerent. Ego, quidquid mihi fuerit, vehementer timens, nè me reprehenderet, propter meos defectus, tergiversabar; ipsi autem me re verâ duxerunt. Dixit mihi Dominus: Aspice ad utramque partem, & post me, ac attende, quid sis visura. Elevavi oculos, & vidi multos homines valde fœdos ac abominabiles; atque intellexi in illis repræsentari innumerabilia, & enormia peccata, quibus est refertus mundus. Dixitque mihi Dominus: Quid tibi hac de re videtur? quid oporteret fieri? Ego obmutui. Quia nec audebam dicere, ut illis ignosceret, neque ut ipsos puniret. Instabat Dominus: Si tu esses Judex, quid faceres? Cùm me viderem redactã in angustias, suggessit meæ memoriæ Dominus responsum, & dixi illi: Domine, nescio, quid dicam, nisi quod tu dixisti ijs, qui à te petebant, ut cõdemnares mulierem adulteram: *Qui sinè peccato est, primus in illam lapidem mittat:* cùm ego me videam tantam peccatricem, non possum ipsos condemnare, sed suppliciter rogare Tuam Majestatem, ut eorum miserearis. Dominus respondit: Bene dixisti, faciam id; significavitque mihi, quòd esset miserturus tot animarum, quot fuerant homines, quos videram.

§. III.

ALio die (in Decembri anni 1620.) me duxit Dominus ad locum valde altum, & ibi mihi dixit: Contemplare hinc, Anima, istum campum. Et vidi campum quendã plenissimum & amplissimum, ac peramœnum & gratiosum, plenum hominibus, qui erant plurimi, omnésque apparebant formosi, optimo præditi corporis habitu, & compti. Illuminavit me verò Dominus, ut agnoscerem, non esse homines internè bonos, sed deditos suis sensualitatibus & oblectationibus mundanis. Hunc campum circumdabat vastus quidam & præceps fluvius, qui ex improviso tantopere & undique excrevit, ut absorbuerit ac submerserit omnes eos homines, nullo cujusquam relicto indicio. Obstupui, videns tam exiguo tempore perijsse totam illam pulchritudinem, & Dominus mihi dixit: Sic fit in mundo, quia in momento venit mors, quæ est rapax fluvius, & submergit atque absumit omnem istam vanitatem, sicut vidisti.

Aliâ vice mihi comparuit quidam vir crucifixus, procul elevatus à terra. Subitò adverti, non esse Christum Dominum, & averti ab eo oculos: verùm fui coacta ipsum aspicere, vidíque illum descendisse in sua cruce usque ad terram; post ipsum autem conspexi multos dæmones, qui repetitis malleorum ictibus, impetebant eam crucis partem, in qua erant clavi, & ille miserabilis ostendebat, se enòrmem sentire dolorem. Converterunt se ad me dæmones, & dixerunt: Etiam nos habe-

mus cruces, in quibus crucifigimus nostros, sicut DEUS crucifigit suos. Et iterabant ictus tam validos, ut fuerit confractum unum crucis brachium, remanente in illo, manu acclavatâ. Eodem modo, fuit ictibus ruptum alterum brachium, ac deinde inferior pars crucis, cecidítque ille homo ad terram; & statim venerunt quidam viri, qui ipsum arripuerunt & abstulerunt, qualem repererunt, quos sunt insecuti diaboli, cum magno ululatu. Cõsternatæ mihi propterea, & nescienti, quid hoc esset, dixit Dominus: Hi crucifixi sunt illi, qui propter suas voluptates sensuales patiuntur gravia tormenta, & qui in mundo, vel in Religionibus vivunt afflicti, eò quòd prætendant honores ac dignitates, vel favores. Id tibi ostendi, ut pro illis orares, sicut pro alijs in necessitate constitutis, quod tibi commendavi.

§. IV.

EOdem isto tempore mihi dixit Dominus: Marina, veni mecum; es enim confecta doloribus & afflicta, ego autem te recreabo: Et cùm hoc diceret, reperi me cum Domino DEO meo, sanctisque meis Angelis, in sacro loco, in quo est sanctum sepulchrum Domini, quod adorabam, & iteratis venerabar oculis, humi prostrata, cum summo affectu ac devotione, & solatio meo. Inde fui ducta ad palatium Regis infidelis earum Regionum, ubi mihi est ostensus ille Princeps. Erat nox, & decumbebat solus in lecto extensus, præsente maximo quodam dæmone & robustissimo, qui à pedibus usque ad caput erat armatus, & gerebat grandem bipennem in manu; perambulabat conclave cum magna furia, & quàm impetuosissimè, videbatúrq; illum infelicem Regem habere subditum suæ voluntati, ac magis dominari isti creaturæ, quàm ullus Dominus mancipio, empto suâ pecuniâ. In angulo illius magnæ aulæ, vidi Angelum, qui præseferebat valde tristem vultum.

Inde me duxerunt ad Palatium alterius Regis hæretici, ubi illum vidi in ejus lecto circumdatum à multis, circa ipsum vehementer tumultuantibus, & vociferantibus diabolis. Indolui vehementer hæc videndo, quòd tam multi homines subditi sint diabolo, & tam pauci præditi luce Evangelicâ, átq; hi ipsi tam sint tepidi in servitio & amore DEI. Sed consolatus est me DEUS plurimùm, lumine mihi dato, quo vidi primam ejus Majestatem opulentissimam, gloriosissimam, & undequaq; ornatissimam cum suis illis paucis; dæmonem autem cum tam multis hominibus miserabilem, contemptum, & majora inferni tormenta perpetientem. Dixitq; mihi Dominus, ut qui omnia optimè agit, ac permittit, éstque idcirco omnibus contentissimus. Animadverte, Anima, ego reponam in meo horreo triticum purum & mundum, paleam verò tradam ignibus infernalibus. Vehementer obstupuit anima mea, quæ vidit ac audivit dici à suo DEO, & magnas illi pro omnibus egit gratias.

§. V.

POst paucos dies, vidi Angelum candido equo insidentem, qui vibrabat quandam lanceam, unde nonnihil extimui: Sed dixit mihi: Tu non habes, quod metuas, DEUS me mittit ad destruendos & præcipitandos ad Infernum multos peccatores, qui id promeruerunt. Interrogavi illum: Súntne Mauri? Non, inquit, sed hæretici & mali Christiani: verùm, & in hoc relucet Divina misericordia, quòd eripiendo ipsis vitam, eos liberet à majore Inferno. Subitò Angelum utrinque præterivit turma dæmonum, qui illum antecedebant, & Angelus mihi dixit: Ora DEUM, ut me confortet in hoc opere. Ego autem dixi: Ergóne, sancte Angele, potes timere diabolum, maximè cùm sis missus à DEO? Respondit: Non recordaris, te audivisse, altercatum esse diabolum cum S. Michaële, de corpore Moysis? diabolus enim cupit impedire opera DEI. Ego vado, vale. Accipe hoc telum, quo impetas diabolum, nam illo indigebis. Vix abiverat, quando vidi venientem truculentum quendam dæmonem in spe-

in specie tauri, qui me aggrediebatur; & quia eram debilis, si me invasisset, quamvis id contigisset in spiritu, grave mihi intulisset damnum. Postquam mihi appropinquavisset, impetij illum in capite, telo, quod tenebam in manu, & ipse confestim concidit instar mortui. Subitò autem alij diaboli arripuerunt illam larvam, & abstulerunt, cum magnis ejulatibus.

Concludamus aliâ visione. Quodam die Sanctissimæ TRINITATIS, quinque pulcherrimi Angeli considentes in quibusdâ sellis humilibus, acceperunt sua instrumenta musica, & cecinerunt laudes DEI Domini nostri, Trini ac Unius, tam submissè, ut eas non perciperem; solùm scivi esse laudes variarum linguarum: dixérúntque mihi, id fieri, ad significandum, in omnibus nationibus reperiri Ecclesiâ, quæ laudat & confitetur DEUM. Paulò pòst vidi venientem quendam pumilionê staturâ adæquantê Angelos, valde fœdum, qui acceptis eorum instrumentis volebat edere sonum musicum; non erat autem concinnus, sed vehementer dissonus. Post modicum tempus venit alius ejusdem staturæ; non tamen adeò turpis; & cùm se Angeli erigerent ex sellis, accurrit instar famuli, ut illas amoveret; sed impingebat, & malè hoc obsequium præstabat. Suspicabar, ùt eram timida, an ultimum istud fortasse non esset imaginatio, quod mihi apparebat. Angeli autem dixerunt, non esse: sed illum, qui priùs venerat, repræsentare infideles & hæreticos, qui agnoscunt DEUM & Christum Dominum, sed aberrant à modo ipsius honorandi ac laudandi eâ veritate, quàm docet Fides: secundum verò repræsentare peccatores Ecclesiæ, qui piè venerantur quosdâ Sanctos, iisque exhibent nonnulla obsequia, quod tamen illis, quia sunt in malo statu, parum prodest.

§. VI.

ALiàs (17. Martij 1623.) dum essem aliquantùm otiosa, agerem tamen cum DEO, sanctus meus Angelus Custos manu apprehendit meum brachium, & dixit: Aspice, Soror, & noli turbari. Elevavi oculos, & vidi ingentem catervam diabolorum, quasi vinctorum catenis, qui edebant magnum strepitum, & ejulabant; progressi pervenerunt ad quædam sata ac vineas, nescio quam partem versùs sitas; & pessumdederunt totam illam regionem, ut penitus desolaretur. Tum processerunt ad mare, ubi exercuerunt enormem crudelitatem, & excitaverunt immanes tempestates. Inde exscenderunt ad quandam terram, non multùm habitatam, & habentem paucos homines, quos omnes malè tractaverunt. Postea sunt profecti ad quandam planitiem, ubi erat magnus numerus hominum, instar exercitûs. Istud erat valde remotum, & videbantur esse Pagani. Ibi cum ijs conflixerunt, & vicerunt illos, omnésque secum præcipitaverunt ad Infernum. Vehementer indolui, & fui afflicta, videns tot animas perdi. Nescio, quid hac in re mihi Dominus voluerit indicare aliud, quàm quod solet.

Sub idê tempus (in Augusto anni 1623) quod mihi dicebatur esse procellosum, & noxijs horridum tempestatibus, dum cõmendarem istam necessitatem DEO, dixit mihi: Accede, Anima, veni mecum. Duxit me Divina Majestas ad patentem quendam campum, in quo mihi ostendit spississimam nebulam, intra quam erant multi homines harum Regionum (hoc autem accidit eo tempore, quo deprehensi fuerunt hæretici Illuminati) quibus erant immixti plurimi diaboli. Erat inter illos ingens confusio, & vociferatio, atque disceptatio, quasi clamosè cum ipsis diabolis conferrent modos, conservandi suos errores, ac nequitias. Tum mihi Dominus dixit: Vide, Anima, quid fiat, vide, & noli consternari, quòd eos puniam malis tempestatibus, & totum populum, ubi id agitur. Fui magnopere afflicta, visis talibus peccatis & sceleribus, dixíque meo Domino cum magna commiseratione: Domine, istæ pœnæ etiam comprehendunt innocentes, qui non peccaverunt. Dominus autem respondit: Pro bonis nulla erit pœna, ego enim inde pro ipsis eliciam magna bona, & omnia convertam in eorum commodum.

CAPUT VII.

Quomodo DEUS ipsi manifestaverit miseriam hominum, eò quòd non utantur bene remedijs, quæ reperiuntur in ejus Ecclesia, ut pro illis oraret.

DUm quodam die agerem cum DEO, dixit mihi: Anima mea, veni mecum, & introducam te in cellaria meorum vinorum, videbísque meas regias Apothecas. Audiens id mea anima dici à suo DEO, admirabili illo modo, quo se Divina Majestas solet communicare, fuit quasi rapta in ecstasim, & non respondit ullum verbum. Dominus mihi iterum dixit efficaciter: Eja, Anima, veni mecum, si vis, & ducam te, quò te dixi à me ducendam. Tum mea anima secuta est suum DEUM, qui illam duxit ad quendã locum amplissimum, ubi in quodam veluti pharmacopolio, mirum in modum exornato & opulento, optiméque coordinato, erant infinita medicamenta tam admiranda ac pretiosa, & ejus qualitatis, tantáque virtutis, ut fuerint potentissima ad reparandam sanitatem, conferendúmque vigorem ac robur, & vitam omnibus ægris, qualemcunque patientibus infirmitatem, & quantúlibet gravem, si illis vellent bene uti, eásq; applicare suis necessitatibus, ac debilitati. Hæc omnia tum agnovi, & conversa ad DEUM, vehementer obstupescens, illi dixi: Mi Domine, ac DEUS mi, cùm habeas in tua Ecclesia tantam apothecam, & in ea tam multa remedia, támque pretiosas medicinas, & potentes ad conferendam sanitatem & vitam, quomodo non curantur & sanantur morbi, ac vulnera tui populi? Dominus respondit: Iste, mea Anima, est meus dolor, & hoc est, ob quod vehementer queror de meo populo. Deinde dixit Dominus: sed modò, veni mecum, Anima, & videbis, quid fiat. Mea anima nectebat moras, & non poterat induci, ut iret cum suo Domino, sicut illi mandabat, partim præ admiratione, quòd videret talia ac tanta mysteria, partim verò propter suam verecundiam, & solitos timores. Verùm Dominus denuò dixit seriò: Age tandem, Anima, veni mecum, duxitq; me Dominus ad quoddam nosocomium tam magnum & amplum, ut videretur esse instar totius mundi. In hoc erant infiniti infirmi, laborantes ex multis ac diversis morbis, quorum alij erant gravissimi, alij periculosissimi. Quidam ægri erant debiles & languidi; alij manci, contracti; alij ulcerosi, & leprosi; innumeri decumbentes in lectis, & multi humi. Dum mea anima videret hoc triste spectaculum, non conspexit ullos infirmorum curatores, neque medicos, qui illud nosocomium regerent, illive providerent, aut curarent tot illos ægros, ac tam afflictos, & indigos; quod me movit ad magnum dolorem & compassionem; atque conversa ad Dominum, dixi illi: Quid est hoc? mi DEUS quàm est res ista miserabilis! sicéne hi tam multi infirmi moriuntur hîc, adeò derelicti, non habentes, qui illis inserviat, & applicet medicinas, quibus indigent, pro recuperanda valetudine? hoc dicens, vidi ingredientes in illud nosocomium quosdam medicos colloquentes, imperitos, ut apparebat, ac paucos. Cùm hi accessissent ad infirmos, explorabant illorum pulsum, & præscribebant talia remedia ac tales medicinas, ut nec essent opportunæ, nec efficaces, neque aptæ pro morbo, quem patiebatur æger; & indigenti certo quopiam remedio, applicabant aliud, penitùs diversum: cibi, quos illis decernebant isti medici, minimè conveniebant eorum necessitati; ità ut mera ibi esset rerum confusio & perturbatio. Curatores autem infirmorum prorsus non comparebant. Postea vidi intrantes alios duos medicos, qui mihi videbantur viri graves & sapientes. Hi suâ

suâ charitate & scientiâ non nihil remedij adhibuerunt illi confusioni; sed modicè & paucos curaverunt, integræque sanitati restituerunt. Videns mea anima hunc tam miserabilem & plenum mysterijs casum, convertit se ad Dominum, & dixit: DEUS mi, & Domine mi, si totus mundus est hospitale infirmorum, & hac ratione ægrotat, atq; tam difficulter reperitur, qui illum curet, applicétque ipsi remedia, versatur in magno periculo (id enim mea anima intellexit in his symbolis) dic mihi Domine, ubi sunt, & ubi morantur sani & benevalentes, quos in illo habes? Hi (respondit Dominus) sunt admodum pauci; considera, qualis sit mundus. Verùm veni mecum, & ostendâ tibi illos, dixi enim tibi, quòd te essem ducturus ad cellarium meorum vinorum. Duxitque me Divina Majestas ad quendam locum, qui videbatur esse Paradisus terrestris. In hoc loco erant pauci homines, comparati cum multis, qui fuerant in hospitali. Erant verò valde præclari & affabiles, humiles, bonæ naturæ, magnæ charitatis, diligebant se mutuò in Domino, mirum in modum; omnium erat cor unum, & eadem voluntas; erant fideles, & veraces, ac rationabiliter agentes, non discrepabant in vestitu; omnes cupiebant esse æquales, omnes eidem accumbebant mensæ, & eodem vescebantur cibo, nihil audiebatur inter illos aliud, quàm hymni & laudes DEI; sanctéque erant hilares, & Angeli DEI ipsos invisebant ac protegebant. Summo meâ animam affecit solatio hæc visio; quam illi DEUS ipsius exhibuit, & gavisa est in Domino, quem idcirco benedicebat. Dixitque tum Divina Majestas: Jam vidisti omnia, quæ tibi monstravi. quid modò facis? videamus, an scias, quid tibi sit agendum? Jam vidi Domine (ajebam ego) hæc symbola, & plena mysterijs ænigmata, quæ mihi monstravisti. Id, quod ego existimo, te à me velle, mi DEUS, est, ut mihimet ipsi timeam, nè sim una ex infirmis illius hospitalis, útque compatiar meis fratribus ac proximis, & à te postulem misericordiam, pro me, & pro ipsis. Bene dixisti, Anima (respondit Dominus) bene dixisti. Ità fac, & nunc vale. Hoc dicto, discessit, statímque mihi incidit ista cogitatio: Dominus mihi ostendit infirmos ac debiles, & periculosè decumbentes, unáq; mortuos (quos etiam plurimos vidi in hospitali) ostendit mihi præterea sanos & robustos, non exhibuit mihi autem languidos valetudinarios, & non usque adeò bene sanos: hos ego non vidi. Quales, oportet, sint isti, & quis illorum curam gerit? Dum id cogitarem, dixit mihi Dominus: Hi sunt multi, & sunt illi valetudinarij secundùm animam, qui dicunt se acquiescere, si non ægrotent lethaliter, abstinendo à peccatis gravibus, seu mortalibus; cæterùm, quod attinet ad alia leviora, non referre, si vivant pro libitu, juxta suam voluntatem & genium, ac indulgeant suis naturalibus propensionibus & affectibus. Hunc animarum statum, quamvis ille non excludat meam gratiam, noveris esse magno expositum discrimini, atque talem, ut, qui in ipso sunt constituti, versentur in proximo periculo illius perdendæ. Tales sibi ipsis medentur, pro suo arbitrio, solicitè caventes, nè incidant in gravia peccata: sed cùm sint languidi, ac debiles in amore DEI, quando se offert vehemens occasio, adéstque potens hostis, facilè labuntur & superantur. Isti sunt, Anima, de quibus modò quæris.

Paulò pòst, eâdem Septimanâ Sanctâ, dum mihi adessent mei sancti Angeli, *Minor* ex ipsis, attigit meam manum, quam habebam discoopertam, dixitque mihi, ut illam amoverem. Et statim vidi prodeuntem sub lecto terribilem serpentem, seu lacertam, anterioribus suis ac posterioribus ingredientem pedibus, & longissimâ caudâ horridam, atque tam propè me repentem, ut manum meam attigisset, si fuisset exposita. Ascendit ad tegmen lecti, unde illam vidi abscedentem valdè procul ad remotissimum quendam campum, ubi erat ingens multitudo, longâ lugubri veste indutorum. Cúmque eò pervenisset, desilijt per quendam hiatum in abyssum Inferni, quam sequentes & illi omnes

mnes lugubriter vestiti, se præcipitaverunt. Id mihi admiranti dixit Dominus: Hi atrati, quos vidisti, sunt, qui confitentur peccata, & obligati ad restitutionum rei alienæ, vel honoris, nolunt illam præstare, ac propterea damnantur. Ora pro illis, ut agant veram pœnitentiam.

CAPVT VIII.

Quomodo illam DEUS docuerit, quòd opera suæ misericordiæ sint plura operibus justitiæ, quódque mitiget suam iram, propter preces Beatissimæ Virginis & Sanctorum, nec non quorundam pusillorum, commorantium in terra, similium isti suæ famulæ.

TAntum incutiunt terrorem, quæ dicta sunt de Justitia DEI, adversùs impios, eorundémq; multitudinem, ut necesse fuerit, DEUM declarare suæ famulæ veritatem illius dicti Davidici, miseriationes ipsius esse super omnia opera ejus. Id quod illi multis rationibus comprobavit ac similitudinibus, quæ referentur in sequentibus revelationibus, ità tamen, ut suum quoque locum obtineat Divina Justitia.

§. I.

DUm, *ait ipsa*, quodam die conversarer cum DEO, illuminavit meâ animam, ut clarè cognoscerem magnitudinem ipsius potentiæ, ac infinitæ essentiæ, & quomodo intra se, & in se ipso contineat amplitudinem suæ gloriæ, suáque potentiæ, & infinitæ essentiæ, absque dependentia ab ullo, aut indigentia, quæ neque ei competere potest; ut proinde, etiamsi omnes salvaremur, vel damnaremur, non posset augeri vel imminui ipsius gloria, Majestas & potentia. Atque hoc habito lumine, obstupefacta & consternata propter tantam perfectionem, incepi dicere illa verba Apostoli: *O altitudo divitiarum Sapientiæ & Scientiæ DEI;* quæ non potui illis diebus dimittere ex ore, neque ex corde. Et quodam die præ dolore, & commiseratione, quòd viderem tantas Ecclesiæ necessitates, atque multitudinem hostium nostræ sanctæ Fidei Catholicæ, dixi Divinæ Majestati: Mi Domine, Potens & Magne, ac Misericors, siquidem nos tantopere amas, & tantum fecisti nostri causâ, ac pro nostra salute, habésque potentiâ infinitam, quâ potes, quidquid vis, nónne esset fortè conformiùs tuæ magnæ misericordiæ ac Bonitati, ut converteres ad tuâ sanctam fidem Catholicam istos paganos & infideles, qui vivunt in tenebris & umbra mortis? est enim res vehementer dolenda, ac digna commiseratione, considerare, quòd videantur quodammodo plura esse opera tuæ Justitiæ, quàm Misericordiæ; cùm tot damnentur, & pauci sint electi. Postquam hoc dixissem, respondit mihi Dominus: Modò non es bene loquuta, quia multò plures, sinè comparatione, sunt miserationes meæ, & bona, quæ præstiti hominibus, quàm pœnæ, quibus castigo eorum peccata. Dic enim, an sit comparabilis magnitudo misericordiarú, & beneficiorum à me præstitorum hominibus? dum descendi de Cœlo in terram, & factus sum homo, ac mortuus pro ijs, redemíque illos meo pretioso sanguine, & reddidi participes meorum meritorum, vel in ipsis pœnis, quibus eos addixi, propter gravia illorum peccata? Dic age, an beneficia comparanda sint pœnis? nónne existimas magnum intercedere discrimen inter bona, quæ ipsis cõtuli, & pœnas, quas ab illis

ab illis exegi? & nónne præterea ſcis, me non ſolùm eſſe miſericordem, & bonum ac potentem, & juſtum, verùm etiam ſapientem; ideóque ſicut magnitudini miſericordiæ meæ ac bonitati competebat conferre gratias, & bona hominibus; juſtitiæ autem, punire malos & rebelles, ac violatores meæ legis, meorúmque præceptorum; ità magnitudini meæ ſapientiæ, convenire, ut non ſalvem omnes, quamvis poſſim, neque eos cogam, ac traham ad beatitudinem: ſiquidem ego creavi hominem, ut eſſet beatus, atque ut conſequeretur hunc finem, dedi ipſi multa & maxima auxilia; creavi quoque illum liberum ac Dominum ſui ipſius, ut poſſit eligere pro ſuo arbitrio bonum vel malum, quod maluerit: & cùm talem condiderim hominem, non erat decens, ut ipſum cogerem, traherémque ad Cœlum violentè. Hoc audito, reſpondi DEO, optimè ipſius Majeſtatem loqui, & fui attonita, dum audirem ſic diſcurrentem infinitam ejusdem ſapientiam: quòd enim animæ manifeſtet veritates, quas ipſe novit ac in ſe habet, adfert illi plurimùm boni, ſolatij & commodi, non ſolùm quando illas auſcultat, ſed quotieſcnuque deinde earum meminit, unáque expendit modum, quo ipſas communicat.

§. II.

AD comprobandam hanc veritatem illi declamavit, quomodo nos Divina miſericordia commonefaciat, ut effugiamus iram DEI, qui propterea præmonet ſuos Angelos, & movet ſuos Sanctos, ut ipſum mitigent ſuis orationibus. Agens, *inquit*, quodam die (in Martio 1616.) cum DEO, circumſpexi, & vidi glorioſum Archangelum Sanctum Gabrielem, qui mihi dixit: Venio, ut te præparem & moneam, Dominum venturum ad te viſitandam, & quædam tibi manifeſtanda. Statim confugi, more conſueto, ad poſtulandum lumen a DEO, qua in re me aliquamdiu detinui, donec S. Archangelus digitum ori apponeret, dando mihi ſignum ut conticeſcerem, eò quòd veniret Dominus. Quocirca ſi lui, & vidi venientes è Cœlo multos Angelos, gemmatis ordinibus, quos ſequebatur Majeſtas DEI, Trini & Unius, quem ità videbam Trinum in Perſonis, ut ſpeciali quodam modo unà viderem Perſonam Chriſti Domini. Interea comparuit ab una parte exercitus diabolorum armatorum, cum ſuo rauco tympano & vexillis, ac lanceis; qui poſtquam pervenerunt ad conſpectum Domini, ſe omnes humi proſtraverunt, ac depoſuerunt arma, deinde verò conſurgens quidam altior & ferocior, dixit: Supreme Domine, DEUS Majeſtatis, Infinite, Immenſe & Omnipotens, ac Juſte, venimus, ut petamus à te facultatem deſtruendi totius mundi. Quamvis enim ſit tuus, quia illum condidiſti, eſt tamen etiam quaſi totus noſter, propter peccatum; tota Aſia, Africa, ac major pars Europæ, Angliæ & Galliæ; poſſidemus præterea magnam partem in Hiſpania, quin & in Ordinibus Religioſis, ac proinde convenienter tuæ Juſtitiæ, nobis id potes concedere. Dominus tacuit modicùm, & diabolus pedibus terram feriebat, expectans reſponſum, tandémque illi Dominus dixit: Proditor, inimice generis humani, etiamſi mea Juſtitia ſit irritata à peccatis hominum, mea tamen Miſericordia implorat veniam, per merita JESU Chriſti, & ſanctiſſimæ ipſius Matris, omniúmque Sanctorum. Unde, ne minimùm quid agas ultrà, quàm hactenus tibi ſit permiſſum. Tum venit ſanctus Gabriel cum magna majeſtate eò, ubi erant diaboli, & abegit illos. Poſt hoc mihi dixit Dominus: Vidiſtíne, quid ſit actum? Jam itaque volo, ut te conferas ad quendam locum, in quo moratur ſanctiſſima Virgo, cui annuntiabis aliquid meo nomine? Subitò incepi quàm velociſſimè abire: ſed Angelus meus Cuſtos me detinuit ac reduxit ad priorem locum. Dominus autem ſermonem ſuum eſt proſequutus: Dices illi ex me, quòd propter merita JESU Chriſti Filij ejus, & ipſiusmet merita ignoſcam populo, pro quo apud me interceſſit. Statim cœpi abire, & detinuit me ſecundò Angelus, ac Dominus adjecit hæc verba: Et meo nomine, illi, in hujus rei ſignum dabis

dabis tres istos nummos, quos mihi singillatim tradidit. Erant autem ex purissimo auro, paulò minores Imperiali. Unus significabat Divinam misericordiam, & reliqui duo, duas alias Divinas Virtutes. Ego accepi illos nummos, & constrinxi pugno. Cùm autem inciperem abire, cohibuit me tertiò Angelus, & Dominus mihi dixit: Significabis præterea sanctissimæ Virgini, quòd meo nomine tibi possit concedere, quidquid ab illa petieris. Tum me duxerunt Angeli ad quendam locum (non dicentes mihi, qualisnam locus esset) & collocaverunt me intra aliquod templum in quodam sacello, in quo erat Imago Beatissimæ Virginis, quam ille populus magnâ devotione venerabatur, & adverti sanctissimam Virginem mirabili modo existentẽ in illa imagine. Accessit sanctus Gabriel, & quàm reverentissimè dixit sanctissimæ Virgini: Domina, hìc venit ista creatura, ut tibi aliquid nuntiet nomine Domini DEI nostri. Sanctissima Virgo ostendit sibi placere dictum sancti Archangeli, & jussit me adduci. Ego illi retuli totum supra dictum nuntium. Beatissima Virgo maximas egit DEO gratias, pro beneficio veniæ, concessæ illi populo, qui ipsi tam piè erat addictus, & visitabat ejus imaginem; mihi verò dixit, ut considerarem, quid essem petitura, mihi ab illa præstandum. Ego hæsi, ac deinde dixi, me petere id, quod mihi ex Divina voluntate est ab ipsa petendum, & lumen, nè decipiar in his rebus inusitatis; atque ut salvetur quidam Nobilis, nec non, ut suo auxilio adsit meis Confessarijs, & alijs. Beatissima Virgo mihi dixit: Accede huc, nam & ego tibi volo præstare gratiam. Accessi, & vidi, quòd haberet in suis brachijs suum sacratissimũ Filium in specie infantis; cujus sum osculata pedes, & sine mora illum sensi intra meam animam, arctissimè cum ipsa unitum. Post hoc, me reduxerunt Angeli ad locum, in quo anteà fueram, & Dominus, qui necdum abiverat, mihi dixit, ut magno animo paterer; brevi namque desituros dolores, & ad futuram quietem æternam.

§. III.

Longè magis relucet Divina misericordia in mitigandis im, in gratiam eorum, qui degunt in hoc exilio, sùntque longè pauciores, quàm existentes in Cælo. Quodam die, ait, sub initium noctis, habui quædam indicia, quòd mihi Dominus esset præstiturus aliquam gratiam, & quidpiam dicturus. Manè, circa horam tertiam, conspexi JESUM Christum Dominum Nostrum pendentem è cruce, & ad ipsius latera crucifixos duos latrones. Hoc non vidi clarè, sed quasi sub velo. Vehemẽter fui afflicta, ac recurri ad DEUM, & rogando ipsum, ut me illuminaret, avertebam oculos, ab isto mysterio: quod, licèt illud nollem videre, semper tamen se mihi offerebat spectandum, etiamsi quàm maximè conarer ab eo videndo abstinere. Dixi in animo meo, cum aliquo timore illusionis: DEUS me juvet, imaginatio est instabilis, & celer, ac diabolus versutus. Sanctus meus Angelus Custos, qui aderat præsens, dedit quoddam quasi signum, ut mysterium obtegeretur velo, eò quòd tunc non essem disposita pro illo spectando. Et factum est ità, quia apparuit nubes instar veli, propter quam illud non vidi. Quievi modicùm, & respiravi; ac paulò pòst denuò conspexi idem mysteriũ clarissimè, absque ullo impedimento, ità ut non possem resistere. Vidi Christum Dominum, Bonum nostrum, affixũ Cruci, eo modo, quo in illa pendebat die suæ Passionis, in medio duorum latronum. Spectavi quodam modo omnia, quæ tunc evenerunt, scissum velũ templi medium, eclipsim Solis, magnas tenebras, quibus obscurata fuit terra, desolationem Beatissimæ Virginis apud pedem Crucis, vehementes dolores, quos tunc sustinuit Dominus; & quomodo lanceâ sacratissimum ipsius latus fuerit apertum. Magnopere sum commota, videns ità patientem Dominum, quod spectaculum gravem attulit meæ animæ dolorem & afflictionem. Fui rapta in ecstasim, & quando mihi sum reddita, nihil vidi illius mysterij. Venerunt ad me quatuor Angeli DEI, diversi à quatuor

tuor meis Dominis, induti vestibus partim albis, partim alijs, aliquantùm tristes, & mœsto vultu, ità ut etiam in me derivarent suam tristitiam, dixerúntq; mihi: Soror, vidistíne hoc mysterium, & vísne scire, quid significet? Noveris igitur, Patrem æternum, graviter indignari hominibus, propter ipsorum enormia peccata, & ingentia scelera, atq; ideò, quòd se quàm minimè exhibeant gratos pro beneficijs acceptis ab ipsius sanctissima manu. Et Christus JESUS, Dominus noster, comparuit coram Divina ipsius Majestate quemadmodum illum vidisti, repræsentando ipsi tam multa, quæ est passus pro hominibus, rogandóq; illum, ut ijs parceret, & misereretur, essétq; propitius. Atq; re verâ, Soror, Pater æternus non est placatus, nec pepercit populo suo. Fui idcirco majorem in modum contristata, dixíq; illis: Quid ergo faciemus Domini? Ipsi dixerunt: Si esset aliquis pusillus humilis, ex hìc degentibus, qui deprecaretur Patrem æternum, pro ipsius populo, fortè non desideraretur misericordia. Tum ego dixi: Angeli Sancti, non est illi reconciliatus DEUS, licèt ab eo hoc petiverit ipsemet ejus Filius crucifixus, & parcet ipsi, si idem ab illo petat aliquis pusillus? vere, Soror, (dicebant Angeli) si reperiretur quispiam pusillus, ex diligentibus DEUM, qui id ab illo peteret, plurimùm prodesset. Cùm ego instarem, quomodo hoc posset fieri, dixerunt mihi: Magni facit DEUS preces pusillorum humilium, quia illos amat, & ipsi amant DEUM, atq; cum charitate & simplicitate implorant ejus misericordiam. Istæ verò preces talium, unitæ precibus ac meritis Christi Domini, ejusdémq; Mortis, ac Passionis multùm valent: & quandoq; obtinent ea, quæ alioquin non obtinerentur. Vísne tu deprecari DEUM pro populo? Fui summè pudefacta, & dixi: Ego sum miserabilis, & peccatrix, indigna, quam DEUS exaudiat; & alia hujusmodi. Illi verò mihi dixerunt: Ora pro populo DEI, quia tuæ preces, unitæ precibus Christi Domini, non poterunt non prodesse. Postquam id dixissent quatuor Sancti Angeli, qui fuerant conjuncti, divisérunt se, iverúntq; duo ad unam, & duo ad alteram mei lecti partem, more supplicantium, atq; subitò plurimi Angeli DEI, à meo lecto, ad Cælum instituerunt longam supplicationem, & efformaverunt viam, ac meus S. Angelus Custos, unáq; mei Domini, me duxerunt per medium illius quodammodo processionis, & viæ ad Cælum. Sanctus meus Angelus mansit quasi apud portam foris, me verò collocaverunt intrò, in cælesti Jerosolyma, ubi statim apud januam conspexi Majestatem Domini DEI, & ipsi adstantem Christum Dominum, Bonum Nostrum. DEUS apparebat valde severus, & veluti iratus. Ego accessi, ac dixi: Omnipotens & Æterne DEUS, ac Domine Noster, infinite, & immense, suppliciter obsecro tuam Divinam Majestatem, per merita, mortem, & passionem JESU Christi, Boni Nostri, Filij tui, pérq; merita ipsius sanctissimæ Matris, ut propitius sis & miserearis populo tuo Christiano, eúmq; salves. Mei Domini me monuerunt, ut postularem bona temporalia, ac tum addidi: Désq; nobis panem quotidianum. DEUS mihi nihil respondit; visúsq; est potiùs vehementer indignari, magis tamen me incitabat ad orandum. Ingressa sum ulteriùs, & repetivi eandem orationem ac petitionem. Et Dominus mihi necdum respondit, quin potiùs dixit, ac mandavit meis Dominis: Amovete illam hinc, & abducite. Angeli me apprehenderunt, ut me abducerent. Ego verò dixi: Relinquite me, Domini, nec enim me oportet abire, neq; à vobis sum abducenda. Quin imò appropinquavi magis ad DEUM, magisq; intrò sum progressa. Sanctus meus Angelus Custos, postquam jam introivissem, rogavit Divinam Majestatem, ut me dignaretur audire, dixitq;: Omnipotens & æterne DEUS, ac Domine noster, spectato eo, quod Tua Majestas jussit fieri ab ista creatura, non potest non audiri; dignetur illi Tua Majestas præstare gratiam, & auscultare ipsius petitionem. Tum Dominus vultu affabiliore mihi dixit: Dic age, quid velis? ego denuò petivi idem,

quod initio. Fui nonnihil abrepta, & inflexi me ad unam partem, ac si me inclinarem, Dominus autem præcepit, ut me erigerent, dixitq; mihi ejus Majestas, bene esse, & se fore propitium suo populo, ipsiq; condonaturum peccata; &: Tu eris instar columbæ, quæ tempore Noë tulit bona nova de serenitate aëris, deditq; mihi Dominus grandem ramum palmæ, quem habuerat in suis manibus, cui erant velut intertexti alij rami, quasi olivæ. Interrogavi Dominum, cui à me esset dandus ille ramus. Divina Majestas me jussit dare ipsum meo S. Angelo Custodi: quod mihi vehementer placuit, & quodammodo, nec in abitu salutato Domino, veni domum, quò me deduxerunt mei Domini, per medium illius supplicationis, ac viæ Angelicæ, cum meo ramo palmæ quem habebam in manibus. Sancti Angeli, qui illam viam efformabant, quando transibam, decerpebant ex ramo, & retinebant ex eo quosdam ramusculos. Vidi ramum florentem, & producentem folliculos, quales sunt rosarum, ex quibus prodibant pretiosi lapides, quasi rubini. Perveni ad locum, in quo erat meus Angelus, dediq; ei ramum, quia à Domino eram jussa illum ipsi tradere, & rapta fui in ecstasim. Quando ad me redij, jam fuerat finitum mysterium.

Alio die, isti mei Domini, me nihil tale cogitantem, elevaverunt, ne verbo mihi dicto, & voluerunt me abducere. Interrogavi illos: Domini, quid agitis? quò me ducitis? Statim videbis, responderunt mihi. Duxerúntq; me, præcedentibus plurimis sanctis Angelis, & gestantibus ramos in manibus, quos à me acceperunt. Sanctus autem meus Angelus Custos ferebat illum ramum grandem. Duxerunt me ad quinq; loca, quæ mihi videbantur esse quinq; civitates horum Regnorum. Una habebat vicinum ingentem fluvium, & quia dixerunt, ibi habitare quandam personam mihi notam, intellexi esse Hispalim; quales aliæ fuerint, nesciebam. Ad singulas concinebant Sancti Angeli DEI, adhibitis instrumentis musicis; decantabant autem laudes DEI, & gratias illi agebant, pro exhibito mihi favore, quòd propitius fuerit suo populo.

§. IV.

ALiam habuit valde gratiosam visionem, in qua illi fuit donata alia palma, in signum alterius victoriæ, obtentæ de inimicis Sanctissimi Sacramenti. Vidi (in Septembri anni 1614.) *inquit*, oculis animæ in quodam magno campo plurimos homines, alios in frusta concisos, alios enervatos, hos humi stratos, illos stantes, admodum afflictos; & in una campi parte, conspexi quoddam eremitorium, ubi erat, Papa & Cardinales, quasi solitarij; extra illud autem stabant quidam viri, tanquam ipsorum custodes ac defensores. Intellexi eo spectaculo significari immanem aliquam persecutionem & afflictionem, impendentem Ecclesiæ. Summopere fuit contristata mea anima, & rogavi DEUM, ut me tolleret ex mundo, priusquam id viderem. Duravit ea visio quatuor horis, quibus elapsis vidi descendentes de Cælo multos Angelos, canentes Divinâ musicâ hymnum: *Pange lingua gloriosi*, & cùm pervenissent ad me, unus, qui præcedebat, mihi dixit: Soror, accipe hanc palmam, quam tibi mittit Dominus DEUS Majestatis, Dominus Angelorum, Archangelorum, & Principatuum; & cum pergeret, nominare cæteros choros Angelorum, ego illius sermonem interrupi, ac nolui acceptare palmá, neq; ipsum ampliùs audire, sed confugi ad DEUM, sicut soleo. Dominus tamen voluit, à me audiri Angelum, & cùm nollem acceptare palmam, suscepit ipsam meus Angelus Custos, qui aderat; atq; alter ille Angelus proseqvutus est suum sermonem, significando mihi, eam palmam esse indicium cujusdam per me obtentæ victoriæ. Hoc audito converti me ad DEUM, & quia mihi eram conscia quorundam defectuum, dixi illi quàm ardentissimè: & quomodo Domine, diabolo, qualis sum ego, exhibet Tua Majestas has gratias? Dominus autem mihi dixit: Non est diabolus, sed filius cordis mei, qui me amat,

amat, & facit voluntatem mei Patris, in cujus gratiam ego faciam hæc, & multò plura, si opus fuerit. Tum mihi fusè explicuit, quod Angelus dixerat compendiosè, & quid significaverit illud, quod videram in eo campo ac eremitorio, utpote sævam persecutionem imminentem Ecclesiæ, quam tamen propter me, ne affligerer, Divina Majestas impediverat; id quod erat, quasi referre victoriam de hostibus, significatam per palmam. Angeli verò cecinerunt *Pange lingua &c.* Quia hostes, intentantes istam persecutionem, erant hæretici, qui peculiari odio persequuntur Sanctissimum Sacramentum, ; eáq; de causa dicebat celebrari in ipsius honorem solenne festum. Et volo, adjecit Dominus, ut eas spectatum aliquid ex illa solennitate. Subitò mei Angeli me duxerunt in spiritu ad Cælum, quod vidi plenum igne claro, & lucido, sed intra divinam quondam nebulam, quæ impediebat, quò minùs bene videretur, quid ibi esset. In medio erat ingens Hierotheca Eucharistica, repræsentans Sanctissimum Sacramentum. Ego accessi, & amplexata sum pedem illius Hierothecæ. Christus Dominus autem, mihi dixit: Quid facis? Hoc audito, adverti me amplexari pedes ipsiusmet Domini, & statim recessi, vehemenrer pudefacta, atq; Divina Majestas mihi est bene precata.

§. V.

Finiamus alia mirabili visione, quæ omnia hactenus dicta complectitur, in cujus conclusione docetur modus orandi, qui ex talibus gratijs est colligendus instar fructûs. Die, *inquit*, Sanctissimæ Trinitatis (in Majo anni 1617.) fui rapta in aulam cælestem, ubi tantùm vidi meos quatuor Angelos, & quasi eminus, Beatos considentes in suis thronis. Dixi meis Angelis: Ubi est Magnus Rex, DEUS Majestatis, quòd ipsum non videam? Responderunt mihi: Est in Tribunali suorum Divinorum judiciorum ac arcanorum. Et derepentè vidi, quasi reducto quopiam velo, Sanctissimam Trinitatem, more solito, atq; JESUM Christum Dominum nostrum, intercedentem apud illum pro peccatoribus, allegantem ipsi omnia à se pro illis facta. Et Spiritus Sanctus gratam sibi esse ejus orationem ostendebat, sed Pater æternus dicebat, tribuendum esse locum Divinæ Justitiæ. Interea vidi venientem Sacratissimam Virginem, Dominam nostram, splendidè vestitam, cum comitatu multarũ Virginum, & millenorum Angelorum, quæ, ubi se prostravisset coram Majestate æterni Patris, incepit dulci quodam & suavi modo orare pro peccatoribus, petendo pro ipsis veniam, per JESUM Christum Filium suum, pérq; ejusdem intra sua viscera gestationem, nec non per alia, quæ Christus Dominus allegaverat. His videbatur aliquantùm placatus æternus Pater, & respondit illi, se ipsis propitium futurum. Abeunte Sanctissimâ Virgine, me aspexit Dominus, dixítq; mihi: Et tu vermicule, quid hic agis? quid vis? Ego magno animo dixi: Domine mi, quamvis sim vermiculus, adrepam ad radicem arboris vitæ, rodam illam, (utpote orando) atq; sicut Jacob, tecum luctabor, donec te vincam, & ignoscas peccatoribus. Respondit Dominus: Bene est, bene dicis. Faciam id. Et præterea tibi dico, quòd, si aliquis existens in malo statu ad te confugerit, ut pro ipso ores, sim illi propter te condonaturus peccata, eúmq; ad me conversurus.

Similitudine, quam DEVS inspiravit huic suæ famulæ, docemur, quòd nos debemus collocare ante arborem vitæ, quæ est Christus Dominus, & illam instar vermiculum rodere cum profunda humilitate, sed magnô fervore, quantumvis non absq; molestia ac labore sed quasi luctando, gemitibus, precibus, & orationibus, donec aliquid obtineamus, ex ipsius virtutibus, ac meritis, ut illis ditemur, eíq; perfectiùs serviamus.

CAPUT IX.

De rebus notatu dignis, quæ illi acciderunt cum DEO, anno grassantis pestis, quoad mala, quibus punire volebat suum populum Christianum, & istam Civitatem Vallisoletanam, deq; magno Zelo, quem tunc ostendit.

Formidabilia fuerunt, quæ ipsi evenerunt cum DEO, A. 1599. quando pestis affligebat totam Hispaniam, grassando ab una Civitate ad aliam: id quod ipsa descripsit hunc in modum.

§. I.

PRodente se jam peste, animadverti, DEUM vehementer indignari peccatoribus, & ingemiscens, consideratis tot necessitatibus spiritualibus & corporalibus, quæ tolerantur in hac lacrymarum valle, rogabam Divinam Majestatem, ut misereretur suarum paupercularum creaturarum. Respondit mihi Dominus: Noli ipsas appellare meas creaturas, quia earum opera, non merentur talem appellationem. Ego tum pudefacta conticui; sed quia Divina Majestas mihi inspirabat, méq; impellebat, ut id à se peterem, etiamsi taliter responderet, iterum ipsi paulò pòst dixi: Domine, propter infinitam tuam bonitatem miserere tuo populo Christiano. Et Divina Majestas denuò mihi dixit: Noli eum vocare meum populum Christianum, quia id non meretur: siquidem propter sua opera magìs videtur constare ex paganis, quàm ex Christianis. Tunc afflicta mea anima, his responsis, rursum illi dixit: Ergóne, mi Domine, tui servi debent pati & puniri cum peccatoribus? Respondit Divina Majestas: Nónne verò scis, quòd ego possim formare vestem, quæ omnibus conveniat?

Hoc Dominus dixit isti suæ famulæ, quia in peste infirmitatibus, diluvijs, & afflictionibus communibus ità puniuntur mali ac rebelles, ut probentur & perficiantur boni ac obedientes.

Dum aliâ vice vehementer affligerer, non solùm propter damna, quæ pestis erat multis allatura, tum quoad bona fortunæ, tum quoad vitam, sed longè magis propter perditionem animarum, quæ ob tot mortes subitaneas poterat timeri: quia salus unius animæ redemptæ sanguine Christi JESU æstimabilior est, quàm omnium facultates & vita. Atq; cum hac afflictione & summo dolore, concepto ob istam animarum jacturam, compatui coram Domino, dixiq; illi: Mi Domine, Magne & Potens, quid vult agere Tua Majestas, propter nostra grandia peccata? nunquid nos fortè voles destruere, id quod meremur, & potes tam meritò ac justè facere? dum hæc & alia cum magno meæ animæ dolore proferrem, dixit mihi Divina Majestas: Omnes destruere nolo, sed volo quosdam punire, & multos affligere, ut illi luant pœnas promeritas, hi admoneantur, nè eas incurrant: pœna vero afficiet illos, qui ipsam multùm merentur. Hoc audito vehementer indolui, & exclamavi: Ah, mi Domine, miseram me, quid facient infelices? Væ miseris, quid facient? non, propter tuam bonitatem, mi Domine, non fiat id amplius! non pereant animæ redemptæ tuo pretioso sanguine. Hoc enim erat, quod comminabatur illa pœna DEI, & mihi cor præ dolore disrumpebat, unde ei dicebam: Non, non Domine. Et Divina Majestas respondebat: Ità, ità. Ego repetebam: Non, non Domine, propter bonitatem tuam. Divina Majestas dicebat: Ità, ità. Ego rursum reponebam: Consideret verò tua Majestas, per infinitam suam

ſuam miſericordiam, quomodo id poſſit eſſe: ineundum enim eſt aliquod pactum, nec ità fieri oportet, mi Domine. Et urgebam perſeveranter ego miſerabilis meum Dominum magnum, ac omnipotentem, qui me tolerabat. Offerebam illi meam vitam libentiſſimè pro ſalute cujuſcunq; animæ. Jam tum concluſi cum Domino, quòd non eſſent tot mala eventura, ſed ſolùm aliqua: quia mihi dixit, quòd ij, qui deberent alieno malo ſapere, id nolint facere, neq; faciant, uſq; dum ſit Pœna in eorum foribus. Vidi DEUM æquiſſimè agere, ac tantopere dolui, ut non poſſem eſſe quieta, neq; læta, dum recordarer, perditum iri illos, quibus obventura eſſet tam mala & infelix ſors; ſempérq; implorabam DEI miſericordiam, ut conquieſceret ipſius Juſtitia, propter ejuſdem infinitam Clementiam. Inter hæc mihi dixit DEUS aliquando: Noli triſtari; eſto hilari animo, ne te ità affligas, non fiet tam multum. Mirè ſum recreata, & egi ipſi magnas gratias, pro hac miſericordia.

Eo tempore mea anima erat quaſi ſemper clariſſimo quodam repleta lumine, quo cognoſcebam magnitudinem, omnipotentiam & Majeſtatem noſtri Magni DEI, ut quodammodo non poſſem quidquam aliud cogitare. Et frequenter me Dominus conſolabatur, appellabátq; filiam, ac dicebat mihi: Quid vis? quando autem ego ipſum invocabam & dicebam: Ubi es, mi Domine? Ille mihi dicebat: Hic ſum tecum, hic me habes: ſemper tamen eram ſolicita de his præſentibus neceſſitatibus, & implorabam ejus miſericordiam, atq; etiam cogitabam, an non DEUS propter noſtra gravia peccata eſſet aliquando dereliturus hæc Regna, ſicut dereliquit alia, quæ id promeruerunt ſuis ſceleribus. Et dum ea de re agerem cum Divina Majeſtate, dixit mihi: Nè timeas, quia tu id non videbis. Tum ego dixi: Cæteri autem, mi Domine, qui nunc vivunt, videbúntne tantum malum & afflictionem? Subindicavit mihi, quòd etiam non. Rurſum dixi: Eveniétne tamen aliquando, Domine, tantum malum & infortunium? nam dolor, quem inde percipiebam, me adigebat ad hoc dicendum DEO, qui mihi reſpondit: Ne id velis ſcire: quaſi mihi hoc nollet manifeſtare, ne me affligeret. Ego ſuſpicata, fore, ut eveniat, mota commiſeratione, dicebam illi cum multis lacrymis: Non, non, mi Domine, per tuam miſericordiam, neq; jam, neq; unquam. Et petebam id perſeveranter à Divina Majeſtate, quæ videtur me voluiſſe conſolari, dicendo mihi: Quid tandem tuâ refert, quòd hinc transeam aliò, vel hîc maneam, cùm tu, id non ſis viſura. Ego verò dicebam eâ animoſitate, quam mihi DEUS dabat, alioquin enim non eſſem tam audax: Refert, mi Domine, multùm meâ refert: Domine, per tuam clementiam, nè id facias nunc, ſed nec unquam, propter tuam infinitam bonitatem. Dum hæc atq; alia dicerem, advertebam, quòd mihi Divina Majeſtas compateretur, videns me ità afflictam, ideóq; mihi dicebat: Omnia benefient, ſatisfaciam tibi, & conſolabor te. Nunquid autem nihil voles aliud, quàm quod ego voluero? Ego illi dixi: Procul dubio, Domine, ego, nihil aliud volo, quàm quod tu volueris, & hinc ſolatium capiam. Dicebat mihi præterea Dominus: Ecce adhuc multum præteribit temporis, & multa effluent ſecula, multa etiam contingent, & varia evenient. Ego attendebam, quid diceret, neq; poteram non advertere ac intelligere à Divina Majeſtate mihi iſta dici ac manifeſtari.

§. II.

MAjorem incutit horrorem, quod illi accidit cum DEO, eodem anno quando jam lues peſtifera infecerat Valliſoletum, ubi illa degebat, id quod his refert verbis. Poſtquam fuiſſet decretum in hac Civitate Valliſoletana, ut propter commune Reipublicæ bonum ac vicinorum, egrederentur ex Urbe, repeterentq; ſuas patrias, quidam miſerabiles pauperes, qui ad illam venerant, in eáq; vivebant, intellexi à Domino id ipſi diſplicuiſſe, & fuiſſe ingratum. Etſi enim verum ſit, eos, penes quos

erat regimen Civitatis ad id faciendum per motos fuisse, fortè absq; culpa, ut magis prospicerent bono suæ Reipublicæ; nihilominus frequenter DEUS permittit propter nostra peccata, & proprium amorem, qui semper exquirit privatum commodum, ut Rerum publicarum Rectores non ità assequantur, ùt par est, id quod est conformiùs beneplacito ac voluntati DEI, quia sunt profundissima & magna ipsius judicia, valdéq; latent animam, quæ illum non amat perfectè, sed seipsam, quam amor proprius decipit, dum facit, ut sibi videatur rectè procedere in eo, in quo errat. Hoc intellecto à Divina Majestate indolui, & fui afflicta, metuens, nè ideò Divina Majestas isti Civitati infligeret aliquam pœnam, ut populus jacturam pateretur bonorum temporalium, unáq; sanitatis. Simul autem vehementer compatiebatur mea anima miseris pauperibus, qui abeuntes essent perituri, propter extremam penuriam & afflictionem.

Alio die manè, dum agerem cum DEO, manifestavit meæ animæ, quantopere irasceretur & indignaretur isti populo, quámque ipsi displicuerit, quod ab eo præceptum fuerat pauperibus; & unà mihi dixit, se constituisse, gravi quodam malo hunc populum mulctare, ut sic intelligerent & agnoscerent suam indignationem. Quamvis autem huic pœnæ occasionem præbuerit expulsio pauperum, intellexi tamen jam antiquam esse hanc iram Divinam. Fui afflictissima & plena dolore, propter id, quod audiveram à DEO, & cum lacrymis illum incepi rogare quàm instantissimè: Hoc non, ajebam Domine, hoc non, propter tuam bonitatem & misericordiam, hoc non Domine; quod sæpè iterabam dicendo, ut cogitaret, an ipsi placeret, vellétq;, ut ego miserabilis aliquid loquerer de eo negotio, & ne ultrà procederet cœpta pauperum exactio, me enim id velle efficere, quamvis mihi propterea multùm esset laborandum. Sed Divina Majestas mihi respondit, se nolle, ut ea de re loquerer; non profecturam enim me quidquam, neq; mihi adhibendam fidem, & me ideò contristandam ac affligendam, sicut aliàs mihi contigit; nec se velle, ut idcirco affligar. Quapropter tacui. Dolui tamen vehementer ob iram & indignationem DEI, quam in eo advertebam, & agnoscebam, neq; cessabam illum intueri, ac attollere oculos animæ ad Divinam Majestatem: Videbárq; mihi videre sacratissimum ipsius pectus apertum, & omnia in eo contenta, ubi etiam cognoscebam indignationem ac iram Divinæ Majestatis. Et cùm aliquando ipsum hac ratione contemplarer, incepit subitò ac velut in momento emittere imbrem tam vehementem, & jacere fulmina tam horribilia, ut mihi incuteret terrorem, moverétq; me ad commiserationem eorum, quibus comminabatur illam pœnam, quamvis ego ignorarem, quinam essent, quia mihi DEUS nunquam manifestat peccata gravia, & occulta ullius particularis personæ; quando verò Divina Majestas in ejus modi rebus vult aliquem adjutum, atq; idcirco uti operâ istius miserabilis suæ creaturæ, scit ipse id optimè facere, habétq; multos modos, quibus hoc efficiat, ac propterea hac de re nihil ampliùs dico. Et intuita Majestatem DEI, vidi ipsum usq; adeò offensum, ut revera existimarem, quòd nisi interveniret Sanctissimæ Virginis Dominæ Nostræ, & aliorum Cælitum intercessio, nescirem quid Divina Majestas esset factura; nam mihi pessimum erat indicium, quòd nollet, ut ullo modo de hoc loquerer, dicerétq; mihi, ut id relinquerem, siquidem essem operam perditura, quódq; me non vellet contristari & affligi, quia nullum successum esset habiturum, quidquid ipsius nomine dicerem.

Videbam quoq; semper omnibus illis diebus, qui erant multi, Majestatem Christi JESU Domini Nostri, intra Sanctissimum Sacramentum, in supplicatione Octavæ hujus Festi, videbam, *inquam*, illum non ità contentum, qualem se mihi aliis annis exhibuit, dum incederet inter suas creaturas, sed longè alium; id quod ego magnopere sentiebam. Aliquando mihi propter quiddam dixit, se interdum in

pœnam

pœnam peccatorum permittere, ut non inveniatur, qui admoneat populum de eo, quod ipsi magis satisfaceret ac placeret. Audivi ego miserabilis, quod mihi erat dictum à Domino, unáq; dum me alloqueretur, cognovi in ejus Majestate tam stupenda ejusdem judicia & arcana, hanc rem concernentia, ut nequeant verbis exprimi, vel explicari. Remansi tunc vehementer afflicta, eo quòd nescirem quis rerum istarum exitus futurus, quidúe facturus esset DEUS.

§. III.

DUm perseverarem in obsecrando DEO, ùt iram suam averteret ab hoc populo adverti, ùt mihi videbatur, aliquantò majorem suavitatem in Divina Majestate, quæ mihi quâdam vice dixit: Tace, nè te affligas, quia, quem ego voluero servatum, conservabitur; quasi diceret: Non omnia pessum ibunt. Post paucos dies incepit infirmari populus, & moriebantur multi homines, ità, ut Civitas esset turbata, vehementérq; metueret, ac meritò, nè in illa exoriretur aliqua contagio, quam indicabant ingentes calores & siccitates. Ego quoq; miserabilis præter modum dolens, ob hanc miseriam & afflictionem, videndo nos ità à DEO castigari, propter nostra peccata, convertebam me frequenter ad Divinam Majestatem, & implorabam ipsius misericordiam, pro hoc populo. Quod cùm facerem, aliquando manè, vidi Christum Dominum, qui mihi dixit amantissimè, quasi me vellet consolari & exhilarare, significando mihi taliter, non esse suam voluntatem ut omnes moriantur: Attolle oculos, & aspice. Tum sublatis in altum oculis animæ aspexi, ac vidi in aëre, terram inter & Cælum, quendam S. Angelum speciosissimum, qui elevavit manum suam dextram, & magnâ Majestate bene precatus est ingenti parti terræ, tam largè & amplè, ut suâ benedictione comprehenderit, complexúsq; sit tantam latitudinem ac regionem terræ, ut obstupuerim talem potentiam, & mysterium tam admirabile. Datâ benedictione subitò disparuit. Ego vehementer mirabar, quod videram, nec poteram oblivisci illius S. Angeli, & benedictionis adeò plenæ mysterijs, dicendo intra me: Quis Sanctus Angelus fuerit ille tam speciosus ac potens, quem ego non novi, nec unquam vidi? Respondit meæ cogitationi Dominus: Est S. Angelus pacis ac benedictionis, & consolationis. Obstupui, & fui exhilarata, postquam ab ipso audivissem, cogitaviq; subinde: Si omnia, quibus obtigit benedictio illius S. Angeli, sunt benedicta, necessariò plurimi homines fuerunt, sùntq; benedicti ac liberi ab omni malo, & miserijs, ac infirmitatibus? quo aliquantùm recreabar. Hæc mihi cogitanti, dixit Dominus: Etsi verum sit, quòd benedictio illius S. Angeli, quem vidisti, comprehenderit magnam terræ partem, eidémq; obtigerit, non tamen obvenit omnibus hominibus illius loci ac regionis quam vidisti, sed alicui tantùm ejus parti; cæterùm replevit & comprehendit campos ac prata, & fructus terræ, quibus sustentantur omnes homines, atq; etiam mali illius incolæ. His auditis à Domino, non poteram satis mirari, ipsúmq; benedicere ac laudare, propter ejus bonitatem ac misericordiam, quamvis alioquin non habuerim tantum solatium, videns, illam benedictionem non obtigisse ijs omnibus, quibus ego ipsam favebam & exoptabam.

Hoc est conforme dictis mihi anteà à Divina Majestate, quòd propter nostra peccata essemus ab illa castigandi peculiaribus pœnis, cùm nos non emendemus in illis, neq; homines velint credere, irasci ipsis, & indignari DEUM, donec pœna ejus perveniat ad eorum fores, quod modò video, impletum ad literam.

§. IV.

HOc tempore multi homines extinquebantur peste in Civitate, ità ut circiter septingenti morerentur quavis septimanâ, modò plures, modò pauciores, præter plurimos, qui exspirabant quotidie in hospitalibus. Erat miserum videre, id quod

quod fiebat, & longè pejora in posterum timebantur, ac propterea prorsus meritò indies instituebantur multæ preces & processiones ac supplicationes ad DEUM, Sanctissimámq; ipsius Matrem. Decurrente ita ad finem Augusto, Judices jusserunt convenire Medicos, ut secundùm principia medica decernerent, an in Septembri & Octobri, quibus mensibus magìs solet periclitari sanitas, malum esset augendum & contagio; ut prospiceretur, quid convenientius factu foret: qui dixerunt, malum, quantum ipsi nôssent, juxta suas regulas, futurum multò gravius illis mensibus, quàm fuerit tribus jam elapsis: quod cùm ego audivissem, mota commiseratione, recurri ad DEUM, ut implorarem ipsius misericordiam, cujus infinita bonitas me est solata, manifestando mihi suo speciali lumine, non futurum gravius malum, ijs diebus, imò, per ejus misericordiam, hoc tempore desituram illius iram, & fore, ut populus incipiat meliùs habere. Unde ego recreata à Domino istâ ipsius veritate, quando afflicti dicebant, se timere, nè omnes pereant illis mensibus, dicebam: Non timeant, DEO propitio. Et factum est ità, sicut Divina Majestas dixerat: quia paulò ante finem Septembris incepit meliùs habere populus, & sensim sine sensu, DEO juvante, cessabat strages ac malum, quod patiebatur, donec penitus sanaretur, liberaretúrq; ab illa lue pestilenti, ut propterea totus populus & meritissimo jure (modò non intermisissent glorificare DEUM) summè fuerit exhilaratus: ideóq; statim inceperunt, quasi immemores, quid illis convenientius agendum esset, instituere multa spectacula taurorum, & comœdias ijs diebus, qui fuissent impendendi, quod etiam DEUS voluisset, offerendis Divinæ ipsius Majestati Sacrificijs Eucharisticis, sicut antea fuerant institutæ preces & supplicationes pro salute populi. Quod animadvertens Divina Majestas, revelavit mihi ac dixit, sibi ista displicuisse, fuisseq; se ijs offensam, siquidem videret exiguam universim & palàm demonstrari gratitudinem, pro accepta gratia, cum scandalo bonorum: dixitq; præterea Divina Majestas, & indicavit meæ animæ, condolens, pro sua bonitate, illi fragilitati, ac inadvertentiæ Gubernatorum populi, quæ irritabat ejus iram, se velle, ut suo nomine dicam meis Confessarijs, quò ea de re commonefaciant Judices ac Prælatos Civitatis. Ego statim feci, quod mihi Divina Majestas imperaverat, ac Patres Societatis sunt pariter exequuti officium sibi à DEO injunctum & commendatum. Admonuerunt Judices & Prælatos de querela DEI, déq; eo, quod Divina Majestas cuperet ac vellet tum temporis fieri: sed ipsi omnes, & singuli seorsim eam culpam à se reijciebant, allatis excusationibus, quæ illis videbantur sufficientes (credo eos non fuisse assequutos, neq; intellexisse ampliùs) verùm DEUS, qui eâ re fuerat offensus, ostendens mihi, non esse sibi satisfactum ipsorum excusationibus, dixit mihi: Ego illos puniam, propter istud exorbitans delictum, &, in pœnam hujus defectûs, ipsis auferam personas convenientes ac necessarias eorum Reipublicæ. Sensi vehementer, quod mihi Dominus dixerat, sed videns id à Divina Majestate fieri meritò, verebar, neq; sciebam, quid dicerem. Post paucos menses obijt unus ex ijs, qui Urbem gubernabant, & intra duos annos alij duo. Primus est defunctus quodam die, quo celebrabantur in Civitate taurilia, id quod peregrè tulit, questus de eo illâ horâ suis famulis. Secundus obijt oppressus gravi melancholiâ, eò quòd illi quædam secùs successerint, quàm desideraverit. Tertius vivere desijt, postquam ad obeundum quoddam officium fuisset destinatus, ut ipse aiebat, quò tamen non est potitus. Adeóq; fateor, me, quando à DEO jubeor aliquid dicere, quod fieri oporteat ex ipsius sancta voluntate, plurimùm timere pœnam, si id non mandetur executioni, juxta Divinæ Majestatis imperium, quia semper video consequi sinistros eventus, si prætermittatur.

CAPUT

CAPUT X.

De ardenti zelo, quo exoptabat ſalutem omnium hominum, & admirandis rebus, quæ illi ea in re evenerunt cum DEO.

HAbitâ notitiâ, & cognitione tot miſeriarum mundi, quam DEVS communicabat ſuæ famulæ, indies magis exardeſcebat in ejus corde fervens zelus, quo exoptabat ſalutem proximorum, inſtar inſatiabilis ignis, qui nunquam dicit, ſufficit; quem ipſemet DEVS confovebat novis revelationibus, de his neceſſitatibus, quas deinceps referemus.

§. I.

IN primis declaremus ipſius verbis vehementiam hujus zeli, ac ingentem dolorem & cruciatum, quo propterea divexabatur, quòd videret tot mundi miſerias; cum admirabili alloquio, pleno ſolatij, quo illam DEVS replevit (in Decembri, anni 1619.) In iſta afflictione, *inquit*, plerúmq; Dominus meam animam ingenti & inſolito doloris ſenſu commotam ducit ad contemplandum magnum noſtrum DEUM ac Dominum, graviter, atq; tot & varijs modis offenſum, nec non agnoſcendam perverſitatem innumerarum animarum, earundémq; damnationem, ad quam idcirco deveniunt. Et afflictiones, pœnæ, ac infirmitates proximorum ità meam animam excruciant, meúmq; cor quaſi vulnerant, ut mihi omnes videantur eſſe quodammodo membra corporis mei, mihíq; uniti, & incumbentes meis humeris. Dum ſic eſſet conſtituta mea anima, quâdam vice me veluti dormiturientem excitavit Dominus, dicendo: Audíne, Anima? expergiſcere. Hâc Domini voce citiſſimè fui excitata, & dixi cum affectu magni amoris, ac reverentia: Quid vis, mi DEUS ac Domine? jube me facere ſanctiſſimam Voluntatem tuam. Tum Dominus dixit: Anima mea, video te afflictam, contriſtatam ac mœrentem, propter vehementem dolorem, quem percipis ex eo, quòd videas vilipendi & offendi gloriam meam ac honorem, quantum eſt in hominibus, atq; propter tam multas animas, quæ verſantur in ſtatu æternæ damnationis. Plurimùm mihi id placet, & compatior tibi. Verumtamen gaude in me, & bono eſto animo, ob id, quod tibi dicam: Scias velim, univerſam humanam naturam eſſe unum corpus, cujus anima & vita ſunt mei juſti, & mei Sancti, quos mihi elegi jam inde à mea æternitate. In iſta anima & hac vita iſtius corporis defixos habeo oculos & obtutum: atq; hi ſunt, qui manent in meo corde, quóſq; ego in illo gero, & quibus oblector, glorior ac recreor. Ablatâ verò iſtâ animâ ac vitâ ejusdem corporis, quæ eſt formoſa & ſponſa mea, ac ſubſiſtit, habétq; gratiam in oculis meis, omnia reliqua membra putrida & vitiata hujus corporis naturæ humanæ, non curo, nec mihi diſplicet, quòd, cùm ſint talia, propter ſuam malitiam & culpam abſcindantur, & proijciantur in ignem, quamvis non ſine dolore & afflictione animæ. Ità facit bonus & ſapiens Medicus, qui attendens ad id, quod præcipuè prodeſt infirmo, éſtq; maximum ac optimum, nimirum ad vitam hominis, & ipſius ſubſtantiam; cæterùm non curat, quòd abſcindantur, vel adurantur quæcunq; membra putrida & vitiata illius corporis. Quocirca, Anima mea, noli conſternari, vel animo concidere, ſed quieſcendo in meo corde & mente mea Divina, habe ſolatium in me, & in operibus meis ac judicijs altiſſimis & ſecretiſſimis meæ Juſtitiæ, in quibus omnibus relucet ac reſplendet mea Bonitas & Miſericordia, quemadmodum dixit Moy-

ſes, quando me vidit. Mea anima audivit hos Divinos ſui DEI ac Domini Sermones, quibus eſt ſummopere recreata & animata, atq; exhilarata in ſuo DEO. Et ſic fuit finita illa Divina communicatio.

§. II.

EFfectus hujus zeli videbimus in ardentiſſimis deſideriis, quæ ſe habere oſtendit, ut ſalvarentur non pauci, neq; tantùm multi, ſed omnes homines, in quadam viſione, hunc in modum. Quodam die (in Martio anni 1622.) fui deducta à meis Dominis Sanctis Angelis ad cæleſtem Jeroſolymam, uſq; ad conſpectum Domini DEI. Tranſivi per quaſdam veluti nubes, quæ quodammodo rumpebantur; erant enim ex materia ſpiſſa, tametſi penetrabili; & poſtquam illas transiviſſem, iterum condenſabantur: atq; eo modo, cum non exigua mea moleſtia, perveni ad conſpectum DEI. *[hoc ſignificat, quàm difficilis ſit via ad DEI conſpectum, & quòd derelinquenda ſint omnia terrena, ut ad illum perveniatur.]* Poſtquam me Divina Majeſtas vidiſſet, dixit mihi: Anima, ésne hîc? veniſti huc juſſu meo, quid vis? pete, quod tibi placet, quia id faciam. Ego avidiſſimè, ex Divina inſpiratione, reſpondi: Mi Domine, ſalutem omnium hominum peto; quod petebam, iterando inter ardentia deſideria & affectus identidem: Salutem omnium hominum, ſalutem omnium hominum, peto, Domine. Hoc dicto fui ſummo impetu projecta ad meum locum, ac ſi aliquis proijceret graviſſimum lapidem, qui rueret ad ſuum centrum: Ego tamen non ſolùm non fui conſternata, neq; concidi animo; ut potiùs, videns me in meo loco, animoſiùs ac ardentiùs repetierim: Domine, ſalutem omnium hominum à te peto; & attollebam vocem, repetendo eandem petitionem: quin imò etiamſi deturbarer ad infernum, peterem ſalutem hominum. Interea mihi comparuerunt duo Sancti Angeli ex ſuperioribus, & graviſſimi, interrogaverúntq; me: Anima, quid vis? Ego dicebam: Salutem omnium hominum. Illi mihi dixerunt: Ducemus te iterum ad Dominum diverſâ viâ, & facili, ut progrediaris abſq; defatigatione, ibi pete, quod volueris. Duxerunt me quâdam viâ tam pulchrâ, amœnâ & gratioſâ, ut absq; ulla mea moleſtia pervenerim ad conſpectum DEI. Divina Majeſtas me ſuſcepit peramanter, dixítq; mihi: Anima, dic mihi, quid velis? Ego reſpondi: Mi Domine, ut ſalventur omnes homines. Dominus autem repoſuit: Multùm petis. Adverte, me, licèt ſim omnipotens, & poſſim omnes ſalvare, nihilominus operari juxta mea Divina decreta, relictâ hominibus libertate, ut pro ſua voluntate diſponant de ſua ſalute. Non cogo ipſos, dedi illis liberum arbitrium, & multi ſunt, qui nolunt bene uti meâ miſericordiâ, nec reſpondere meis vocationibus, ſúntq; mihi refractarij. Fierétne bene, ſi aliquis Rex ignoſceret omnibus ſuis ſubditis rebellibus, qui contrà ipſum conſpiraviſſent, abutentes ipſius benignitate? certè, non. Tempera tibi: pete aliquid aliud. Ego reſpondi: Quod peto, Domine, eſt, ut ſalves millena millia hominum. Adhuc non bene petis; eſt multum; pete aliquid ſpeciatim, dixit Dominus: Accede; nonne tibi ſufficiet, ſi ſalvem tot homines, quot poteſt capere aliquot Regnum? Huic dicto Divino me oportebat acquieſcere. Et Dominus mihi pollicitus eſt, ſe id facturum: quo fui contenta. Poſtquam diſceſſi à Domino, reperi me in meo angulo, quo me deduxerunt Sancti Angeli. Benedictus ſit DEUS in omnibus operibus ſuis. Amen.

Perſeverante hoc eodem affectu, ac deſiderio ſalutis omnium in mea anima, poſt paucos dies dixi Domino: Domine, dona mihi aliquid, quod tibi dem; ſum enim pauperrima, néq;, quod tibi offeram, habeo, niſi tu mihi id dones. Reſpondit mihi Dominus aliquantò pòſt: Quandoquidem hoc dicis, accipe, quod tibi volo dare. Conſpexi derepente ſolam quandam manum habentem digitos terram verſùs directos, inter quos tenebat quidam nigrum inſtar picis. Deinde vidi quendam orbem filaceum, ex quo aureum

filum

filum ducebatur per digitos illius manûs; ubi, dum perveniret ad eam rem nigram, similiter nigrescebat, & conglomeratum evadebat unum quid cum illa. Tum dixit Dominus: Accipe hoc. Ego, meo more, timens, tergiversabar, donec in raptu rem illam nigram, quæ erat quasi quadrata, posuisset Dominus ad meam manû; ubi fuit subitò versa in gemmam. Statim intellexi, quid significaret, ideóq; ipsam cum magna voluntate offerebam DEO, qui mihi dixit: Ista res nigra, obvoluta filo aureo, quod ab illa est denigratum, est anima cujusdam divitis, quæ per suas divitias se multis peccatis implicuit: Propter tuas autem preces ac tanta desideria, illam converti ad me, donaviq; tibi, ut eam mihi offerres, ac satisfaceres huic desiderio, quo teneris, ut salventur homines.

§. III.

ALiàs (in Septembri Anno 1618.) ait, mihi inspiravit DEUS tanta desideria conversionis infidelium, ut mihi præ illis cor disrumperetur. Hoc igitur petebam à Domino, quàm instantissimè poteram. Et Dominus mihi dicebat, postulare etiam ab ipso suam Justitiam, ut vindictam sumat de his Infidelibus. Ego autem dicebam Domino: Non, Domine, Tua Majestas illis debet parcere, & eos convertere ac adducere ad suam Ecclesiam. Speciatim cogitabam de infidelibus Japoniæ & Chinæ, nec non de Hæreticis Galliæ, Angliæ, & Germaniæ, atq; id peto quàm frequentissimè à Domino.

Alio die me Dominus de nomine vocavit, dixitq; mihi: Audis, Anima? Respondi: Ità, Domine. Subjecit Dominus: Vísne venire mecum? Ità, Domine, ajebam ego. Tum Dominus: Ibísne, quò te ego duxero? Respondi: Ità, Domine. Quare Dominus me subitò secum univit, unione quâdam admirabili, duxitq; me unà ad quendam locum, ex quo mihi totum mundum valde clarè ac distinctè ostendit obiter lustrandum, & dixit mihi: Vidésne ibi Galliam, Angliam, Turciam, & reliquas mundi partes, ac Provincias, quæ sunt destitutæ Fide. Dic mihi modò, quàm ex his Provincijs velis, ut illam in tui gratiam convertam ad fidem? Ego respondi: Vellem, ut omnes te cognoscerent & amarent. Dominus autem respondit: Hoc non est congruum meæ Justitiæ: dic, qualem ex ijs velis? Ego quamvis oculis meis obversaretur Gallia, nihilominus oravi pro Anglia, & dixi: Domine, Angliam. Dominus mihi respondit: Hæc Regio non est ad id disposita; significando mihi, magnam nunc viventis Regis Angliæ improbitatem. Nihilominus mihi Dominus dixit, futurum, quod petebam; non hac tamen ætate, sed aliâ. Ego reposui: Semper Tua Majestas mihi dicit, se facturum ea, quæ ego non sum visura. Memineram enim mihi à Divina Majestate fuisse dictum aliquid aliud hujusmodi. Dominus autem mihi dixit, ita expedire, ut non videam quædam, quæ Divina ejus Majestas mihi dicebat, sed ut videam alia: atq; sic futurum cum Anglia, quæ secuturis ætatibus esset convertenda, non expresso ullo certo tempore; quòd id non esset eventurum in vita hujus Regis, modò regnantis.

§. IV.

A*Dmirabilior, magisq; obstupescenda fuit sequens visio:* Dum agerem, *inquit*, cum Domino, ostendit mihi eclipsim solis & lunæ, quæ significabat ipsummet DEUM iratum & offensum; & quosdam Angelos, qui quodammodo discutiebant illas tenebras, ut una pars solis aliquantùm clarescceret. Subitò autem quædam nubecula obumbravit Solem, & orta est ingens tempestas pluviæ, grandinis, tonitruorum ac fulminum decidentium ex Cælo super mare, & multas naves, ac homines, qui ipsis vehebantur, quas comburebant ac submergebant. Et multi ex illis hominibus ruebant ad Infernum, alij verò deveniebant ad Purgatorium; id quod mea anima spectavit cum ingenti afflictione ac dolore, implorando Divinam miseri-

cordiam. Deinde vidi Christum Dominum affixum Cruci, quasi in aëre, inter Cælum ac terram, & veluti imminentem illi procellosæ nubi, quæ significabat Justitiam DEI punientis eos homines, quemadmodum luna eclipsata similiter repræsentabat Justitiam DEI, relinquentis in obscuritate ac tenebris multas animas, propter ipsarum peccata: Angeli DEI, illâ discussione tenebrarum significabant, se voluisse suâ intercessione placare iram DEI, sed tandem, etiamsi aliquid profecerint, non tamen tantùm, ut cohiberent impetum Divinæ indignationis. Atq; ipse Filius DEI exhibens suo æterno Patri, in illo mysterio, ea, quæ passus est in Cruce pro peccatoribus, licèt sit eorum advocatus, nihilominus propter malam ac perversam dispositionem animarum, non potuit efficere, ut DEUS remitteret rigorem suæ iræ, eò quòd jam ità essent res comparatæ, ut non posset ampliùs desistere ab exercenda justitia, & à concedendo loco Divinæ indignationi. Omnia ista manifestavit DEUS meæ animæ.

Posthoc me duxit DEUS ad cælestem Jerosolymam, & constituens me in suo conspectu, mihi dixit: Nunquid vidisti, & intellexisti, quod contigit? Tu, pro tua charitate, omnia facis, acsi te aliquid horum concerneret, quia commiseratione tangeris, ac doles, propter afflictiones & mala aliena, quasi propria, ideóq; affligeris ob peccata proximorum, & intercedis apud me pro ipsis, acsi essent tua, atq; eodem modo gaudes & recrearis alienis bonis. Jam ego te, ex mea bonitate, útq; tibi ista compensem, volo exornare duplici veste; unâ albâ, quæ significat gaudium de bonis alienis, & aliâ rubrâ, pretiosâ, splendidâ, quæ repræsentat afflictionem ac dolorem, quem sentis propter damna & mala aliena. Atq; hoc dicto, induit Dominus meam animam imprimis veste albâ, ac tum rubrâ, quæ tota resplendebat, & erat exornata pretiosis gemmis. Deinde accepit Dominus, unáq; omnes tres Divinæ Personæ, quandam grandem catenam auream splendidam, quam, ubi triplicatam circumposuisset meo collo, intuitus est amanter & benignè meam animam, dixítq; illi: Bene tibi congruunt hæ vestes, & appares sponsi manu ornata ac vestita: deducam te modò ad thalamum, donec adveniat dies nuptiarum celebrandarum, in nunquam terminanda æternitate. Tum me Sancti Angeli statim deduxerunt in meum locum. Postquam mihi fui reddita, dixi magno affectu: Aliâ vice, mi DEUS, ac Domine mi, quando tu exeres tuam iram, sicut fecisti, ego me constituam in medio tempestatis & fulminum, brachijs quàm maximè expansis, ut pro viribus contineam, furorem tuæ indignationis; atq; id mea anima dicebat DEO cum magno dolore, & videor mihi per omnes hos dies ferre universos homines, quasi incumbentes humeris, atq; sub meis brachijs, tanquam filios viscerum meorum, cupiens ipsos juvare, ac tueri ab omni malo & peccato: Verùm, quia nihil valeo, nec possum, omnia terminantur in his affectibus ac desiderijs; quamvis Dominus, ut me consolaretur, dixerit, multis à se fuisse præstitam gratiam, propterea quòd sit qui est, & ego miserabilis id ab illo petiverim.

§. V.

Suavior & gratiosior fuit sequens visio in favorem proximorum. Dum, *inquit*, (in Julio Anni 1622.) vehementer angerer & exagitarer quibusdam apprehensionibus, quibus me Dominus permisit vexari aliquot diebus, & miserabile corpus vehementer esset confractum ac afflictum doloribus, alloqvutus est Dominus meam animam peramanter & benignè, compatiénsq; mihi, propter meos dolores, ac internas afflictiones, dixit: Anima mea, quid habes? quæ causa est tui doloris & afflictionis? requiesce modò in me, & cessent tuæ afflictiones, quia non habes, cur affligaris, néq; ullam rationem, ob quam angaris. Considera, quid à me velis, & pete à me, quod volueris. Audiens mea anima hæc Divina verba, fuit repleta summo

mo ſolatio & gaudio, atq; rapta eſt quaſi in ecſtaſim, ac unita ſuo DEO; ubi verò ſibi aliquantùm eſt reddita, priuſquam eſſet præparata, vel ſciviſſet, quid eſſet petitura à ſuo DEO, incepi altâ voce dicere: DEUS mi, & Domine mi, ac omne bonum meum, quod mihi à te peto dari, quódq; mihi debes concedere, eſt, ut impertiaris tuam ſanctam Benedictionem, ex tua infinita bonitate, omnibus, qui ſe mihi commendaverunt: néq; aliter ullo modo fieri oportet, ſed neceſſe eſt, ut ipſis bene preceris. Et cum eo fervore ac affectu expandebam mea brachia, valdéq; procul in altum elevata clamabam & dicebam: Filij mei animæ meæ, (quod aliàs nunquam dico) venite huc, quàm citiſſimè, nolite morari (& advocabam illos manibus,) ut ſuſcipiatis benedictionem veſtri magni DEI, ac Domini. Ad hanc invitationem & vocem meæ animæ veniebant omnes celeriter, cum ſuis Angelis Cuſtodibus, qui ipſos adducebant. Agnovi quosdam ex illis, qui advenerant, & ſimul ſumpti erant plures, quàm ut poſſent locum habere in aliquo magno templo. Cùm viderem omnes illas animas circa me, & coram Chriſto Domino, affluebam ingenti ſolatio, & proſtrata ante ipſius Majeſtatem, repetebam meam petitionem, ac dicebam: Vidésne eos hîc, mi DEUS ac Domine; da illis benedictionem. Audivit me Dominus perquàm amabiliter, ac amænum exhibendo ſuum Divinum vultum, & amantiſſimè, graviſſimèq; his meam animam eſt alloqvutus Divinis verbis: Quid eſt hoc, Anima? quis te huc adduxit, cum iſta vehementia, tam ferventium affectuum? quid vis, & petis? quieſce jam, neq; ſis ità præceps, & attende bene, quid petas: volo enim tibi dare tempus loquendi. Ad hæc dicta, tam divina & mirabilia, quibus DEUS meam animam fuerat affatus, ipſa pro ſuo fervore reſpondit: DEUS mi, & Domine mi, ego bene ſcio, quid petam: eſt enim, ut, pro tua infinita bonitate & miſericordia, impertiaris tuam ſacram benedictionem omnibus iſtis animabus, quæ hîc adſunt, in Divino tuo conſpectu. Bene dicis, Anima, (ajebat Dominus) ego quæro, an fortè ſcias, ipſas omnes habere diſpoſitionem requiſitam, ut illis præſtem iſtam gratiam, & miſericordiam, quam tu petis? mea anima reſpondit: Mi Domine, non habes, quod opponas meæ petitioni, hanc enim gratiam hodie infallibiliter à te præſtari oportet, propter tuam bonitatem & miſericordiam. Tum mihi dixit Dominus: Viſne forſitan, ut transgrediar leges, jam inde à mea æternitate conſignatas in tabulario meæ Sapientiæ ac Divinæ Juſtitiæ, quas nequeo præterire? nimirum, creaturam debere eſſe diſpoſitam meâ gratiâ & auxilio, ut ipſi conferam novas gratias ac miſericordias, & illa eaſdem à me ſuſcipiat. Etiamſi enim mea potentia ſit infinita, quà poſſum facere omnia, quæ volo; leges tamen meæ ſtabilitæ ſunt, quales eſſe dixi. Quid reſpondes ad hoc? Quando mea anima audivit iſta dicentem ſuum DEUM, proſtravit ſe & obmutuit, neſciens quid diceret, atq; ùt erat attonita ac obſtupefacta, aſpiciebat quaquaverſum, ubi eſſent ipſius Sancti Angeli, ſed ipſi tacebant, & nihil loquebantur. Interea mea anima abrupit ſilentium, & cum magno fervore ac vehementia dixit ſuo DEO; Domine mi, & DEUS mi, bène omnia dixiſti; verumtamen ego me ijs non implico, neq; illa cupio intelligere, & nolo aliud facere, quàm conijcere oculos in tuam infinitam bonitatem, potentiam, & ſapientiam ac miſericordiam: cæteroquin potes facere quidquid vis, quódq; eſt conforme tuæ ſanctiſſimæ Voluntati. Hoc ego arripio, & huc recurro, neq; aliud quidam ſcio. Domine mi, rogo te per temetipſum, ut in mei gratiam bene preceris omnibus iſtis hominibus; & interea vocabat omnes celeriter dicendo: Venite citò filij mei, ad ſuſcipiendam benedictionem noſtri DEI. Audivit Dominus hos meæ animæ ardores diu, & cum ſumma complacentia atq; gravitate, ac dixit: Verè es valde fervens, Anima mea, & conviciſti me, ideóq; quàm promptiſſimè, & libenter volo facere, quod à me petis. Statim autem atq; hoc dixit Dominus, omnes illi Sancti Angeli præ-

ſentes inchoaverunt quandam Divinam & cæleſtem muſicam, atq; paulò poſt ceſſaverunt, ac tum Majeſtas JESU Chriſti, Noſtri Domini DEI & Hominis veri, cum ſumma authoritate dedit tres benedictiones omnibus ijs animabus, quæ aderant, dicendo latinè: Benedicat vos omnipotens DEUS Pater & Filius, & Spiritus Sanctus. Et omnes illi beati ſpiritus ſuo cæleſti cantu reſponderunt: Amen. Deinde ſurrexerunt omnes eæ creaturæ, quæ ſe proſtraverant, ut ſuſciperent benedictionem ſui DEI, & fuerunt abductæ à ſuis Angelis Cuſtodibus, qui ipſas adduxerant ad ſuſcipiendam illam gratiam DEI. Ego manſi in magno raptu, & quando ad me redij, reperi me pleniſſimam ſolatio, agebámq; magnas gratias DEO, pro omnibus operibus ipſius ac miſericordijs. Ipſe ſit benedictus in æternum, Amen.

Alio die manè, dum quaſi eſſem immemor præteritorum, mihi loquutus eſt Dominus, ac dixit: Anima, quid faciunt illi homines, quibus te procurante & petente bene precatus ſum? quid egiſti cum ipſis? Quia eram diſtracta & abrepta, audiebámq; Dominum, reſpondi: Domine, neſcio quid actum fuerit; tu id ſcis, mi DEUS, tu omnia nóſti. Invigila illis, & conſerva mihi ipſos, ac da ijs maxima auxilia; & erām quaſi confuſa. Videns me Dominus ità conſtitutam, dixit mihi quàm benigniſſimè & amantiſſimè: Ecce, volo tibi dicere, quid agatur. Scias velim, ab omnibus illis animabus me fuiſſe ardenter & inſtanter rogatum, ùt propter tua merita ac dolores, illarum miſererer, ijsq; ſuccurrerem.

Dum id mea anima audiret dici à ſuo DEO, fuit vehementer turbata, ac dixit: Quid eſt hoc, mi Domine, & DEUS mi? ego non habeo ulla merita, ſed multa delicta & peccata, quæ commiſi coram tua Divina Majeſtate: neq, præſtiti quidquam tibi gratum, ac proinde propter tua ſacratiſſima merita ipſis præſtabis gratiam & miſericordiam, proptérq; tuam infinitam bonitatem. Bene habet, Anima (dixit Dominus) ego tamen cogito facere, quod à me petunt, ac poſtulant iſtæ animæ, ad eum modum & finem, quo id à me petunt. Rurſum replicui cum dolore dicendo; nullâ ratione ſic fieri debere, ſi quidem id ipſis nihil poſſet prodeſſe. Dominus autem reſpondit: Veni huc Anima, quare conſternaris & miraris tantopere, à me propter te fieri id, quod à me petunt, cùm tot jam annis, ſicut ſcis, te detineam in craticula S. Laurentij, & alijs multis doloribus atq; afflictionibus? Noli adeò conſternari, quia & hoc, & multò plura faciam, ac facere cogito, propter te. Erant incredibiles affectus, quos tum ſenſi, doloris ac amoris DEI, cujus infinitam bonitatem in communicando ſe taliter ſuis creaturis admirabar.

§. VI.

Verùm ne propter ſuos timores intermitteret agere quod agebat, dum hæ infirmitates pateretur, voluit illi DEUS exhibere iſtam viſionem (in Auguſto Anni 1619.) Arripuit, *inquit*, me Divina Majeſtas quodam die in brachio, & traduxit per quendam exiguum ac demiſſum ignem: atq; in eo tranſitu ſenſi quaſi languorem, ſeu difficultatem quandam reſpirandi, qualis ſentiri ſolet aliquo die æſtivo ſupra modum calido, neq; ſum experta majorem moleſtiam, quàm iſtam; & DEUS me duxit ad hortum ſui cordis, ſeu pectus Chriſti JESU Domini Noſtri, ubi fui ſummè recreata & confortata. Sequenti die Divina Majeſtas idem fecit, ſed ſenſi in igne majorem moleſtiam, ac deinde in illo Divino pectore majus refrigerium, & majus ſolatium. Tertiâ die fecit Divina Majeſtas ſimiliter, quo ſum experta majorem difficultatem intra ignem, atq; etiam multò majus gaudium, ſolatium & recreationem in eo Divino horto Divini pectoris, non absq; ſpeciali ejusdem agnitione. Poſtea me intromiſit Dominus in ſuum Divinum Eſſe, ubi fui ſubmerſa, in illis Divinis tenebris ipſius Divinitatis. Non poteram intelligere, quid ſignificaretur eo myſterio, & cogitabam, an non fortè me vellet Dominus transferre ad ſe, atq; myſterium ſignificaret,

ret, me ituram ad Purgatorium, ut ingrediar Cælum cum ea puritate, quæ talem locum decet. Dominus autem mihi dixit: Quid agis, Anima? deniq; tu propter tuos timores, tibi semper imaginaris molestiora. Non est, quod cogitas. Istud mysterium significat, te his diebus magis esse occupatam cum proximis, quàm aliàs, ex mea voluntate: & qvamvis cum ipsis pertranseas ignem, ego tamen te semper duco, sustinendo tuum brachium, neq; te derelinquo, ac deinde te pono intra meum pectus: atq; quando vel maximè times, etiam tunc te meâ manu sustento, nec te desero, sed neq; deseram, donec te ex meo pectore deducam ad meam æternitatem. Noli metuere, quia, me adjuvante, quæcunq; egeris, bonum habebunt exitum. Hæc est significatio istius mysterij. Fui magnopere exhilarata, & gratias egi DEO pro omnibus.

CAPUT XI.

De charitate, quâ procuravit conversionem quorundam peccatorum, exhibendo se promptam, ad tolerandos pro ipsis graves cruciatus: & quomodo illi DEUS promiserit, quòd esset conversurus quemlibet, pro quo ipsa apud eum, die Sacræ Communionis intercederet.

Descendamus ad particularia. Demonstravit Marina suum ardentem zelum, quando se illi commendabant peccatores. Et quamvis ipsa neminem suspicaretur, versari in malo statu; si quis illum tamen ei indicabat, succurrebat ipsi pro viribus.

§. I.

Sub ipsa initia illi accidit, ùt D. Aloysia de Padilia, Comes S. Gadeæ illam secum Empudiam ad paucos dies duceret, pro suo solatio, & D. Martini de Padilia sui mariti, qui erat ejus loci Gubernator. Habebant domi suæ quoddam mancipium, Maurum pertinacissimum in sua secta, ac aversissimum ab ingressu templi. Quod cùm ipsa resciviſset adibat cum una socia locum, in quo ille distinebatur eluendis pannis (erat enim lotor) & loquebatur cùm eo quàm suavissimè de rebus, concernentibus ipsius animam. Dum pro illo oraret, incepit durum cor Turcæ emolliri, qui, DEO disponente, quâdam nocte somniavit, quòd prætereiens aliquod templum, viderit apertam portam, & intus in throno habente gradus, venerabilem quendam virum, (descripsit ipsum tali indutum vestitu, quali hic consueverunt uti Episcopi) qui illum vocavit, dicendo ipsi: Martine, ascende huc. Ille verò respondit: Ego non vocor Martinus, sed Ali, & non sum Christianus, neq; ingredior templa. At Sanctus dixit: Debes ingredi templum, ac vocari Martinus (fortè, quia ipsius Dominus, ille Gubernator, ità vocabatur) & accedens compulit ipsum ingredi, adactum ictu, quo & accedens illum percusserat. Recensuit hoc somnium famulæ DEI, atq; sic, demum animum ad fidem adjecit, & est adnumeratus Christianis.

Deinde, cùm ægrotaret, simile quiddam evenit cum alijs duobus Mauris, mancipijs Comitissæ de Alcaudete & ipsius Filiæ, quos ea Domina ad illam miserunt, ut ei quædam nunciarent, & ipsa inde sumeret occasionem, cum illis agendi, de eorum conversione, quod fecit. Et conversi sunt, dicente uno, quòd somniaverit, dictum sibi fuisse, à quodam valde venerabili Viro: Joannes Baptista, adverte, non posse quenquam salvum fieri, nisi in-

in lege Christianorum. Et credibile est, eos habuisse hæc somnia, per intercessionem hujus famulæ DEI, quæ ipsos juvabat ac disponebat, ut in illis id efficerent, quod optabat, quemadmodum intelligemus ex sequenti narratione.

§. II.

Longè verò magis elucescit, quantus fuerit hic ipsius zelus, & furor Diaboli, illam persequentis, ex eo, quod ipsa sic refert: Dum paterer notabiles afflictiones, offerrémq; me, ad sustinendas alias, ut benè esset animabus, rescivi gravissimum periculum, in quo persona quædam magnæ authoritatis versabatur, quoad animam, honorem & facultates, quod illâ ipsâ volente intellexi, dum instantissimè peteret commendari per me DEO, ut eam liberaret ex illis periculis, si esset sanctissima ejus Voluntas, salvarétq; ipsius animam. Dedit mihi Dominus tantas vires & eum fervorem, dum orarem pro hac necessitate, ùt ultra sex aut octo dies, continuè egerim cum DEO, petendo ab eo illius remedium, neq; toto hoc tempore potuerim desistere, vel quiescere, donec intellexissem ab ipsamet ea persona bonum successum, quem ex Divina bonitate & misericordia habuerant ejus negotia. Priusquam autem id rescirem, dixi quadam nocte meo Domino, inspirante id mihi ipsiusmet Majestate, me, si pro bono hujus animæ opus esset, vel Divina Majestas vellet, & in eo sibi complaceret, ut ego ipsi ex mea parte offerrem aliquid acerbum ac difficile, id facturam pro bono ejusdem animæ; sed cùm pars inferior nonnihil naturaliter abhorreret ab ista oblatione, vellémq; nihilominus, ac desiderarem id facere, dixi animo obfirmato ad Dominum, ut ejus Majestas decerneret, quidquid ipsi placeret, à me fieri, vel tolerari in isto negotio, me enim id ex hoc momento quàm libentissimè acceptare. Audivit me Dominus, suâ solitâ gravitate ac sapientiâ, nec mihi quiddam respondit, sed quasi tacendo acceptavit meam promptitudinem. Istâ occasione diabolus, sciens aliquid de ijs, quæ agebantur (ùt deinde intellexi à Domino) dixit Divinæ Majestati: Etsi istam creaturam, quæ sibi promptam exhibuit ad patiendum aliquid pro juvanda illa anima, quam novisti, verum sit, multis jam diebus pati graves dolores morborum, nunquam tamen mihi tam amplam facultatem tribuisti ipsius affligendæ, quàm ego vellem. Nunc tibi decernendum reliquit, quid eam velis tolerare pro bono illius animæ. Cùm libenter velit pati, quidquid Tu volueris, & quævis anima sit tam pretiosa, tantóq; Tibi Domino Majestatis cõstiterit, æquum est, ut pro ista creatura, quæ petit bonum hujus animæ, si illi præstiturus es hanc gratiam & misericordiam, deligas ac decernas graves dolores & cruciatus, atq; ego sim executor illorum ac minister, ut ità Tua magna Majestas videat, quomodo se gerat in majoribus afflictionibus, crucibus ac tormentis, & si à te derelinquatur; utrùm etiam agat fideliter, téq; amet, ac tuæ voluntati se submittat, sicut in alijs hactenus fecit. Audivit Dominus dicta à diabolo, qui solet fusè admodum loqui, & multum blaterare, quando aliquid proponit, id quod facit fraudulenter ac malitiosè, & interdum videtur proferre grandia oracula, postea verò prolata confundit ac destruit, ut videatur nec se ipsum intelligere, néq; dicere intelligibilia. Iste solet esse ipsius modus loquendi. Divina verò Majestas illi respondit uno verbo, tantúmq; dixit cum magna authoritate & Majestate: Abi, & perge: Ecce enim concedo tibi, quod à me petivisti. Hoc audito abivit diabolus ex conspectu Domini contentissimus. Ego autem, quæ hac de re nihil sciebam, sicut dixi, nihílq; tale cogitabam, incepi quodam die Veneris, sub vesperum, sentire dolores acerrimos, præsertim in tribus corporis partibus, qui usq; adeò intendebantur, ut horâ secundâ noctis mihi videretur intra corpus meum inclusus esse hostis quispiam armatus, fodicans aliquo telo, ac vulnerans dictas partes, unde vehementissimè discruciabar, ut me putaverim disrumpendam, acsi immersa essem aquæ; neq; potuerim

potuerim jacere, vel me erigere ullo modo in lecto, quia mihi videbantur in ipso, & supra illum, ac ubiq: esse quædam quasi acutissimæ cuspides, compungétes & affligentes totum meum corpus. Testes hujus rei fuerunt meæ sociæ, quæ propterea, quòd tantus esset cruciatus, mihi adstiterunt totâ nocte. Hæc enim res duravit usq; ad meridiem Sabbathi; alij verò immanes dolores duraverunt circiter quindecim diebus, non tamen absq; aliquanto majore lenimine. Sustinui illud tormentum, conformando me cum Divina voluntate, quæ erat ipsiusmet DEI bonitas ac misericordia, etiamsi multos committerem defectus, quos quavis occasione committo. Et quia ignorabam, quemadmodum jam dixi, dispositionem Divinam, quidve actum fuisset cum diabolo, attribuebam partem ejusdem cruciatus causis naturalibus; quamvis etiam animadverterem à diabolo magis exacerbari dolores, quos patiebar, ipsúmq; adlaborare & cooperari, ut eos sustineam.

Post elapsos quatuor vel sex dies, ab his vehementioribus doloribus, quodam die nihil minùs, quàm tale quid cogitans, conspexi diabolum, in specie nigri ac deformis pusionis, qui se exhibebat valde humilem, & provolutus erat in genua, atq; junctis manibus, afflictus, confusus ac tristis coram Christo JESU Domino Nostro; hic autem sacratissimus Dominus, quodam gravissimo modo, ac terribili, & cum magna Majestate illi dixit: Ades inimice; quid tibi nunc videtur, de illa mea creatura, quam, me permittente, tantopere afflixisti, & excruciavisti? reperistíne quidquam in illa, quod optaveras, animóq; tuo conceperas? responde, dixit Dominus. Et diabolus respondit timidâ ac tristi voce: Magne Domine, non reperio, quid dicam Tuæ Majestati; nihil inveni culpabile, neq; potui quidquam efficere: quia ista creatura, à te adjuta, in his cruciatibus, quibus ipsam, te permittente, fui conatus affligere, se gerebat eo modo, quo Tua Majestas se gessit, in oratione & agonia horti, spiritu prompto & resignato in Divinam voluntatem, quamvis infirma esset caro. Tum dixit Dominus: Ità fuit, proditor; vade, apage, & auferte ex meo conspectu. Hoc audito, diabolus se inde proripuit vehementer pudefactus & confusus, atq; tunc rescivi à Domino, quod dixi de facultate, quam diabolus, occasione illius animæ, ab ipso petiverat, & quomodo eam ipsi concesserit, nec non, quid tum acciderit.

Ex hac visione animadverti potest, quomodo ignis tribulationum, quem diabolus succendit, contra eos, qui incumbunt in conversionem animarum, illis non obsit, quia ipsemet DEVS illos liberat ac protegit juxta suam promissionem, commemoratam in fine præcedentis Capitis.

§. III.

VErùm ulteriùs est progressa infinita hujus Domini liberalitas, in remunerando zelo istius suæ famulæ, dum illi præstitit duplicem eximium favorem, qui erat accommodatissimus ipsius sancto desiderio. Postquam (in Decembri Anno 1618.) *inquit*, diu familiariter egissem cum Domino, vidi de Cœlo descendentes plurimos Angelos. Incepi statim timere, meo more, petendo à Divina Majestate lumen pro agnoscendis ipsius veritatibus; útq; id meliùs facerem, aggressa sum attentè recitare quasdam preces vocales. Dum eas dicerem, fui abstracta à sensibus, ità ut, contemplando dictum mysterium, illas non possem prosequi. Et subitò conspexi oculis animæ descendentem ex cœlo Majestatem Christi Domini graviter, & cum magna Majestate. Pervenit usq; ad terram, & postquam consedisset in quodam eleganti throno, non longè à me, Domini mei Angeli appropinquantes mihi dixerunt: Accede, Soror nostra, & adorabis Dominum, videbísq; mirabilia, quæ tibi Divina Majestas pandet: ac tum me humiliatam collocaverunt ad pedes Domini, atq; mea anima summâ & arctissimâ unione fuit conjuncta suo DEO, & tangebam inclinato capite genu Domini. Mansi hoc modo aliquandiu, & mei Domini Angeli metuentes, ne mea natura debili-

debilitaretur, veniebant ad me, volebántq; me exsuscitare. Dominus autem dixit bis: Permittite illam modò in me requiescere. Paulò pòst cecidi prostrata in terram; unde me elevaverunt mei Sancti Angeli, quasi mortuam, aut viribus destitutam, qualem me ipsamet agnovi, & reposuerunt me in meo loco, ubi statim conjectis oculis in Dominum, vidi, quòd Divina Majestas suo illo sacratissimo modo gravi vocaverit unum Angelum, & indicando ipsi digito in quadam charta, seu membrana candidissima literas quasdam Divinas & arcanas, dixerit, quid ei esset legendum, ac propalandum coram ipsius Majestate, & omnibus ijs sanctis Angelis. Angelus suscepit scriptum perquam reverenter, & transiens ad alterum latus Domini, petivit attentionem ab omni illa præsentium Angelorum multitudine, legensq; illud cum reverentia & admiratione, ità dixit: Noverint omnes beati Spiritus & Angeli DEI præsentes, quòd noster magnus DEUS ac Dominus Majestatis, quia est, qui est, præstet gratiam & misericordiam huic præsenti Animæ, concedendo ipsi denuò Indulgentiam plenariam, & remissionem omnium ejus peccatorum, quotiescunq; sumpserit Divinum Sacramentum: atq; si eo die intercesserit apud DEUM, pro quapiam anima existente in peccato mortali, hunc illi exhibet favorem & gratiam, quòd ipsam sit liberaturus ex malo statu, daturúsq; illi talia ac tanta auxilia, ut consequatur suam salutem. Postquam hoc legisset, complicuit suam chartam, & transivit ad locum, in quo priùs fuerat. Tum Dominus Majestatis surrexit, & intuens me peramanter ac misericorditer Divinis oculis, dedit mihi suam sacro-sanctam Benedictionem in nomine totius Beatissimæ Trinitatis, dixitq; mihi: Anima mea, vale, & dic mihi, an modò affluas solatio? Ego humi prostrata, ipsum laudabam ac benedicebam, propter omnia opera ejus ac misericordias, rogabámq; illos sanctos Angelos, ut idem facerent. Post hoc Dominus incepit abire, eo modo admirabili, quo advenerat. Dum illum viderem abeuntem, incipiebam dolere, ac dicebam anhelans: Noli discedere, dilecte meæ animæ, & Domine mi, noli discedere duc me tecum, nec enim hîc possum manere, neq; mihi est hîc manendú, Domine mi. Ad has voces substitit Dominus, & conversus non nihil ad me, dixit mihi quàm amantissimè: Quid vis, Anima? Tecum ire, Domine, ajebam. Sit ità, licèt, respondit Dominus, & præcepit meis Dominis Angelis, ut me ducerent cum Divina ejus Majestate; verùm illi reluctabantur, & respondebant Domino dicentes, naturam debilem multùm passuram in hoc assensu. Tunc meus Angelus Custos dixit: Dominus ipsam confortabit, ducamus illam. Dominus quoq; me subitò jussit duci. Abivit anima mea cum Domino, plena solatio: sed postquam pervenit ad altitudinem Cælorum, Dominus illos permeavit, quos mea anima volebat similiter pertransire, sequendo Dominum, verùm non potuit. Fuit autem ipsi exhibita, nescio qualis, Majestas DEI, quam nescio verbis exprimere, eò quòd tanta fuerit: & erat adeò insveta anxietas, quæ ex illo spectaculo redundavit in naturam, ut gemens ac suspirans existimaverit, se ibi viribus destituendam: statim autem ipsam acceperunt illi Sancti Angeli in suas manus, & reponentes me in meo loco, dixerunt: Quiesce, Creatura DEI, es enim confracta ac debilitata. Et verò ità prorsus fuit, nam eram vehementer conquassata.

In hac visione est valde ponderanda conjunctio harum duarum insignium gratiarum, quia Indulgentiæ plenariæ significant, illos, qui satagunt, ut convertantur peccatores, obtinere à DEO remissionem suorum peccatorum; & promissionem de illis convertendis, esse præmium eorum, qui in hoc negotio sunt magno præditi zelo, ut consequantur suos fines, favente ipsis DEO, qui eos juvat, & per ipsorum verba, propterq; illorum preces, movet voluntatem peccatorum, cujus rei deinceps videbuntur plura exempla.

§. IV.

§. IV.

Sed non hîc desiit inchoata visio. Paulò, *inquit*, pòst, mei Angeli circumdederunt lectum, quasi expectarent aliquid insolens, quod facturi essent diaboli. Et vidi unum totum ardentem, cum tympano quodam rauco, quem sequebantur alij duo gestantes vexilla, quæ raptabant per terram, & post hos magnam turmam diabolorum vociferantium ac tumultuantium. Ferebant in sandapila, seu medio feretro mortuali, quendam defunctum involutum linteo, cujus facies patebat; reliquum autem corpus erat coopertum bufonibus, lacertis, & similibus reptilibus; in anteriore autem feretri parte erant insignia officij, quod gesserat. Feci quantum potui, ne illum aspicerem, videbar enim mihi eum agnitura, si ipsum intuerer, & nolebam illum agnoscere. Hoc modo me præteriverunt, & discesserunt procul, quoadusq; ipsos non ampliùs viderem. Intellexi, quòd mihi DEUS voluerit exhibere istud spectaculum, ut intelligerem quanta sit miseria animæ damnatæ, quantúmq; mihi beneficium præstiterit, concedendo mihi, ut converteretur anima existens in peccato mortali, pro qua apud illum intercederem, ut animarer ad orandum, pro talibus animabus.

Post paucos abhinc dies, vidi venientes multos homines, gestantes lumina, ac adferentes alium, quasi destitutum viribus, aut media ex parte incumbentem brachijs; quem, postquam fuissent ingressi meum cubiculum, magis agnovi, esse illum ipsum, qui à me priùs fuerat visus. Procubuit pronus humi, mordendo terram præ indignatione, & erecto ad me capite dixit: Serva DEI, miserere mei, quia secundùm præsentem justitiam, sum damnatus ad Infernum. Postquam id dixisset, venit quidam proceræ staturæ & ferox diabolus, atq; arreptum per pedes, raptato humi ejus capite, abstulit. Ego faciebam, quantùm poteram, ne id viderem, ac ne suspicarer, illum hominem, quem noveram, existere in malo statu, verténsq; me ad meos Dominos Angelos, dixi illis: Domini, quid est hoc? quis mihi attulit hunc hominem. Responderunt mihi: Angelus ipsius Custos, DEO permittente. Reposui: Quis autem protulit illa verba? Tum contraxerunt humeros, & noluerunt mihi respondere.

Non retulit Marina finem tam horribilis casûs, & est sedulò expendendum, quòd, etiamsi tanto esset prædita zelo conversionis peccatorum, promisissétq; ipsi DEVS prædictam gratiam, tamen non fuerit permota ad petendam conversionem hujus peccatoris. Fortè ideo, quòd, dum Divina Majestas firmiter decernit, punire quempiam obstinatum peccatorem, aufert suis servis vehementes impulsus, ad orandum pro eo juxta illud, quod dixit Prophetæ Jeremiæ: Noli orare pro populo hoc, quia non exaudiam te. *Et prædicta promissio intelligitur de hujusmodi oratione, quod illi declamavit aliàs, dando ipsi clavim, quæ significabat facultatem obtinendi, quidquid peteret, ùt suo loco dicetur.*

CAPUT XII.

Quomodo ipsi DEUS manifestaverit pericula & necessitates quarundam animarum, ut illis subveniret suis precibus ac monitis, docuerítq; illam, quæ ipsis essent dicenda.

EA erat aliquo tempore specialis DEI zum, ut suæ famulæ inspiraret, eámq; instrueret, quid dicere proximis, & quibus de rebus monere deberet eos, qui se ipsi commendabant. Aliàs autem illi etiam manifestabat pericula & necessitates nonnullarum animarum, ut pro ijs oraret, & impediret pœnas ipsis imminentes. Ex his omnibus recensebimus & adferemus quædam insigniora & utiliora, quibus nullum subest periculum, deveniendi in cujusquam notitiam.

§. I.

IN primis, *ait ipsa*, quia me quàm timidissimè gerebam conversando cum proximis, eò quòd essem fœmina, mihíq; conscia meæ fragilitatis ac miseriarum, vidi quodam die (in Septembri anni 1602.) Christum Dominum, qui habebat librum, seu quandam adumbratam imaginem in suis manibus, quam Divina Majestas inspiciebat, & volebat à me inspici, ut in ea lineari, seu umbratili pictura intelligerem omnia, quæ in me DEUS intuebatur ac videbat, mihi fuisse âb ipsomet data & collata, esseq; illius opus, id quod me animavit, affecitq; solatio, & hic animus augebatur experientiâ eorum, quæ mihi contingebant in ista conversatione: sæpè enim mihi DEUS manifestabat supernaturali lumine malum statum, vel periculum eorum qui mecum loquebantur, atq; ego illos juvabam eo modo, quem mihi Divina ipsius Majestas suggerebat: aliàs autem mihi dicebat, hos vel illos, si eos alloquerer, convertendos, aut adjuvandos; incitando me, ut conarer ipsos alloqui: interdum mihi dicebat monita, quæ illis deberem dare, & jubebat me ea ipsis intimare adeò manifestè ac potenter, ut non possem aliter facere, nisi vellem præterire DEI voluntatem, à quo mihi indicabantur, quamvis id semper fecerim cum aliqua repugnantia meæ naturalis verecundiæ, atq; petito consilio à meo Confessario.

Aliquando Pater quidam spiritualis me rogavit, ut commendarem DEO quandam personam, cujus ipse excipiebat confessiones, & de qua erat magnopere solicitus, eò quòd haberet quædam insueta & sublimia, quibus metuebat, subesse illusionem ac deceptionem Satanæ, qui se transfigurare solet in Angelum lucis. Feci, quod mihi dixerat, tam solicitè, ut mihi illam personam in eo periculo constitutam semper viderer gestare in humeris, & quotiescunq; illam videbam, vel DEUS mihi ipsam repræsentabat, dicebat mihi: Adverte hîc esse deceptionem. Videbatúrq; mihi eandem subinde exhibere, ac si mihi aperiret illius conscientiam, eámq; mihi manifestaret. Ego vehementer timebam, ne esset diabolus, qui me vellet circumvenire, & dicebam DEO, me nihil vélle scire de ea persona, præterquam ut, si esset illusa, Divina Majestas ipsam illuminaret, suâq; manu sustineret; quòdq; si ego aliquid possem, darem vitam meam & sanguinem pro salvanda ejus anima. Verùm DEUS, quando mihi illam ponebat ob oculos, quod sæpe faciebat, mihi dicebat: Ecce! hîc est fraus. Ego autem ei dicebam: Mi Domine, si ità est, quid vult Tua Majestas, à me fieri? Jam dixi, quòd essem datura vitam pro ipsius salute. Tu medere malo, quia potes. Post hoc mihi Dominus iterum idem dixit; addidítq;: Dic id ipsius Confessario. Ego hoc dixi meo Confessario, & feci, quod jussa eram: verùm Divina Majestas mihi iterum dixit: Dic hujus personæ Confessario, ut attendat: decipitur enim ibi.

ibi. Dixi id ipsius Confessario, qui me rogaverat, ut istud negotium commendarem DEO: Sed dixi, ut obedirem, etiamsi non absq; magna difficultate; vellem enim potiùs centies millies mori, quàm ullo modo offendere meum DEUM. Sequenti die rursum iteravit idem, addendo: Dic illi id, quia hac ratione oportet occurrere malo. Ego tergiversando dixi: Domine, dicat id ipsi Tua Majestas, ego enim non scio dare consilia. Post modicam moram dictum mihi rursum fuit: Tu dic, quod tibi dictum est. Tunc tacui, & feci, quòd absq; gravi conscientiæ remorsu non possem aliter facere.

In hac revelatione apparuit certamen duorum affectuum, qui videntur contrarij, licèt sint boni: affectus videlicet juvandi animas aliorum, & verecundia ac timor proprij damni, atq; Divinæ offensæ. Propterea non offendebatur DEVS his oppositionibus. Imò, *inquit*, me solabatur; quia cùm ego illi dicerem: Túne es Domine, qui mihi ista dicis? an verò ego decipior? illuminabat me Divina Majestas quodam lucis radio, ut clarè perspicerem, me non decipi. Dicebámq; ipsi: Domine, tu scis meam voluntatem, & quòd, si scirem, quid velles, ruerem ad illud opere complendum, etiamsi me oporteret intrare ardentem ignem. Doce me igitur, quid hac in re mihi sit agendum. Dominus respondit: Si hoc habes, atq; sentis, quare times in isto negotio quidlibet facere? Cùm autem propter meum scrupulum subinde iterum dicerem: Domine, túne es? audiebam mihi respondentem: Nescio, quid ampliùs tibi fieri debeat, ut acquiescas: nihil deest aliud, quàm ut tibi dicatur verbis sensibilibus, quo magis turbareris.

§. II.

ALiàs mihi idem Dominus manifestavit periculum animarum. Quadam vice, cùm orarem, mihi dedit DEUS clarissimum lumen, quòd in summo versentur discrimine & periculo perditionis tres vel quatuor animæ, quas pro sua infinita bonitate volebat erutas ex eo periculo, & constituere in via salutis; atq; propterea dignatus est, sicut ipse novit, illuminare meam animam, ut agnosceret istam necessitatem, simúlq; me movere efficaciter & potenter ad commiserationem, ac desiderium ipsi id succurrendi, & ad petendum ab ipso multis lacrymis & gemitibus: quia ultra quindecim dies, non potui quiescere, nec evellere ex meo corde hanc necessitatem, néq; cessare ab ab eo rogando, ut illi succurreret, donec me illuminaret, quòd jam sint in via salutis; quo intellecto fui recreata, & quievi.

Dum aliâ vice agerem cum Domino, vidi quòd vehementer irasceretur, decrevissètq; punire quendam, propter aliquod grande peccatum, ab ipso commissum, datâ occasione multis alijs, faciendi tantundem, eò quòd esset primariæ inter ipsos dignitatis, qui id perpetraverat. Querebatur Divina Majestas, & meritò, dicebátq;: Quid tibi videtur de malignitate hujus hominis, qui gratis, & sine ullo suo commodo me offendit; atq; sic mecum egit, ac si me non nôsset, nec in me crederet, & ità peccavit ac induxit alios in peccatum, ac si haberent DEUM ligneum, non videntem, nec intelligentem, neq; potentem punire ipsorum scelera. Ego verò illum graviter castigabo, quod ipse experietur. Quando adverti DEUM tantopere, & justissimè indignari, videbar mihi etiam irasci, & dixi, Divinam Majestatem jure meritissimo ità succensere: sed cùm dolerem ex animo, ob pœnam, quam volebat infligere illi miserabili, dixi secundò Divinæ Majestati: Mi Domine, propter tuam bonitatem, & per viscera tuæ misericordiæ, ignosce isti homini, nec illum tam graviter puni. Dominus autem mihi respondit: Apage, ne mihi hac de re loquaris. Ego tum conticui, quia ipsum adverti ità constitutum, ut mihi visum fuerit, non esse bonum tali tempore loqui, & usq; adeò magnâ commiseratione erat commotum cor meum, ac dolore, ut illum nesciam verbis exprimere. Tantum dicebam: O te infelicem! & cùm

non possem quiescere, denuò me converti ad Dominum, dicebámq; illi: Miserere illius miserabilis, tuo sangvine redempti. Sed ipse mihi rursum dicebat: Apage. Ego autem propter desiderium, quo tenebar, juvandæ ejus animæ, dixi: Hoc tamen, mi Domine, tibi volo dicere: Miserere animæ ipsius, propter magnam bonitatem tuam. Atq; tunc jam experiebar Dominum benigniorem, & spero ipsum fore ei propitium.

Aliàs (in Augusto anni 1601.) Dum currerent tauri in foro, & ego essem in mea collectione, fui ducta ab Angelis in spiritu ad idem forum, in quo vidi multos diabolos, qui ibi erant, ut exequerentur suum officium, referréntq; sua lucra. Postquam autem me conspexissent, valde illis id displicuit, dicebántq; sibi invicem: Hìc venit ista maledicta. Ibi mihi ostendit Dominus quandam animam, quæ eo die juxta cursum ordinarium, versabatur in præsenti periculo damnationis; & hæc fuit præcipua causa, quòd me eò duxerit, ut intellexi à meis Angelis. Statim, ac adverti tantum periculum illius miserabilis, converti me ad DEUM, orans ipsum quàm instantissimè, ut ei succurreret; ac tandem inde abivi cum magna fiducia, quòd illum esset DEUS liberaturus. Et verò non fuit rescitum, quòd eo die acciderit ullum infortunium ex ijs, quæ solent in ejusmodi ludis evenire.

§. III.

Mirabilior est sequens visio, & plena præclaris monitis, in qua ipsi fuit revelatus status quarundam personarum, quæ, sub prætextu Zeli, præbebant occasionem gravium peccatorum, ut pro illis oraret. Dum, *inquit*, egissem cum DEO, intercessissémq; apud Divinam Majestatem, pro magna necessitate cujusdam personæ, vehementer optans, ut illi DEUS succurreret, elevavit anima mea oculos, & vidit Majestatem Christi JESU Domini Nostri pendentem è Cruce. Habebat autem manum sinistram refixam à Cruce, & brachium pendulum, ac medium corpus pronum ad casum, ut Dominus videretur ruiturus in terram, cum summo suo dolore. Videns anima mea hoc spectaculum tam luctuosum, vehementissimè fuit afflicta ac indoluit; & quia putabat, suum Dominum casurum ad terram, tanta cum molestia, accurrit quàm celerrimè, volens ipsum complecti, ne caderet. Verùm Dominus videns ejus animum & conatum, dixit illi: Contine te, Anima, quid volebas facere? Propter hoc dictum Domini se continuit mea anima, & obstupuit, fuitq; rapta in ecstasim, intuens suum DEUM cum magno dolore, & compassione. Postquam ità aliquandiu mansissem, dixit mihi Dominus: Anima, vide, quàm sim afflictus, quantúmq; patiar. Depone me ex ista Cruce, & refige me ab illa; aspice, quantopere crucier. Quia mea anima fuerat territa eo, quod ipsi priùs dixisset Dominus: Contine te; quamvis modò diceret: Depone me ex ista Cruce, non fuit ausa accedere, & continebat se, etsi id desideraret. Verùm Dominus, idem mihi dixit secundò: Anima, depone me ex ista Cruce, quia valde affligor. Videns se mea anima urgeri à Domino ad id faciendum, quamvis etiam sentiret difficultatem, quòd sibi non videretur habere vires ad sustinendum illud sacrum Corpus, nihilominus accessit, & complectens fortiter suum DEUM, deposuit ipsum ex Cruce, atq; cum summa reverentia & commiseratione extendit humi in sudario, & cum lacrymis ac dolore composuit idem sacrum Corpus sui DEI ac Domini, quod apparebat exanime, & vehementer deformatum, ac lamentabile. Dissvaviabam lacrymans, & adorabam illa sacrata vulnera, ac deinde illo sudario cooperui sacrum cadaver. Postquam id jam peregissem, dixit Dominus meæ animæ: Anima mea, aufer me hinc ad sepulchrum, ubi me collocabis, & relinques. Audiens mea anima, id dici à suo DEO, qui loquebatur in sacro illo corpore, fuit solicita & anxia, quia ipsi videbatur, esse difficillimum, facere, quod illi Dominus dixerat & imperaverat, ideóq; ei respondit: Domine mi, & DEUS mi, quomo-

quomodo potero ego tam debilis & imbecillis facere, quod mihi præcipis? Aufer me hinc, Anima, ad sepulchrum, & sepeli me ibi (dixit Dominus) quia poteris. Postquam hoc Dominus dixisset meæ animæ, fuit animata & corroborata, atq; accedens ad illud sanctum cadaver, elevavit illud ex eo loco, in quo jacuerat, cum magna reverentia, tulítq; extensum in suis brachijs ad locum sepulchri, comitantibus ipsum infinitis Angelis, & in eo collocavit, ac deposuit. Quamvis autem iter fuerit longum, & sacrum corpus tam magnum, quanta erat statura Christi Domini, nihil mea anima sensit molestiæ, nec fuit fatigata. Tum dixit Dominus, postquam jam ipsum posuisset in eo loco: Anima, modò claude sepulchrum illo lapide. Anima, utpote corroborata à suo DEO, ac bene disposita, accepit statim eum lapidem facilè, imposuítq; sepulchro, & ibi procubuit osculando ac adorando illum sanctum locum. Interea vidi duos Angelos DEI, quorum alter stabat ad caput sepulchri, alter autem ad pedes. Hi Angeli mihi dixerunt: Anima, jam fecisti, quod tibi fuit mandatum, nunc vade in pace. Sed anima mea manebat immota, néq; se poterat adigere, ad abeundum ex illo sacro loco, ac deserendum suum DEUM, quem ibi deposuerat. Ipsi autem me urgebant, ac tandem mihi dixerunt: Anima, abi, neq; sis pertinax, non convenit enim te hîc diutiùs manere. Quapropter mei Domini Angeli, qui aderant, venerunt ad me, & abstraxerunt me inde, duxerúntq; eâ viâ, quâ tuleram Dominum in meis brachijs. Postquam modicùm per illam viam fuissem progressa, non absq; desiderio mei DEI, quem reliqueram in sepulchro, habui obvium Dominum, resuscitatum & gloriosum. Statim ac illum mea anima vidit, ex impulsu magni amoris & gaudij prostrata ad ipsius pedes, osculabatur illos, atq; amplexabatur cum magna reverentia & solatio suo. Dominus ipsam suscepit quàm benignissimè, & amantissimè, dicendo illi: Anima mea. Et imponendo suam sacram manum capiti ejus ac humero, dicebat ipsi: Deniq;, Anima mea, me deposuisti ex Cruce, & collocavisti in sepulchro, ferendo me in tuis brachijs, atq; nunc mihi obviavisti resuscitato, & glorioso. Deinde dixit Divina Majestas illis sanctis Angelis: Accipite istam Animam, & ducite illam ad cœlestem Civitatem, ubi quiescat & recreetur aliquamdiu. Illi id statim fecerunt, duxerúntq; meam animam ad illum felicem locum, & constituerunt ipsam in conspectu Sanctissimæ Trinitatis, quam ille Dominus amanter excepit, posuítq; in suo sacro pectore & corde, atq; in illo suo Divino penetrali ei manifestavit tam mirabilia, ut ea nec possit, néq; sciat exprimere; etiámq; tum, quando illa intelligebat, videbatur sibi ea ignorare.

Postquam ibi mea anima aliquamdiu mansisset, posuit illam Dominus in manibus Angelorum, qui ipsam prostraverunt in pavimento illius Cœli, & Majestas Christi JESU Domini Nostri, accipiens ad suam manum aspergillum, intingensq; illud mysticè in liquore, qui erat in pretioso vasculo, quod tenebat quidam Angelus, asperfit totam meam animam tribus vicibus, ex quo beneficio & misericordia percepit ingentia bona, & applicationem altissimorum ipsius meritorum, quæ nobis obtinuit suâ morte Crucis, contulítq; mihi lumen, & cognitionem infiniti valoris mysteriorum vitæ, & passionis Christi JESU Domini Nostri, ac magnorum bonorum, quæ habemus in Divina ipsius Majestate. Mea anima obstupuit talia Domini opera, & fuit attonita, ignorando eatenus, quid significarent illa mysteria.

Interea ipsi Dominus manifestavit eorum significationem, dixítq;: Anima, tu à me petivisti ac petis instanter, ut prosperè succedat negotium, quod tibi commendaverunt. Ut igitur benè intelligeres, quid hac in re fiat, exhibui tibi mysteria, quæ spectavisti. Vidisti me in Cruce tam afflictum, & uno brachio pendulo: rogavi te, ut me refigeres à Cruce, méq; sepelires, ac tegeres meum sepulchrum lapide; ut tibi significarem, quòd in ista re committantur multa peccata, méq; graviter

viter offendant, & quantum est in illis, denuò acerbè crucifigant frequentiùs, occidant, ac sepeliant. Qui verò hoc negotio distinentur, illúdq; bono zelo examinant, etiamsi mihi sic velint auferre dolorem, méq; refigere à Cruce, nihilominus me vehementer affligunt, quod significat brachium refixum, sicut vidisti, cum ingenti dolore totius corporis: hinc enim sunt orta maxima peccata, quemadmodum tibi dixi, etiamsi id cessurum sit in bonum quorundam, ac salutem. Diabolus sub specie & prætextu bonorum finium, rerúmq; valde necessariarum ac utilium, hæc damna intulit. Quando agnovi tuam charitatem, & dolorem, quem sentis ob hæc damna, quæ jam à me intellexeras, tantúmque Fervorem, quo oras pro omni ea necessitate, valde me recreavisti & solata es. Atq; id erat, quod te rogaverim, dicendo: Anima, compatere mihi, depone me ex ista Cruce, & fer me ad sepulchrum: Sepeli me pro tua charitate, quâ carent qui me crucifigunt. Quæ omnia es exeqvuta cum magno dolore & amore. Et hoc significat, quod me habueris obvium in gloria meæ Resurrectionis. Cætera verò omnia, quæ tibi contigerunt, quando me vidisti in Cruce, & voluisti statim quàm ardentissimè complecti, ego autem tibi id prohibui, facta sunt, ut intelligeres, diceréſq; omnibus, ut sciant, quòd animæ, quas specialiter amo, & reliquæ omnes, debeant esse adeò humiles, ut non attentent tam admiranda, nisi ego ipsas priùs disponam, & vocem; aliàs enim errarent, si secus facerent. Hæc est, Anima, declaratio mysteriorum, quæ vidisti, & tibi acciderunt.

CAPUT XIII.

Quomodo Sancti, & præsertim Fundatores Religionum illam rogaverint, ut commendaret DEO Communitates ipsis commissas, & de nonnullis horrendis rebus, quæ illi quoad hoc evenerunt.

Sancti Cœli incolæ, Patroni quarundam Communitatum, quæ sunt in terra, præsertim Fundatores Religionum, videbant magnas gratias & favores, quos DEVS exhibebat Marinæ de Escobar, ac efficacem ipsius orationem, nec non, quibus necessitatibus propter eam mederetur. Et quando, DEO volente, illam visitabant, rogabant ipsam, ut succurreret ijs, qui ipsorum curæ erant commissi, tum precibus, tum monitis, quæ illi suggerebant.

§. I.

Quâdam vice illam invisit Gloriosus Apostolus S. Petrus, dicendo ipsi: Veni, rogaturus te, ut diligenter commendes DEO Sanctam Ecclesiam Catholicam, & Pontificem; *qui tunc erat Clemens Octavus; indicando nobis hâc ratione curam, quam semper habet de Ecclesia, ac de Pontificibus Romanis, suis Successoribus. Quod ipsi magis manifestavit aliàs (anno 1600.) quando illam visitavit Sanctissima Virgo, stipata gloriosis Apostolis Sancto Petro, & Sancto Paulo:* Qui, *inquit*, me rogabant, ut impetrarem à DEO, pro sede Apostolica, quandam gratiam temporalem, quæ concernebat ipsius ditionem, ac authoritatem, & præcipuè Gloriosus Sanctus Petrus instantiùs id petebat. Audivi statim Beatissimam Virginem respondentem graviter: Est res digna consideratione, quia si id concedatur, patientur damnum pauperes,

peres, & non proderit illis eorum justitia, aut æquitas. Sancti, hoc responso accepto, quasi fuerunt persuasi, ut acquiescerent. Sed Virgo conversa ad me, affabiliter mihi dixit: Tibi autem, Amica, quid videtur? Ego erubui, quòd ità interrogarer, ac tandem respondi: Ut faveatur pauperibus. Post hoc abiverunt ad Cœlum. Sanctus Apostolus Jacobus aliàs mihi dixit (anno 1603.) ut DEO commendarem Regnum Hispaniæ, cujus ipse esset Patronus, & Regem Philippum Tertium.

§. II.

F*requentiùs Sancti Fundatores Sacrorum Religionum illam rogabant, ut commendaret DEO ipsorum Religiosos, ùt apparuit in multis casibus hactenus recensitis, quibus adjungemus istum.* Quodam die (in Decembri, anni 1622.) audivi solennem Musicam Angelorum, sicut, dum celebratur Festum in quopiam templo; & paulò pòst, vidi intrantes meum cubiculum plurimos Angelos, quos sequebantur Sancti Patriarchæ Religionum. Primus veniebat S. Dominicus, & S. Ignatius, tum S. Franciscus & S. Bernardus, postea S. Benedictus, & ultimus S. Augustinus. Postquam venerunt ad meum cubiculum, incepit loqui S. Dominicus loco omnium, cùmq; ipse solus loqueretur, videbantur mihi loqui omnes, & dixit: Soror nostra, DEUS tibi det felicia festa, cum magno incremento suorum Divinorum donorum, sicut credo & spero, te illa habituram in Domino; & alia his similia. Ego respondi: Benedicte Sancte, ego tibi ea non precor, scio enim, quòd tu, ac tui sancti socij, ipsa habeatis felicissima, habituríq; sitis æternùm in Cœlo cum DEO. Gratias ipsis egi, pro favore & charitate mihi exhibita, quàm optimè scivi. Tum S. Dominicus tetigit manu, in pectore, Sanctum IGNATIUM, quasi illi dicens, ut me alloqueretur. Sanctus me est alloqvutus quàm amantissimè, dixítq; mihi: Soror & Filia mea, commenda diligenter DEO meam Religionem; ut Divina Majestas illam conservet, ac augeat in suo sancto servitio. Ego respondi: Benedicte Sancte, tu id meliùs facies, qui frueris DEO in Cœlo, quàm ego, quæ dego in hac miserabili vita. Tum Sanctus: Bene est, fac, quod à te peto, quia DEUS libentissimè audit preces suorum servorum, viventium in mundo, & multùm facit propter illos. Omnes reliqui Patriarchæ me salutaverunt, atq; idem petiverunt, pro suis Religionibus. Ego verò etiam illos rogavi, ut me juvarent, & alia quædam ab ijs petivi speciatim. Resumpsit sermonem Sanctus Dominicus, rogavítq; me, & imperavit mihi, ut commendarem DEO Sacram suam Religionem, ac illius augmétum & conservationem, nominatim autem, ut in Conventibus ac tempore Congregationum & Capitulorum, tantùm habeatur præ oculis DEUS, absq; ullo respectu humano. Ego respondi: Pater Sancte, jam scis me esse filiam tuæ sacræ Religionis, eámq; à me ex animo amari in Domino. Faciam, quod jubes, promptè.

Rationem, ob quam dixit S. Pater noster IGNATIUS, à Sanctis Cœli incolis, peti preces Justorum, degentium in terra, ipsi magis declamvit aliàs, istâ occasione. Cùm enim ego, *inquit ipsa*, illum rogarem, peteret à DEO, ut concederet ipsius Societati quædam, quæ ego optabam, pro ejusdem majori emolumento, præsertim, ut loco nonnullorum Patrum extinctorum, in quodam exercitu Regis Philippi Secundi, illi daret alios, qui supplerent eorum defectum; Sanctus Pater mihi peramanter respondit: Pete id tu à DEO. Ego hoc admirans, dixi illi: Sancte Pater, tu apud DEUM, amando ipsum, & eo continuè fruendo, manes securus de illius gratia, ac sine periculo ejus perdendi, & mandas mihi miserabili, ac plenæ peccatis & fragilitatibus, atq; obnoxiæ periculis, quibus in hac vita sumus expositi, ut hoc postulem à Divina Majestate, quæ vix audeo comparere in Divino ipsius conspectu? Tu id meliùs obtinebis, si illud petiveris ac postulaveris ab ipso. Tunc Sanctus Pater noster IGNATIUS respondit: Tu id pete ab illo, & crede mihi, quòd sæpè amici DEI, quos ille habet hîc in terra, suâ charitate,

& simplicitate, ac desiderio, quo cupiunt bonum proximorum, cum quibus agunt, impetrent à Divina Majestate tantùm, aut ampliùs, quàm nos, qui sumus in Cœlo, eo modo, quo tu dicis. Hoc audito tacui, & feci, quod jubebar à Sancto Patre, credens ipsius dictis.

Ista veritas fundatur in tribus specialibus causis, quæ concurrunt in justis existentibus in terra, magis quàm in ijs, qui sunt in Cœlo. Primò, quia frequenter actu patiuntur pro DEO gravis tentationes vel dolores, aut persecutiones, & Divina Majestas dolens vicem ipsorum, quòd affligantur, ut eos consoletur, exaudit ipsos & concedit illis, quod petunt pro alijs. Secundò, propter specialem charitatem, quam demonstrant in hac oratione: cùm enim deberent orare pro se, quasi non æstimarent suas necessitates, instanter intercedunt pro alienis. Tertiò, quia multi ex ijs, pro quibus orant, ipsos concernunt & sunt eorum curæ commissi, ac orant pro illis, acsi de re ipsorum ageretur, cum magno fervore ac dolore, atq; sicut DEVS plura patrat miracula per quosdam justos hìc viventes, quàm per alios, qui sunt in Cœlo, quemadmodum constat ex vita S. Bernardi, qui sanavit quendam terribilem energumenum, quem non sanavit S. Syrus; ità etiam aliquando exaudit peculiari affectu preces aliquorum justorum hìc viventium, in quibus concurrunt dictæ causæ. Nihilominus cùm nobis non constet de eorum sanctitate tam certò, quàm de sanctitate Cœlitum, ità nobis est ad ipsos recurrendum, ut primum locum damus Beatis, sicut ipsamet quoq; faciebat, habens illos pro intercessoribus. Sed revertamur ad id, quod Sancti Patriarchæ ab ea petebant.

§. III.

AD hoc propositum referemus nonnullos horribiles casus, quos DEUS & Sancti Fundatores illi repræsentaverunt, ut ipsam permoverent, ad orandum instantiùs. Postquam me, *inquit*, visitavisset Gloriosus S. Dominicus (anno 1616.) dedisset q; mihi quoddam mysticum Rosarium, nomine Sacratissimæ Virginis, sicut jam scriptum est, (in libro 4. Cap: 34.) consedit prope me, ut diu mecum loqueretur, méq; solaretur in meis afflictionibus. Et ex improviso adverti, quòd ad latus ipsius, aliquantùm retrò, assederit in alia sede quidam Religiosus, qui mihi videbatur modò hunc, modò alium diversum habere vestitum, ita ut non potuerim bene intelligere cujus esset ordinis; & intuens ipsius faciem, quamvis cum repugnantia, nolénsq; ipsum agnoscere, ferè illum noscebam, quamvis id dissimularem. Habebat iste Religiosus Sacerdos vultum morosum & indignabundum, acsi vehementer irasceretur, & aliquid mali moliretur. Dum id viderem, eram afflictissima, & confugi ad DEUM more solito; Sed Beatus Sanctus Dominicus, videns meam turbationem, mihi dixit: Ne turberis, Soror, expecta modicum, volo enim tibi dicere, quid significet, quod tibi DEUS in hac visione ostendit. Scias hunc miserabilem, quem juxta me vides, esse religiosum, qui descivit à sua Religione & prima vocatione ad aliam, ac ad alium statum. Offendit Divinam Majestatem gravi peccato, propter quòd secundùm præsentem justitiam DEI est damnatus ad mortem æternam.

Audiens mea anima istum casum tam miserum, antequam Sanctus desijsset loqui, recurri ad DEUM secundò, petitura ab illo cum summa instantia, timore ac dolore interno, sanctissimum ipsius lumen, pro agnoscendis ejus veritatibus & assequenda illius voluntate in rebus omnibus. Hoc egit anima mea diutissimè, nolens iterum convertere oculos ad illud spectaculum, quod visum meum tantopere afflixerat. Verùm Dominus Majestatis blandè ac suaviter, sicut semper solet, fecit, ut denuò adverterem ad casum. Inveni Sanctum, sic ut illum reliqueram. Et quia expectabat, quàm amabilissimè & benignissimè, conjectis in me oculis, dixit: Soror, redijsti, & Dominus te misit, ut audias totum meum sermonem, faciásq; quod tibi dixero. Jam tibi retuli miserandum statum istius creaturæ, quæ tibi fuit exhibita. Quod tibi nunc dico, & à te pe-

te peto, nomine DEI, ac Sanctissimæ ejus Matris, est, ut quàm instantissimè, & toto corde tuo ac anima petas à Divina Majestate salutem, pro ista creatura, quàm tibi hic ostendi, quia infinitè desidero, ut Dominus DEUS misereatur hujus animæ, quæ licèt adeo sit perdita, me assumpsit pro advocato & intercessore suo apud Divinam Majestatem. Cùm mea anima audiret hos Sancti sermones, respondi humiliter, ac dixi: Benedicte Sancte, faciam, quod mihi præcipis, libenter: sed cùm te habeat advocatum & intercessorem hæc anima, quid illi potest deesse, & quid illi prodesse potest teruntiolus mearum miserabilium Orationum? Fac quod à te peto, (ajebat Sanctus) amore DEI: jam enim aliàs tibi dixi, quanti momenti sint preces servorum DEI, qui vivunt in hoc exilio, pro impetranda à DEO misericordia, & eo, quod ab ipso petunt. Conjunge tuas orationes & preces meis, pro ista anima, quia erunt summi momenti, proderúntq; ipsi. Ego illas offero Benedicte Sancte (dixi) quàm libentissimè & promptissimè, in nomine DEI, atq; ut tibi obsequar.

Post paucos abhinc dies, quod ad hunc Religiosum attinet, mihi accidit, quod dicam. Vidi quodam die descendentem per aërem quandam pictam imaginem, quasi Christi Domini, etsi malè formatam. Ferebant illam ante se quidam, quos ego non videbam. Fui afflicta, quòd hoc viderem. Interrogavi meos Angelos, quid esset. Dixerunt mihi: Brevi scies. Deinde vidi venientem Christum Dominum circumdatum ab Angelis, qui ubi consedisset in quodam throno, mihi dixit: Quomodo oblita es orare, pro illa persona, quam tibi dixi versari in periculo damnationis? Et dato signo ijs, qui latebant post imaginem, erántq; diaboli, dixit: Arripite illam; quasi diceret, ut me castigarent. Accurrerunt Angeli, & dixerunt: Domine, nos id faciemus. Sustulerunt manus ad me castigandam, quo fuit satisfactum Domino, propter meam debilitatem. Petivit Divina Majestas necessaria pro scribendo, quæ ipsi attulerunt Angeli; & incepit scribere. Intellexi quòd vellet scribere damnationem illius personæ, & cœpi quàm solicitissimè illi dicere: Noli scribere, Domine, non est tibi id scribendum; tenebámq; illi brachium, ne scriberet. Tandem dixit Divina Majestas; cùm nolis, ut ego scribam, scribe tu. Ego dixi: Quid possum ego, Domine, scribere? & accipiens calamum Angelus meus Custos scripsit, quòd ego illi dictavi, erátq; hoc: Domine DEUS, obsecro te per tuum Filium Christum JESUM, qui præsens adest, & per pretiosissimum illius sangvinem ac merita, juva istam personam, ut salvetur. Quibus verbis statim subscripsi meum nomen. Hoc facto incepit Divina Majestas abire. Interrogavi Angelos, quare imago illius hominis similis fuerit Christo Domino? Dixerunt mihi: ideò, quòd esset Sacerdos; tales enim suo officio repræsentare Christum Dominum.

§. IV.

Aliud quiddam horribilius illi evenit, quod referam, quia habet circumstantias utilissimas. Manifestavemt illi DEVS aliquoties, quàm illi displiceant Religiosi ac Docti in Ecclesia, qui cùm magis teneantur præbere bonum exemplum, id non faciunt; quod ipsam vehementer affligebat, sicut significavit (in Julio, anni 1616.) in quadam charta, quam mihi dedit, his verbis:

Mea anima ardet zelo majoris profectûs animarum, & majoris gloriæ Divinæ, ut mihi eo videatur cor absumi, atq; omnes defectus & errores personarum virtuosarum ac spiritualium, & consequenter hallucinationes ac errores in rebus alicujus momenti, me intolerabiliter torqueant, præsertim, quòd ista videam & cognoscam, clarè illuminata à DEO, audiámq; continuò ipsius querelas, quæ mihi cor disrumpunt, & faciunt, ut interdum Divinæ Majestati dicam: Quid vis, Domine (miseram me!) à me hac in re fieri, quæ illam non possum emendare, néq; creaturæ sunt ad id dispositæ? Emenda tu id, qui potes. Sed respondit mihi Dominus aliquoties: Bene video, quod dicis;

sed volo, ut mihi compatiaris, atq; tuâ afflictione & oratione à me obtineas, per meam misericordiam remedium, pro hoc genere hominum. Noveris autem magna esse lucra, quæ diabolus potest referre (nisi mea misericordia ipsum quandoq; contineret, dum mihi videtur) ex similibus hallucinationibus ac erroribus, quos hæ personæ spirituales committunt, profectos & ortos ex ipsarum immortificatione: & cùm occultè sint tenaces sui judicij, neq; ità fundatæ, sicut ego vellem in humilitate ac sancto meo timore, non respondentes in hoc, quantum deberent, lumini, & gratijs, quas à me acceperunt, propterea proximæ sunt erroribus. Quamvis autem id non agant ex proposito, offenderent me tamen & affligerent, si possem aliquid pati. Omnes isti defectus me magnopere excruciant, uti & illud, quod propterea patiuntur eæ personæ, quæ sic reguntur, quásq; DEUS imposuit istis miserabilibus humeris, ut eas mecum veluti circumferam, ac si essent progenitæ ex meo corde, quibus summè illarum bonum exopto.

Hæc fuit scheda, in qua satis declarat suum ferventem zelum. In cujus rei confirmationem habuit istam horrendam visionem, similem illi, quam P. Frater Ferdinandus de Castillo refert in Annalibus sui Ordinis; quamvis hi Religiosi non fuerint ex ipso, sed ex alio; neq; necesse est illos nominare; cujus Ordinis S. Fundator frequenter illum rogabat, ut quàm enixissimè commendaret DEO suos Religiosos.

Quadam vice, *inquit*, me dormientem excitavit Dominus, & statim postquam fuissem expergefacta, mihi ostendit in quadam quasi ampla aula, circiter triginta Religiosos cujusdam Religionis, qui in ea aula hoc modo erat constituti. Viginti ex ipsis stabant ad quandam mensam, quæ fuit alta instar altaris, & habebant tergum conversum ad januam aulæ, ità ut stans apud januam non posset ipsorum vultum videre, atq; idcirco illos non potui agnoscere. Habebant pallia, quæ gestant dum egrediuntur è domo. Cæteri autem, qui mihi videbantur esse circiter decem, sedebant in sedibus demissis ad aliam mensam, facie versâ ad januam, sed ità dejectis ac pendulis capitibus, adeóq; coopertis caputio, ut similiter quodam modo non potuerim videre illorum vultum. Postquam autem ipsos vidissem, dixit mihi Dominus: Ecce hi sunt ex illis malis Religiosis, quos tibi aliquando dixi reperiri, quibus ego vehementer indignabar, eò quod, cùm deberent esse Sal terræ, & suo exemplo, talentis, literis ac officijs præbere bonum exemplum alijs, eósq; erudire, & multùm adferre commodi, ac prodesse animabus, præsertim suæ Religioni, dederint malum exemplum suis superbijs ac prætensionibus, & malâ vitâ. Isti, quos hîc vides, sunt ex ipsis, & sunt in Inferno propter id, quod tibi dixi. Cùm autem ego illos viderem, & audirem, quod mihi Dominus dicebat, intelligerémq; à Divina Majestate, inveniri in ea Religione fortè quosdam, qui etiamnum taliter viverent, vehementissimè indolui, & orabam pro illis frequenter DEUM, ut Divina Majestas ipsos dignaretur liberare ex tantis malis ac peccatis, propter quæ versantur in tanto periculo suæ salutis.

Hanc revelationem volui referre, ut qui magis excellunt literis & munijs, quæ gerunt, agnoscant incumbentem sibi obligationem, præbendi melioris exempli, nec non majus periculum, quod incurrunt, ne pereant, propter defectum humilitatis, & magnam ambitionem. Neq; culpari debent literæ, quia si adsit humilitas, sunt bonum Ecclesiæ Catholicæ, & Religionum, conferúntq; ad magnam DEI Gloriam, ac bonum animarum, & qui sunt docti ac humiles, multò sunt illustriores in Religionibus, fulgebúntq; in Cœlo, in perpetuas æternitates.

Post multos deinde dies, cùm Marina oblita fuisset hujus necessitatis, & neglexisset pro illa orare, Sanctus Fundator istius Religionis ipsam invisit & questus est, propter istam illius oblivionem, exhortatúsq; est illam, ut perseveraret orando, cum eadem solicitudine, eò quòd duraret periculum.

§. V.

Denique, Angeli Custodes veniebant quandoq; rogaturi ipsam, ut DEO commendaret animas illis commissas. Et postquam ego illam rogavissem, ut oraret pro duabus aut tribus personis, de quibus mihi dictum fuerat, & ego responderam, quòd male regerentur; cùm id exequeretur, evenit ipsi quiddam, in quo simul ostendit suam magnam honestatem, ac circumspectionem. Dum, *ait*, aliquando manè agerem cum DEO, attollens oculos animæ, vidi duos Sanctos Angelos, qui ad se invicem conversi videbantur conferre de rebus, quæ ipsos redderent solicitos & contristarent: Erant vestiti modo quodam inusitato, qualiter illos indutos nunquam videram, quia vestes ipsorum erant nigræ, quales gestant adolescentuli virtuosi, & specialiter collecti atq; compositi. Statim ac illos mea anima conspexit in ista specie, cùm id ipsi esset novum, avertit ab ijs oculos, & recurrit ad DEUM, pro more. Postquam autem à Divina Majestate fuisset jussa, illos iterum aspicere, aspexit ipsos, adhuc tamen turbata, ac timore perculsa, quòd eos videret in tali veste. Dixit ijs: Dicant Domini, quid jubent? quid volunt? quia ego ipsos non bene agnosco, sintne Angeli DEI, an non? Illi responderunt cum magna modestia, & sapienter atq; graviter, ac aspicientes se mutuò: Nos, Soror, sumus Angeli DEI, venimus, ut tecum nomine ipsius loquamur; audi, quod tibi dicere volumus. Etiamnum mea anima erat consternata, ac terrefacta eà novitate, quòd illos videret in tali specie adolescentulorum, ideóq; ipsis respondi: Domini, quantumlibet sint Angeli DEI, ego non cogito cum illis loqui, neq; ipsos audire in hac specie. Illi verò responderunt valde mansuetè & modestè: Quid autem, Soror, dicemus Domino, qui nos ad te mittit? Domini, *ajebam ego*, dicant DEO, quòd ego illos non noscam, quòdq; si Divina Majestas aliquid vult, vel jubet, sim præstò, ut exequar sanctissimam ejus voluntatem: sed ut ipsos mittat, sicut solet, in alia specie & habitu, ut illos agnoscam, possimq; audire ac alloqui: in hac enim specie non possum. Atq; sic abiverunt illi sancti Angeli, valedicentes mihi. Intra medium horæ quadrantem redierunt ijdem sancti Angeli ad me ità vestiti ac adornati, sicut ipsos mihi ordinariè DEUS exhibet, & constituti in conspectu oculorum meæ animæ, mihi dixerunt: Soror nostra, nos sumus Angeli Custodes duarum animarum ex tribus, pro quibus oravisti DEUM, venimúsq; ad te, rogaturi te, quàm possumus maximè, ut ores pro ipsis quàm diligentissimè Divinam Majestatem: significamus enim tibi, quòd Divina Majestas decreverit illas graviter punire. Atq; ut indicaremus tibi afflictionem ac dolorem, quem, si Angeli Custodes possent ullum sentire, nos haberemus, non solùm propter peccata, quæ committunt animæ, quas custodimus, sed etiam propter mala ac molestias, quas ipsæ & earundem corpora patiuntur; ut tibi id indicaremus, venimus ad te, eo modo & in ea veste, in qua nos antea vidisti, propter quod ob tuam modestiam & verecundiam fuisti turbata. Audiens id dici, ab illis sanctis Angelis, quos jam, ùt tales agnovi, fui turbata, quòd existimarem, mihi nunquam à DEO manifestari aliena peccata, quòdq;, dicere, DEUM graviter puniturum aliquam animam, mihi videretur esse idem, ac significare, commissa ab ea fuisse gravia peccata: propter quam cogitationem ijs hoc ipsum respondi. Illi verò dixerunt: Soror nostra, nullum peccatum, licet sit exiguum, commissum contra Divinam Majestatem nostri magni DEI ac Domini, vocari potest exiguum, nisi comparatum cum alijs majoribus: & ista exigua, quæ vocatis venialia, non possunt committi ullo casu, neq; pro toto mundo, ac DEUS illa punit gravibus pœnis, quales sunt Purgatorij. Unde dum nos dicimus, quòd DEUS velit punire istas animas graviter, non dicimus, quòd commiserint magna peccata, neq; ut te id oporteat cogitare, sicut facis. Ora Soror, pro istis animabus DEUM, sunt enim constitutæ in gravi necessitate, & offer Divinæ Majestati ali-

ti aliquid pro ipsis: facies namq; rem gratissimam DEO. Ego illis promisi, me id facturam, & feci, atq; eâ nocte sum passa acerbos dolores, quos pro illis DEO obtuli. Deinde mihi incidit cogitatio, ut illos interrogarem, an judicium mei Confessarij in isto casu fuerit conveniens necessitati harum animarum, placuerito; DEO. Responderunt mihi, iteratò: Ità, ità; & statim, mihi valedicentes, abiverunt. Ego verò solicitabar de commendandis DEO illis animabus. Benedictus sit DEUS in æternum!

CAPUT XIV.

Quomodo ei Dominus & Sancti Fundatores Religionum dixerint, non acceptanda ipsius monita, ût ne concideret animo, ac de indignatione Divina, adversus eos, qui illa non acceptabant.

§. I.

QUia Venembilis Marina accipiebat à DEO multa monita & consilia, quæ daret proximis, quibuscum agebat; ne cogitaret, omnia sibi successum ad votum, & omnes acceptaturos ipsius monita, ac profecturos ex ejus consilijs, sed fore etiam nonnullos, qui ea essent vili pensuri, voluit illam Dominus de eo præmonere, cùm ex se ipsa esset tam meticulosa. Quodam die, *inquit*, dum vacarem meæ collectioni, dixit mihi Divina Majestas: Adverte, moneo te, interdum te futuram gratam, ubi exequuta fueris hoc munus tibi à me injunctum; aliàs verò etiam non magnopere placituram, & inventuram obstaculum ac difficultatem, in quibusdam. Audivi, quod mihi dixerat, ac silui. Ut imbecillis autem & muliercula, sensi id modicùm, quia nesciebam quid esset futurum, quidue essem passura, quamvis iste sensus fuerit exiguus, quia confidebam in Divina Majestate, me ab illa in omnibus adjuvandam.

Id aliquoties experientiâ comperit, præsertim quando jubentibus Sanctis Fundatoribus Religionum dabat (ùt est dictũ) quædam monita ipsorum Religiosis: licèt enim multi illa plurimi fecerint, & omnia, quæ ipsa ijs suadebat; propter suas tamen rationes ea non acceptabant, neq; inducebant animum ad omittendum, quod ipsis illorum prudentia & ratio dictabat: quia fortasse sibi non persuadebant, DEUM, vel Sanctum Fundatorem sui Ordinis, loqui per illam fœminam. Sumptâ igitur hinc occasione, duo Sancti Patriarchæ, S. Dominicus, & Sanctus Ignatius, dederunt illi quædam monita, ad propositum, de quo agimus, pertinentia, plenâ mirabili doctrinâ, ut propterea mihi videantur hìc referenda.

§. II.

DUm, *inquit*, agerem quodam die cum DEO, in mea collectione, sustuli oculos animæ, ac vidi, adesse Sacratissimam Virginem Dominam nostrã, & Gloriosum Sanctum Dominicum, atq; intuita sum ipsos cum magno solatio, aspiciens illos visu intellectuali animæ, qui in me est clarior & acutior visu oculorum corporeorum. Beatus Sanctus Dominicus colloquebatur cum ea magna Domina, quasi secretè, ac de rebus gravibus & magni momenti, concernentibus suam Religionem. Quia verò ego inceperam cum quibusdam ex illa conversari, concepi desiderium sciendi, an sermo esset de quapiam eorum quibuscum egeram, & intellexi eos colloqui de quadam epistola, quam ego scripseram ad Patrem Provincialem

cialem Provinciæ Hiſpaniæ: Atq; Sanctus Patriarcha oſtendebat, ſibi aliquomodo diſplicere, quòd non fuiſſet acceptata, ſicut ipſe voluiſſet; quà de re conquerebatur Beatiſſimæ Virgini, quamvis ità ſecretè, ac ſi id vellet diſſimulare, ne ego affligerer, ſicut ſoleo affligi, propter meam malam naturam. Quocirca me converti ad Sanctum, & dixi illi: Metuebam equidem id, benedicte Sancte, & propterea ità repugnabam, idq; diſtuli, donec non poſſem aliter facere, ne me opponerem voluntati DEI, & debitæ ipſi obedientiæ. Verùm non multùm conſternor, ſimplicem & rudem mulierculam, qualis ſum ego, dum debet alloqui & monere perſonas Religioſas ſapientes & graves, quamvis nomine DEI, ac Tuo, non audiri, neq; ei fidem ab illis adhiberi, cùm hoc ſit aliquid inſolitum, & extraordinarium. Glorioſus Sanctus, pro ſua cæleſti ſapientia, ut me ſolaretur, mihi dixit: Ne affligaris, nec mireris id, quòd tibi contigit, quod enim ſignificaviſti, non fuit tam malè acceptum, quàm tibi videtur: quòd verò illud neglexerint, non fecerunt id ex contemptu, ſed tacuerunt, nullo præbito ſigno, malène id, an bene acceperint, quia maluerunt inſiſtere dictaminibus ſuæ ſcientiæ ac judicij, quàm extraordinarijs monitis. Præterquam quòd, ubi videris, vel exiſtimaveris, ea, quæ dicis nomine DEI & Sanctorum, non ita acceptari, ſicut tu velles, te non oporteat idcirco mirari, neq; metuere, aut concidere animo, quaſi non promoveas inſpirationem DEI, ſed nec affligi. Nam ſciendum tibi eſt, id fuiſſe valde ordinarium & uſitatum in mundo: atq; de me tibi dico, me, dum concionarer ac docerem mundum, juſſu DEI, & ex vehementiſſima ipſius inſpiratione, atq; ardenti deſiderio boni animarum, non ſemper fuiſſe promptè auditum, imò aliquando ſpretum, & in hoc negotio ſuſtinuiſſe multas moleſtias, afflictiones & perſecutiones: ideóq; omnes, quos DEUS hac viâ duxerit, ſe debent præparare ad patiendum, & eſſe bono animo, multúmq; confidere DEO, ipſo enim adjuvante bene illis cœpta ſuccedent. Audivi ego miſerabilis dicta hujus Sancti tam cœleſtia, adeóq; plena ſapientiâ, ut nulla lingua illa valeat ediſerere. Quamvis autem ex ijs magnum ceperim ſolatium, expoſui ipſi, quid mihi experirer eſſe difficile, dicendo: Beate & Sancte Pater, credo certò, & abſq; dubio, verum eſſe, quidquid dicis, &, quantum in me eſt, vellem exequi, quod mihi mandas, verùm quod me timidam in hoc negotio reddit, non eſt moleſtia, ſed quia video mulierculam ſimplicem, ac imbecillem, qualis ſum ego, cujus officium eſt tacere ac diſcere, & cujus locus eſſe debet angulus ac ſolitudo, prodire ad loquendum, cum gravibus & ſapientibus viris, de rebus peculiaribus, pro illorum inſtructione, ad gloriam DEI, & bonam directionem, ac profectum animarum; & quia adverto me ſic transgredi limites viæ communis & ordinariæ cœterorum. Tu autem, utpote Vir Sanctus, ſapiens, ac ſtrenuus, non potuiſti habere hujusmodi verecundiam, ac proinde multùm differt negotium meum à tuo; quod enim faciebas, erat tuum officium, & optimè tibi omni ex parte conveniebat. Licèt verò propterea patereris iſtas moleſtias, non accidebat tibi id tam grave, quia perſecutiones toleratæ pro DEO, non ſolùm non ſunt moleſtæ, ijs, qui ipſum amant, ſed dulces ac ſvaves, & onus valde leve, tótq; bonis exornatum, ut non ſolùm ſit ſvave fortibus, qualis tu es, ſed etiam interdum debilibus & miſerabilibus, qualis ſum ego. Audivit Sanctus, quod dicebam, ac reſpondit, pro illa ſua Divina ſapientia, quæ animam replet pace & ſolatio, ac lumine cæleſti: Audi, Amica, & attende ad hanc veritatem, quam tibi aperiam. Bene ſcis, quòd noſtro magno DEO ac Domino, ipſiúſq; infinitæ potentiæ ac bonitati, ſapientiæ, & altis ac incomprehenſibilibus judicijs, nihil ſit, neq; eſſe poſſit difficile, aut impoſſibile, imò omnia poſſit ac faciat, ſicut ipſi magis placet, eſtq; ſancta ejus voluntas. Unde illi nulla via eſt extraordinaria, quemadmodum tu dicis, imò omnes ſunt planiſſimæ ac ordinariæ, & per omnes ducit, ac poteſt ducere animas, quàm ſvaviſſimè & ſecuriſſimè, ità ut ipſi

nemo

nemo id possit prohibere, vel impedire: atq; in nomine ipsius, ac virtute Divinâ (quam dat, cui vult, nulli irrogans injuriam, tanquam Dominus absolutus suorum bonorum, divitiarum ac thesaurorum) adjutus, potest tam multum aut ampliùs, quantùm Divinæ Majestati placet concedere, debilis, quàm fortis, intelligitq; tantùm, vel ampliùs, rudis & simplex, quàm sapiens & Magister: atq; hæc omnia pari modo se habent respectu ipsius potentiæ ac magnificentiæ: & quocunq; instrumento debili, aut forti, potest perficere laborem ac opus, quod ipsi libet, quódq; vult. Cùm igitur ità se res habeat, túq; intelligas istam veritatem, quam tibi pando, non est, quare cures, quod tibi dicis, adeò accidere difficile, neq; ut animo concidas aut tergiverseris, quin prosequaris hoc negotium, & magnanimiter, atq; confidendo in DEO, obsecundes sanctæ ipsius inspirationi in eo, quod scis esse conforme Divinæ ejus voluntati. Audivi ego miserabilis ea, quæ mihi Sanctus dixerat, & admirans sapientiam ac bonitatem, quam in verbis suis demonstrabat, tacui, nesciens quid illi ampliùs deberem respondere. Tantùm amabat vehementissimè mea anima istum gloriosum Sanctum, plenum ardentissimâ charitate & amore DEI, ac proximorum. His omnibus præsens aderat Sacratissima Virgo, nullo dicto verbo, toto eo tempore, attentè audiens verba, quæ mihi Sanctus dicebat, & ego ipsi respondebam: deinde verò ad me conversa, peramanter mihi dixit: Quomodo nunc es constituta, Amica? Nónne jam es recreata, & nónne animæ tuæ his Sancti verbis est satis factum, quæ pro tua indigentia tibi dixit Beatus Dominicus? Et cùm ego respondissem, ità prorsus esse, dixit mihi, se mihi præstituram magnum favorem, pro majore meo solatio, quod fecit attollendo pallium, & monstrando mihi suum superbenedictum Filium.

Modus, quo ultima gratia ipsi fuit exhibita, est relatus in capite undecimo libri secundi.

§. III.

§. III.

ALiud admirabile monitum ipsi dedit S. Pater noster IGNATIUS, postquam illam misisset, significatum aliquid suo nomine, Patri Provinciali hujus Provinciæ Castellanæ, de re quadam concernente ejus regimen; ipsa verò id facere tergiversaretur, eò quòd esset fœmina, non habens animum alloquendi, viros adeò graves, de ejusmodi rebus, timénsq;, se nihil profecturam. Gloriosus Sanctus *(inquit ipsa)* mihi respondit, modo quòdam sapientis, sanctæ, ac discretæ reprehensionis, quæ non turbat animam, nec illam affligit, sed potiùs humiliatam & pudefactam, simul etiam animat, solatur, & convincit, ut exequatur, quod illi mandatur. Sic autem me est alloqvutus: Sive prosit, sive non prosit, fac quod ego tibi dico, & mando: Nunquámne fortè propter tuam pusillanimitatem attentabis majora, sicut non pridem audivisti? (hoc mihi Sanctus Pater IGNATIUS dixit ideò, quòd in re simili mihi dicta fuerint à S. Teresia à JESU, quasi eadem verba) tum prosecutus est sermonem dicendo: Nónne scis, tibi incumbere, ut obedienter facias, quod juberis? Fructus autem & utilitas operis pendeat à DEO? Nunquid tu fortè, quæ tantam repugnantiam ostendisti in eo, quod tibi commisi, quæris, aut vis tuum solatium & gustum, útq; non aliter res eveniant? hoc nullâ ratione debes velle, sed solùm gloriam DEI. Habe animum, ac esto fortis, & confide in DEO, atq; fac, quod intelligis, scísq; certò, ipsum velle; fructum verò operis committe Divinæ Majestati, sicut tibi dixi, & sufficiat tibi (si non potes plus facere) obedire Domino DEO ac Sanctis ipsius, qui tibi aliquid inspirant, & præcipiunt, ejus nomine. Atq; ne propterea contristeris, velim scias, fuisse etiam Sanctos, quorum munus erat, docere & concionari, qui in hoc multùm laboraverunt, & quosdam non retulisse magnum fructum, sed exiguum respectu sui magni laboris, ac boni desiderij. Fac modò, quod tibi dico, ego enim bene omnia novi,

novi, quæ mihi ea de re dixisti, ac potes dicere.

§. IV.

Nihilominus DEUS, & ipsius Sancti, etiam ostendebant, se offendi, & ægrè ferre, quòd non acceptarentur eorum monita. Quâdam vice, *ait illa*, dum essem collecta, vidi in spiritu, ingredientem, per mei cubiculi portam, Puerulum, in ætate viginti mensium, formosissimum, cujus capilli erant instar aureorum filorum: bajulabat Crucem, multò majorem suo sacro corpusculo; veniebat valde afflictus & fatigatus, dicebátq; mihi: Marina, aufer à me istam Crucem, quia venio vehementer afflictus & fatigatus. Comitabantur ipsum multi sancti Angeli. Et agnovi statim, per speciale lumen, illum Puellum esse Christum Dominum. Fui magnopere afflicta, videns ipsum in ea specie, & incepi illi dicere verba tenera: Dilecte meæ animæ, & mi Domine, quis te tantopere afflixit? & alia hujusmodi. Optabam illi auferre Crucem, & non poteram extendere manus ad id peragendum. Dominus autem iteratò dicebat: Marina, aufer à me istam Crucem, quia me affligit: & ego rursum illum interrogabam, quare esset ità afflictus. Ipse verò mihi non aperiebat causam. Accesserunt ad Divinam Majestatem isti mei Domini, & unus ex minoribus abstulit Crucem eidem Majestati, defixitq; eam humi, quæ altitudine adæquabat ipsius staturam, & applicuit illam sibi. Puerulus autem venit ad me, & acclinavit se ad lectum, posuitq; suum sacrum caput juxta me, supra cervical, semper mihi significando suam lassitudinem ac afflictionem. Fui nonnihil mihi erepta, & quando ad me redij, conspexi illum Puerulum in brachijs suæ Sanctissimæ Matris, extra meum cubiculum, ita tamen, ut ipsum viderem ac audirem. Querebatur Puerulus suæ Matri, quòd esset lassus & afflictus. Mater illi blandiebatur, dissvaviabat ipsum, sibiq; admovebat, & interrogabat, curnam esset afflictus. Dependebant illi pedes, quos vidi indutos suis calceolis, & Puerulus erat vestitus togulâ cœruleâ. Tandem Parvulus exposuit causam suæ afflictionis Sanctissimæ Matri; & erat ea; quòd Divina ipsius Majestas manifestaverit nonnullis animabus, quas ad id invenerat dispositas, quasdam gratias & misericordias, mihi, suæ famulæ, præstitas pro earundem bono, atq; illæ inde profecerint; nunc autem, propter suam socordiam, incuriam, ac tepiditatem, non proficiant, imò ità pigrescant, ut ipsum adegerint ad illas propterea puniendas. Tum ego dixi: Mi Domine, & dilecte meæ animæ, si ità se res habet, quomodo ego tibi possum auferre istam Crucem? Omnino potes (respondit Dominus) monendo illas de ipsarum incuria, & socordia; fortè enim resipiscent.

Aliâ occasione (in Julio anni 1615.) quando nonnullæ personæ parvi fecerunt quiddam, quod illis dixeram, ex Divina revelatione, vidi ante me extensum in terra Christum Dominum, ad eum modum, quo jacuerat depositus ex Cruce, aderátq; Sanctissima ipsius Mater, & aliæ devotæ mulieres. Paulò pòst autem venerunt quidam venerabiles Viri, qui Sanctissimum corpus tulerunt ad sepulchrum, quod erat aliquantùm remotum. Ego lugebam, videns Dominum in ea specie: & cùm considerarem, quomodo illi penderent caput ac brachia, sicut usuvenit in corpore mortui, ac stuperem, propterea quòd ignorarem, quem in finem mihi Dominus taliter compareret, dixit mihi Divina Majestas: Scísne quid hoc significet? Taliter me tractant, quantum est in ipsis, illi, qui non faciunt, quod ego volo, & jubeo.

§. V.

Aliàs, dum essem in meo cubiculo, vidi venientes plurimos Angelos, alijs sequentibus alios, & unum præcedentem cum Cruce: Post omnes ibat Christus Dominus, quo conspecto, vidi etiam totam Sanctissimam Trinitatem, sicut consvevi.

ſvevi. Progreſſa eſt Divina Majeſtas, & collocavit ſe quaſi ad caput mei lecti, ità ut bene à me videretur, ſed quodammodo obliquè: Sedebat autem tanquam in Throno Regio. Derepente vidi, ab Angelis adduci duas perſonas, quas ego bene novi, judicandas à Domino, qui magnâ gravitate & authoritate illas interrogavit: Dicite, quid habuiſtis cauſæ, ut ità ſuſciperetis, quod vobis, meo nomine, dictum eſt? quaſi ab illis exigeret rationem, quare tam parum æſtimaverint quandam rem, quæ juſſu DEI ipſis fuerat dicta. Non aperuit mihi Dominus ullum grave peccatum illarum perſonarum, quia id non ſolet facere ipſius Majeſtas, ſed ſolùm, ſe ijs eſſe offenſum. Utraq; obmutuit, & una fuit quaſi extra ſe rapta; altera verò quaquaverſum aſpiciebat, cum inquietudine, ac deniq; neutra quidquam reſpondit. Dominus autem ſubitò præcepit Angelis: Abripite ipſos eò: duxerúntq; illos quaſi ad quendam Angulum, confuſos & pudefactos. Poſtea me etiam duxerunt ad judicium, atq; cùm comparuiſſem coram Domino, dixit mihi, quaſi me examinando. Quam ob cauſam reticuiſti quandam rem, quam te juſſi dicere? Ego attuli rationem, quam habueram, mei ſilentij, dicendo: Eram prompta & parata, ad omnia, ut adimplerem tuam ſanctam voluntatem, ſed non inveneram diſpoſitionem ad id dicendum. Dominus acceptavit meam excuſationem: nihilominus & me juſſit abduci: ac tum Dominus diſceſſit, ſicut advenerat. Ego nunquam illum perdidi ex oculis, donec Divina ejus Majeſtas pervenifſet ad Cœlum, ubi, poſtquam conſedifſet in quodam throno, mandavit, ut duo Angeli promulgarent quoddam edictum, in quo jubebantur Angeli Cuſtodes fidelium eſſe parati, ac diſponere homines: quo indicabatur, infligendam illis aliquam pœnam, me autem juſſit tum ſilere, donec mihi aliud præciperetur.

CAPUT XV.

De ejus charitate, quâ rogabat Sanctos Angelos ſuos contubernales, ut inviſerent ac juvarent infirmos, & conſtitutos in neceſſitatibus, quamvis ipſamet ijs opus haberet, quod illi rependit DEUS favore admirabiliſſimo.

Tanta erat commiſeratio, quâ Venerabilis Marina vices dolebat infirmorum, & conſtitutorum in neceſſitatibus, qui ſe commendabant ipſius precibus, ut eſſet parata, carere ſocietate Sanctorum Angelorum, qui illi aſſiſtebant, etiamſi ipſa illis indigeret, ut ſe conferrent ad eos conſolandos, ac juvandos, id quod ab ipſis interdum petebat, quamvis non abſq; Divina inſpiratione; atq;, ſi ſubinde tergiverſabantur, quòd à DEO non haberent facultatem id faciendi, ipſa illam impetrabat à Divina Majeſtate, ac tum quàm libentiſſimè ibant modò unus, modò etiam duo. Et videbat ex ſuo lecto frequenter in ſpiritu quò, pergerent, quidue agerent, ac dicerent, quod etiam ipſimet, quando revertebantur, ei referebant. Solebant autem redire cum quadam ſudore in facie, ut ſignificarent moleſtiam ac difficultatem ſui peracti certaminis, jam ob luctam habitam cum diabolo, jam ob naturam refractariam perſonæ, quæ cum egerant, aut propter negotij gravitatem.

§. I.

§. I.

ALiquando, *ait*, dixi Sancto Angelo minori, uni ex quatuor. Mi Domine, vultne invisere domum talis servi DEI, qui mihi præstitit quoddam opus charitatis, atq;, ut puto, est constitutus in necessitate? Postquam hoc dixissem, abivit in momento, & vidi ipsum in domo illius personæ, ad januam cubiculi, in quo dormiebat, quæ intrinsecus erat clausa. Horâ quartâ matutinâ Sanctus Angelus petivit, aperiri sibi januam; nemo autem illi respondit: petivit secundò & tertiò, ac dixit: In nomine DEI tibi præcipio, ut aperias. Tunc fuit aperta janua. Stabat autem intus quidam diabolus, qui illam tenuerat clausam: Sanctus Angelus voluit ingredi, & posuit pedem ad limen januæ. Sed diabolus illum impedivit ab ingressu, & occlusit januam in ipsius conspectu. Rursum Sanctus Angelus postulavit aditum semel iterúmq;, nec illi fuit responsum. Postulavit tertiò, dicendo: In nomine DEI tibi præcipio, ut aperias: statimq; aperuit ostium diabolus. Tum Angelus, usus suâ potestate, intravit, & diabolus aufugit ad angulum, vehementer confusus: gerebat speciem lacerrimi, infirmi, pallidi, tumidi, ac timidissimi mendici; taliter ibi latuit. Angelus, non habitâ ipsius ratione, nec eum aspiciendo, accessit ad lectum illius personæ, quæ dormiebat, & ad caput lecti habebat assistentem Angelum suum Custodem. Consalutaverunt se ij duo Angeli DEI, & Custos ejus hominis dixit: Sancte Angele DEI, bene veneris, quia verè opus erat tuo auxilio. Nam iste diabolus vehementer in somno tentat hanc DEI creaturam. Sanctus Angelus, meus Dominus, incepit excitare dormientem, dicendo: Creatura DEI expergiscere & confortare. Dominus tibi det suam gratiam, juvet te, corroboret, atq; confortet. Et ecce ille homo incepit se modicum commovere; verùm non evigilavit, imò denuò obdormivit. Angelus Custos rogavit Sanctum Angelum, meum Dominum, ut proferret instrumenta, quibus solet fugare diabolos, & expelleret illum, qui erat in angulo, ac malis illusionibus molestabat in somno eam creaturam. Sanctus Angelus exprompsit quoddam vexillulum rubrum, affixum baculo aureo, in cujus summitate erat Crux, & incepit illud quaquaversum gyrare supra dormientem, quasi ipsi benediceret, unáq; aliquid abiabigeret. Tunc ille vir evigilavit ex profundo somno, cum magno fervore, repellens à se illusiones diabolicas, eliciendo actus contritionis, & contrarios tentationi. Hoc facto Sanctus Angelus meus Dominus ivit ad angulum, in quo erat diabolus, ac terram pede feriens, atq; etiam suo aureo baculo, protulit funiculum, & strinxit collum diaboli, quasi canem venaticum, porrexitq; extremitatem funiculi alteri Sancto Angelo parvo, qui aderat indutus veste candidâ, ut ipsum inde educeret. Iste illum extraxit, mediâ ex parte violentè raptatum, duxitq; per quendam ambitum & atrium, ac præcipitavit. Post hoc ille Angelus redivit ad conclave. His autem omnibus peractis Sanctus Angelus, meus Dominus, valedixit ijs duobus Sanctis Angelis, venitq; ad meum cubiculum.

§. II.

ALiâ vice, cùm ægrotaret quidam Religiosus, qui se bene impendebat ministerijs, pertinentibus ad juvandas animas, cum multarum fructu, desideravi vehementer ipsius sanitatem, & petivi illam à DEO, ex peculiari ejus inspiratione, ideóq; nullam addidi conditionem. Volens me Dominus probare, incussit mihi aliquem timorem, quòd esset moriturus, unde ego ex impetu ejusdem inspirationis, dixi: Hoc non, Domine, ne tua Majestas id velit facere, neq; enim ità fieri oportet. Non me redarguit Dominus, propter illam audaciam, quia oriebatur ex ipsius Divina inspiratione, imò admirabili modo suæ infinitæ bonitatis & sapientiæ, quâ solet excipere, quod cum fer-

vore ac ſpiritu dicitur, me audiebat, atq; confirmans me in ſperanda ſanitate infirmi, mihi dicebat: Bene eſt, bene eſt. Ego autem aſſumpto inde novo animo, dixi illi: Cùm nobis, Domine, præſtes iſtam gratiam, præſta nobis & aliam. Bene vides iſtum Religioſum, ſervum tuum, pati in ſua infirmitate dolores & afflictiones, eſſéq; interdum ſolum, præſertim noctu, ego hîc habeo iſtos quatuor Angelos, quos mihi dignatus es dare, ut me adjuvent, mihiq; aſſiſtant; ſi tibi placet, mittamus iſti infirmo unum, vel duos ex ipſis, ut illum juvent, eíq; adſint, in ipſius ſolitudine & afflictione. Reſpondit Dominus: Et quomodo id vis facere? atq;, ut pergant duo? Ego dixi: Ita Domine: verùm revolvens animo modum, quo mihi id à Domino fuerat dictum, iterum dixi: Domine, duos vel unum, ſicut Tu volueris, ſed per breve tempus ſint duo, unus ex *majoribus*, alter ex *minoribus*. Tum dixit Dominus: Sit ità, licèt, adverte tamen, quòd ſenſura ſis ipſorum abſentiam, ideo bene id expende. Ego propter deſiderium juvandi illius infirmi, dixi: Non refert, Domine, etſi illis indigeam, modò non in re neceſſaria, ad tuam gloriam, & obſequium tuum. Dominus reſpondit: Eant igitur feliciter. Et ſubitò abiverunt duo Angeli, profectíq; ſunt ad illum infirmum, qui vehementer gravabatur à ſuo morbo, ac derepente meliùs habuit, ſicut deinde fuit reſcitum, computato tempore, quo cœperat meliùs habere. Ego interim fui valde deſolata, & quodammodo derelicta, per triduum, quo Angeli fuerunt apud infirmum, etiamſi mecum manſerint reliqui duo, atq; intra viginti quatuor horas invaſerunt me dolores vehementiſſimi, & acerrimi, qui augebantur, & me vehementer excruciabant. Dominus videns, quòd me privaviſſem ſocietate duorum Angelorum, ut gratificarer infirmo afflicto, viſitavit me, contulítq; mihi inſolitam quandam gratiam: quia intuens me quàm benigniſſimè, mihi dixit: Afflicta es, Amica, & indiges ſolatio. Ego te nunc volo aliquò ducere; veni mecum; ubi modicùm queſcès, & reſpirabis ac refrigerabitur, mitigabitúrq; tuus ardor, & ſitis, quam pateris, atq; in tranſitu divertes ad locum, in quo manent tui fratres & ſocij duo Angeli, quos miſi ad infirmum, videbísq; illos, &, ſi volueris, comitabuntur te, quia jam peregerunt ibi officium, cujus gratiâ abiverunt. Audivi, quod mihi dixit Dominus, cum magno ſolatio, ſed ſummè pudefacta, quòd mihi præſtaretur tanta gratia, & reſpondi ipſi, me acceptare favorem, quem mihi exhiberet, ducendo me ſecum, quamvis illo eſſem indigna: quodſi tamen ipſi placeret, cupere me, ut duo Angeli manerent apud infirmum, uſq; ad diem ſequentem; dixítq; Dominus: Sit ità. Et præcepit alijs duobus meis Angelis præſentibus, ut me ad ſe adducerent. Poſtquam autem conſtitiſſem ad illius latus, aliquantùm poſt ipſum, Dominus inde diſceſſit, ſtipatus innumeris Angelis, illum ſequentibus, eidémq; inſervientibus, me quoq; abeunte cum Divina Majeſtate, per viam quandam regiam, luminoſam & ſpatioſam, quæ recreabat aſpectum meæ animæ. Pertranſivimus locum, in quo erant duo Sancti Angeli apud infirmum, vidi illos, non tamen ſum ipſos alloqvuta: ſic enim fieri voluit Dominus. Pervenimus ad quendam magnum & pulchrum campum, floridiſſimum, plenum gratioſis fontibus, ut videretur eſſe paradiſus terreſtris. Ex una ipſius parte tranſibat limpidiſſimus & vaſtus fluvius, cujus littus erat plenum umbris arborum, floribus & aviculis, ſvaviter & admirabiliter canentibus. Atq; cùm eò veniſſemus, protendit Dominus ſuam Sacratiſſimam manum, modicùm retrorſum, & arripuit me in brachio, aliquantùm ſupra manum, apprehendens eo modo magis illam meam veſtem, quâ eram induta, quàm brachium, dixitq; mihi: Accede, aſpice hunc fontem, & iſtum fluvium, ac deinde te ducam, ut videas reliqua omnia: & circumducens me Divina Majeſtas hâc ratione, per totum illum campum, oſtendebat mihi fontes, arbores, flores, ac umbras, & ego ſentiebam ſublevari ac refocillari meam animam. Verumtamen tantus erat meus ſtupor, & admiratio, meus pudor, confuſio & ſolatium, ac alia neſcio qualia plura bona, quæ mea anima percipiebat ex

ex illa tanta misericordia, quam mihi præstabat Dominus, ducendo me eo modo per illud viridarium, ut quodammodo non animadverterem ad ea, quæ mihi monstrabat, singillatim, ideóq; non possem dicere, quid ibi fuerit, sed generatim, quòd illum viderim.

Cùm essem in medio illius campi, qui erat plenus Angelis, incepit, DEO disponente, descendere ex Cœlo, instar pluviæ, nitidissima & pulcherrima nix, instar minutorum floccorum, nonnihil densorum, quales decidere solent, dum ningit, descendebant autem cum svavi ac admirabili ventulo, donec pervenirent ad terram, & postquam illam attigissent, elevavit se Dominus, ducens me secum eo modo, quo me tenebat: dum autè paulatim ascenderet cum magna Majestate, per illam cœlestem pluviam, ego illum non videbam, etsi sentirem, me ab ipso duci,: quia illa cœlestis nix mihi illum obtegebat: sed neq; videbam meipsam; ideo procedebam vehementer admirans, considerans, & cogitans in intimo animæ meæ, quale mysterium id esset. Dominus, qui intellexit meam cogitationem, illuminavit me, ut intelligerem quid esset, ac intellexi, esse innumeros Angelos, descendentes ex Cœlo ad comitandum Dominum, in illo ipsius ascensu mystico: descendisse verò illos in specie floccorum nivis, ut obtegerent illud tantum mysterium, propter reverentiam ipsi debitam, & quia mea anima non erat capax videndæ clarè illius tantæ gratiæ, quam ipsius Dominus ei præstabat, elevando illam prædicto modo ad cælestem Jerosolymam. Ascendit hac ratione Dominus, donec perveniret ad suum Regium thronum. Postquam ad illum pervenisset, constituit me in mystico arcano suæ Magnitudinis, Potentiæ, Majestatis, & Essentiæ Divinæ, ità, ut quasi fuerim perdita, & submersa in illo Esse DEI, ac Divinæ caliginis mihi ipsi erepta, dum intelligerem tam admiranda, & ineffabilia, ut ea nesciam explicare, sicut aliàs dixi. Mansi ità aliquamdiu, & subitò fui extracta, quasi ad littus illius Oceani bonorum, ubi vidi Majestatem Christi Domini, qui mihi amantissimè dixit: Dic, age, Amica, nónne modo es recreata, & confortata? Ego, abijciens me ad pedes Domini, tacui, quia nesciebam ullum verbum respondere. Dominus autem tangens me suâ mann, mihi dixit: Age, Amica, surge: adsunt enim tui fratres, deducturi te ad tuam domum, unde te eduximus, ut te confortarem, & operarer mysteria, quæ vidisti. Tum animadversâ voluntate DEI, resignavi me in ipsius manus, etiamsi magnopere sentirem abitum. Et statim advenerunt duo Sancti Angeli, méq; elevaverunt, &, post acceptam à DEO benedictionem, me reduxerunt ad meum angulum.

CAPUT XVI.

Quomodo illi DEUS ſubitò ſolitus fuerit rependere, opera miſericordiæ corporalia, quæ exhibebat pauperibus, & infirmis, ut quoſdam miraculosè ſanaret.

Cùm Marina de Eſcobar fuerit inops, non potuit multùm pauperibus gratificari eleemoſynis corporalibus: modicùm tamen illud, quod elargiebatur, plurimi fiebat, & rependebatur ipſi à DEO, propter magnam charitatem, & benignitatem, ex qua procedebat illa beneficentia.

§. I.

LAborabat, *inquit*, in domo quidam pauper homo, effodiendo terram ex quadam area, dictúmq; mihi fuit, ipſum incedere lacerrimum. Miſerta ſum ipſius inopiæ, ùt potui, & decumbens in lecto deſignavi modum, quo ex quodam tapete ipſi exſcinderent lacernam, & conſuerent meæ ſociæ, quam illi dederunt. Paulò pòſt venerunt mei duo Angeli ferentes veſtem ſplendidiſſimam, dixerúntq; mihi: Accipe, Soror, hanc veſtem, quam tibi mittit Dominus. Ego vehementer reluctabar illam ſuſcipere, ſicut conſvevi agere in ſimilibus, Angelus autem meus Cuſtos mihi dicebat, ut ipſam acceptarem. Animadverti, quando illam contemplabar, ea, quæ reſplendebant in illa veſte, & videbántur pretioſi lapides, eſſe inſignia charitatis, miſericordiæ, patientiæ, fortitudinis, ac aliarum hujusmodi virtutum. Tum mihi comparuit Chriſtus Dominus, quem tam clarè vidi, ut quaſi fuerim ipſum intuita oculis corporeis. Dixitq; mihi Divina Majeſtas: Quia me heri veſtiviſti, volo tibi dare hanc veſtem. Ego ipſum interrogavi: Quando te veſtivi Domine? Heri, *ajebat*, me veſtiviſti in illo paupere. Et cùm renuerem accipere veſtem, Dominus mihi dixit, ut eam acciperem, quódq; ipſemet me eſſet illâ induturus. Apprehendit deinde Divina Majeſtas unam ipſius extremitatem, & venerunt Angeli eandem tenentes, impoſuerúntq; ipſius manibus, & ille me eâ induit. Erat inſtar togæ, cum latis manicis.

§. II.

ETiam quando obambulabat, inviſebat cum magna charitate infirmos, & DEUS ſtatim adeſſe ſolebat cum præmio, inſpirans ipſi, ut illos tangeret, quòd ſubitò eſſent ſanandi: id quod ipſa acceptabat libentiſſimè, quando potuit fieri ità, ut non adverteretur miraculum. P. Petrus de Leon conſcripſit aliqua hujusmodi miracula, quæ contigerunt anno 1600. Quodam die, poſt ſacrum Communionem, cùm jam vellem abire, ſenſit tam vehementem inſpirationem, à qua impellebatur ad inviſendam quandam infirmam, ut non potuerit aliter facere: invenit illam non ſolùm ex diuturno morbo decumbentem, ſed etiam laborantem ex inflammatione vicina gaturi, valde afflicto ac tumido, ac metuentem, ne eſſet apoſtema. Amplexata eâ infirmam, & ipsâ petente, impoſuit manum, affectæ parti, ſtatimq; receſſit dolor, ità ut infirma, quæ vocabatur Aloyſia de Porras, dixerit, ſe juraturam, quòd ipſam ſanaverit.

Quandam ancillam, in domo, quam ipſa inhabitabat, nocte quàdam occupavit dolor in uno latere, ità ut illius Domina, & alij intellexerint, eſſe pleuritim, egerintq; de remedijs, ut ipſam curarent. Illa motu commiſeratione, & inſpiratione Divinâ, deſcendit ad ipſam videndam, & interrogans illam, ubi ſentiret dolorem, contrectavit locum.

eum manu, unde tam citò abscessit dolor, ut postridiemanè surrexerit ac laboraverit, sicut priùs. Aliam fœminam, suam vicinam, quæ habebat pessimè affectam unam mamillam, nec adjuvabatur ullis medicamentis, semel iterúmq; visitavit, tetigitq; in parte magis exulcerata, & fuit paulatim sanitati restituta. Alium vicinum, periculosissimè ægrotantẽ ex asthmate & alijs morbis, ità ut jam ageretur de conferendis ipsi Sacramentis, ex DEI inspiratione invisit, ac imposuit illi manum, ex quo contactu convalvit. Suum Fratrem & Cognatam, graviter laborantes ex ulceribus, quasi absq; spe recuperandæ sanitatis, curavit intra brevissimum tempus suis precibus, ùt ipsi crediderunt. Atq; idem in quibusdam rebus evenit cum ejus sororibus.

Quædam Monialis ex Monasterio, quod nomen habet à Matre DEI, constituta in extremo mortis periculo, desideravit aliquid habere ab hac famula DEI, confidens, se eo sanandam. Misit ipsi Rosarium, in quo erat effigies, cui ipsa se dicebat esse addictam, & sic meliùs habuit, atq; convaluit: dixitq; illi Dominus, quòd hoc miraculum fecerit, non solùm ob confidentiam Monialis, sed etiam propter singularem ipsius affectum, quo illam prosequebatur.

§. III.

ILla ipsa mihi enarravit alios tres casus sequentes. Quando Primogenita Filia Regis Philippi Tertij, quæ nunc est Regina Galliæ, erat infans, dum Aula moraretur Vallisoleti, ægrotavit, habuitq; caput & faciem coopertam quibusdam crustis, ut aspectus ipsius moveret ad commiserationem. Visitavit DEIpam hanc suam Famulam, more solito, & expressit modicum lactis ex suo Sacratissimo ubere, ad volas manuum ipsius, dixitq; ei: Visita Filiam Regis, & applica istud lac illius capiti ac faciei, sanabitúrq; sine mora. *Ipsa invisit Dominam Marchionem de Valle, quæ tunc erat Nutrix Filiæ Regiæ, sicut illam aliàs consueverat invisere; quia hæc Domina vehementer delectabatur illius conversatione & ex ea proficiebat: rogavit ipsam, ut sibi ostenderet Primogenitam Regis, & valde dissimulanter, ità ut non adverteretur, quid ageret, contrectavit illius caput ac faciem, atq; intra quatriduum ipsi deciderunt illæ crustæ, & abscessit omne malum, quod fuerat passa. Alius quidam vir dum repararet tectum, ruit ex illo, & confregit crura: erat pauper, habebátq; multas proles, quæ omnia ipsam movebant ad illi condolendum, rogandúmq; DEUM instanter, ut ipsum sanaret. Sensit hæc Famula DEI inspirationem, ut illum inviseret ac tangeret, id quod fecit, quasi aliud agendo, & fuit intra breve tempus pristinæ valetudini restitutus. Audivit dici de alio, qui similiter ceciderat, sensitq; eandem inspirationem, sed nescivit ubi moraretur; exivit ipsum quæsitum, placuitq; DEO, ut inveniret Domum: reperit in miserabili lecto infirmum, quem tetigit & sanavit.*

Aliâ vice, cùm vicina quædam ipsius suscepisset extremam Unctionem, visitavit illam unà cum sua Matre, præsentibus multis hominibus: accessit infirmam, interrogans ipsam, quomodo valeret, & an illi aliquid doleret. Dixit, omnino se dolorem sentire: & ipsa notavit locum, in quo patiebatur dolorem. Habuit potentem DEI inspirationem, ut illam tangeret. Tetigit eam occultè, & infirma subitò exclamavit, dicens: Quis me attigit? quia me sanavit, & liberavit à dolore. Illa celeriter fugit, ne resciretur, quis infirmam tetigisset. Aliàs cùm quidam adequitarer in effræni equo, adeò furente, ut ipsum non posset detinere, omnes vehementer vociferabantur, accurrentes ad ipsam. Illa dixit DEO: Domine, detine ipsum; *& in momento stetit, instar agni.*

Postquam ægrota decubuit in lecto, quando veniebant infirmi ad illam visitandam, consolabatur ipsos eo modo, quo poterat, & quamvis desiderarent, ut illos tangeret manu, vel ipsis aliquid daret, abnuebat ac repugnabat vehementer, non ex defectu charitatis, sed ne delinqueret contra humilitatem, eò quòd, si sanarentur, publicaretur miraculum. Quæ in re ipsi evenerunt quædam notabilia, quæ referentur in sequenti capite.

CAPUT

CAPUT XVII.

De repugnantia, quam sensit, in sanandis miraculosè infirmis, conscijs alijs, ac de rebus notatu dignis, quæ ipsi ea in re contigerunt cum DEO.

Repugnantia, quam Venerabilis Marina ostendit, in patrandis miraculis, tangendo infirmos, ut illos sanitati restitueret, quando deventum erant in aliorum notitiam, est indicium miraculosæ humilitatis, minimèq; contrariæ charitati, ex cujus impulsu illa patrabat clàm, pro sublevandis ægrotis.

Postquam, *inquit*, aliquot diebus desideravissem & petivissem à DEO, si cederet ad ipsius obsequium, sanitatem, pro quodam Religioso Societatis JESU, qui inciderat in gravem morbum, in quadam Missione; & quamvis illi DEUS contulisset aliquam sanitatem, ut posset surgere è lecto, remansisset tamen debilis, retinuisset; malè affectam linguam, & unum crus, ut eo non posset uti, vices ipsius dolens, quòd illum viderem ità miserum & inutilem, pro ministerijs suæ Religionis, quæ ipsius operâ indigebat, semper optabam, & petebam à DEO, si ipsi placeret, ut illum restitueret integræ sanitati. Dum in hoc perseverarem, incepit DEUS meæ animæ summam ingenerare confidentiam, fore, ut, si ego in ejus nomine apprehenderem illius brachium, sanaretur, ac liberaretur ab ea contractione, & quadam paralysi, quam patiebatur, atq; unà mihi dixit Divina Majestas: Age nunc, & abi, surge ac vade, ut facias, quod à me intellexisti, & sana ipsum: id quod mihi dixit bis, térve. Ego miserabilis, hoc audito, eram consternata, & reluctabar ac repugnabam vehementer, quia mihi non poteram persvadere, DEUM velle assumere instrumentum tam miserabile & vile, pro præstando opere tam insigni, quàm illud erat. Etiamsi enim ego non possem dubitare, quin id Divina Majestas suâ infinitâ potentiâ posset efficere, utendo qualicunq; instrumento, mea tamen miseria, & quòd me agnoscerem adeò tali re indignam, me potenter impellebat, ut dicerem intra me, ac ad DEUM frequenter, me non posse quidem repugnare, quodsi tamen tale quid fieret, ac divulgaretur, id suffecturum ut aufugerem, ac migratem ex hoc loco. Videbatur mihi etiam, fortasse hoc mihi non præcipi, sed probari me à DEO, ut videat, quid in me lateat, útq; idipsum ego intelligam & agnoscam. Præterea & istud obversabatur méti meæ, propter meos timores, quòd, si DEUS, quia mihi hoc ad me tantùm probandam dixisset, vellet, ne quidquam efficerem, mea anima repleretur timoribus, ac dubijs, & anxietatibus: quamvis verum sit, quòd propter nullam ex his, aut quamcunq; aliam rationem vellem recedere in minimo à voluntate DEI, cui toto meo corde, & pro viribus desidero placere. Occurrebat mihi insuper tertia difficultas, quia mihi videbatur, ex qualicunq; Religiosi contactu, posse oriri scandalum, turbationem, & offensionem proximorum, quod ego semper volebam evitare, non secus ac ignem, adeò, ut, optans ex animo contemni ac despici propter DEUM, semper in animo meo id fixum habuerim, ut commodum & profectus animarum, ac Divina gloria inde proveniens, esset salva, neq; imminueretur propter meum privatum bonum, ac emolumentum. Cùm ergo ità se res haberet, proposui has rationes Domino, qui illis auditis siluit, & abstulit animæ meæ, pro eo tempore, impulsum, quo ipsam incitaverat ad curandum illum infirmum. Ego tunc veneti conqvievi, sed fui anxia, timendo, nella mea tergiversatio esset mea fragilitas, nimius timor & verecundia naturalis, propter

pter quam omitterem implere voluntatem DEI, & sequi ipsius inspirationem. Quod autem me maximè affligebat, erat, an ille timor, quem habebam, quòd fortè, si tangerem infirmum, non convalesceret, non oriretur ex aliqua occulta superbia, quam ego non comprehenderem, utpote latentem in fundo animæ. Paucis diebus sensi istas molestias ac difficultates, desiderans me conformare voluntati DEI, qui quodam die intimè pervadens animam meam, incepit se mihi communicare, dicendo mihi: Quare es ità anxia ac perplexa, & pateris tantam animæ afflictionem? Cùmq; ego responderem, meam anxietatem ex hoc procedere, quòd timerem, agerémne conformiter Sanctissimæ ipsi⁹ voluntati, an secùs in eo negotio dixit mihi Divina Majestas: Volo tibi nunc dicere, pro tuo solatio, quid hoc sit, quídq; tibi evenerit in tuis dubijs ac difficultatib⁹.

Quod attinet ad primum; quia angeris, an tibi præceperim determinatè, ut reverâ te conferres, ad curandum illum infirmum, quódq; non obediveris, scias velim, id tibi à me tunc non fuisse mandatum tam absolutè, sed eo modo, quo superior quispiam valde amans, & bene cognoscens suum subditum, à quo vicissim se amari confidit, quòdq; sit libenter facturus, si quid ipsi mandaverit, ageret cum hoc subdito, de aliquo gravi negotio, volens illud ipsi committere expediendum, unáq; intelligere ejus propensionem & capacitatem; atq; in hunc finem illi diceret talia, ut subditus cogitaret, ac animadverteret, sine dubio velle superiorem sibi mandare & committere id negotium, & cum ista cogitatione ac opinione, applicaret animum solicitè & attentè expendendo grandi illi operi à se peragendo; atq; consideratâ suâ exiguâ aptitudine, quam suo judicio haberet, pro tanta re, inciperet vacillare, dicendo: Quomodo esset possibile, ut ipse exequeretur hoc opus, & se non posse intelligere, neq; credere, sibi à Superiore tam discreto & sapiente talem rem mandari, aut committi: constitutus autem in hac perplexitate ac dubio, expectaret, cupiens sibi id eximi, ut ipsi superior declararet suam mentem, aperirétq; suam voluntatem & intentionem, non audens facere, neq; mandare exeqvutioni quidquam concernens illud negotium. Ità tibi mecũ accidit in eo, quod te affligit, téq; reddit dubiâ & anxiâ; propterea nè affligaris, neq; angaris, cogitans, te non obtéperavisse meo mandato & voluntati. Hac ratione disces & cognosces à mea sapientia diversos modos, quibus ago cum animabus. Quando enim tibi dixi: Abi, vade, & sana eum infirmum, feci hoc quod in te ipsa agnosces, si id bene consideres, non sicut soleo, quando tibi aliquid impero determinatè, ut illud exequaris, sed ac si dicerem, ad te probandam & explorandam, quomodo id suo tempore esses peractura: Fac modò magnum istud opus.

Quoad secundum, quod te magis vexat ac affligit, an sit superbia ille timor ac molestia, quam sentis, ne, si non fiat illud opus, & non bene succedat, præbeatur scandalum proximis, scias, id non esse superbiam, ùti tu times: sed quia desideras ex toto corde tuo majus bonum animarum, & ne sis, quantum est in te, illis offendiculo aut scandalo, vel malo exemplo, nolles, conformiter huic tuo bono desiderio, reperiri in te quidquam contrarium: atq; hoc poteris cognoscere, esse verum, ex eo, quod extra hos casus, qui concernunt proximos, si esset mea voluntas, desideres contemni ab omnibus, atq; idcirco gratum tibi accideret ire aliquò, ubi tractareris, quemadmodum tibi videris mereri, & parùm vel nihil æstimareris, in quo similis es tuo bono Patri IGNATIO, cujus doctrinâ es educata, qui maluisset aliquid deperdere, de sua corona, minùs pro me patiendo, quàm illam augendo, nocere, vel minùs prodesse proximis.

Tertium, quod tibi metum incutit, ac adfert molestiam, fore videlicet, ut si illud opus non fieret, summè timeres, quid hoc esse posset, oritur ex tua meticulosa natura, ac imbecilli, cùm tamen nihil in eo reperiatur difficultatis, neq; ulla causa, vel ratio sit timendi. Audivit mea ani-

ma attentè, quod illi Dominus dicebat, quódq; ipsam docebat suâ illâ Divinâ & & cœlesti sapientiâ: quia in ejusmodi communicatione, quando nemo præter illum loquitur, non audit, neq; audire potest anima, nisi ipsum, totâq; absorbetur in illo, plena lumine, bonis & solatijs cœlestibus, expulsis & abactis ab illa tenebris omnis timoris, confusionis, & ambiguitatis.

Alius casus ipsi rigidior evenit, in quo luit promeritam pœnam, id quod ipsa sic refert: Duo Religiosi Societatis, servi DEI, invisentes me quodam die, rogaverùt me, ut peterem à Divina Majestate sanitatem unius sui Collegæ, qui cùm iter ageret, invasus fuit à canibus, & perterrefactâ mulâ, quâ vectus fuerat, cecidit, luxavítq; brachium in cubito. Licèt autem fuerit curatum, mansit mancus ità, ut non posset inflectere brachium, oporterétq; illud rursum luxare, ac de novo curare, cum ingenti dolore ac molestia ipsius. Jusserunt me orare DEUM pro illo, ut bene succederet hæc ejus curatio, si ità ipsi placeret. Auditâ hâc relatione, præter morem indolui, & fui illuminata à DEO, hoc factum fuisse à diabolo, qui actus in rabiem, propter ea, quæ ille Religiosus operabatur pro DEI honore, concitaverat eos canes, seu ipsos fuerat ingressus (permittente id DEO, propter incomprehensibilia sua judicia, & pro bono illius Religiosi) ut ei noceret, & incommodaret, quantùm posset. Dum illos audirem cum hac commiseratione, incepit DEUS suggerere meæ animæ occultissimè inspirationé, qua mihi innuebat ac indicabat, ut adirem illum infirmum Patrem, & apprehensum ipsius brachium meis manibus, moverem ac attollerem, qui illud gerebat pendulum, neq; poterat incurvare, ut sic sanaretur. Animadvertens, DEUM velle, id à me fieri, fui valde turbata & afflicta, atq; tam notabiliter ab eo abhorrebam, ut mihi videretur factu impossibile, neq; id auderem tentare: quia, propter meam naturalem verecundiam, dimicabant in meo corde duo: unum erat indecentia, & quasi temeritas, in adeundo illo Patre, apprehendendóq; ipsius brachio, ac attollendo: alterum verò notitia facti, pudor & confusio, atq; alia, quæ eram sensura, erantq; mihi obventura, eò quòd alij id essent visuri, neq; intellecturi, me à DEO assumi, pro instrumento ejusmodi rerum. Ultra mediam horam fuit passa istos cordis mei conflictus, qui me vehementer angebant, & reipsâ, quia inspiratio Divina id non præcipiebat cum imperio, sed veluti rogando, eò quòd DEUS perspectam haberet meam fragilitatem, quamvis ipsa sufficeret ad obediendum Divinæ Majestati, vicit mea pusillanimitas ac imbecillitas naturalis, neq; feci, ad quod incitabar. Abiverunt Patres, & ego ipsis promisi, me facturam, quod mihi imperabant, commendaturámq; DEO, in meis indignis precibus, illam necessitatem, quàm diligentissimè possem. Sed postea, intra medium horæ quadrantem, incepit DEUS adeò potenter arguere meam animam illius defectus, & imperfectionis, quam admiseram ut mihi viderer confusissima & afflictissima. Dicebat Dominus: Es inobediens, pusillanimis, meticulosa, verecunda naturaliter. Cùm autem te sufficienter instruxerim aptitudine ac dispositione, tam naturali, quàm supernaturali, pro talibus operibus, concernentibus honorem meum & gloriam, non exequeris tamen illa, sed sequens tuas naturales propensiones mihi repugnas; malè facis; quare sic agis? Hæc, & alia hujusmodi dicebat DEUS, quæ ego audiebam cum prædicta anxietate & afflictione. Et cùm nescirem quidquam respondere, dixi Divinæ Majestati: Meritissimò me Domine reprehendis, & corripis propter meos defectus ac peccata. Sed verè, mi Domine, cogito & credo, quòd te non bene intellexerim, propter afflictionem ac turbationem naturalem, quam experior in similibus rebus. Quia sine dubio existimo, quòd, si bene & clarè intelligerem, & agnoscerem tuam sanctissimam voluntatem, facerem, tuâ adjuvante gratiâ, quidlibet, quod mihi imperares, quantumcunq; esset molestum ac difficile. Ignosce mihi,

hi, Domine, & propitius esto mihi, propter tuam bonitatem, atq; si vis, & est tua sanctissima voluntas, ut faciam & exequar modò, quod non feci, faciam libenter; adhuc enim locus est & occasio, ut id possim peragere. Ad quod mihi respondit Dominus, non statim, sed post aliquam veluti moram: Jam non est tempus, Marina, præterijt occasio: supersede, & abstine ab hac re. Quomodo fuerim tum constituta, quilibet intelligat; egregiè videlicet compuncta & afflicta, idq; per triduum vel quatriduum. Postea verò paulatim, per ordinariam communicationem animæ meæ cum DEO, & misericordiam, quam Divina Majestas mihi præstabat, & suavitatem, quam mihi exhibebat, attemperata mihi fuit, & sublata illa anxietas, ac afflictio. Sed post paucos dies, cùm essem intenta orationi, jam ejus rei immemor, jussit DEUS meos Sanctos Angelos mihi dicere, ut propter quosdam defectus, quos commiseram, subirem pœnam. Postquam hoc dixissent, etsi id senserim ac timuerim, resignavi me statim in manus DEI, ipsiúsq; Ministrorum, sive ij essent Angeli, sive diaboli, ut in me fieret per omnia ipsius quàm sanctissima, & amabilissima voluntas: cogitabam verò in corde meo, propter qualem meum defectum & peccatum essem punienda, quia tunc penitus non recordabar ejus defectûs, quem recensui. Dominus, qui bene cognoscebat meam cogitationem, præcepit meis Angelis, ut mihi dicerent causam hujus supplicij, ideóq; mihi dixerunt: Soror nostra, vehementer es immemor inobedientiæ, quâ offendisti DEUM, non sanando brachium illius infirmi. Noveris porrò, hanc esse culpam, quæ tibi luenda est. Quatuor vel quinq; diebus angebar timore ac solicitudine, quia natura sibi non deerat, & non sciebam quando vel quomodo essem castiganda, quamvis ominarer modum illius punitionis. Et quodam die S. Michaëlis manè, dum agerem cum DEO, me nihil minùs cogitantem Angeli castigaverunt, ad magnum dolorem. Suscepi id cum resignatione & solatio, quia necesse erat, ut luerem meam culpam, & plecterer pro merito, útq; in me fieret voluntas DEI, & illi Sancti Angeli mihi disparuerunt, nec eos ampliùs tunc vidi.

Addamus dictis, ut appareat magnus amor, quo DEUS hanc suam famulam prosequebatur, quòd videns verecundiam, quâ cumbat infirmos, voluerit ipsâ insciâ sanitati restituere propter illam, nonnullos, qui ipsam noscebant, ac venembantur, id quod clarè indicat visio, quam habuit hunc in modum. Vidi quodam die duos Sanctos Angelos, præter ordinarios, qui semper mecum manent, volentes me alloqui. Ego vehementer fui turbata, & gessi me dissimulanter, fingens, ipsos à me non videri, & constanter abnuens illos audire, quod duravit per unum diem, donec sub medium noctis Sanctus meus Angelus Custos me adegisset, ad ipsos aspiciendos, & audiendos, ac faciendum, quod mihi imperarent. Venerunt ad me, & ostenderunt mihi quoddá vasculum crystallinum, delicatissimum & splendidissimum, infernè rotundum, absq; pede, habens altum collum, instar phialæ. Erat distinctum bifariam, in una parte continebat lac, in alio verò sanguinem, sed duos liquores, colore referentes lac & sanguinem. Jusserunt me, illis liquoribus trinam impertiri benedictionem. Ego valde tergiversabar, nec poteram induci ad hoc faciendum, licèt juberer, donec me Sanctus meus Angelus Custos ad id compulisset. Atq; tunc, etsi cum magna difficultate, hoc feci. Postea idem mihi dixit: Quàm attonita, consternata, & refractaria fuisti, quòd volueris consentire in id, quod à te duo Angeli DEI petebant? Tu nescis mysterium. Medicina erat illa quædam Divina, ad restituendam, eâ adhibitâ, sanitatem quibusdam infirmis, jussu DEI, & quia ijdem infirmi tibi sunt bene affecti.

Concludamus eo, quod illi contigit, cùm incidisset in morbum ipsius Sororis, quæ inhabitabat altius conclave, imminens illius cubiculo, in quo ipsa decumbebat, & patiebatur suas infirmitates. Postquam DEUM depre-

deprecata fuisset pro ejus sanitate, vidit, quasi ex tabulato sui cubiculi cadentem, supra suum lectum, quandam venustissimam, candidissimam, & elegantissimam aviculam, quæ gratiosissimè saltitabat, cùm summa jucunditate, per cubiculum, & egressa inde per portam, ascendens per gradus, ad cubiculum suæ sororis, in quo etiam jucundissimè subsiliebat, atq; evolans ad lectum, pertrectavit illam in pectore, latere, capite, & pedibus, rostrello, ac deinde intravit in os infirmæ, & subitò disparuit. Sancti Angeli ipsi explicuerunt hujus rei mysterium, dicendo illi, quòd DEUS ei voluerit indicare, se ex virtute ipsius naturali, & supernaturali, nihil illi auferendo, communicare ejus sorori, id, quo indiget, ut confortetur in corpore & animæ. Atq; ità convaluit ex infirmitate, quæ fuerat periculosa.

CAPUT XVIII.

De rebus notatu dignis, quæ ipsi acciderunt cum DEO, concernentes carcerem, & mortem Domini Roderici Calderonij.

VSq; adeò est pervulgata in universa Hispania, bona & exemplaris mors Domini Roderici Calderonij, quòdam Marchionis Septem-Ecclesiarum, ut mihi visum fuerit, referre arcana, illam concernentia, quæ acciderunt Venerabili Marinæ cum DEO: quia procul dubio obtinuisse videtur à Divina misericordia, tam admirabilem dispositionem ad moriendum, & evolandum ad Cœlum, multis eleemosynis & optimis operibus, quæ illi præstitit in vita, & per ferventes preces, quas ipsa pro eo fudit, dum esset comprehensus, donec moreretur: atq; etiam, quia ipse rectè fuerat usus bonis consilijs, quæ ista famula DEI illi suggerebat, præveniente ipsum, ac disponente DEO pro eo, quod illi erat eventurum. Cujus rei fuit magnum indicium, id, quod mihi retulit Dominus Ferdinandus Ramirez Farinjas, Supremus Auditor Consilij Regiæ Majestatis, qui tum morabatur Vallisoleti, visitans istud Regium Auditorium, & sua mecum conferebat consilia. Quia, cùm venisset, ad ipsum comprehendendum de mediâ nocte, juxta mandatum, quod acceperat, dixisset q; illi causam sui adventûs, & ut se vestiret, ac secum abiret, sustinuit hunc ictum tanta cum humilitate, & submissione, atq; conformitate cum Divina voluntate, ut Judex, & qui ipsi erat à secretis, mirati fuerint, ac obstupuerint: quòd illis videretur, non posse ab aliquo Sancto Religioso ampliùs expectari. Et cùm ab eo petivisset chartas, quas habebat in sacculis, sinè mora illas exemit omnes, etsi essent secretissimæ, usq; ad libellum examinis, in quo conscribebat sua peccata, pro confessione Sacramentali, & omnes ipsi tradidit. Cætera quæ contigerunt, pertinentia ad nostrum propositum, conscripsit Marina, DEO jubente, sequentibus verbis.

§. I.

Quid ipsi contigerit ante mortem Domini Roderici.

ERat quidam Vir illustris, nomine Dominus Rodericus Calderonius, Marchio septem Ecclesiarum, benefactor meus, quem à pluribus annis noveram & commendabam DEO, cui etiam dabam bona consilia, spectantia ad virtutes, & profectum ipsius spiritualem, ad quod illum, & ejus animam videbam optimè dispositam.

positam. Hunc nobilem virum, ità dispositum, permisit DEUS, ex suis incomprehensibilibus & altissimis judicijs, vehementer ac terribiliter affligi, molestiâ carceris. Unde supra modum mea anima cruciabatur, summè desiderans salutem animæ ejus, cum magno auctario gratiarum, idq; primo loco; tum ut, si Divinæ Majestati placeret, ac illi expediret, liberari cum honore ex carcere, id propter bonitatem suam faceret. Incepi hoc à DEO quàm enixissimè, & ardentissimè petere, quasi absq; intermissione, noctu, diúq;, per tres annos, demptis quatuor mensibus, quamdiu duravit captivitas. Tandem autem, dum offerret DEO suam vitam in manus Justitiæ, cum omnium admiratione & solatio, propter magna indicia, quæ in sua captivitate & morte edidit, pœnitentiæ, conformitatis cum Divina voluntate, & veræ resignationis, quâ acceptavit mortem, ac decollationem, amore sui DEI, & in satisfactionem pro suis peccatis, erat ingens fortitudo ipsius animi, quam præsetulit in illo tam terribili actu: & cùm ejus rei fama divulgaretur per totum Regnum, hoc tempore, de quo sum loqvuta, mihi evenerunt quædam prorsus insolita cum DEO, concernentia id, quod intelligebam & agnoscebam in Divina Majestate, habito lumine, quo illustrabat meam animam, de illius salute, déq; cæteris, quæ eventura erant isti creaturæ, ex quibus referam aliqua ad gloriam DEI, & quia scio, hanc esse ipsius sanctissimam voluntatem; non autem omnia, quia id mea debilitas, & infirma valetudo non patitur.

Quod ad primum attinet, quotiescúq; commendabam DEO istam personam, videbam, in manibus alicujus Judicis æquissimi & benigni, ac dirigentis totam istam causam, ad salvandam ipsius animam, cum magno meritorum incremento, unde mea anima summum capiebat solatium. In reliquis, quem exitum essent habitura temporalia, etsi me DEUS non contristaret, ex sua pietate, timebam tamen semper, ideóq; non poteram consolari ipsius cognatos, qui hac de re mecum loquebantur. Erant magnæ disceptationes animæ meæ, disputantis cum DEO, de isto negotio, quas, eò quòd sint usq; adeò subtiles ac mysticæ, hoc loco non refero.

Ita constitutis rebus, aliquot mensibus ante ipsius mortem, mihi DEUS in spiritu ostendit hoc mysterium. Vidi istum Dominum duci ab Angelo ipsius Custode, qui constituens illum ante quandam Crucem magnam, duram ac terribilem portatu, obtulit illam ipsi amplectendam, acceptandam, amandámq; ex corde, nomine DEI, dicendo illi: Anima, Crux illuminat, ac dirigit, & vivificat. Videns ea Creatura horribilem terribilitatem illius Crucis, quam ipsi Angelus offerebat generosè tolerandam, naturaliter valde horrebat, & contremiscens illam subterfugiebat. Angelus autem sua inspiratione illum potenter urgebat, ut se submitteret, atq; consentiret, & amplecteretur ac susciperet Crucem. Verùm, naturâ suum præstante officium, etiamsi tentaret ipsam suscipere, & amplecti, nihilominus cum magno timore reluctabatur, ac tergiversabatur. Dum ità confligerent inspiratio Angeli, ac timor humanæ naturæ, illius creaturæ, tota ea Crux fuit obscurata, à summo usq; deorsum, & procidens humi, quia steterat erecta, paulatim mirabiliter descendebat, ac intrabat in terram, donec ab illa penitus tegeretur. Videns hoc ille Dominus, consternatus est ac terrefactus, & redactus ad magnam angustiam, fuitq; afflictus, quia videbatur sibi fuisse temerarius, tepidus, & incircumspectus, eò quòd restitisset inspirationi Angelicæ, noluissetq; complecti Crucem, & prostratus humi, multa infigebat oscula ei loco, in quo fuerat Crux, & adorabat illum, ac venerabatur, & cupiebat, ac desiderabat ex corde amplexari Crucem. Dum esset ista Creatura tam bene disposita, Crux illa admirabilis, quæ fuerat cooperta à terra, atq; sepulta, incepit resplendere, & prorumpens foras ac super terram; emittebat ex se radios splendidissimos, & tota appa-

apparebat esse conflata ex auro purissimo, ac ardens igne vehementi & comburente. Videns idem Dominus istud tantum mysterium, motus inspiratione Sancti Angeli, magno affectu suæ animæ amplexatus est illam admirandam Crucem, & adoravit, suscepitq; ex corde, transfundens voluntatem suam in Divinam, paratúmq; se exhibens ad omnia, quæ de ipso vellet facere, juxta suum sanctissimum beneplacitum, & conducerent ad ipsius animæ salutem. Viso hoc mysterio, cum magno solatio, mea anima fuit abrepta, ac unita suo DEO, & quando mihi sum reddita, gratias egi Divinæ Majestati, pro tanto favore, præstito illi Creaturæ.

§. II.

Quid contigerit circa ejus mortem, & ipso die mortis.

POst hoc, triduo vel quatriduo ante mortem hujus Domini, mihi illum DEUS exhibuit spectandum in spiritu, sequenti modo. Cùm nihil minùs cogitarem, quàm, eventurum mihi aliquid tale, essémq; intenta consvetæ meæ orationi, vidi ipsum quasi obambulantem, cum magno gaudio & solatio, per cœlestem Curiam, acsi lustraret illam cœlestem patriam, & adiret ipsius possessionem, in qua, ex Divina misericordia, esset æternùm victurus. Præseferebat magnam lætitiam, & vestis illius erat pretiosissima, ac elegantissima toga, ad pedes usq; protensa: aureus hujus togæ pannus erat gratiosè, usquequaq; concisus, pérq; aperturas apparebat quædam velut suffultura tam pretiosa & splendida, ut videretur esse purissimo referta auro, ac gemmis. Hæc toga præbuit meæ animæ occasionem magnæ considerationis, unde dicebat: DEUS bone, quare pannum tam pretiosum & pulchrum, qualis est hujus togæ, ità conciderunt? Nónne præstitisset illum esse integrum, & inconcisum? Dum ita mea anima hæreret attonita, manifestavit ipsi DEUS mysterium, dicendo: Considera, Anima mea, istas scissuras, quas vides in hac veste tam jucundas aspectu. Repræsentant enim, & significant peccata hujus Creaturæ, quam sic vides obambulantem, ac defectus, qui, propterea quòd de illis doluerit, egerit pœnitentiam, atq; ab illis resipuerit, tantum abest, ut defœdaverint ipsius animam, ut potiùs per hanc suffultura ità gratiosam & pretiosam, sicùt vides, pœnitentiæ & resipiscentiæ, efficiant, ut tota hæc vestis sit figura & symbolum animæ ipsius tam gratiosæ, pretiosæ, & ex ornatæ. Mea anima fuit vehementer recreata & mirata est, id quod ipsi dixit DEUS, atq; attollens oculos, vidit, illum Dominum habere in capite pretiosam coronam, instar diadematis, & in suo collo monile ex pretiosis lapidibus, statímq; ac DEUS ostendit meæ animæ hoc mysterium, fuit rapta in ecstasim. Quando ad me redij, magnas egi DEO gratias, pro omnibus operibus ipsius ac misericordijs. Postquam advenit dies, quem Divina Majestas in suo supremo Consistorio decreverat, ut iste Dominus migraret ex hac vita mortali, ad fruendum vitâ æternâ, per terribilem mortem decollationis, & naturæ adversissimam, quod contigit quodam die Jovis, post meridiem, vigesimâ primâ Octobris, anno millesimo, sexcentesimo, vigesimo primo, in festo undecim millium Virginum, eâdem horâ & momento, quo ista Creatura conscendit locum, ubi illi erat subeundùm supplicium mortis, & consedit in sella ejus loci, fui ducta, in spiritu, ab Angelo ipsius Custode, comitantibus me illis Angelis, quos attribuit Dominus meæ animæ, per modum somni cujusdam spiritualis, ad illum miserabilem locum, ubi adfui præsens illi actui, acsi reipsâ & verè ibi essem cum corpore & anima, fuitq; mihi manifestatum, quod ad gloriam DEI recensebo. Vidit mea anima advenientem quandam gravissimam, formosissimam & modestissimam Virginem, in vestitu honesto, quam comitabantur, quasi pedisequæ, aliæ Virgines. Venit ad locum, in quo erat ille Dominus, & cùm eum perquàm affabiliter, amanter,

manter, ac benignè intueretur, is ipsam vicissim aspexit, & assurrexit ex sella, in qua sederat, ac defixis in eo theatro genibus, salutavit illam affectu humillimo, amabiliter & humanè, dicendo ipsi: Bene veneris, dilecta mihi Domina mea dilectissima, quam ex corde meo desideravi: Tu es chara Sponsa mea, atq; ut talem te æstimo, & suscipio, amo ac veneror. Et apprehendens blandissimè ac modestissimè formosissimas ipsius manus, osculatus est illas dicendo: Dissvaviabo tuas sanctas manus, & tu eris gloria mea: tu es numeris omnibus absolutum bonum meum, & meus honor.

At cùm hoc dixisset, illa mystica Virgo, quæ erat figura & forma Crucis, quam erat subiturus, ipsum elevavit, collocavitq; in sella, & evanuit: ac tum subitò fuit peractum illud supplicium; ego verò sum reducta ab Angelis, qui me eò adduxerant, ad meum Angulum. Postquam ad me redij ex illo raptu, & quasi somno, reperi me afflictissimam, ac animam meam gravatam mœrore, & compatientem morti illius Domini; quamvis summum habuerim solatium in DEO, quòd vidissem talia mysteria, & illum complexum atq; desponsationem, quâ sibi anima ipsius desponsavit Crucem in hora mortis. DEUS sit benedictus.

§. III.

Quid acciderit post mortem.

ELapsum inde erat biduum, quando mihi manè, agenti cum DEO, loqvuta est spiritualiter anima istius Domini, quin tamen ipsum viderem, more humano, dixitq; mihi admodum jucundè: DEUS sit tecum, mea Mater, & rependat tibi semetipso beneficium, quod mihi contulisti. Audiens eam loquelam spiritualem, subitò ipsam agnovi, illuminata à DEO, & respondi illi cum solatio: Bene veneris, Anima DEI: Dic mihi, rogo te, amore ipsius, si id meo DEO placet, estq; illius sanctissima voluntas, quo sis loco, & an fruaris tuo DEO, vel commoreris in pœnis Purgatorij. Respondit mihi cum magno gaudio: Mater mea, fruor summo Bono, ex Divina bonitate & misericordia, atq; propter tuam intercessionem. Significo autem tibi, pro majori meo bono, & gloria DEI, voluisse Divinam Majestatem, ut, quando mea anima est egressa ex meo corpore, à Sanctis Angelis, qui ipsam ducebant ad cœlestem Jerosolymam, duceretur proximè Purgatorium, ut videret terribiles pœnas, à quibus illam DEUS per suam misericordiam liberaverat, & quarum loco acceptaverat, molestiam ac tormentum carceris, & mortem mei corporis, quod tamen totum comparatum vel cum atomo eorum, quæ illic tolerantur, fuit instar picturæ, comparatæ cum re viva & vera, tantúmq; mei quædam humiliatio, quam sustinui in transitu. Ut hoc agnoscerem, absq; ullius ferè sensu pœnæ, me edocuit, ità se rem habere. Dego in summis gaudijs & quiete æterna, quam non possum exponere, neq; ulla lingva est, quæ ipsam valeat explicare. Benedictus sit DEUS in æternum, qui tam abundanter remuneratur dolores temporales, ideóq; te rogo, Mater mea, amore DEI, ut bono sis animo, & magno tibi sit solatio tua Crux, ac tua patientia, quia pateris pro tuo DEO, manentq; te tanta ac æterna præmia, & quies, atq; nunc vale. Et hoc dicto cessavit, desiitq; communicatio cum illa anima, ego verò fui rapta in ecstasim, ex qua ad me rediens, cum ingenti solatio meæ animæ, agebam magnas gratias DEO pro tantis favoribus ac miserationibus, quas exhibuerat illi Creaturæ. DEUS sit benedictus.

Post unum abhinc diem, dum manè agerem cum DEO, venerunt ad me Domini mei Sancti Angeli, & postquam me induissent quâdam mysticâ veste, coloris quasi cælestis, & lucidi, imposuissentq; coronam meo capiti, in momento me tulerunt ad cœlestem Jerosolymam, constituerúntq; me in conspectu Divinæ Majestatis: ubi vidi venientem ad me animam istius

istius Domini defuncti, de quo loquor. Veniebat autem in humana specie, referente ipsius vultum, ac personam genuinam; & erat tam subtilis ac transparens illa materia ejus figuræ, ut per ipsam apparuerit lumen & splendor animæ, quæ eam assumpserat, dixitq; mihi humillimè & peramanter: Bene veneris, ad hanc cœlestem Aulam, Mater ac Domina mea, bene veneris, in nomine Domini, qui tibi rependat tantum beneficium, quod mihi præstitisti, tuis precibus, per bonitatem DEI, cui ego infinitas ago gratias, quòd voluerit, ipsíq; placuerit, pro tuo solatio & tua gloria, ut esses testis oculata gloriæ ac beatitudinis æternæ, quam possideo, útq; id manifestares viventibus in mundo meis cognatis, ad eorum solatium & gloriam DEI. His dictis, disparuit illa species & figura, quæ erat instar nubeculæ lucidæ ac subtilis; remansitq; anima ipsius gloriosa & splendidissima, in specie columnæ, conflatæ ex auro purissimo, & igne potenti ac splendidissimo, quæ tota erat circumdata à Sole pulcherrimo summi splendoris, cujus radij videbantur pertingere ad Divinum Esse, unde illi animæ communicabatur & conferebatur omnis beatitudo, quâ fruebatur, quámq; possidebat. Fuit summum solatium, quod percepi ex isto aspectu, & postquam illo fuissem aliquandiu fruita, fui abrepta; quando autem ad me redij, reperi me à meis Dominis Angelis reductam ad meum angulum.

Elapso pòst biduo, dum tempore quodam matutino agerem cum DEO, & vehementer affligerer à meis extraordinarijs doloribus, vidi istam creaturam, quæ me est allocuta, quamvis ego resisterem, méq; abstraherem ab eo videndo ac audiendo, quia præterquam, quod id plerúmq; faciam; cùm bonum sit ità interdum facere, quando hoc DEUS permittit, ut non erretur, neq; propterea perdatur DEUS, vel ipse omittat revelare mysteria, eò quòd sic illi præstetur obsequium, & quia mea anima bene erat occupata suo DEO, restiti initio, sicut dixi: Videns hoc illa Anima, dixit blandè & amanter: Ne me fugias, Creatura DEI, ego enim non venio ad te occupandam, néq; molestandam, abstrahendo te à tuo DEO, sed ut te soler, & animem, adferámq; tibi bonum nuntium, quòd non sit diu differenda tua migratio: atq; ecce, quando venerit tempus tuæ mortis, quod DEUS constituit, cum ijs, qui pro te venient ex Cœlo, veniam & ego. Audiens hoc ab ipso dici, fui recreata & confortata, dixíq; illi: Benedictus sit DEUS, atq; etiam tu, Anima DEI. Dicis te venturum pro me cum tuo collo resecto à corpore? nescio, quid me moverit, ad hoc dicendum. Ipse verò respondit: Ita, Anima, & certam te reddo, nomine DEI, ac assero istam veritatem, ùt videbis die Judicij, quòd propter ensem, quo fuit resectum, meum collum sit habiturum tam elegátem & pretiosum torquem, támq; cæleste vellus aureum, ut valiturum sit plus, absq; comparatione, quàm omnia imperia & regna mundi, & exornaturum magis meum collum, quàm clarissimus ac splendidissimus Sol, quod est certissimum. Fui vehementer recreata his auditis, & respondi ipsi, me credere ità futurum, atq; ut cum benedictione DEI mihi præstaret gratiam promissam. Et postquam hoc dixissem, abivit à me, ego verò magnas gratias agebam DEO. Ipse sit benedictus, Amen.



CAPUT

CAPUT XIX.

De alijs admirandis rebus concernentibus istum casum, quæ ipsi evenerunt cum DEO.

PRæterea, quæ dicta sunt in antecedenti relatione, ipsi acciderunt alia cum DEO, diversis temporibus, hoc modo.

§. I.

DUm aliquando commendarem DEO hunc Dominum, quando adhuc vivebat incarceratus, & non multò ante illius mortem, quia optabam, magno affectu, præcipuè ipsius salutem, ac tum etiam bonum successum, quoad temporalia; rogabam DEUM, ut illum dignaretur liberare ex carcere, cum victoria & palma; atq; cùm huic orationi vacarem, antequam audirem Sacrum, vidi ingredientes meum cubiculum, eo tempore, quo eram Divino Epulo reficienda, plurimos Angelos, gestantes palmas in manibus & præcedentes Sacerdotem, qui mihi adferebat Augustissimum Sacramentum. Obstupui vehementer, viso eo mysterio, neq; tunc potui intelligere, quidnam esset, quamvis intellexerim, esse aliquid concernens Marchionem. Et licèt semper essem valde certa & secura de ipsi⁹ salute, nihilominus quoad successum ipsius negotiorum temporalium versabar, & DEUS me detinebat, in magno dubio. Postquam obivisset, declaravit mihi DEUS hoc mysterium, dixítq; mihi, eo significatum fuisse, quàm solenniter essent Angeli cum palmis in manibus, in signum victoriæ, excepturi in Cœlo animam illius Domini, sicut reverâ deinde factum fuit: Adimplevítq; DEUS mea desideria, concedendo mihi quod petiveram, imò longè ampliùs. Aliâ vice orans pro ipso ferventissimè, sempérq; primo loco petens illius salutem, postea verò libertatem temporalem, etiam concepi certam spem de ejusdem salute, cum magno tamen dubio de eo, quod concernebat temporalia. Et quamvis mihi DEUS dixerit, non solùm semel, sed sæpiùs: Ego tibi satisfaciam, ego te consolabor; semper nihilominus manebam in eo dubio. Postquam illum vidissem mortuum, dixi ad meum Dominum: Quomodo egit Tua Majestas? quomodo mihi satisfecit? Dominus mihi respondit: Optimè adimplevi, quod promiseram. Nónne tibi modò satisfactum est, quòd tibi ipsum ostenderim, in mea gloria felicem ac beatum? Nónne hoc est meliùs, quàm si manisisset in perpetuo carcere, cum periculo suæ animæ? Tum ego respondi: Ità profectò, mi Domine, est mihi quàm maximè satisfactum. Atqui hoc tibi promisi, inquiebat Dominus, quãdo tibi dixi, me tibi satisfacturum.

§. II.

ALiàs, cùm DEO commendarem istum Dominum, dicebam Divinæ Majestati, ut, si commisisset aliqua peccata, puniret illum propter ipsa in Purgatorio, neq; permitteret, ut cum dedecore egrederetur ex illo carcere. Post mortem, quasi respondens huic meæ petitioni, mihi quodam die dixit, cum magna gravitate & authoritate: Ego permisi mortem hujus hominis, ut ipsum per illam adducerem ad salutem, cum magno gloriæ auctario, proptérq; alios fines meorum arcanorum Judiciorum. Et inde intellexi, DEUM mihi nolle dicere, commiseritne iste Dominus delicta, digna hac morte, an verò non commiserit, quia Divina Majestas mihi nunquam revelat aliena peccata: sed solummodo mihi manifestare solet præcipuam hujus suæ permissionis causam, quæ est prædicta; præterito illo altero, tanquam eo, quod scire meâ non intereat.

§. III.

HOc non obstante, adfemmus, quod ante commemoratas visiones illi evenit cum Angelo ipsius Custode. Dum, *inquit*, essem vehementer afflicta quodam tristissimo casu, qui contigerat cuidam personæ, quam ego à multis diebus commendaveram DEO instantissimè, & existimarem, quòd fortè Divina Majestas meritissimò & justissimè, propter mea peccata, noluisset exaudire meas imperfectas & miseras preces; inter has cogitationes me amanter & fixè intuitus est meus Sanctus Angelus Custos, dixitq; mihi: Anima mea, quid agis? quales sunt istæ cogitationes, quas habes? significo tibi, tuas orationes comparuisse coram Tribunali Sanctissimæ Trinitatis, ibiq; fuisse exauditas, & placuisse illas Divinæ Majestati. Verumtamen adverte, Anima, quòd infinita Sapientia DEI, ac Divina ipsius Bonitas, ex suis altissimis & secretissimis Judicijs decreverit à sua æternitate, in illo suo secretissimo arcano sui immensi Esse, & secundùm arbitrium ac modos constitutos in Consistorio Beatissimæ Trinitatis, vias ac rationes convenientissimas, utilissimas, summéq; necessarias, pro deducendis animabus ad suam salutem: ideóq; etsi Potentia ipsius sit infinita, & possit quidquid vult, ac postulat Sanctissima ejus Voluntas; dirigit tamen res suarum creaturarum ad hunc finem. Quod cùm ità sit, frequenter potest contingere, ut etiamsi servi DEI & amici ab ipsomet moti, & quidem seriò ac ardenter, ab eo petant quædam peculiaria pro solatio & subsidio, ac remedio aliquarum creaturarum, quamvis id faciant cum vera intentione ac desiderio, ut omnia cedant ad majorem ipsius gloriam, non obtineat tamen illa à Divina ipsius Majestate, propter dictas causas, & quia non expedit, ut mutet suas Divinas dispositiones. Noveris præterea, decretum Domini DEI nostri omnipotentis esse terribile, fortissimum, tam potens ac immensum, quàm est ipsemet DEUS, neq; ullum posse penetrare vel perscrutari altissima illius judicia.

Omnia hæc dixit Sanctus Angelus, méq; reliquit plenam solatio, & illuminatam, atq; admirabundam.

§ IV.

ALio die vidi, ex laqueari mei cubiculi decidentem crudelem quendam diabolum & horridum, qui habebat manus post tergum revinctas. Sequebatur ipsum Gloriosus S. Michaël, splendidè ornatus, habens in manu lanceam, quà illum feriebat. Ruit diabolus capite ad pavimentum mei cubiculi, cum tam magno strepitu, quàm si caderet caput æneum. Lamentabatur vehementer, ejulabat, ac dicebat mihi: Compatere mihi, patior enim gravissima tormenta. Sanctus Angelus impetebat lanceâ ipsius humeros, cum magna indignatione, & mille illum lacessebat opprobrijs, dicebátq;: Hic est ille infelix, qui propter suam superbiam cecidit de Cœlo; hic est ille draco septiceps, princeps tenebrarum, accusator Sanctorum fratrum; iste est ille spiritus malignus superbiæ, qui gravissimè persequutus est illum hominem (quem nominavit) in ejus prosperitate, provocavitq; ipsum & incitavit ad superbiam, atq; nunc in ejusdem adversitatibus eundem persequitur ac tentat gravissimè; iste mundum commovit contra illum, ac incitat omnes creaturas, ut eum persequantur, & condemnent, additq; animos ipsius adversarijs. Quia id audiveram, dixi: Angele Sancte, etiámne ipsum modò in illius adversitatibus induxit, ut laberetur? S. Angelus respondit: Non, Anima. Etiamsi enim effecerit, ut titubaret, non tamen ut caderet, quæ est misericordia DEI. Et hoc dicens S. Angelus verberabat diabolum, donec illum compelleret descendere sub terram: atq; tum alij milleni diaboli prodibant & cruciabant ipsum, usq; dum omnes unà in momento absorberentur, nec illos ultrà viderem.

Sanctus Angelus retulit gloriosam victoriam,

ctoriam, totúsq; comparuit ornatus. Gestabat pallium plenum gemmis, dixítq; illi: Sancte Angele, optimè te gessisti ac retulisti gloriosam victoriam. DEUS sit benedictus. Rogavi ipsum, ut mihi daret suâ manu, aliquod suum donum. Omnino dabo, quàm libentissimè, dixit S. Angelus; & admovens manum humero, avulsit unam gemmam ex pallio, quo erat coopertus, quasi cœruleam, & exporrectâ manu illam ipsemet imposuit meo ori, ac dixit: Suscipe hoc donum ex mea manu, istud enim te confortabit pro toleranda Cruce, quam pateris, atq; sublevanda & corroboranda tua debili natura, quam habes prostratissimam. Et experta sum ingens levamen in utroq;.

CAPUT XX.

Quomodo DEUS voluerit uti ipsius operâ, ad inducendam in Hispanias Religionem Sanctæ Birgittæ, dixerítq; ei, ut moderaretur illius Constitutiones, accommodando ipsas huic Nationi, & his temporibus, quídq; illi ea in re evenerit.

IN Octobri anni 1615. placuit DEO uti illius operâ, ut bene faceret multis animabus, cupidis vitæ perfectæ, introducendo in hæc regna Hispaniæ Religionem Sanctæ Birgittæ, fundatæ in Regula S. Augustini, cum specialibus Constitutionibus, quas Christus Dominus revelavit isti Sanctæ, ùt constat ex eo, quod dicitur in fine Libri ipsius Revelationum. Atq; similem in modum dignatus est Dominus etiam revelare ac dictare isti suæ famulæ ea, quæ ipsi erant addenda, vel demenda, aut mutanda in his Constitutionibus, ut illas accommodaret præsentibus temporibus, & moribus, atq; consuetudinibus hujus Nationis Hispanicæ. Modum, quo id contigit, ipsa sic describit:

§. I.

ANte viginti circiter annos audiveram, aliquid dici de Religione Beatæ S. Birgittæ, cujus Fundatrix fuit eadem Sancta: sed deinde auditorum sum oblita, & rarò eorum fui memor, donec quodam die, dum agerem cum Domino, mihi dixisset ipsius Majestas, non constringens me ad id faciendum, neq; me urgens ad festinandum, sed concedens mihi spatium, cum magna svavitate, conformando se in hoc meæ naturæ verecundæ: Dic mihi, nónne mihi præstares quoddam obsequium, pro meo solatio? Constet tibi, quòd desiderem adducere ad hæc regna Hispaniæ Religionem meæ famulæ Birgittæ, útq; ista Religio, in ipsis innotescat & honoretur. Ad hoc autem te vellem assumere pro instrumento, ut tu, cum mea gratia & auxilio, quod ego tibi dabo, reformares, adderes, ac demeres in ejus Regulis, nonnulla, quæ ego tibi dicam, ac indicabo, erúntq; summè necessaria & convenientia ad majorem ipsius perfectionem, augmentum & incrementum, juxta dispositionem temporum, conditiones & naturas eorum, qui his temporibus, & in istis Nationibus vivunt: alligabísq; te etiam, quantùm fuerit possibile, ad præcipuas Regulas Patronæ & Fundatricis, famulæ meæ Birgittæ. Ego respondi Divinæ Majestati, me esse ipsius ancillam indignam, ut faceret de me ac in me, quidquid esset conforme suæ Sanctissimæ voluntati. Verùm, quia mihi hoc dixit magis de eo mecum conferendo, quàm mihi id absolutè

mandando, cùm sim naturæ tam meticulosæ parúmq; propensa, propter meam exiguam capacitatem ac virtutem, ad similia opera, totum dissimulavi, quasi auditorum immemor, quamvis reipsa verè mea anima intellexerit, esse veritates, sibi dictas à Domino. Post aliquot abhinc dies quâdam nocte mihi Dominus secum agenti dixit: Scísne, quis sit futurus Patronus ac Fundator, quem ego desidero assumere, pro exstructione & sustentatione temporali hujus primi Monasterij, ejusdémq; Monialium, ubi singulariter amabor, honorabor, ac adorabor? Ego respondi: Non, Domine. Tum dixit Dominus: Noveris ergo esse talem (appellando ipsum proprio ejus nomine) cui præstabo istam gratiam, si eam voluerit acceptare, quia ipsius interest, multúmq; illi expedit, ad obtinendam suam salutem, ut mihi exhibeat hoc obsequium. Atq; ob hanc causam, etiamsi deesset alia, non decet, te esse tepidam ac remissam in isto negotio tanti momenti.

Postquam mihi hoc dixisset Dominus, videbar mihi magìs animata, & majorem spiritûs fervorem concepisse, quia quando mecum agitur de salute animarum, mea anima intimè commovetur. Transegi aliquot dies, orando semper DEUM, ut hoc opus dirigeret, sicut expediret ad majorem suam gloriam & obsequium, ac salutem animarum, disponerétq; illam creaturam, quam ad id designabat, ut crederet, quod Divina Majestas volebat, ac faceret, quod ipsius tantopere intererat, quia omnia metuebam. Tunc mihi dixit Dominus: Ne te propterea affligas: quia si ista creatura te non juvaret, ego designabo aliam, & alias, atq; si omnes tibi negarent auxilium, tu propterea non omitteres implere meam voluntatem, & quantum est in te, omnia, quæ ego à te vellem. Pete tamen à me, ut se disponat illa prima, quam designavi, ne se reddat indignam hac meâ gratiâ. Dixi enim tibi, quantum ipsius intersit, ut salvetur cum magno meritorum augmento, utq; hoc auxilium suæ salutis habeat. Elapsi fuerunt exinde aliquot dies, & aliquoties me impetebat ac invadebat aliquantùm prædicta mea tepiditas, cum magna mea admiratione, nescientem, quæ esset hujus rei causa. Quâdam autem nocte, dum agerem cum DEO, dixit mihi Divina Majestas: Ne te affligas, neq; tua anima angatur propterea, quòd aliquando sentias, te nonnihil tepescere, ac deficere à fervore, in negotio tibi à me proposito: Quia judicia mea sunt altissima & occulta, atq; hoc potest accidere propter multas ac diversas causas, & plerúmq; contingit meis Servis, ut experiantur hujusmodi tepiditatem ac languorem animi, ob exiguam vel nullam dispositionem eorum, pro quibus oratur, vel qui debent facere id, quod ego fieri volo, atq; hoc ego permitto, ex meis occultis judicijs. Audivi, quod mihi Dominus dixit, & conata sum abigere, hoc in casu tepiditatem, ac languorem.

Alio die manè, dum mea anima ageret cum DEO, post alia ipsi dixit: Quomodo vales, Anima mea? Quomodo fervet spiritus tuus in negotio & opere, spectante ad meum obsequium, de quo tibi his diebus tam prolixè sum loqvutus? Nónne jam magno teneris desiderio, exequendi hujus operis? Adverte, me hoc velle, mihíq; in eo exhiberi rem gratam & obsequium. Tum ego respondi Domino: Domine mi, ac DEUS mi, ecce me ancillam tuam, & indignam servam, ut exequar in omnibus tuam Sanctissimam voluntatem. Doce me, & adjuva me. Bene habet (dixit Dominus) convertitq; sua Majestas sermonem ad alia. Ego vehementer solicitabar, ac desiderabam exequi voluntatem DEI, quamvis expectarem, ut id mihi à sua Majestate absolutè imperaretur, quod existimabam esse tutius in tanti momenti rebus. Biduo post, derepente me fuit alloqvuta Divina Majestas svaviter, graviter, & cum authoritate, dicendo mihi: Marina, quid facis? quomodo internè es occupata? Adverte, nunc tibi volo determinatè loqui de negotio, de quo tecum his diebus egi, & mei Angeli, quò disponeretur tua anima & voluntas,

tas, ut ſvaviter ac libenter te ſubijceres, cum efficaci propoſito, implendi meam voluntatem. Ac proinde tibi impero, ut ſinè ulla oppoſitione obſequaris meo beneplacito ac voluntati, quæ eſt, ut mandes exeqvutioni hoc opus mei obſequij & gloriæ, juxta ea, de quibus tecum diſſerui, & quæ mei Angeli tibi dixerunt. Ego obſtupui, & fui vehementer conſternata, ſubjeciq; me, & obſeqvuta ſum voluntati mei DEI, meiq; Domini, ſemper rogans toto conatu, ut mihi concederet ſuum Divinum ſpiritum & lumen, quò in omnibus & per omnia me conformarem Sanctiſſimæ ipſius voluntati.

§. II.

POſt hoc, dum aliquando manè agerem cum DEO, rogans, glorioſum Sanctum Dominicum, Sanctum Franciſcum, & alios Sanctos Patriarchas, ut mihi impetrarent à Divina Majeſtate gratiam ipſius & lumen, pro aſſequenda ſemper & ubiq; illius Sanctiſſima voluntate in hoc opere, concernente ejus obſeqvium, conſpexi Beatum Sanctum Auguſtinum, qui mihi dixit: Famula DEI, & amica Domini, hoc negotium, quòd tibi Dominus injunxit, magis ad me ſpectat, quàm ad ullum alium Patriarcham, quia præcipua Regula Religionis, quam fundavit S. Birgitta, fuit mea, ideóq; in mea Domo, & in mea Religione te oportet invenire Religioſos, & Religioſas, quibus in iſta nova fundatione poſſis juvari; id quod ego tibi promitto, quantum eſt in me. Audivi, quod mihi Beatus iſte Sanctus dixit, & hæſi aliquantùm, dixiq; illi: Bene eſt, Benedicte Sancte, gratiſſima mihi eſt iſta tua charitas, & magnas tibi pro illa ago gratias. Ego vehementer deſidero me conformare Divinæ voluntati in iſto negotio, & obſecro te, ut mihi id obtineas à Divina Majeſtate. Interea fui abrepta, & non vidi ampliùs Sanctum. Poſtea mihi per inſpirationem nominavit tres ſuæ Religionis Moniales, eximiæ virtutis, idoneas ad inchoandam iſtam fundationem.

Poſt paucos abhinc dies, nihil tale cogitans, vidi Sanctiſſimam Virginem Dominam noſtram, & cum ea Sanctam Birgittam, quam ad illud uſq; tempus nunquam videram. Extimui, more meo, & conata ſum, quantum potui, me abſtrahere ab ijs videndis. Recurri ad DEUM, ſicut aliàs. Sed tandem fui coacta illas videre, & audire ea, quæ dixerunt. Sanctiſſima Virgo, magis mihi appropinquans, me eſt alloqvuta, & ſolata quàm blandiſſimè; ac deinde mihi fuit loqvuta Sancta Birgitta, agens mihi gratias pro eo quod feceram & faciebam ad honorem DEI, & ipſius Religionis, certam me reddens, DEO vehementer placiturum, ſi in iſtis Regnis innoteſceret ejus Religio, extruererurq; iſte Conventus; ac addidit, quod etiamſi Regula ipſius dictata ſit ore Chriſti Domini, fuerítq; conveniens illi tempori ac Regno, ubi eſt fundata, & accommodata genio Nationis: nihilominus nunc, mutatis temporibus ac hominibus, & pro his Regnis expediat multa mutari, ſicut mihi Dominus dixerat, atq; retentâ ſubſtantiâ Regulæ S. Auguſtini, ac ſuæ, quam ipſi Dominus dedit, quaſi pleraq; eſſe mutanda, conficiendáſq; conſtitutiones accommodatas præſenti tempori, & oriundis in hoc Regno. Dixit mihi præterea, ne me conſternarent difficultates, quæ mihi fuiſſent objectæ, omnia enim opera pertinentia ad Divinum obſequium, & res magni momenti, in principio eas habere, verumtamé complanádas à DEO: atq; etiamſi fortè non ſortiretur effectum hoc negotium, me nihilominus, ex parte mea, jam exequi Divinam voluutatem, ídq; mihi ſufficere. Taliter me animabat, & confortabat Sancta ad iſtud opus.

Poſt hoc, nocte quâdam, me Dominus incepit internè adſtringere, ut progederer in conſcribendis Regulis, quas me Divina Majeſtas juſſerat ſcribere, mihíq; ſuggerebat. Et hæc vis interior fuit tanta, támq; vehemens, ut etiamſi meam animam non coëgerit, ſvaviter tamen illam induxerit Dominus ſuâ voluntate & omnipotentiâ, ut illo ipſo momento, abſq; ul-

la ulteriore oppositione, conscriberem Regulas, quas mihi inspirabat pro istis Monialibus Sanctæ Birgittæ. Id quod feci, quia mihi Dominus valde apertè & clarè significavit, hanc esse suam Sanctissimam determinatam voluntatem, & istas Regulas esse animæ meæ inspiratas à sua Majestate, séq; solùm velle ac permittere, ut illas considerarem, & juxta Regulas nostræ rectæ rationis, ac viâ ordinariâ, si quæ difficultates occurrerent, eas ipsi proponeremus, se enim manifestaturum, suam voluntatem, illo modo, qui ei placuerit.

§ III.

Quid illi contigerit, scriptis Regulis.

SCriptis Regulis, dum aliquando manè agerem cum DEO, dixi illi: Domine mi, jam finivi scriptionem istarum tuarum Regularum. Et respondit Dominus: Bene dixisti; sunt enim meæ, atq; ut omnimodè tibi persvadeas hanc veritatem, attolle oculos; aspice meum cor. Elevavi oculos animæ, defixíq; ipsos in Divina Majestate, ac in Divino illius pectore, vidíq;, cum magno meo stupore, exaratas & expressas in eo Divino pectore omnes illas Regulas, quas Divina Majestas me jusserat conscribere. Erant scriptæ quasi arcano charactere, & quodammodo signatæ, & circumfusæ clarâ quâdam luce, quasi Divini cujusdam splendidissimi solis: quod mea anima vehementer fuit mirata, & abripiente ipsam Domino, secúmq; uniente, videre desijt illud mysterium: quando verò ad se redijt, animadvertit, se optimè capere, penetrare ac approbare denuò illam veritatem.

Hoc autem tempore, quia eram fatigata scriptione istarum rerum, & vehementer affligebar à meis doloribus; siquidem me tunc diabolus præter morem cruciabat, mihi dixit Dominus: Creatura mea, anima te ad patiendum, & facienda pro me opera difficilia, concernentia meum honorem. Hæc namq; opera, & ista patientia simul sunt thesaurus immensi valoris, coram oculis meis. Eâdem istâ occasione, mihi dixerunt mei Sancti Ancti Angeli: Assume animum, Soror nostra, ad exequendum hoc opus Divini obsequij, quia quod multùm valet, multo constat. Non dimisit penitus ex oculis mea anima Divinam impressionem, & Divinum illum solem, quia deinde aliquoties præterea mihi utrumq; manifestavit & monstravit Dominus, sempérq; in eo agnosco hanc veritatem.

Insuper, quando scribebam Regulas, exhibuit mihi Dominus figuram annuli, qui esset gestandus à Monialibus, cùm dubitarem ex quali esset metallo, supposito, quòd S. Birgitta in sua Regula præcipiat, ne ferant quidquam constans ex auro vel argento, & agens hac de re cum Domino, vidi quodam die personam SPIRITUS SANCTI, sicut ipsum aliàs soleo videre, in specie cœlestis columbæ, quæ tota erat cooperta pretiosissimo velo; exerebat autem rostrum, in quo ferebat annulum, ac tum mihi dixit Dominus: Accipe istum annulum. Reluctabar vehementer, valdéq; renuebam ipsum accipere. Verùm appropinquans mihi SPIRITUS SANCTUS in dicta specie, injecit illum in meam manum, quem tunc non potui non accipere, vidíq; ipsum esse ex triplici metallo, & constare ex tribus partibus, quarum una erat chalybea, altera aurea, alia verò argentea. In chalybea erant scriptæ hæ literæ: *Ancilla:* ac deinde in aurea istæ: *JESU*; atq; in argentea: *Et Sanctissimæ ejus Matris.* Intellexi etiam à Domino, talem oportere esse annulum, gestandum à Monialibus. Aurum significat Charitatem; argentum Puritatem & Castitatem; & chalybs Paupertatem ac obedientiam. Hunc annulum retinuit meus Angelus Custos.

Verùm, ut ex eo jam tempore statim particeps redderer ejus operis, eo modo, quo posset fieri, accidit, ut sequenti anno in Festo Sanctorum Cosmæ & Damiani, cùm me hi Sancti Martyres visitarent, comitantibus ipsos multis Angelis, mihi dicerent: Venimus nomine DEI, ut tibi adfera-

adferamus aliquod donum. Et quamvis ego renuerem illud suscipere, S. Cosmas inseruit meo medio digito manûs dextræ annulum, qvalem debent gestare Moniales Sanctæ Birgittæ, dicendo mihi: Dominus tibi mittit istum annulum, & hoc insigni te facit Monialem Religionis Sanctæ Birgittæ. Cùm enim sis quodammodo Fundatrix istius Religionis, par est, ut fruaris beneficio Religiosarum, quæ illam profitebuntur. Ego vero dixi: Quomodo ego possum esse Monialis, quæ tam malè valeo, ut non possim emittere professionem, nec observare Regulas, neq; surgere ex hoc lecto. Ipsi autem dixerunt: Si Rex terrenus, jubendo tantùm aliquem cooperire caput, illum creat Grandem, &, si quempiam vocet Doctorem, facit, ut sit Doctor, licèt non suscipiat gradum, meliùs poterit DEUS suâ voluntate ac potentiâ, per hoc insigne, quod tibi confert, te facere Monialem, quamvis non præstes id, quod dicis. Subitò incepi cogitare intra me, qualis fuisset ille digitus, quem videram, quia non fuerat digitus corporeus meæ manûs, neq; illi insertus erat talis annulus, & nihilominus vidi verum digitum. Ad hoc mihi responderunt Sancti sequentia verba: Adverte, quòd sicut distillata per alembicum aqua florum ac olentium herbarum, & cujuslibet alterius generis, est subtilior, defœcatior, magisq; proficua pro necessitate ac sanitate corporum humanorum, quàm aqua fluviorum & fontium, quæ est magis corpulenta, crassa ac terrea; ità misericordiæ & gratiæ, quas DEUS confert animæ hac viâ & modo, quo tibi, sint magis Divinæ, spirituales, & proficuæ ac securæ, quam illæ, quas sua Majestas præstat animæ, per speciem rerum exteriorum & corporearum. Quia priores communicat, manifestat, ac indicat DEUS animæ tam delicatè, modò adeò eminenti, & per secretum arcanissimum suæ Divinæ Sapientiæ, ut sit nobilior longéq; excellentior, quàm modus, quo communicat posteriores. Fit præterea, sicut, si quispiam Rex mitteret suum servum ad annuntiandum aliquid, illi ipsi profuturum, quod ei claris & ordinarijs verbis diceret: vel si idem Rex volens conferre majorem aliquam gratiam alteri servo, illi sevocato ab alijs, secretè indicaret gratiam, quam animo destinavisset ipsi præstare, dando illi suum chirographum, ut quàm primùm executioni mandaretur, quod ei gratiosè conferret: tale discrimen est, suo modo, inter gratias internas, magisq; spirituales, quas dictú est à DEO præstari animæ, & illas, quas Divina Majestas confert modo exteriore & corporeo.

Quando hoc dicebant, vidi, nonnihil eminus, duos diabolos, qui torquebant duas animas. Et interrogavi illos deinde, quid ibi facerent ij diaboli. Dixerunt mihi, torqueri ab ipsis animas duorum Tyrannorum, qui illos affecerunt martyrio, voluisséq; DEUM, ut eò venirent, veluti testes ipsorum gloriæ, & propterea non exiguam ab ijs sustineri pœnam accidentalem, Deinde recesserunt Sancti, & vidi Sacratissimam Virginem Dominam Nostram; me verò adverti vestitam Scapulari, & præcinctam cingulo, quale est Monialium S. Birgittæ, dixitq; mihi Sacratissima Virgo. Ego te indui habitu, quem geris, tanquam Monialem meæ Religionis Sanctæ Birgittæ. Et postquam de alijs rebus fuissent loqvuti, dixerunt Sancti Mattyres Sacratissimæ Virgini: Domina, ista creatura est valde debilis, nec habet vires, pro diuturniore conversatione. Post hoc omnes abiverunt.

CAPUT

CAPUT XXI.

De ijs, quæ ipsi contigerunt cum DEO, in varijs eventibus, & mutationibus istius Fundationis.

POstquam exactissimè aperuissem omnia hactenus scripta meo Confessario, ut ea examinaret, desiderando quàm maximè assequi Divinas veritates & Sanctissimam DEI voluntatem, sempérq; id petendo à Divina Majestate, meus Confessarius etiamsi me absq; omni dubio juberet credere, istas revelationes esse Divinas; tamen difficulter sibi persuadebat quædam ex his, ac in primis concernentia Patronum & Moniales, quas oporteret egredi pro ista fundatione, posse fieri & mandari exeqvutioni, eò quòd essent de se admodum difficilia. Atq; licèt diceret, potentiæ DEI, & ipsius voluntati nihil esse impossibile, adjungebat nonnulla, quoad hanc difficultatem, quibus mea anima vehementer angebatur, & affligebatur, quin etiam nonnihil tepescebat. Recurrebam ad Dominnm in his molestijs, proponendo ipsi istas difficultates, quas meus Confessarius habebat, quoad designationes Patroni & Monialium, aliaq; similia, me tamen esse paratam ad sequenda ipsius dictamina, ac spiritum, juxta beneplacitum Divinæ ejus Majestatis; ideóq; me esse afflictam & perplexam in his negotijs, quamvis considerem in Divina illius bonitate. Hæc & alia dicebam DEO, cum magna mea afflictione.

§. I.

AUdiens Divina Majestas querelas meæ animæ, dixit mihi: Bene dicis. Ne te angas, néq; affligas. Et cùm id, quod dixi, vobis videatur negotium tam difficile, secundùm vestram prudentiam ac rationem humanam, quod vos oportet facere, est, considerare id, quod vobis suggesserit vestra ratio & bonus spiritus, cum desiderio præstandi, quod cedat ad meum honorem, ac sequendi meam hac in re voluntatem. Id enim ipsum ego approbo, vobisq; do meam benedictionem, siquidem pro mea potentia ac voluntate perinde utar hoc illóve instrumento, ad exequendum opus, à me intentum. Quod tibi primâ vice injunxi, feci propter altissimos fines, qui concernunt personas, quas ego designaveram pro isto opere, directo ad meum honorem, & incepistis mihi obtemperare. Verùm hactenus non allaboravit tam seriò ac ferventer, quàm ego volebam, is, cui mea voluntas fuit intimata: ideóq; bene proceditis. Ne te affligas. Et adverte (dixit Dominus) me, sicut mea Divina dispositione, & altissimis Judicijs ego decrevero, ut migres ex hac præsenti vita ad æternam, antequam perficiatur, imò inchoëtur istud opus fundandi Ordinis Sanctæ Birgittæ, cupere, esseq; meam voluntatem ut personæ, à quibus id debet fieri & mandari exeqvutioni, observent, ac sequantur in omnibus, quæ tu, me jubente, non innovaveris, (hæc enim ad literam sunt perficienda) ordinem ac modum primum, quem ego suggessi, & qui extat scriptus, ità enim fieri convenit, propter causas, quas hujus rei habeo.

§. II.

ALiquot annis pòst (in Januario anni 1623.) cùm mihi primaria quædam persona aperuisset sua desideria, expendendi suas facultates in opera pia, ut ego dispicerem, quid mihi de ea re videretur, dixi illi meum judicium, ut id absq; omni dubio faceret, occurritq; meæ memoriæ fundatio Conventûs Sanctæ Birgittæ,

gittæ, quem à pluribus annis DEUS optat fundari in istis Provincijs Hispaniæ. Quamvis autem Dominus designaverit personam, quæ posset Vallisoleti fundare istum Conventum, nihil tamen fiebat. Perplexa fui in ista cogitatione, an esset bonum, dicere isti Dominæ, ut illum fundaret; agénsq; cum meo Sancto Angelo Custode dixi illi: Sancte Angele, éstne saltèm hæc mea cogitatio? Respondit: Omnino est tua procul dubio, sed est etiam DEI, quia est bona. Noveris, famulum alicujus Domini, si sit bonus ac fidelis & ingenuus, non expectare, donec illi Dominus aliquid apertè præcipiat, sed intellectam voluntatem sui Domini, vel ex signis, mandare eveqvutioni: ità DEUS tecum agit, qui tibi modò loquitur clarè, modò quasi per signa. Atq; hujusmodi est tua cogitatio, quia tibi id non dixit clarè, est tamen etiam ipsius, jam enim habes perspectam ejus voluntatem.

Post duas deinde horas vidi venientem Sanctissimam Virginem cum S. Birgitta. Postquam illas conspexi, mansi nihilominus apud Dominum, quasi nescirem, ipsas adesse. Dominus autem mihi dixit: Soror, aspice meam Sanctissimam Matrem, & Birgittam, quæ cum illa venit. Dilexerunt se invicem, & hæc Sancta semper in suis necessitatibus recurrebat ad meam Sanctissimam Matrem, propter quam, ipsiúsq; intercessionem, ego illi præstiti multas gratias. Dic verò ei Creaturæ, ut fundet istum Conventum, & hanc rem mihi futuram gratissimam, atq; cessuram ad meum honorem. Inculta ipsi id bene, ac scias, velim, hæc regna indigere istâ Religione. Atq; sicut in aliquo Regno, si corruisset munitio in ipsius ingressu, quâ poterant intrare hostes, ut propterea Regnum desolaretur, ac pateretur afflictiones; reperiretur autem quispiam fidelis Vasallus, qui erigeret munitionem, inscio Rege, suis impensis, pro Regni securitate, promereretur præmium, & gratitudinem Regis: ità, suo modo, indiget hoc Regnum aliquo præsidio, quod est Conventus hujus Religionis, quem ingrediantur meæ Sponsæ pauperes, absq; dotibus, serviántq; mihi ac placeant, & defendant Regnum suis orationibus. Si igitur ista Creatura hoc pro meo honore præstiterit, æstimabo factum, & in eo mihi multùm complacebo, atq; etiam illud remunerabor. Deinde etiam Sanctissima Virgo me idem jussit facere, uti & Sancta Birgitta. Valedixerunt mihi Beatissima Virgo, & Sancta, ac remansi cum Domino. Ipse sit benedictus. Amen.

§. III.

Cùm dubitarem de colore & forma habitûs Monialium S. Birgittæ, quia in earum Constitutionibus non exprimitur clarè, neq; reperiebatur quisquam, qui illum vidisset, à quo id possum rescire, recurri ad DEUM, rogans ipsum, ut me hac in re illuminaret eo modo, qui illi placeret. Quodam die mihi deperente comparuit Sanctissima Virgo cum Sancta Birgitta, induta suo habitu, quæ diductis brachijs mihi dixit: Vide, Soror, iste est meus habitus. Erat Sancta induta togâ coloris spadicei, qualis est color Patrum Minimorum, intertextâ strijs albæ lanæ, ob quam nonnihil candicabat, & hic habitus erat conformatus ad modum illius, quem gerunt Moniales S. Dominici. Habebat cingulum ejusdem coloris, super illud gerebat scapulare cilicinum concolor, ac tandem pallium arctum cilicinum, pariter spadiceum, adstrictum nodo ligneo. Ut verò hoc meliùs viderem, DEIpara, quæ ferebat tres partes habitûs complicatas, expandit illas coram me, fuitq; toga, scapulare, & cucullus, quæ mihi ostendit, dicendo: Aspice, talis est habitus hujus Religionis. Viso cucullo, interrogavi Sanctam, quando esset illo utendum, & respondit mihi: Præcipuis diebus festis, & in Solennitatibus Natalis Dominici, Paschatis, & Pentecostes, præterea quando suscipiunt velum, & habitum Moniales, ac diebus Sacræ Communionis. Interrogavi ipsam etiam, quare ferret scapulare, cum in ipsi° Sancta Regula nulla fiat illius men-

tio. Respondit, esse verum: Sed modò expedire, ut feratur, tum propter morem præsentis temporis, tum etiam majoris honestatis gratiâ.

Alio die ingressus est meum cubiculum quidam Vir insolitæ magnitudinis; decoro tamen corporis habitu conspicuus, & nobilis ac venustus. Nec novi illum, verùm intellexi esse bonum spiritum. Dixit mihi, se esse Sanctum Christophorum, interrogavitq; me, an scirem historiam ipsius vitæ? Respondi illi, me eam scire. Tum mihi dixit, exercitium suum fuisse, transferre in suis humeris, per quendam fluvium viatores, & inter hos à se translatum esse Christum Dominum, ac à me pariter in meis humeris adferendam hanc Sacram Religionem ex Regnis exteris ad ista. Elevavi oculos in altum, quod sanè oportebat facere, quia erat valde procerus, & conspexi quendam puerulum formosissimum, ac splendidissimum in ipsius humeris.

§. IV.

TAndem post hæc quodammodo solicitabar, & despondebam animum, licèt venerarer altissima & arcanissima Judicia mei DEI, videns fundationem Monasterij S. Birgittæ, quam Divina Majestas fieri jusserat & præceperat, non mandari executioni: imò videbatur omnino dissipari ac redigi in nihilum, spectatis omnibus, quæ oculi hominum possunt perspicere. Dum ità essem perplexa, dixit mihi Dominus: Dic age, Anima, quare es ità meticulosa, & solicita de hoc negotio? Nunquid fortè vis comprehendere, & assequi sublimissima Judicia meæ sapientiæ ac potentiæ, eáq; palmis metiri, adhibitis rationibus & modis humanis ac ordinarijs? Sufficiat tibi, fecisse, quidquid ego tibi mandavi, & injunxi hac in re, cætera verò committe mihi, cessentq; tui timores, & confusio: ac certissimò tibi persvade, omnia, quæ fecisti, vel dixisti, concernentia idem negotium, esse meas veritates, non autem aliquid vannm vel fictum. Audiens ista à Domino, quamvis ipsum agnoverim, propter meos solitos timores, illi dixi: Esné tu, mi DEUS, qui mihi loqueris? sed statim fui pudefacta, metuens, an non commisissem aliquem defectum, id dicendo. Tum mihi dixit Dominus: Ne angaris, Anima mea; neq; enim est mirum, quòd filius amans suum patrem, ac desiderans intelligere, utrùm se Pater stans post aliquod velum vel parietem alloquatur, eundem interroget: Tùne es, mi Pater, qui mihi loqueris? Ego verò dixi DEO meo: Hoc non est mirum, mi Domine. Sed ego te clarissimè agnovi, & non existentem post parietem aut velum. Et Dominus reposuit: Dico me cognosci, intercedente pariete, aut velo, propter differentiam, quæ inter hunc modum cognoscendi, & certitudinem intercedit ac eam cognitionem, quæ habetur de rebus Fidei.

CAPUT

CAPUT XXII.

Quomodo eam DEUS jusserit scribere tractatum de virtutibus, ipsíq; exhibuerit admirabili modo Librum Sapientiæ, ex quo illum desumeret.

VOluit quoq; DEUS, ut Venerabilis Marina juvaret proximos rebus varijs, quas illi inspirabat, & ipsam jubebat conscribere, pro futuras illorum animabus: atq; inprimis tractatum de differentia Virtutum imperfectarum à perfectis, nec non veræ communicationis, quà DEUS animæ aliquid revelat, ipsiq; loquitur, & modis extraordinarijs cum illa agit, ab ea, quæ talis non est. Cujus rei ea erat occasio, quòd conversarentur cum ipsa nonnullæ animæ, quæ videbantur valdè perfectæ, ac dicebant, se esse admodum familiares DEO, sibiq; evenire multa supernaturalia; cùm tamen in multis deriperentur. Ità igitur ait:

Dum quodam die collecta agerem cum Domino, amando ipsum ex toto meo corde, abripuit me Divina Majestas in spiritu, & vidi in cœlo librum, utcunq; grandem, collocatum in quodam quasi pulpeto, dictúmq; est mihi, quando mihi fuit ostensus: *Liber Sapientiæ DEI.* Ego tum id non curavi, sed post paucos deinde dies, quodam tempore matutino mihi dixit Dominus, se velle, ut ex illo exscribam tractatum, in quo aliquid doceatur & exponatur de statu virtutum, & qualisnam sit vera virtus ac perfecta, qualis verò non adeò perfecta, qualis item fucata & apparens; ac secundùm hoc, quomodo possint dignosci revelationes DEI factæ alicui animæ, quales verò falsæ & apparentes provenientes à diabolo ac imaginatione. Quamvis autem sit verum, quòd me ego excusaverim, ne id facerem, dicens Domino, me esse mulierculam ignaram, imbecillem ac miserabilem, ideóq; non habere habilitatem aut capacitatem ad id præstandum, sed neq; ad alia, multò minoris momenti, nihil mihi tamen profuit: quia Dominus mihi dixit, quòd ipse ne esset docturus, ideóq; non metuerem, ne in hoc errarem. Et licet dixerim Divinæ ipsius Majestati, me id velle facere, quandoquidem ita juberet, dicerétq;, quòd me esset docturus, nectebam tamen moras, nec me accingebam ad opus, quoadusq; Divina Majestas, videns, me non inducere animum ad executioni mandandum quod mihi præcipiebat, cum vellem aliquando scribere ea, quæ etiam ex illius voluntate soleo fecit, ut non possem, nec mihi esset possibile, destituereq; facultate, & omni apptitudine ac viribus ad id peragendum, sed viderer mihi esse tam impedita, quàm si carerem manibus & capite: atq; ita agnoscens, hoc esse opus DEI, & velle ipsum, ut scriberem, quod mihi imperaverat, & ego recusabam, incepi scribere, quod ab ipso fueram justa. Antequam tamen id scriberem, cùm essem collecta, abripuit me Divina Majestas in Spiritu, & reperi me in Cœlo, ubi mihi spectandum exhibuit magnum & elegantissimum librum, exornatum purissimo auro, & pretiosissimis lapidibus, qui erat apertus super quoddam pulpitum, erántq; in illo expressa ac delineata, manu ipsiusmet DEI, ineffabilia mysteria Sanctissimæ Trinitatis & Sacratissimæ Humanitatis Christi JESU Domini Nostri, ita ut in ea quasi lineari pictura, & imagine, sublimissimè cognoscerentur, modo tam Divino, qui omnis intellectûs captum excedit, dictúmq; mihi subitò fuit, id quod etiam in ipso cognovi. *Iste est liber Sapientiæ DEI, ex quo tanquam ex fonte, & vasto fluvio, emanant ac decurrunt rivi aquæ cælestis Sapientiæ ad animas*

puras, unde & tua tibi pars obtinget, ut facias, quod ex te ipsa nec scis, neq; potes facere. Postquam cognovissem aliquid de Sacratissimis hujus libri Mysterijs, vidi venientem per illa cœlestia tabernacula quandam Processionē ordinatissimam, Beatorum Cœli incolarum, quam sequebatur Majestas Christi JESU, ac Sanctissima ipsius Mater; & cum procederent, prætergrediebantur suo ordine, illum cœlestem librum. Primus ex ijs Sanctis adventientibus accessit, & conversus reverenter ad librum, qui erat apertus, substulit tantisper valde attentè ipsum intuendo, intelligénsq; in tot illis Divinis Mysterijs plura indicari, quàm ut eorum posset assequi, aut penetrare magnitudinem, contraxit humeros, & progressus est ulteriùs. Deinde, suo ordine, reliqui sequentes, idem faciebant, quod primus, quorum alij percipiebant plùs, alij minùs, pro rata sapientiæ sibi communicatæ ab illo Divino fonte. Postquam multi transivissent mihi ignoti, advenerunt alij, quos agnoscebam, quia illos à me DEUS volebat agnosci. Primus fuit Gloriosus S. Laurentius Martyr, à quo, ubi cum magna reverētia accessisset ad Sacratissimum Librum, & ipsum aspexisset perattentè, adverti ab eo percipi multò ampliùs ex illis Divinis Mysterijs, quàm ab alijs Sanctis, qui transiverant: tametsi contrahens suos humeros sicut alij, indicaverit, se non posse assequi incomprehensibilem altitudinem eorum, quæ contemplabatur. Prætergresso Sancto Laurentio, venit Sanctus Apostolus Petrus, & post præstitam suam reverentiam, detinuit se ibi modicùm, aspiciendo librum cum magna attentione, intellexitq; longè plùs, quàm ullus reliquorum Sanctorum, qui præterierant, adeò ut ego mirarer tam sublimen ejus Sapientiam, & modum intelligendi illa Divina Mysteria: sed nihilominus & ipse contractis suis humeris, quemadmodum fecerant cæteri Sancti, processit ulteriùs, significans, se non assequi omnem ipsorum sublimitatem. Postea venit Sacratissima Virgo, Domina Nostra, & appropinquavit cum profundissima reverentia sacro Libro, aspiciendo illum aliquamdiu quàm attentissimè, & cognovit Divina Mysteria multò sublimiùs, quàm omnes simul sumpti Sancti qui trāsiverant, quamvis & suo modo humeros contrahens, quasi non comprehenderet omnem illorum amplitudinem, processit ulteriùs, venitq; Majestas JESU Christi Domini nostri, qui se convertit ad Sacratissimum librum, & illum aspexit, statimq; intellexit, & comprehendit perfectissimè omnia mysteria in eo contenta, ac transivit, non contrahendo humeros, neq; ullum præbendo signum, quòd non comprehendisset integrè omnem illorum incomprehensibilem magnitudinem, imò significabat, ea à se comprehendi tanquam ab eorundem Domino ac Authore, in cujus Divino pectore & Sacratissima Persona essent peracta, & continerentur. Postquam Christus Dominus transivisset, tota illa Sacra Sanctorum pompa abivit ad suum locum pacis, quietis, & gloriæ æternæ, cum Beatissima Virgine, & Majestate Sacratissimi ejus Filij, DEI, ac Domini nostri.

In ista revelatione advertendum est, quòd, etiamsi anima Christi Domini, utpote Creatura, non comprehendat, quidquid complectitur liber infinitæ sapientiæ DEI, siquidem Creator non potest comprehendi à creaturis, quæ sunt limitatæ & finitæ, Persona tamen Christi Domini videat omnia & comprehendat, eò quòd sit etiam DEUS infinitus. Atq; sic intelligitur id, quod dicitur in hac visione: quamvis enim non desint moderni Doctores, qui dicant, ab anima Christi Domini cognosci omnia creata, quæ continet iste liber; hoc tamen non sufficit, ut dicatur comprehendi ab eadem DEUS: nam illum non videt eo modo infinitæ claritatis, quo DEUS videt seipsum. Advertendum est præterea, hic dici de Sacratissima Virgine, cognovisse ipsam plus ex eo libro, quam omnes Sanctos simul sumptos, quod est valde conforme Sententiæ, quam existimo esse verissimam, & fusè probat P. Franciscus Suarez in suo secundo tomo, in tertiam partem Sancti Thomæ, nimirum hanc Celsissimam Reginam habere majorem gratiam & gloriam,

riam, quàm omnes Angeli & Sancti, qui sunt & erunt unquam in Cœlo, simul sumpti habeant. Quid ista famula DEI ceperit ex hoc libro, patebit ex revelationibus & visionibus jam allatis, & alijs admirandis, quæ deinceps referentur.

CAPUT XXIII.

De tractatu, quem jussu DEI conscripsit, de virtute perfecta & imperfecta, nec non de modo quo se DEUS communicat animæ.

§. I.

MOta igitur à DEO Domino Nostro, & ipso jubente ac volente, sinè cujus jussu ac voluntate miserabilis muliercula, qualis ego sum, tam rudis, & insufficiens, non potest tantùm præsumere, ut quidquam loquatur & scribat, neq; par est, ut sit usq; adeo audax, dicam hac de re, id, quod me Dominus docuerit, cùm ad hoc præstandum non habeam alios libros, neq; alium Doctorem, quàm Divinam Majestatem. Quantùm igitur à DEO illuminata intelligo, dico, quòd, quemadmodum est reperire aurum falsum & purum, & hoc ipsum purum aurum aliud est perfectius & præstantius alio, ita se habeant virtutes. Inprimis enim invenitur virtus falsa & apparens, sicut aurum falsum, quia licèt anima sit plena vanitate ac inanitate, vult tamen præseferre, ac præsefert falsam quandam & apparenrem virtutem, de qua mihi non est animus hoc loco multùm disserere: qualis enim causa, talis quoq; erit illius effectus, & plerumq; erit vanitas ac mendacium, utpote proveniens ab anima vana, ac plena illius falsæ virtutis.

Prætermissâ itaq; istâ, volo agere specialiùs de alia, quæ licet non sit falsa, non est tamen etiam ex ijs, quæ mereatur nomen auri obrizi, & est virtus quædam quasi naturalis, propter id, quod habet admixtum, sicut aurum, quod non est omnino purum. Reperire verò illam est in nonnullis animabus, cujus principium, ac fortè etiam perfectio oritur ex natura, cum qua DEUS animam condidit, adeò ut hæc illius solius ductum sequatur, nihílq; suo proprio conatu acquisiverit, vel acquirat, neq; sit quidquam lucrata; verùm vitam agat tepidam, operetúrq; duntaxat secundùm naturam, quâ est à DEO prædita, non utendo ipsâ bene, ut illâ adjuvante assequatur perfectum amorem DEI, neq; cum ea naturali virtute, quam ipsi DEUS contulit, faciendo opera, quæ non tam ex perfecto procedunt amore DEI, quàm ex bona natura, & propensione. Anima hanc solam habens virtutem non est sufficienter disposita, ut DEUS in ea operetur istas speciales suas misericordias, de quibus nobis est sermo; ideóq; si quis habuerit hanc virtutem, & cum illa expertus fuerit hujusmodi inusitatas gratias, de quibus loquimur, equidem illis non multùm credidero. Istam verò virtutem esse quasi naturalem & imperfectam, neq; ortam præcipuè ex perfecto amore DEI, intelligi potest ex eo, quòd hæc anima per omnem vitam sibi maneat similis, eodémq; procedat passu, absq; ullo progressu aut profectu in virtute, & perfecto DEI amore, quódq; nunquam habuerit, nec habeat vincendas difficultates, sed neq; sui ipsius cognitionem, quæ illam immutet & convertat, atq, animet ac incitet, ad

emergendum ex ſua tepiditate & ſocordia, ac ad progrediendum, ut cum ea naturali aſſequatur perfectam virtutem ac amorem DEI, quo caret. Ex his, & alijs hujusmodi, poterit cognoſci imperfectio iſtius virtutis.

Præterea reperitur & alia virtus quaſi naturalis, quamvis diverſa à præcedenti, quæ inclinat & naturaliter reddit bene affectam animam erga bonum, & omnem virtutem; adeò ut revera illam inquirat, ac optet prorſus ſeriò: cùm enim virtus ſit ſecundùm ſe tam bona ac amabilis, ut æſtimetur à quocunq; animo bene diſpoſito, & prædito bonâ naturâ ac judicio, fit, ut is qui hanc bonam habet naturam, interdum illius ductu ſectetur virtutem, & quidquid illi videtur bonum, magno conatu ac promptiſſimè, eóq; ampliùs, ſi unà adſit (quemadmodum fortè plerumq; accidit) quidam naturalis appetitus: atq; ut id faciat cum intimo ac ſecretiſſimo quodam deſiderio proficiendi ac progrediendi altiùs, aſſequendíq; & poſſidendi, quidquid exoptat ac putat eſſe bonum, vel conſentaneum rationi: unde fit, ut tum virtutem longè deſideret efficaciùs & ardentius. Inter alia verò indicia, ex quibus poſſit intelligi, hanc virtutem non eſſe ex ijs, de quibus agimus, quæ ſunt inſtar puri & præſtantiſſimi auri, eſt iſtud. Si iſta anima uſq; adeò propenſa in id, quod optat, quamvis ſit, vel appareat eſſe virtus, & aurum purum, ut pro eo, quod cupit, obtinendo, videatur confici, ſi in quam advertat id à ſe tam vehementer ac immoderatè appeti, ut propterea vivat afflicta, inquieta, ac deſolata, ſéq; nullo unquam ſolatio frui vel pace internâ. Ut verò poſſit is, cui incumbit cura talis animæ, ejúſq; directio, cognoſcere affectum, & reconditum ipſius ſtatum (quamvis ſolus DEUS ſufficiat ac poſſit illum reipsâ & verè penetrare) advertat, an eadem anima ſe interdum affectu & voluntate affigat quibuſdam rebus, aut alicui, præter virtutem, quamvis non ſit mala, qualis eſt amor alicujus rei ſpecialis, ſive ſint divitiæ, ſive honor, ſive propenſio erga cognatos, vel aliud quid ſimile. Si aliquid ejusmodi adhæret tali animæ, ſignum eſt, quòd bona illa natura, de qua loquimur (quamvis ex ſe ſola non habeat veram virtutis ſubſtantiam) etiam non excludat iſtum defectum deſiderij & appetitus immoderatè, quo fertur in id quod concupiſcit, & vellet conſequi. Quando hæc virtus eſt ac reperitur in anima, & ipſa exiſtimat, ac dicit, ſe viſitari à DEO & ejus Sanctis, fruiq;, eorum alloquio, ego mihi non perſvadeo, id eſſe verum.

Alia virtus invenitur, quæ eſt verè perfectiſſima, & inſtar illius puriſſimi auri, quod æſtimatione noſtrâ eſt omnium præſtantiſſimum; hanc autem habet anima, cui ipſam DEUS eſt dignatus dare, & impertiti iſtud tam excellens & pretioſum cimelium. Hæc virtus reſpicit ſolum DEUM & perfectiſſimè ad illum tendit, proptérq; ipſum operatur, & in eo ſolo conquieſcit, illum ſolum habet præ oculis, ac ad eundem ex intimo corde fertur ſuis deſiderijs, atq; affectibus. In quo modo exequendæ & exercendæ virtutis, nullum videtur habere locum bona natura, vel quidquam aliud, quod animam poſſit incitare ad peragenda ea opera & actus virtutis, præter ſolum DEUM ipſius ac Dominum, qui jam illam, quaſi domum ſuam, poſſidet, ideóq; ab illo procedunt ejusdem animæ deſideria, & ad ipſum revertuntur. Quodſi aliquando operâ diaboli, vel ex motu corruptæ ac vitioſæ naturæ, nobis congenitæ, quam ſemper nobiſcum ferimus, inſtar graviſſimæ crucis, quantumcunq; illam velimus refrenare ac domare, fuerit ſuſcitatus in hac anima aliquis terræ motus tentationum & adverſitatum, ut eo tempore omnia ſúſq; déq; videantur verti, & natura ſatagat pro domo ſua, atq; aliquo modo videatur velle imperare, & ſubinde aſſequi ſuum finem in quibuſdam reculis, ac præter fas, à pedibus modicùm eſſe progreſſa ad manus: quandò, *inquam*, iſtud evenerit in hac anima virtuti dedita, quæ inſtabiliter inhæret ſuo DEO, non propterea cogitandum eſt, eam virtutem non eſſe per-

se perfectam, aut non esse bene fundatam in anima, quæ potiùs proculdubio inde evadet firmior ac securior, perfectior, atq; fortasse gratior oculis sui DEI & Domini, per pœnitudinem, ac dolorem de admissis peccatis, & clariorem cognitionem suæ miseriæ ac vilitatis, nec non bonitatis DEI, qui illam tolerat, & non punit. Atq; unum è veris signis, quæ haberi possunt, pro agnoscenda vera virtute, est hoc, si per DEI misericordiam, & ipso adjuvante, elicit prædictum fructum ex defectibus, in quos labitur pro sua miseria, & quidem subinde, ac sæpe DEO id permittente, ad majus bonum hujus animæ, quam Divina Majestas tantopere amat. Unde utiliores aliquâ ratione existimo esse hos defectus, quia DEUS ex ipsis frequentiùs, pro sua bonitate ac Sapientia, elicit exsuperantiam bonorum, quam ex illis quasi excessibus virtutis, de quibus loquebamur, earum animarum, quas non movet tam perfectè ad operandum solus amor DEI, sed illæ causæ & natura, de quibus nobis sermo fuit. Aliud signum veræ virtutis & perfecti amoris DEI est, quòd anima, quæ illam habet ac possidet, nunquam affectu adhæreat ulli rei terrenæ, sed omnia substernat pedibus, solúsq; DEUS ipsius & Dominus, sit illius bonum ac divitiæ, & principium in omnibus rebus, atq; ultimus earum finis. Dico autem, affectu. Quia poterit ubiq; fieri, ut patiatur aliquos insultus, quibus tamen non prosternetur, & licèt modicùm attenuetur, Divinâ nihilominùs gratiâ subveniente, non conquassabitur.

§. II.

DEclaratis jam his virtutibus, earundémq; discriminibus, dicam modò, Divinâ aspirante gratiâ, quod mihi magis propositum est, magisq; vult DEUS. Inprimis, quod attinet ad primam falsam & apparentem virtutem, de qua sum loqvuta, non est, cur tempus in ea exponenda teratur, quia, sicut dixi, quidquid provenerit ex mendacio & vanitate, plerúmq; erit mendacium & vanitas, nisi aliquid accidat insolitum, eò quòd infinita Sapientia DEI vellet, ex suis incomprehensibilibus judicijs, se manifestáre & communicare, ac pandere suum secretum, ob sublimem aliquem finem, illi animæ miserabili, & exosæ ejus oculis, propter ipsius peccata, & vanitates, quemadmodum Divina Majestas egit cum Sancto Paulo, persecutore suæ Ecclesiæ: adeóq; si DEUS aliquando tale quid fecerit, quantociùs apparebit, ipsum esse authorem istorum mirabilium, & hujus operis, ex effectibus, quos producet in ea anima, id quod fiet, quando illam illuminabit, ut se cognoscat, & emendet sua peccata ac vanitates, amplectatúrq; effectum & substantiam boni in eo, quod ipsi est revelatum, ac dictum nomine DEI.

Quod concernit virtutem quasi naturalem, quam dixi, reperiri, & esse in quibusdam animabus, ab ipso earum exortu (quæ est specialissima misericordia, quam illis DEUS præstat, dum eas creat cum illa bona natura, quæ est excellentissima dispositio, pro perfectè exequendis operibus, spectantibus ad ipsius honorem, modò illâ scirent bene uti) dico, me non existimare, esse sufficientem dispositionem istius animæ, quod jam dixi, ut DEUS illam visitet, vel in ipsa peragat hæc peculiaris suæ misericordiæ opera, de quibus loquimur; atq; si dicat, se eas habere, ego illi non multum credo, quia ordinariè se communicat DEUS ejusmodi animæ, ita ut ipsi det inspirationes, quibus incitata progrediatur, proficiendo in virtute, emergátq; ex ea socordia, in qua vivit, & conetur, utendo suâ bonâ naturâ, tendere ad assequendam verè perfectam virtutem, & perfectum amorem DEI. Dabit quoq; illi Divina Majestas frequenter magnum gustum, ac svavitatem in meditatione, & ponderatione mysteriorum sanctissimæ ipsius vitæ, & mortis, idq; tantùm ideò faciet, ut illam juvet pertingére ad finem, quem Divina Majestas desiderat. Siquidem enim illam DEUS amat, amavitq; jam inde ab initio, & propter hunc

amorem,

amorem, quo erga illam ferebatur, ipsámq; propter suam bonitatem respexit oculis misericordiæ suæ, ut illi daret istam bonam naturam ac dispositionem pro majore ipsi° profectu; nihil dubito, quin eandem sit semper adjuturus istis suis gratijs, ut hac ratione bene afficiatur erga Divinam Majestatem, atq; erga id, quod est perfectius in virtute: qui est usitatior modus, quo se DEUS tali animæ communicat. Alia verò ista specialia timeo, ne abludant à vero: sed quia non est admodum perfecta, nec habet tantam cognitionem tum sui ipsius, tum Magnitudinis ac Sapientiæ Divinæ, & experitur sibi fieri illam gratiam interdum à DEO, de qua loquor, sumit inde fortassis occasionem, quia non est adeò sapiens, & parum intelligit, dandi locum imaginationi, sibíq; persvadendi, eam, quæ est visio imaginaria, esse intellectualem, & spiritum proprium, esse Spiritum DEI; atq; etiam diabolus conatur se hîc ingerere, quàm maximè potest: quorum nihil fieret, si haberet veram cognitionem tam necessariam. Videret tum & cognosceret se non mereri, nec esse dignam istis honoribus, vel his visitationibus, & allocutionibus Divinis, neq; etiam ipsi talia modò convenire: sed procederet, quoad rem præsentem, viâ ordinariâ. Hoc mihi videtur de statu istarum animarum, loquendo in genere, & sicut ordinariè solet fieri: quia nihil volo dicere de casu aliquo extraordinario Divinorum judiciorum: atq; si is eveniret, existimo non defutura indicia clarissima, per quæ agnosceretur, esse DEUS author operis, ex ijs, quæ in tali anima ageret, vel per alia bona, quæ inde resultarent. Tamen, licèt hoc sit verum; & ego ità esse credam, audeo affirmare, me citiùs de bonitate DEI crediturum, loqui, & loqvuturam aliquando divinam Majestatem illi animæ seductæ, de qua disseruimus, propter aliquem valde sublimem ac necessarium finem, quàm isti, de qua nunc ago, idq; ob duas rationes. Una, & præcipua est, magnitudo Divinæ bonitatis, propter quam dignatur Divina Majestas oculis misericordiæ suæ respicere illam animam perditam, ideóq; indigam ipsius gratiæ ac misericordiæ, quæ absq; tali Divina vi, talitérq; operante potente manu DEI, procul dubio periret, manerétq; perpetuò immersa illis suis miserijs, & mancipata diabolo. Altera ratio est, quia æquum est, ut Divina Majestas subinde tam magna opera faciat, pro animandis & consolandis peccatoribus ac imbecillibus, idémq; conducit ad majorem ipsius gloriam, ut hac ratione magis agnoscatur ejus bonitas & potentia infinita, ac magnitudo & omnipotentia, quâ potest quidquid vult, & absq; ulla aliorum injuria, alijs præstat magnas gratias: quæ omnia non ita habent locum in statu harum animarum, de quibus modò sum loqvuta. Ac proinde, ùt est DEUS tam sapiens ac bonus, existimo & credo, quòd sua opera peragat, ubi sunt magis necessaria ac proficua animabus, & ubi ex illis derivari potest majus bonum in mundum, atq; major gloria in suam Majestatem.

§. III.

ALtera virtus, quæ etiam non est sufficiens dispositio, ut DEUS in anima operetur has speciales suas gratias de quibus loquimur, est, quam dixi moveri magis à proprio appetitu & vehemente natura ac privato commodo, etsi non malo, quàm à DEO, licèt id non agnoscat, nec bene intelligat, quod quidem fortè est maximum ipsius malum, summúmq; inconveniens, quò minùs progressum faciat in virtute, si nimirum non cognoscat suas passiones. Ideóq; existimo, si hæc anima diceret, se visitari à DEO, & ejus Sanctis, cum ijsdémq; loqui, similiter, me non multùm id crediturum: cùm sit certissimum, quòd DEUS se nunquam communicaturus sit hoc modo animabus tam imperfectis, nisi in aliquo extraordinario casu; id quod rarissimè eveniet, quando Divina Majestas voluerit ostendere suam bonitatem, & sapientiam, in manifestando aliquo suo arcano isti animæ, ac affe-

mere

mere talem personam pro suo instrumento, ad peragendum aliquod grande opus, & valde utile ac proficuum animabus, propter talentum ac dispositionem, quam Divina Majestas forsitan in ipsa reperit, capacitatis & virium, ut aggrediatur magna, quia natura istius animæ vehemens & quasi præsumptuosa est secundùm se ad tale aliquid agendum disposita. Etiamsi enim verum sit, DEUM non indigere, ut faciat, quod vult, istis præparationibus ac dispositione, sed posse optimè, & absq; ulla difficultate, idem facere in alia anima, prædita perfectiore virtute, licèt careret istiusmodi dotibus naturæ, amat nihilominus Divina Majestas, quasi suum ordinem & cursum rebus relinquere, & eadem opera præstare plura, quod hîc Divina Majestas agit: quia ex isto opere resultabit auctior virtus istius animæ, & solatium ijs, qui sunt imbecillæ virtutis, nec non summa gloria Divinæ Majestati.

Sed præmissis his admirandis DEI operibus, & istis tam raris ac insolitis casibus, ut loquar de eo, quod communiùs & plerumq; accidit, dico, me his animabus adhuc ampliùs metuere, quàm præcedentibus, ne seducantur à diabolo? quia sunt magis dispositæ, ut ab ipso decipiantur, ob illum naturalem appetitum impetuosum, quo feruntur ad desideranda majora, & præstantiora, dum sibi videntur, à bonitate eorum, quæ desiderant, reddi securæ, & non considerant fundum ac radicem cordis, unde pullullant hæc desideria, & iste appetitus virtutis; quæ radix fortè non est solus DEUS, etsi id ipsæ non bene percipiant: siquidem perfecta desideria animæ, ac inprimis ea, quæ tendunt ad perfectam virtutem, debent incipere, atq; etiam desinere in solo DEO: nisi enim id fiat, est opus valde imperfectum, multúmq; illi deest. Et in hoc non oportet animam admiscere quidquam desiderij rerum eximiarum, quas sibi soli optet, sed necesse est, illam sic dispositam esse ad desiderandum perfectè ac verè DEUM, ipsiúsq; gloriam & voluntatem, ut si Divina Majestas vellet (quod quidem non vult, neq; omnino volet) dare illi modicam virtutem, hæc ei sufficiat, séq; humiliet ac sincerè allaboret, ut inquirat & assequatur perfectam virtutem, in qua invenitur DEUS, ac ejus amicitia & gratia, quæ sola satiat animas, verè ipsum quærentes ac desiderantes. Dico autem has animas esse magis dispositas, ut seducantur illusionibus diabolicis, quia propter vehemens illud & immoderatum desiderium, quo volunt indipisci virtutem, & in eo excellere, dum ipsis videtur esse virtus, & non vitium, id quod cupiunt, ideóq; in hoc non esse servandam mensuram, subintrat diabolus, suggerens ipsis, nihil ab illis desiderari, nisi quod sit bonum, cuperéq; eas quàm maximè servire DEO, atq; dum illis id persvadet, occultat, quod subest his desiderijs, estq; admixtum: ac proinde conatur ipsas alloqui, ac decipere dissimulanter, & inducere, ut hoc libenter habeant, ac desiderent, quò postea possit meliùs præstare, quod consuevit, ipsásq; seducere aliquibus mendacijs: dicit illis, optimum esse & convenientissimum, desiderare, quod bonum est, magisq; proficuum propriæ animæ, & conducibilius ad gloriam DEI: atq;, cur id non posset desiderari, ut ipsis DEUS dignetur tantam dare virtutem, quâ promereantur, ut DEUS illas alloquatur ac visitet. Sed probus ac discretus Confessarius (quo utroq; ipse summè indiget, ut possit de hoc negotio ferre judicium, adeò ut si id illi deesset, maximè verò prius, ego nollem habere talem Confessarium) agnoscet hæc alloquia esse diaboli, ex substantia virtutis istarum animarum, quam poterit inde intelligere, si modicum, vel nullum fructum aut commodum istæ animæ capiant ex his alloquijs. Imò si rem bene expendat, videbit & agnoscet, quòd in dies agant profundiores in ipsis radices illi defectus, & augeantur. Hæc enim sunt commoda, & hi fructus, quos anima percipit ex istis alloquijs, ac malâ linguâ diaboli, & ex his ipsius dolis ac illusionibus: quâ quidem ratione illam conatur perdere ipsiq; impedire misericordiam & gratiam

quam, meâ opinione, DEUS istis animabus præstaret, visitando illas ex sua bonitate, & magno amore, quo erga eos fertur. Quod autem illis crederem, si mihi, se id habere dicerent, esset: inspirari ipsis à DEO secretè ac svaviter, quod Divina Majestas videt & cognoscit, ijs esse necessarium, juxta ipsarum naturam: hoc enim faciet Divina Majestas semel atq; iterum, ut ità, ubi adjutæ fuerint ab ipsius misericordia, illis obveniat pax bonorum ac verorum desideriorum, paulatímq; amoliantur, quidquid est nimium in natura, & amplectantur, quod est verè perfecta virtus, ac perfectus amor DEI. Etiam hæ animæ non sunt dispositæ, meo judicio, ut se illis DEUS communicet cum benedictionibus dulcedinis. Hoc est, quod mihi videtur, de istis animabus.

§. IV.

QUod attinet ad postremam & perfectam virtutem, quam dicebamus, esse instar præstantissimi auri, ajo, illam esse optimam & excellentissimam dispositionem, ut DEUS in ea anima, quæ ipsam habet, operetur, ex sua bonitate & sapientia ac misericordia, istas singulares gratias, de quibus loquimur, visitando illam per se ipsum, ac per suos Sanctos, & communicando se ipsi, manifestandóq; illi sua Divina & cœlestia arcana, ut ità delibet, atq; aliquomodo probet, id, quod ex ipsius bonitate ac misericordia habitura, & quo fruitura est in Cœlo. Et hoc usq; adeò verum est, ut mihi id persuadeam de bonitate DEI indubitanter, nullam ex istis fortunatis animabus, quæ sunt consecutæ hanc perfectam virtutem (per bonitatem ac misericordiam DEI, cui ipsæ cooperantes faciunt modicum illud, quod possunt) fore, cui non præstet Divina Majestas aliquas hujusmodi suas gratias, plures vel pauciores, pro Sancta sua voluntate & infinita Sapientia, ac dispositione talis animæ, excepto aliquo casu speciali & extraordinario, quo DEUS velit, propter causas suæ Majestati notas, ducere quampiam animam aliâ viâ, non adeò tritâ & usitatâ: communiter autem, & ordinariè facit Divina bonitas, quod dico, & quantò perfectiorem ac sublimiorem virtutem habuerit anima, tantò familiariùs, meo judicio, aget cum DEO, & Divina Majestas cum ipsa, tantóq; plura suscipiet ex ipsius manu dona ejus specialia ac Divina. Quod si DEUS se non multùm communicet animabus, non aliam equidem esse causam existimo, quàm imperfectam earum virtutem. Siquidem DEUS & ejus bonitas semper sibi est similis, & invariabilis, neq; mutare posset, vel mutavit unquam suum agendi modum, & bene novimus, quales misericordias Divina Majestas præstiterit animabus virtute præstantibus. Ideóq; si anima, quæ talem habuerit perfectionem virtutis, qualem ista, de qua sumus loquuti, ac dixerit, quòd ipsi loquatur DEUS, & visitet illam, ac ipsius Sancti, séq; ei communicet, dico, me id credere, & esse verum. Licet enim diabolus sæpe attentet, réq; ipsa conetur, se transfigurare in Angelum lucis, si quâ ratione fortè illam possit decipere, quemadmodum cum pluribus Sanctis egit multis ac diversis vicibus; id tamen ita fiet, ut confidam in bonitate DEI, & in amore, quo Divina Majestas ipsam amat, non eventurum id quod ipse intendit: & quamvis in principio, dum adhuc potest esse aliquod hujus rei periculum, attenuetur, non tamen cõfringetur, sempérq; spero in DEO, & in ipsius bonitate, fore, ut plerumq; diabolus in hoc certamine pudefiat ac vincatur: quia Divina Majestas specialem omnino gerit curam talis animæ, neq; illam relinquet inter dentes ac dolos suorum hostium, atq; etiam ipsa semper illum sequetur, & quæret, ideóq; bene ei succedent omnia: quod dico, ac intelligo etiam de ijs, qui se incipiunt impendere perfectæ virtuti (siquidem eadem perfecta virtus habet suum principium, suum medium, atq; id, quod videtur esse ipsius finis, propter sublimitatem) quia de alijs illis animabus perfectis, & robustiore virtute præditis, amplius habetur certæ spei, haberiq;

beríq; potest, spectatâ DEI misericordiâ: sunt namq; jam quasi servi antiqui in domo sui Domini, & instar filiorum familias in domo sui Patris, vel instar Sponsæ sui dilecti Sponsi ac Domini, quas ipse novit, intiméq; habet perspectas, & scit ac intelligit, quales sint, novítq; ipsas ex loquela, ac earum moribus, & modo, quem in agendo observant; illæ quoq; percipiunt & intelligunt hæc opera ipsius misericordiæ, quomodo ea faciat, & peragat in anima. Unde anima, quæ, per DEI bonitatem, assequitur talem virtutem & familiaritatem cum Divina Majestate, procul est progressa, ad discernendam malam diaboli linguam, dum penetrat magnum discrimen, quod intercedit, inter communicationem ac modum agendi sui cari Domini, qui est unicum ipsius delicium, & malam linguam dæmonis. Neq; solùm ex alloquijs & communicatione id agnoscetur, sed etiam ex illis, quæ consequentur; & effectibus, quos operabuntur in anima, tanquam omnium verissimis signis, ex quibus cognoscuntur ac discernuntur spiritus. Unde anima amans hoc modo suum DEUM & Dominum, ipsúmq; intelligens, sequitur illum, sicut innocens ovis sequitur sibilum sui boni pastoris ac defensoris, fugítq; hostem, qui illam vult rapere ac deripere: ideóq; hæc anima protegitur ac defenditur ab isto Divino & supremo Pastore, Domino, & Sponso suo.

§. V.

SIgna pro discernendis his spiritibus mihi videntur esse ista. Primò, Spiritus DEI, est Spiritus veritatis, bonitatis, & amor sapientiæ, ac pacis, suavitatis & consolationis, fortitudinis & perseverantiæ in eo, quod dicit Divina Majestas, ac imperij & dominij, quod Divina Majestas habet atq; exercet in animam, cui se ita communicat, ut, nullam ei vim inferendo (in ijs, ex quibus agnoscere potest & intelligere id, quod ipsam vult docere, eíq; manifestare de suis Divinis secretis) suaviter, & cum solatio ac sine afflictione, hæc illi præstet, eâ ratione, ut quamvis se vellet abstrahere à videndo & intelligendo, quod ipsi DEUS vult exhibere ac manifestare, omni præcisâ morâ, non permittat ipsam id facere. Atq; post hujusmodi communicationem & visionem DEI, ejúsq; Sanctorum, sentit anima solatium, quamvis illam diabolus conetur eo tempore aliquando perturbare, ipsíq; in ea re ingerere dubia ac timores, cùm hoc non videatur posse alio modo efficere: maximè verò si talis anima sit timida, impendet in id, quas potuerit, vires. Sed quia iste nimius timor provenit à diabolo, evanescit quàm citissimè, instar fumi, & anima abundat solatio, sicut dixi. Præterea, admirans tantam sapientiam ac bonitatem, talémq; agendi modum illius supremæ Majestatis, & communicationem, quâ pandit sua arcana animabus, ampliùs exardescit Divino ejusdem amore, & se plus humiliat, ac in dies proficit in sui cognitione, magísq; obliviscitur rerum terrenarum, & eas deserit, adeò ut cum illis gratijs, quas ipsi DEUS præstat, quotidie, quasi sensim sine sensu, crescat in ea perfectione virtuosæ vitæ, quam agit, excellátq; in ijs admirandis virtutibus. Et hoc est præcipuum signum, DEUM esse Magistrum ac Authorem ejus operis, idémq; ab ipso procedere. Ille verò effectus admirationis, quem dixi, sentiri ab anima, dum se DEUS taliter communicat, mihi videtur, esse semper vehementior, sub initium illius Divinæ communicationis, quàm, dum jam Divina Majestas familiariùs cum illa agit & frequentiùs: verùm amor & sanctus timor DEI, atq; circumspectio & reverentia, quam debet habere in omnibus operibus, quæ facit, concernentia honorem DEI, ac in misericordijs & gratijs, quas ex Sanctissima ipsius manu suscipit, crescit indefinenter. Contrarium his omnibus efficit diabolus suis alloquijs, & mendacijs, ac malâ linguâ, cujus talia, quantumcunq; ea velit dissimulare, in ipsa relinquit vestigia & effectus, dum illam alloqui, atq; id facere audet, ut cum DEI gratia, quemadmodum est dictum, bene cognoscantur in talibus animabus.

Hoc est meum judicium, de statu istarum animarum, quas DEUS, ex sua bonitate, tantopere amat; proptérq; hunc amorem, quo eas complectitur, nisi habeat extraordinariam & specialem causam (qualem diximus, Divinæ Majestati posse suppetere, ut se communicet, ac manifestet aliquod suum secretum animabus, non adeò perfectis) aliúmve finem: propter illam suam infinitam bonitatem, inquam, & eum magnum amorem, quo Divina Majestas illas amat, & amorem, quo ipsæ vicissim illum diligunt, dignatur, & vult, éstq; ipsius voluntas, communicare se illis eâ ratione, easdémq; visitare, per se ipsum, & suos Sanctos, ad eum modum, quo magnus Princeps & Rex ac Dominus se posset aperire, & pandere sua secreta aliquibus ministris domesticis, sibíq; unicè familiaribus, propter alterutram istam causam: Primò, ut committeret alicui suo ministro exequendum, vel aggrediendum negotium magni momenti, unde sit emersurum aliquid valde proficuum, & bonum pro ipsius statu, & Regno ac Domo: Secundò, non quidem ideò, neq; eo fine, sed quia illum tantopere amat, ut ob hunc solum amorem, quo ipsum prosequitur, nullo alio habito respectu, propè nihil habeat in suo pectore seu corde, quod illi non manifestet, cum eóq; conferat & ipsi communicet, atq; hac re delectetur; nec non ut ei satisfaciat in omnibus, quæ voluerit ac petierit, eo quod sciat, & optimè noverit, se ab hoc suo ministro, sibi intimè familiari, ex toto corde ac anima amari, & illum quantum in eo est optare, majorem ipsius honorem, & gloriam atq; incrementum ejus Domûs, ac Ditionis & subditorum. Adeóq; iste Rex & Princeps, tanquam Dominus absolutus suæ Domûs, & Ditionis, ac suorum ministrorum, jubet quod vult, ac agit pro suo beneplacito; & amat, vultq; hujusmodi bonis & fidelibus, ac finceris ministris gratificari, & favere, ac rependere tam munificè illum ipsorum amorem, & fidelitatem, eámq; bonam voluntatem, quà illi serviunt, communicando se ipsis eâ ratione, præstandóq; illis tam cumulatam gratiam. Ita se gerit Noster magnus DEUS ac Dominus, Rex & Princeps Supremus Noster, erga suos servos & familiares, quales sunt hujusmodi animæ, quia ipsum taliter amant, eíq; serviunt quantum, & cum ea fidelitate ac promptitudine, ut darent, exponerèntq; pro illo suam vitam, & mille vitas, si eas haberent, quod totum ijs videretur esse parum, propter magnum amorem, quo ipsum proseqvuntur.

§. VI.

REliqvum jam est, dicere, quòd plurimùm in eo consistat, ne Pater Spiritualis erret, in regendis ad gloriam DEI istis animabus, & in cognoscendo earum statu, ut non careat tribus maximi momenti rebus, quæ ad securè in hoc negotio procedendum requiruntur, & sunt necessariæ. Prima est, perfecta virtus & charitas, quà DEUM toto suo corde amando, amet pariter animam, quam Divina Majestas commisit ipsius curæ, ut sit illius Magister ac Dux in via virtutis, nihílq; aliud in illa desideret ac velit, nisi quod DEO fuerit gratius, magisq; conduxerit ad gloriam Divinæ Majestatis. Secunda est, prudentia ac discretio maxima, ut sciat æstimare & expendere debitè ea, quæ conveniunt statui illius animæ, animadvertendo, non absq; attentione & oratione, procurandóq;, quàm optimè poterit, ut cognoscat & intelligat ipsius virtutem ac Spiritum, neq; fidendo aut credendo facilè omnibus, quæ primâ fronte illi visa fuerint, esse virtus & spiritus: quia si hac in re intervenit dereptio, fit, ut indè sequantur gravia mala ac damna illius animæ, quæ longum esset referre. Ideóq; unum tantummodo dicam, quod est, meo judicio, summum, videlicet, diabolum, quando hac viâ ducit aliquam animam illusam, quasi indies magis ipsi dominari, illámq; occupare, & quodammodo capere possessionem ejus domûs, ut sensum tanquam sensu ipsam destruat, ac tandem circumveniat aliquibus suis mendacijs. Hoc, & alia

& alia magna damna adfert istud malum, & hæc deceptio. Tertium, idq; præcipuum est, ut sit vir præditus spiritu & familiaris DEO, qui hoc modo cognoscat & intelligat, quid sit spiritus, & quid sit, agere cum DEO, neq; omnia damnet, & fortè animas Sanctas, quas DEUS ex sua infinita bonitate visitat, quibúsq; se communicat, & quas docet, vitam suam instituere juxta obedientiam, & alienum judicium, affligat ac turbet, & ne, quantùm est in ipso, id faciendo, impediat ea, quæ agit ac operatur Spiritus Sanctus, continuè illis resistendo. Licèt enim verum sit, à nemine posse impediri opera DEI, neq; ullum esse tam potentem, nam deniq; manifestabuntur, & patefient ipsius opera, & magnalia; nihilominus vult Divina Majestas, ne illi reipsà obsistamus, neq; taliter repudiemus ejus opera & bonitatem, sed ut agnoscamus, ipsum esse eúdem Dominum, qui semper fuit, haberéq; eandem bonitatem, quam semper habuit, & sicut novimus, quòd ex eadem similiter illum posse ac velle se communicare nunc animabus quas amat sua bonitate se communicaverit multis animabus, quia illi verè serviunt. Nisi enim hac in re adsit Sancta, discretio, neq; Confessarius velit ad hoc attendere, vel id curare, etiamsi DEUS se non sit ab ista anima absentaturus quoad id, quod illi magis expediverit, fueritq; utilius, cùm ab ipsa repellitur, ut ei obediat, eò quod illam jubeat obtemperare suis Superioribus ac Magistris: imò, quia ipsam amat, feret illam in oculis & consolabitur, providebitq; ei suo tempore de alio Magistro: tamen dum Divina Majestas ita permittit affligi istam animam, ad majus illius bonum, subtrahet suum lumen, ut puniat illum defectum, quem committit ipsius Magister, manebitq; in ea deceptione & obscuritate, ita ut non videat, neq; intelligat illuminationem DEI, nec specialia opera ipsius munificentiæ, & bonitatis ac misericordiæ atq; amoris, quo Divina Majestas amat animas: quæ si ab ea cognoscerentur & intelligerentur, fortè illi multum adferrent emolumenti & boni, non solùm pro ipsius anima, sed etiam pro alijs animabus, cùm unâ candelâ accensâ, soleant accendi multæ: verùm si ab aliquo obtegatur modo prædicto, extinguere enim illam hac ratione non erit possibile, non poterit emittere tam clarum lumen, neq; tam facilè accendere alias; ideóq; oportet bene ad id advertere. His tribus rebus mihi videtur opus habere Confessarius & Pater Spiritualis, pro regendis similibus animabus. Utinam DEUS, per viscera suæ infinitæ misericordiæ & bonitatis, largiatur talibus Magistris & Patribus Spiritualibus suam abundantissimam gratiam, ut in hoc negotio, & in omnibus assequantur, quæ sit Sancta ipsius voluntas; & animabus, quæ talia expertæ fuerint, concedat suum lumen & Sanctissimam gratiam, ut omnia bene agant, detq; illis Divina Majestas Magistrum, & gratiam convenientem ad majorem suam gloriam, & ipsarum profectum.

CAPUT XXIV.

De varijs modis, quibus se DEUS supernaturaliter communicat animabus, & quibus ipsæ illum in ista communicatione cognoscunt.

PRo eo, quod Venerabilis Marina de Escobar in se ipsa est experta, conscripsit DEO inspirante, varios modos, quibus Divina Majestas se communicat supernaturaliter animabus, & gradus seu scalas, quibus ad illos progrediuntur, unáq; modos, quibus ipsæ DEUM in ista communicatione cognoscunt. Atq; in his omnibus adumbrabat seipsam, ac depingebat id, quod illi eveniebat, in duplici statu viæ, quà illam DEUS ducebat, quando inprimis quidem prospero utens vento abundavit solatijs spiritualibus, postea verò fuit passa varias ac diuturnas afflictiones, pro sua majore corona.

§. I.

De quatuor supernaturalibus modis, quibus se DEUS communicat animæ.

1. PRimus modus, quo se DEUS supernaturaliter communicat animæ (quantum cum Divinæ Majestatis gratia intellexi, & ex ipsius bonitate sum experta) est loquela quædam interior ac Divina, quæ sonat in auribus & auditu secretiore ac superiore animæ, ubi per Divinam gratiâ, & per supernaturale lumen sibi à DEO communicatum, ipsum cognoscit, valde distinctè, verè, ac vivaciter.

2. Secundus modus, est cognitio clara & manifesta, quoad DEUS vult, & est Sanctissima ipsius voluntas, ut anima, & pars illius superior illuminetur, quâ videtur, cognoscitur, ac intelligitur in eo ipso Domino, admirabiliter, illa veritas & mysterium, quæ veritas remanet in tali anima quasi inserta, & impressa valde clarè, verè ac firmiter, ac si in molli cera remaneret figura sigilli in illam impressi. Hic modus est admodum Divinus, excellens, & sublimis.

3. Est & tertius modus, quando DEUS quasi explorat intimos recessus animæ, atq; ità illi incipit insinuare aliquam veritatem vel mysterium, quod ipsi Divina Majestas vult manifestare, & exponere fusiùs per suos Sanctos Angelos, quâ illuminatione & exploratione perfectè disponitur, ut audiat, intelligat & cognoscat, quid loquantur ac annuncient illi Sancti Angeli, & quæ mysteria, nomine DEI, velint ipsi indicare, pandere, & exponere. Sicut contingeret cuipiam viro gravi & prudenti, qui clarè perciperet, cognosceret, ac intelligeret, sibi à Rege, Domino suo, præstandam aliquam gratiam & favorem; ideóq; se disponeret pro eo suscipiendo, cum gratiarum actione, & cæteris requisitis, ad audiendum, percipiendum, & intelligendum, quid Regia Majestas illi sit mandatura, ab eo petitura, & ad quid agendum sit usura ipsius operâ: ita fit, & se res habet in hujusmodi gratia & misericordia, quam DEUS præstat animæ.

4. Quartus modus, est lumen & cognitio specialis & supernaturalis, quam Christus JESUS Dominus Noster dat, & communicat animæ, quando dignatur, ex solâ sua bonitate & misericordia, illi revelare aliquod mysterium suæ Passionis, Resurrectionis, vel Ascensionis, aut Infantiæ suæ, similiúmve rerum, quo lumine habito & cognitione, videt, cognoscit, ac intelligit admirabili modo, in eo Domino dolores, quos est passus in eo mysterio, quod sibi manifes-

manifestatur, aut gloriam Resurgentis, vel Ascendentis, vel alia mirabilia, concernentia ipsius Infantiam.

Quamvis autem tertius & quartus modus, quos hîc refero, videantur esse potiùs speciales gratiæ, quas DEUS exhibet animæ, in sua Divina & mystica communicatione, quàm distinctus modus se communicandi, invenio tamen, nescio quid distinctionis ac differentiæ in hoc, quòd DEUS ita doceat animam, ut videatur somniare, intelligatúrq; esse modus communicationis potiùs, quàm specialis gratia à Divina Majestate animæ præstita.

§. II.

Quomodo oporteat esse dispositam animam, ut DEUS se illi communicet, loquatúrq; internè: & de varijs gradibus, per quos ipsam ducit.

POstquam anima se collocaverit ad pedes sui DEI ac Domini, illíq; obtulerit Sacrificium solidarum & perfectarum virtutum, & postquam, per Divinam bonitatem jam nihil videtur intercedere inter DEUM & ipsam, eò quòd sit illi subjecta, subdita, & obediens, ac disposita ad omnia, quæ DEUS ipsius & Dominus ei voluerit dare ac præstare, disponeréq; de illa, quoad crucem, afflictionem ac dolores, vel solatia & gaudia, ac svavitatem; ille verò ipsam respiciat oculis paternis, amando illam, & bene ei volendo, tanquam filiæ & sponsæ, recreando eandem & consolando, sicut decet talem bonum & magnificum Dominum, prospiciendo illi in omnibus necessitatibus, ipsámq; adjuvando; postquam, dico, anima est in hoc statu virtutum, per Divinam bonitatem & gratiam, atq; Dominus illi se communicat, & pandit sua Divina secreta ac mysteria, clarè & specialiter, ipsam illuminando, debet anima in suo peculiari exercitio orationis, quando occludit portas omnibus creaturis, & sola agit cum suo DEO, offerre ipsi suum exercitium orationis & meditationis, gratiarum actionis, & contemplationis, ac cætera, quæ nos docent Sancti. Hac enim viâ nobis ingrediendum est, donec Dominus nos incipiat alloqui, ducátq; animam, quò voluerit; oblatis ipsi omnibus in purissimè aurea patina humilitatis, & cognitionis propriæ nostrarum miseriarum, quæ virtus admirabilis plerumq; in hoc statu non acquiretur solâ consideratione, sed promanabit à lumine interno & antiquo, communicato ipsi à DEO. Hæc est magni momenti ac pretij.

Debet anima ingredi intimum & secretum conclave DEI, libera, & expedita à desiderijs rerum mirabilium & supernaturalium, submittendo se sincerè ac simpliciter Domino DEO, ut faciat & operetur in illa, quod voluerit, ipsíq; bonum factu visum fuerit, neq; debet in suo exercitio subsistere ex proposito, vel in eo desidiæ se dare, ut audiat & auscultet DEUM, an loquatur: quando enim DEUS id vult facere, & se taliter communicare, seu in visione, seu in revelatione, plerumq; præmittit quosdam quasi núcios ad animam, quòd illi velit præstare aliquam extraordinariam gratiam, ut propterea subsistat, & auscultando attendat, quid illi dicatur, vel exhibeatur: prætereáq; concedit DEUS sæpe moram animæ humili ac religiosæ, ut se excuset, dicátq; suo DEO, se malle in exilio pati, quàm gaudere: neq; unquam hac viâ perditur DEUS. Sicut enim ipsemet est, qui hoc docet, ita se ipse donat & communicat animæ abundantiùs: estq; mirabile, quod hac in re Divina Majestas facit & operatur, pro Divina sua voluntate. Videtur rogare, & offerre amanter donum, atq; dum se anima excusat, infert ipsi quandam amabilem & svavissimam vim, quà illam sibi reddit obsequentem. Aliàs ingreditur DEUS in animam tanquam Dominus, ùt est, suæ Domûs, mandando & prohibendo, ùt ajùt dicendóq; svaviter: hoc tibi est faciendum, vel hoc audiendum, aut hoc est videndum, vel istud intelligendum. Tunc

anima

anima est subjecta, subdita, obediens, abundans solatio, & corroborata ad omnia, quæ vult DEUS. Et quia dixi, quid fiat in hoc felici statu animæ, in quo se DEUS communicat, alloquijsq; suis Divinis animam dignatur, & se illi manifestat, suáq; Divina secreta ac mysteria pandit & exponit, volo etiam dicere, ad majorem ipsius gloriam, juxta id, quod à DEO sum docta, & ipso donante experta, ob ejus bonitatem, in quali alio statu, se DEUS communicet animæ, eidémq; se modo prædicto manifestet ac ostendat.

Dico porrò, quòd postquam est egressa anima, DEI adjuvante gratiâ, ex terra Ægypti, & ex potestate Regis Pharaonis, qui est diabolus, noster adversarius, & pertransivit mare rubrum, atq; jam est in via, quæ ducit ad beatam terram promissionis: postquam præterea multùm passa est in eadem via, vigilando & pernoctando in custodia sui ipsius, obtinuítq; & comparavit, cum DEI gratia & sudore, ac labore manuum suarum, pretiosissimum thesaurum perfectarum & solidarum virtutum, veræ mortificationis passionum, & contemptûs sui ipsius, ac abnegationis propriæ voluntatis, amando crucem Christi, eámq; ex corde amplectendo: & postquam per hanc viam regiam continuæ Orationis pervenit ad cognitionem DEI, pro sua capacitate, atq; ad ipsum possidendum & amandum perfectè, Dominus autem cum illa agit, sicut cum filia, Sponsa & amica sua, séq; ei communicat, ipsam alloquitur, & docet, multis ac diversis modis: & postquam illam Divina Majestas jam non tractat instar infantis, lactando ipsam semper suis uberibus, fidítq; illi, ac potest fidere majora, & mirabilia, ut sunt derelictiones, desolationes, obscuritates ac tenebræ spissiores & obscuriores, quàm fuerint Ægyptiæ, quæ poterant palpari manibus: postquam etiam Dominus fidit tali animæ derelictæ à DEO, secundùm opinionem hominum, ut pendeat inter cœlum ac terram, quin possideat istam, & fruatur illo: & postquam DEUS permisit ex sua infinitate bonitate, atq; pro majori bono ac emolumento hujus talis animæ, ut omnes ipsius hostes consurgant contra illam, eámq; persequantur, ac affligant, nec non passiones ipsius vel inclinationes naturales atq; rebelles delinquant, ut videtur id, quod tamen jam in isto statu non accidit, in quo hæ passiones non erunt indomitæ, cùm jam sint mortuæ: quando anima est in hoc statu, & progressa est ultra primum, de quo sum loqvuta, commuuicat se tali animæ DEUS, loquitur illi, & manifestat se ipsi hunc in modum. Ordinariè non sunt hæ visitationes, alloquia, & illustrationes ac revelationes, quas Dominus DEUS isti animæ communicat, longæ, neq; diuturnæ, sed breves, & modico tempore durantes: non quòd propterea sint minores, aut minora mysteria, sed quia DEUS agit compendiosè & strictim, docétq; animam intra breve tempus. Dixi autem: ordinariè. Quia, ùt DEUS est infinitus ac potens, ità potest facere, ac variare sua opera, quando & sicut voluerit, fuerítq; ipsius Sanctissima voluntas. Semper Divina Majestas præmittit, qualiter dixi fieri in altero statu, nuncios, ac indicia, ut præmoneat, se venire, cum suis Divinis donis, & plerumq; præstat istas gratias, quando anima nihil minùs cogitat, quàm ut illas suscipiat, multóq; minùs, quòd illi sint præstandæ. Siquidem enim non habet suum DEUM vicinum, sicut solebat, tantúmq; ipsum retinuit in intimo recessu cordis, nam inde nunquam se absentat, nisi ob aliquam culpam, ubi Divina Majestas per suam bonitatem commoratur, estq, unita animæ, id quod ipsa experitur, etsi arcanissimè, ut ità possit pati sine solatio; ideò anima est quàm remotissima ab eo, ut cogitet de his donis, & illa expectet. Venit nihilominus Divina Majestas ad illam, alloquitur ipsam, séq; ei communicat, quando maximè est afflicta & turbata, desolata ac oppressa à suis inimicis; tunc enim plerumq; loquitur DEUS, & instar boni Pastoris, sibilat suæ ovi, quia eam cognoscit, & ipsa cognoscit illum.

Effectus

Effectus admirandi, quos istæ misericordiæ DEI operantur in anima, quæ in hoc statu versatur, sunt prædicti, præter alios multos, quos nescio explicare, neq; intelligere. Istæ misericordiæ Divinæ sunt huic animæ, non lac dulce infantium, sed cibus & victus grandium: non sunt illi solatium, levamen & gaudium, sed fortitudo ac virtus in ipsius pusillanimitatibus & exanimationibus, non sunt porta patens, ut per illam contempletur beatitudinem, sicut solet facere in altero gradu, sed murus fortissimus, & præsidium, pro impediendo ingressu hostis: non sunt animæ ornamentum, & obtutus sponsorum, sed clypeus & scutum, pro defensione adversus ictus, & invasiones hostiles: ac tandem non sunt gustus nec svavitates, neque dulcedo palato animæ, sed auxilium, virtus ac robur illius: istæ misericordiæ DEI non adferunt animæ ordinariè (quia quod est insolitũ, ùt dixi, relinquimus DEO, qui omnia potest, & juxta id, quod ordinariè fit, nos debemus dirigere, ac dicta intelligere) elevationes, raptus, ecstases, atq; alia hujusmodi: imò videtur per breve temporis spatium anima quodammodo oblivisci & esse immemor sui DEI ac Domini, tantúmq; retinet virtutem & fortitudinem, omniáq; cætera bona, quæ dixi; sicut contingit homini mortificato, quo comedente cum eximio gustu, corroborantur & confortantur ipsius membra: neq; debet anima in hoc statu multùm tergiversari ac reluctari, quando advenit DEUS cum his suis Divinis donis: etsi enim hoc sit laudabile in altero statu, neq; propterea perdatur DEUS, ibi tamen expedit, ut reluctetur anima, tanquam indigna, hîc autem, ut amplectatur confortationem ac medicinam, tanquam debilis & quasi infirma: ac proinde dico, quòd debeat anima humiliter ac reverenter, & agnoscendo suam necessitatem ac voluntatem DEI, amplecti & suscipere istas misericordias ac dona DEI. Cogitet quoq; & credat, hoc DEO placere, idq; ipsum velle ex sua bonitate ac misericordia, & pro ipsius bono, auxilio, & corona.

§. III.

Quomodo anima cognoscat DEVM, per viam Divinæ internæ communicationis, ex allocutione, visione, & operatione.

1. PRæcipuum fundamentum, quod anima habet pro cognoscendo, DEO, per viam Divinæ communicationis, & internum alloquium, est puritas animæ, præsertim illa, quam DEUS illi concedit in ipsius primis principijs.

2. Secundum, est mortificatio, & humilitas, atq; avulsio ab omni creatura, & universis, quæ non sunt DEUS, eorundémq; oblivio.

3. Tertium, est apparatus & ornatus illarum virtutum, quas Dominus DEUS Noster dat & communicat animæ gratiosè, & ex sola sua bonitate, unáq; acquisitarum, cum gratia & auxilio ejusdem Domini, sudore ac labore creaturæ.

4. Fundamentum quartum, est præsentia DEI & continua oratio, unde hoc oritur, emanat ac provenit, ut contemplando se ista Sponsa cœlestis Regis in illo clarissimo speculo Divinæ faciei, ubi videt, agnoscitq; seipsam, suam vilitatem ac miseriam; cognoscat quoq;, quantùm capit anima & ei communicatur à DEO, ipsius Esse Divinum, amando illum, & cognoscendo ipsum, atq; contemplando. Hoc modo devenit anima in agnitionem loquelæ Divinæ, intuitûs Divini, operationis Divinæ, per lumen supernaturale, quod illi communicatur, ad agnoscendam illam loquelam interiorem ac Divinam, quæ attingit & occupat intimum fundum & superiorem ipsius partem, certissiméq; eam illuminat, ut ipsam non permittat dubitare, sítne Divina ea loquela & communicatio DEI. Ad quam explicandam vel

exponendam non ſuppetunt verba. Sicut enim dici nequit, qualis ſit DEUS in ſeipſo, ita dici non poteſt, quomodo loquatur, ſéq; ipſum communicet DEUS. Ideóq; ſolùm aſſero, eſſe metallum Divinum, quod ſonat ac ſapit lumen DEI, & ſvavitatem DEI, ac pacem DEI, atq;, ut finiam, dico, quòd ſonet ac ſapiat ipſummet DEUM, & dico ampliùs, quòd ſicut agnellus, ſolo inſtinctu naturali cognoſcit ſuam matrem, ex balatu, ac illam ſequitur, & quærit, atq; parvulus infans, ſine uſu rationis, ſuam, ex loquela, & facie, gaudétq; ac lætatur dum illam audit, ac videt; ità, ſuo modo, iſta anima pura & munda, non ex inſtinctu naturali, ſed ex gratia & lumine ſupernaturali DEI, quod illi communicat, agnoſcat ſuum Patrem, & ſuum DEUM, ſuumq; Dominum, quódq; omne bonum ipſius conſiſtat, in ipſius alloquio, & intuitu ac óperatione, ſicut dixi, quærátq; illum, ei obediat ac lætetur in illo & gaudeat. Agnoſcit hæc anima ſuum DEUM ex aſpectu, quia dum contemplatur in vultu illius Divini Eſſe juſtitiam, poſtquam priùs ab ipſo eſt illuſtrata, & illuminata, recipit tales influxus & talem virtutem, taléq; lumen, ut ſummè propter iſtum Divinum intuitum amet ſuum DEUM ac ſummum bonum: timet quoq; ipſum ac reveretur, obedit ei, maximéq; optat, ſe mille modis quaſi condire guſtui & palato DEI. Hos effectus admirabiles, & alios, producit in anima iſte intuitus DEI, unde devenit in cognitionem clariſſimam, ipſum eſſe, qui radio ſuæ virtutis, pertingentis ad animam, talem affectum eſt operatus in illa. Cognoſcit iſta anima ſuum DEUM ac Dominum in operando, quia, poſtquam ſe collocavit ad pedes Agni Divini, dum conſiderat & contemplatur ipſius Divina opera, & qualis hic Dominus ſit in ſeipſo, qualis fuerit, ac ſit erga nos, concipit anima, adjuta gratiâ iſtius Domini, talia & tanta deſideria, operandi pro DEO, & patiendi pro DEO cum magna voluptate, ſolatio & gaudio, ut deveniat in cognitionem clariſſimam & ſupernaturalem, eum, qui ita operatur in anima, eſſe DEUM, ipſiúſq; Scientiam, ejusdémq; potentiam & bonitatem. Iſte eſt modus, quo anima cognoſcit DEUM per Divinam ejus ac admirabilem communicationem, ut me idemmet Dominus edocuit, fecitq;, ut id experirer, ex ſola ſua Divina bonitate.

CAPUT

CAPUT XXV.

De modo, quo se DEUS communicat parti superiori animæ, sine imaginibus, aut figuris, inferiori autem per has figuras & imagines: & qualiter illas diabolus possit imitari: ac de signis, in quibus differunt.

§. I.

PArs superior nostræ animæ, quò non potest ingredi diabolus, neq; ulla creatura, est pars nostri intellectûs, quæ est illuminata à DEO, sempérq; illum intuetur, & res spirituales. Hæc est pars, in qua DEUS per se ipsum patefecit animæ, & explicat suas veritates ac mysteria, atq; suas perfectiones collustrans illam quodam superiore lumine ita, ut sine imaginibus, vel figuris aut alloquijs, ipsam reddat capacem, & ei imprimat, ac infundat illam veritatem, aut mysterium, quod ipsam docet, suæ Divinitatis, vel suorum Divinorum attributorum, ac mysterij Sanctissimæ Trinitatis, nec non Divinitatis vel Humanitatis Christi Domini, ipsiúsq; Incarnationis, vel Nativitatis, aut Sanctissimæ Passionis, aut Resurrectionis, aut cujuscunq; reliquorum Mysteriorum sanctissimæ ejusdem vitæ, vel mortis: atq; hoc facit sicut dico, sine imaginibus, aut figuris; sed exponendo ipsi, veritate illâ mysticâ, & lumine superiore, excellentiam, valorem ac thesaurum bonorum, quæ continentur in eo mysterio, quo lumine habito, anima & intellectus illustratur cognitione adeò profundâ & sublimi, ut illi nihil possit obumbrare, vel obscurare eam veritatem ac mysterium, quod DEUS ipsam docuit, & ipsi manifestavit eo modo superiore ac Divino. Hæ sunt visiones superioris & intellectualis partis animæ. Modus tamen usitatior, quo DEUS ingreditur intimum recessum animæ, ut illi præstet dictas gratias, est, exhibere illi in parte ejus inferiore, quæ est imaginativa, portam quandam regiam, seu pontem speciosum imaginum, & figurarum, quem ipse DEUS suis manibus fabricavit, ut illac transeat anima, & intret ad Civitatem DEI, atq; ad videnda ipsius magnalia, ac mysteria. Et quamvis sit verum à diabolo, permittente id ipsi DEO, posse efformari aliquam figuram, vel imaginem falsam, simulante veras imagines divinas, ita DEUS tamen custodit, adjuvat ac illuminat animam puram, castam, & humilem ac fidelem suo DEO, quæ nihil aliud quærit, aut vult, quàm ipsum, ut statim agnoscat ac advertat hostem proditorem, ideóq; ipsi occludat in conspectu portam, maneátq; immunis à fraude ac proditione, quà ipsam volebat hostis circumvenire, & cognoscat, quandonam sit ipsius DEUS, qui illi exhibet veram portam, de qua diximus, imaginum ac figurarum. Ut perveniatur ad istam portam, solet adesse alia, eáq; aptissima, & est, quam ipsamet anima, cum gratia & auxilio DEI, sibi in sua imaginatione, ac parte inferiore fabricat, dum tendit ad præsepe, & ad montem Calvarium, atq; ad sepulchrum, ubi per considerationem tantorum mysteriorum, & repræsentato sibi Infante JESU, ac Sanctissima Virgine ejus Matre, vel Christo Domino Crucifixo, aut sepulto, aliísve similibus mysterijs, elicit inde pro se admirabiles ac utilissimos affectus, & est optimè disposita pro suo profectu, atq; ut perveniat ad majora, & magnopere delectatur DEO, cui multùm placet, quòd anima incipiat à tam bonis ac proficuis principijs:

cipijs: atq; si scit ijs bene uti, & cooperari, præstabit ipsi hac viâ Dominus magna bona, deducendo illam ad secundam portam, ac introducendo deinde in suam Civitatem.

Aliâ vice ei DEUS declamvit discrimen visionum, quæ sunt imaginariæ, ab intellectualibus, per illud, quod intercedit inter flores odoriferos, dum sunt in aliquo urceo, qui tandem marcescunt, nec diu olent, atq; dum injiciuntur in alembicum distillatorium, extmhitúrq; ex ipsis succus & aqua odorifera, & conservatur in phiala, quæ magis olet, ac diutiùs durat.

§. II.

Alij modi, quibus se DEUS communicat animæ.

QUadam nocte mihi dixit Divina Majestas: Considera, quàm sublimi modo me communicem animæ, hac ratione. Intellectus ipsius, & pars superior se habet more ordinario & naturali, qualiter ego illam creavi, & sæpe venio ad ipsam obscurè, deinde radijs Divinis mei luminis eam inflammo, ac illumino, & clarifico illum ipsius intellectum, ac partem superiorem, per quod lumen Divinú ipsi patefacio, & illa videt mysteriú vel veritatem quam ego volo, & est mea volútas, ab ipsa sciri ac intelligi, fieríq; aliquid, vel dici: unde frequenter provenit alius modus communicationis, qui est quædam loquela Divina, quâ ego loquor animæ, & quæ sonat in ipsius interno ac secreto auditu. Hi duo modi cummunicationis sunt altissimi & sublimissimi, multóq; magis prior, unde illa superior animæ pars illuminatur & collustratur Divinâ luce, ejusdémq; radijs, sicut ferrum, quod prodit ex ústrina, tam occupatum & accensum ab igne, operatúrq; talia, eò quòd impositum ustrinæ participaverit ignem. In visionibus verò, quas ego animæ longè istis inferiores exhibeo, quæ contingunt in imaginativa, ubi illi ostendo & revelo mysterium, Sanctum, vel Angelum, aut aliquid aliud, quod volo, præter lumen, quod do animæ, ut cognoscat illa mysteria & veritates, quas ipsi manifesto, id quod in ijsdem videt & cognoscit, tanquam in claro speculo, soleo dare animæ aliam illustrationem superiorem, & cognitionem earum veritatum, quæ est quasi confirmatio prioris luminis, quod ei contuli, & ostendo ipsi quasi digito ac dico: Ista, quæ vides, sunt veræ visiones, & vera mysteria: atq; in hoc modo communicationis, raro permittam dæmonem se se immiscere. Istis modis communicationis, maximè verò priori, anima summè acquiescit, & agnoscit illas veritates, ità, ut etiâsi timores animæ ipsam tentent contristare ac deijcere, semper prævaleat, firmitérq; inhæreat ei veritati, quâ DEUS custodit, & conservat in anima.

Solet se quoq; DEUS communicare animæ taliter. Illuminat animam, & pandit illi quodpiam mysterium, vel aliquid, quod vult ab ea fieri aut dici, ad eum quasi modum, de quo egi initiò in prima communicatione, concedítq; Divina Majestas in ista communicatione locum intellectui congenito, auferendo ipsi reliquias alicujus defectûs naturalis, sicut qui tollit rubiginem ex pretioso lapide, ut utens facultate, sibi à DEO datâ, naturaliter discurrat, & cooperetur cum eo, quod illi DEUS manifestat in ea communicatione. Atq; hoc, ait Divina Majestas, multùm valere ac prodesse. Quia DEUS operatur, & creatura utitur eo, quod ipsi DEUS tribuit naturaliter. Sunt infiniti & admirabiles modi communicationis, quibus DEUS se communicat animæ, per modum Divini & cœlestis colloquij, quod animam vehementer abripit, solatur & replet stupore. DEUS sit benedictus.

§. III.

Nonnulla signa, pro cognoscendis veris alloquiis DEI.

ETiam illam DEUS docuit nonnulla signa, ad cognoscendam veram communicationem, & alloquia Divinæ Majestatis, valde diversa ab ijs, quæ vult simulare dæmon.

In se-

In festo S. Michaëlis (A. 1603.) quadam occasione, dixit ad DEUM cum extmordinario affectu: Domine, mallem mihi linguã exarescere, quàm quidpiam dicere, quod non esset tuum. *Et interrogabat ipsum:* Domine, éstne aliquid in hoc, & in omnibus, quæ scripsi, meum, quod non sit tuum? *Respondit q, illi Dominus:* Nihil est tuum, omnia sunt mea; *& isti responso ita acquievit, ut de eo non potuerit dubitare. Cùm verò consideraret, cui fundamento inniteretur tanta illa certitudo, quòd ipsi id diceretur à DEO, isq, illam alloqueretur, invenit, eam in tribus his præcipuis rebus fundari! Primò, quòd illa loquela sit conjuncta cum tanto lumine, & cognitione intellectuali, proveniente à DEO, ut id quasi evidenter percipiat. Secundò, quòd ea veritas Divina adveniat cum quadam eminentia, & superioritate, excedente omnes alias veritates, prolatas ab Angelis, vel à nostro spiritu, aut dæmone, absq, ulla comparatione: & longè evidentiùs superet mendacia. Tertiò, quòd illabatur lenissimè, & svavissimè, atq, unà sic animam occupet, ut illius judicio sit conformis, eámq, sibi subijciat tam firmiter, ut etiamsi haberet libertatem resistendi, mollitèr tamen non videatur posse aliter facere, quàm se illi submittere, propter dulcedinem ac svavitatem, quà afficit animam.*

Alia signa refert alibi, desumenda ex fine & effectibus, quos operantur, licèt sint verba admodum delectabilia & honorifica. Nemo, *inquit*, cogitet, ista interna alloquia, & verba, quæ DEUS dicit, alloquens animam, ita proferri, ut ipsam turbent, vel dimoveant à cognitione sui ipsius, in qua eam DEUS, per suam misericordiam, conservat, aut à sancto illius timore. Sicut enim proferuntur, cum infinita sapientia & potentia, ita sunt plena ejusdem sapientiâ & pace ac solatio, svavitate ac dulcedine, & amore, relinqvúntq; animam quietam, & pacatam, humilem, & plenam sui cognitione, hilarem & contentam; auferunt timores ac dubia, quæ habebat, & replent ipsam amore DEI, novisq; desiderijs illi placendi, ejusdémq; amandi. *Alia his affinia signa sunt allata in capite 7. Libri primi.*

Aliâ vice intellexit à DEO, unum ex maximis indicijs, pro agnoscendis veris visitationibus, allocutionibus, & revelationibus, esse, si ij qui illas assequuntur & habent, easdem recusent, ac tergiversentur, quando ipsis adveniunt: quales contrà non essent, si illas desiderarent, & ijs delectarentur. Quapropter ista famula DEI hac in re prorsus stupenda, propter notabilem repugnantiam, quà refugiebat quidlibet extmordinarium, non acceptando quidquam tale, nisi quodammodo coacta, adeò ut ipsamet aliquando interrogaverit (anno 1614.) Nostrum Sanctum Patrem IGNATIUM, an in hoc committeret excessum, & Sanctus illi responderit affirmativè: Eò, quòd, dum anima, ex DEI misericordia, purè desiderat ipsi placere, habétq; tam claram cognitionem de sua familiaritate cum Divina Majestate, & Sanctis, non sit, cur adeò timeat ac resistat: quamvis aliquantùm timere & resistere semper sit bonum, saltem, ut magis satisfiat Confessario, à quo regitur.

Hinc possumus gradum facere ad alias instructiones, quæ ei fuerunt datæ, de illusionibus diabolicis & fraudibus, quibus sunt obnoxiæ multæ personæ spirituales, quoad has visiones, & alloquia interna.

§. IV.

Quomodo dæmon non sciat simulare omnia opera DEI.

DUm, *inquit*, aliquando manè essem collecta, agens cum DEO, & expendens atq; considerans ob certum finem, nonnulla, quæ ipsius Majestas mihi dixerat, & manifestaverat meæ animæ, eidémq; tam potenter ac efficaciter impresserat, ut agnoscerem, essentne eæ veritates Divinæ, quia mihi non poterat occurrere ulla ratio humana, quæ illas posset evertere: dum, *inquam*, ita essem constituta, dixi Divinæ Majestati: Mi Domine, dic mihi,

hi, per tuam bonitatem, éſtne fortè reperibilis ulla creatura, quæ poſſit aliquomodo imitari id, quod tu facis? atq; hoc illi dixi, loquendo præſertim de diabolo, déq; illius inventionibus. Audivit Divina Majeſtas meam iſtiusmodi interrogationem, & reſpondit mihi: Non poteſt dæmon, qui eſt Pater mendaciorum, ullâ ratione reverâ imitari opera mea, neq; meas veritates: ídq; ideò, quia ipſe non poteſt dare, neq; apponere ſuo mendacio colorem, nec ſaporem, neq; odorem, quem habet virtus veritatum Divinarum: volo dicere, ipſum non poſſe ſuo mendacio dare eam vim, ut illi nequeat contradici, neq; eam efficaciam, ut illud mendacium ſemper in corde perſeveret, ita ut non poſſit ab eo recedi, nec in ullo deficiat, neq; illi poteſt conferre tantum robur, ut in omnibus occaſionibus contrarijs ſubſiſtat. Hoc non poteſt facere diabolus. Quod facit, & poteſt diabolus efficere in iſto negotio, declarabo tibi hac ſimilitudine: ſicut quãdo dæmon tentat aliquem hominem tẽtatione iræ, vel vindictæ, aut qualicũq; aliâ, & ſic illũ vehementer conſtringit, ut cor ipſius tyrannicè vexet aliquo dolore & gravi commotione, facítq;, ut ſibi videretur, non paſſione agi, ſed agere rationabiliter, niſi ipſum aliud doceret fides; hunc in modum operatur quando vult ſimulare mea alloquia, & ſeducere animam, cui falſam quandam in illis vim infert, ingerendo ipſi vanos affectus, abſq; ratione & virtute, aut conſtantia & ſtabilitate: ideóq; ſicut ille homo, de quo ſum loqvutus, agnoſcit, per fidem, ſe aliquomodo deceptum, ita etiam anima Sancta, quæ fideliter amat ſuum DEUM (quia ſi id non haberet, eſſet magnopere timendum) plerumq; ſentit & habet in eo alloquio timores ac ambiguitates, & frequenter ipſi non conducit ille cibus, eò quòd in illis allocutionibus & documentis non experiatur dictos effectus vehementiæ, efficaciæ, & fortitudinis, quos in anima relinqvunt meæ veritates.

§. V.

§. V.

Diabolus operatur in ſola imaginativa.

POſtquam me indignam peccatricem dignatus eſt viſitare Beatus Sanctus Bonaventura, advertiſſémq; me, propter quoſdam affatus internos, quos ſenſeram, teneri aliquo deſiderio ſciendi, utrùm nos, & interiora animarum noſtrarum ſciant, & cognoſcant Sancti Angeli ac diaboli, dixit mihi: Adverte, Anima, diabolus non poteſt penetrare uſq; ad fundum animæ, vel cognoſcere ipſius interiora, aut quid ibi agatur, quia hoc ſolus DEUS poteſt, ideóq; quando advenit, non progreditur ultra Imaginativam, & quaſi portas animæ. Illuc pertingit ſuis mendacijs, vel repræſentationibus turpibus & abominabilibus, ibíq; animam vocat, & illa ipſi annuit atq; conſentit, vel illũ reijcit, ſéq; ab eo expedit. Si quis conſentit, & peccat ſolâ internâ cogitatione, dæmon id non agnoſcit, niſi ex quibuſdam conjecturis, quæ ſemper ſunt ſufficientes, ut aſtutus hoſtis aliquid intelligat. Hoc ſolùm fit, nec poteſt ulteriùs pervenire, quàm hucuſq;, aut ſcire ampliùs dæmon, quod hanc rem concernit, niſi DEUS permittat, jubeátq; ex ſuis incomprehenſibilibus judicijs ac Divina juſtitia, quidpiam manifeſtari à Sancto Angelo, qui præter revelationem, quam habet à DEO, majori eſt, quoad hoc, præditus notitiâ, ex Divina miſericordia, pro noſtra neceſſitate, quàm diabolus, de rebus occultis noſtræ animæ. Dixitq; præterea Beatus Sanctus: Adverte, Amica, quando Chriſtus Dominus, vel ipſius Sancti viſitant animam, & ipſa illos videt cum Divina pace, quæ ei communicatur, diabolus non poteſt ſcire, neq; cognoſcere, quid in ea agatur, niſi per conjecturas: quodſi aliquid de his cognoverit vel intellexerit, id non aliter fiet, quàm permittente DEO, propter cauſam ejus Majeſtati notam. Et quando dæmon, eâ occaſione, ſe vult transfigurare in Angelum lucis, DEO permittente, dantéq; illi id faciendi facultatem, illa

illa ſpecies quam diabolus aſſumit, vel viſio, non exhibetur in eo loco, ſeu parte, neq; eſt in eo organo, in quo veræ viſiones Chriſti Domini, & ipſius Sanctorum.

CAPUT XXVI.

Alia ſigna, ac regulæ pro agnoſcendo bono ſpiritu, & ſolida virtute, ac bonis ſomnijs, directæ ad inſtructionem Magiſtrorum Spiritûs.

EX occaſione multarum rerum, quæ his temporibus eveniebant quibuſdam perſonis, quæ habebantur pro ſpiritualibus, & præferebant quædam, in ſpeciem, valde admiranda, dedit DEUS varia documenta iſti ſuæ famulæ, pro inſtructione Magiſtrorum, à quibus regebantur: & primum accepit ſub ipſa initia hunc in modum.

§. I.

POſtquam, *inquit*, meus Confeſſarius, & ego, contuliſſemus de Spiritu duarum fœminarum, quæ videbantur inuſitatum progreſſum facere in ſuo profectu, & præbebant ſpeciale exemplum, ædificabántq; ſuis devotionibus, pœnitentijs, modeſtiâ, mortificatione, patientiâ, humilitate, & alijs virtutibus, quæ fæminæ nos concernebant, quia ſe nobis commendaverant, & habebamus illarum curam, ideóq; diſceptabamus de illis, déq; earum Spiritu, eſſétne bonus & ſecurus, an contrà malus vel dubius; decrevimus, quòd, exploraturi Spiritum iſtarum & aliarum ſimilium perſonarum, eáſq; adprobaturi, vel reprobaturi, quandoquidem hæc res eſſet tam occulta ac delicata, bene faceremus, ſi id conſideraremus & ruminaremus, nihilq; definiremus, abſq; maturo conſilio, & niſi quàm diligentiſſimè diſpiceremus, quid eſſet expers doli ac ſecurum, illúdq; tale eſſe concederemus, de eo verò quod non exiſtimaremus eſſe tam certum non pronuntiaremus ſtatim ſententiam, ſed eam differremus & expectaremus, donec id nobis tempus, & eventus declararent.

In hanc iem mihi dixit DEUS: Erraviſtis heri, tuus Confeſſarius & tu, quia ut agnoſcátur ejusmodi perſonæ, earúmq; Spiritus, & ſciatur, recténe procedant, an ſecus, non ſolùm eſt animadvertendum, quod dixiſtis, ita, ut quaſi unum pedem figatis in eo, quod videritis eſſe expers doli, ac deinde alterum in eo, quod vobis conſtiterit eſſe ſecurum, atq; ſic paulatim exploretis earum ſpiritum, non determinando vos, ut ſtatim aprobetis totam viam, tanquam ſecuram ſed procedatis cum iſta conſideratione ac timore. Animadverte enim, in via ſpiritûs reperiri principia, media & fines. Atq; principia in quibusdam durant diu, in alijs verò non ità, prout ipſi adlaborant, & ab alijs juvantur. In his autem principijs, ſecundùm vires Spiritûs, qui illis datur, eorúmq; cooperationem propriam, ac naturarũ, quibus ſunt præditi, & quas hi habent tales, alij alias, quidam ſunt valde ferventes, alij non adeò, ſed quietiùs ſe exercent in virtute. Non eſt autem expendenda vel metienda virtus horum incipientium, ſecundùm majores vel minores ipſorum fervores, aut majores demonſtrationes pœnitentiarum, abalienationum à ſenſibus, humiliationũ, &c. Neq; etiam ſecundùm id, quòd hi quidem delinquant, illi verò nõ, modò delicta non ſint ſtabilia. Quia ſicut, dum aliqua olla fervet ad ebullitionem, certum eſt, non eſſe aquam calidiorem, quàm dum fervet quietè & continuè, ita ex illis fervoribus incipientium non eſt ferendum judicium,

dicium, de perfecta virtute, sed ex fine eorũ, quòd perseverent in perfecta cognitione DEI, & ipsius perfectionum ac virtutum, & in ardenti voluntate, vehementérq; propensa erga suum DEUM, & ad obediendum ipsi, atq; erga Divinam ejusdem voluntatem, ita ut istud sit principium, à quo eorum voluntas moveatur ad omnia sua opera & regula, cui suas actiones conformet, ac finis ad quem easdem dirigat, útq; hoc sit omnis ipsorum cura, adeò ut idcirco, & ob intimum amorem quo feruntur erga suum DEUM ita sint ipsi conjuncti, ut dicant, vel dici possit de ijs, quod dixit Sanctus Paulus: *Vivo autem, jam non ego, vivit verò in me Christus.* Unde neq; cogitant de se, nec de sua vita, aut de suis successibus, vel de rebus hujus mundi, ampliùs, quàm si non existerent: quia insuper omnia creata conculcant pedibus, neq; adhærent ulli creaturæ, nec tanguntur timoribus mutationum temporalium, atq; etiam à donis & gratijs Divinis, quantùmvis favorabilibus, sunt avulsi, & quando sic sunt dispositi, illabitur DEUS in ipsorum animam, ità ut non indigeant alio Doctore, sintq; sapientissimi, ad maxima quæq; intelligenda à Divina Majestate, de ipsius magnitudine, potentia, sapientia, providentia, & bonitate; prætereáq; instructi Divino lumine, quod illis communicatur, vident, quomodo DEUS sit amandus, honorandus, audiendus, ac timendus, adeò ut omnia reliqua ipsis videantur esse instar umbræ, & rerum exigui momenti: ideóq; reponunt in illo omnem suam spem ac animum, & cum eodem lumine agnoscunt clarissimè suum nihilum, suámq; paupertatem, miseriam & fœditatem, eámq; detestantur ac damnant, desiderant autem omnem afflictionem, opprobrium, & crucem, ut verè ac justè plectantur: & si quid ejusmodi ipsis eveniat, suscipiunt id instar saluberrimæ medicinæ, quam amplectuntur. Quia etiam se tam bene cognoscunt, nihil habent, cui innitantur, sed adhærent DEO, nec ab illo noctu diúq; recedunt, & Divina Majestas ipsos adjuvat tanquam verus Pater, atq; visitat, & confortat, ac dat illis confidentiam, quòd sint ab eo salvandi, quæ est quoddam quasi initium possessionis, insuperq; ijs aliquid, imò multùm de eo quod possessuri sunt, communicat per visiones, & allocutiones internas, &c. Quæ si hac viâ adveniant, & post dicta principia, atq; sine abundantia humorum melancholicorum, vel multis defectibus, solent, plerumq; esse veræ revelationes, & prophetiæ: jam enim in hoc statu ipsorum curam suscepit DEUS, & instruit illos ac dirigit adeò, ut quasi semper eos ducat.

Verùm hæc est alia probatio boni spiritûs. Si, postquam illis imperatum est à DEO, vel eorum superiore, ut aliquid faciant, aut omittant, quod firmiter statuerunt facere, atq; tunc ipsis dicit Confessarius vel eorum superior, ne id faciant, sint, dum abstinent ab eo peragendo, tam pacati, quàm antè, imitentúrq; Christum, qui obedivit usq; ad mortem, mortem autem Crucis. Alia verò probatio est, quando is, qui cum illis agit, invenit in ipsorum animabus, sensibus ac potentijs, cæterisq; omnibus, quasi impressam legem DEI, & omnia quæ ab eo nobis in illa præcipiuntur, specialiter verò doctrinam Christianam, in quantum concernit singulos, quoad omnes suas partes, operum misericordiæ, donorum Spiritûs Sancti, fructuum, & beatitudinum, ita ut hæc in ipsis operentur id, propter quod DEUS illa tribuit.

§. II.

Aliud simile monitum habuit occasione altarum fœminarum, quarum virtutem, qualis fuerit, hunc in modum depingit: Reperiuntur quædam personæ spirituales, quæ vivunt illusæ, ita ut reiplâ & verè omnia earum verba sint sancta, ac bona, loquantúrq; multùm de DEO, & faciant res bonas ac virtuosas, quæ bene conveniunt cum amore DEI, & bono proximi: sunt autem valde impetuosæ, plenæ teneris affectibus ac præcipites, ut magis quam cessent, aut quescant ita agere & loqui.

loqui. Habent istæ, quemadmodum ajunt, vehementes sensus amoris, & impulsus, allocutiones internas, revelationes, elevationes; cognitionem rerum supernaturalium, & occultarum ac abditarum, concernentium proximos, dicúntq; se cognoscere ac intelligere statum animæ ipsorum, & in quali peccato mortali existant, aliáq; similia, & credunt atq; cogitant, nescientes se decipi, omnia, quæ ita sentiunt, audiunt, & intelliguut, sciunt & cognoscunt internè, esse DEUM, & veritates Divinas. Aliter autem se res habet: istæ enim sunt illusiones, umbræ, & figuræ confictæ à diabolo, ab imaginatione, & humoribus, ac natura comparata & inclinata ad eum modum, per hanc viam, ut omnia illa sint quidam fucus, & falsa simulatio Divinarum veritatum, sicut contingit in artificijs historicis agyrtarum, & similibus rebus, ut dum videntur agere, quæ sunt solida ac vera, sint mendacia, & res apparentes ac fictæ, non habentes substantiam, aut valorem. Hoc evenit in istis personis spiritualibus, quæ decipiuntur ac decipiunt alios, præter voluntatem & sine malitia: atq; istæ non explicant clarè suas res spirituales, quia non habent verum fundamentum. Seqvuntur directionem suorum Confessariorum, qui fortè non cognoscunt bene earum spiritus, ideóq; posset errare in ipsis regendis: tales enim personæ vehementer indigent, ut noscantur à suis Confessarijs multo tempore, útq; ipsi habuerint magnam notitiam earum vitæ, morum, & viarum, quibus fuerunt ductæ per decursum suæ vitæ; ut sicillas securè dirigant. Hoc frenum obedientiæ dedit DEUS hujusmodi animabus, ex sua bonitate, ne præcipitarentur, & propter bonum desiderium, quod Divina Majestas forsan illis indidit, conformandi se cum ipsius voluntate: versantur tamen in magno periculo, ideóq; est necesse, ut Confessarius diligenter ad hoc advertat, & illas in omnem partem verset, aperiátq; ipsis fraudes, & avertat illas ab isto spiritu, ac faciat, ut se colligant, sint solitariæ, taceant, operentur, & orent modo ordinario: neq; ijs permittat tam frequentes communiones. Hac ratione mihi videntur curari tales personæ spirituales.

§. III.

ALias tres regulas cognoscendi bonum Spiritum, ipsi dedit DEUS aliâ vice, occasione cujusdam personæ, quæ habebat quædam valde extraordinaria, non provenientia à DEO, dixítq; ità: Prima est. Quando juxta regulas boni spiritûs, & rationis ac prudentiæ, non satisfaciet Magistro spiritûs docto & experto communicatio, quam anima se dicit habere cum suo DEO, non debet ipse hujusmodi casum expendere, neq; hunc Spiritum approbare, spectatis operibus virtuosis, qualia esse videntur, neq; secundùm res admirabiles & arcanas, quas apparenter habet talis anima: siquidem in his, etsi videantur esse regulæ boni spiritûs, potest intervenire fraus, multis & varijs modis: ideóq; in præsenti casu observanda est hæc doctrina. Sicut non potest verè formosam reddere fæminam, si habeat deformem vultum & nigrum, ornatus vestium, & cimelia in speciem pretiosa, quia hæc omnia ipsi non sunt connaturalia, neq; bene congruunt: ita se habet anima spiritualis fœda. & exornata virtutibus ac donis apparentibus.

Secunda regula est: Non debet spiritus judicari vel damnari tanquam malus, si adsint dicta signa, ac satisfaciat Patri Spirituali, ùt debet, communicatio animæ cum suo DEO, conformiter Sacræ Scripturæ, ac doctrinæ Sanctorum, propterea quòd aliqua anima, cui se DEUS communicat, obnoxia sit nœvis ac defectibus naturalibus, cum humilitate & cognitione sui ipsius, neque habeat quidquam admirabile, sed vivat modo consveto quoad extraordinaria. Ille status animæ est bonus ac securus, *inquit Dominus*, quamvis communicatio hujus animæ cum suo DEO & Sanctis ipsius sit valde sublimis. Si ita se res habet, Domine, ajebam ego, quis est sensus Tuæ Majestatis

de hac anima, de qua agitur, & quale nobis judicium ferendum est pro gloria & honore tuo, ac ipsius bono? Judicium, quod de ista anima ferri debet, reposuit Dominus, est, quòd sit expers malitiæ, sítq; illi propterea exponenda ipsius deceptio, paulatim, prudenter, & amanter, ac debeat instrui, imbuíq; bono spiritu, & deduci ad viam magis tritam, quàm sit illa, quâ incedit.

Tertiam regulam illi ità exposuit DEUS: Adverte, Anima, ac scito, (*dixit Dominus*) esse admirabilem viam & verum statum, valdéq; securum illum, in quo versatur, & vivit anima, cujus vita est naturalis ac ordinaria, virtutes autem profectæ & solidæ, atq; communicatio cum DEO admodùm sublimis, Divina & supernaturalis, ac de rebus admirandis & extraordinarijs, penitúsq; spiritualis, absq; mixtura rerum exteriorum. Hæc via, sicut dixi, est admirabilis & securissima, quale esset pulcherrimum & elegantissimum ædificium, exstructum super profunda & solida fundamenta in terræ profunditate, pertingentia usq; ad aliquam rupem, constantia ex lapide, & reliquis ad fundamentum requisitis, rudibus sat durabilibus, quæ sustentant ædificium, & sine quibus nihil valet, neq; potest perseverare: talis est anima, quæ exstruit, & in qua DEUS molitur, admirabile ædificium viarum spiritualium & supernaturalium, fundatum in vita naturali, & actionibus ordinarijs ac virtutibus solidis humilitatis, & cognitionis sui, amoris DEI ac proximi, aliisq; similibus. His cognitionibus rudibus, ac terrenis rerum naturalium, & istis virtutibus conservatur, ac stabilitur, quemadmodum dixi, ædificium Divinum, & supernaturale. Cæteræ autem viæ non sunt tàm securæ, sed periculosæ, ac obnoxiæ deceptioni.

§. IV.

IN hujus rei confirmationem, occasione aliarum personarum, quæ publicè patiebantur, excessum mentis elevatis in altùm manibus, vel extensis in modum crucis, aut alio situ afflictivo, ad quas spectandas multi confluebant, DEUS illam jussit scribere id, quod ipsa sic refert: Dum aliquando manè agerem cum DEO, alloqvuta me est Divina Majestas dicens mihi, quasi conquerendo ac dolendo: Anima, scribe, quod tibi dicam. Quia non fueram attenta, respondi Domino: Quid dicis, DEUS mi, & Domine mi? jubésne me scribere? Scribe tu Domine, qui scis, quid tibi sit scribendum, potésq; id imprimere cordibus hominum. Scribe, Anima, *reposuit Dominus;* Noveris enim, his temporibus invaluisse, ex instinctu diaboli, magnum abusum personarum, quæ videntur pati ecstases, ignorantes, & non advertentes suum malum, dum edunt gestus & motus, transformántq; vultum, ijs modis, qui sunt indigni rebus meis, & mei spiritus gravitate, attribuendo mihi, quod est proprium diaboli, tractandóq; me, instar vilis ac levis personæ, propter suum commodum, ac ad vanè ubiq; distrahendum populum, gesticulationibus manuum, & figmentis ac artificijs. Hoc ego, anima, vehementer sentio, & res ista adversatur meo honori. Proinde eos, qui possunt, & quibus ex officio incumbit id impedire, oporteret diligenter considerare istum casum tam exitiosum, omnéq; remedium adhibere, quod possent prudenter, & bono modo, quem hujusmodi res exigit. Ego sum DEUS veritatum, & Spiritus purus ac Divinus, unde in animabus meorum servorũ operor, iisq; ingenero res secretissimas, admirabilissimas & spiritualissimas, valdéq; proficuas ac utiles. Hoc est ordinarium, & si ago ac operor in meis servis quædam inusitata, quia ita convenit ad meam gloriam, ea sunt pauca & gravissima, ut se ipsis præbeant testimonium veritatis. Multùm refert, ista extraordinaria, & exteriora abalienationum à sensibus, ac pronunciata de rebus præsentibus & futuris, atq; signa, examinari exactè à Magistris vitæ spiritualis: possunt enim intervenire maximi, summéq; noxij errores, sine malitia illius, qui talia patitur. Neq; decipiantur, quod

quòd ipsis videantur ij, qui ista habent, esse personæ, quantùm apparet, virtuosæ ac humiles. Quia diabolus, qui est author dictarum rerum, non curat effingere in ipsis quasdam virtutes apparentes humilitatis, obedientiæ, & rerum similium: imò id plurimum facit ad illius propositum, ut seducat tales animas, quæ omnia deprehenduntur suo tempore, cum magno damno ac detrimento. Hoc fit, quod, ut scribas, tibi dico.

§. V.

AD aliud extremum deflectunt Confessarij & Magistri Spiritûs, qui, postquam illis sufficienter se probavit ac satisfecit persona, habens res extraordinarias, quas ipsa conatur occultare, sed DEUS earundem luculam aliquam facit promicare, ita ut multi proficiant, vel proficerent cum illa conversando; ipsi de ea loqvuntur tam tepidè, ut propterea alij intepescant, & ab ejus consvetudine abstineant: qua de re illi DEUS est questus his verbis.

Reperire est Religiosos, qui propter sua officia, exercitia & ministeria, quibus inserviunt Ecclesiæ, & profunt animabus, habentur pro hominibus magnæ authoritatis & sapientibus, ideóq; ipsis creditur, æstimanturq; eorum facta ac dicta. Hi autem propter suas naturas, vel diversos mores, aut fines, quos habent, atq; similia, cum aliqua imminutione meæ gloriæ, & profectûs ac ædificationis proximorum & emolumenti, quod, animæ ipsorum perciperent, loqvuntur de personis mihi servientibus, quibus ego singulares exhibeo gratias, & cum quibus ipsi conversantur, quarum excipiunt confessiones, quas dirigunt ac bene noscunt, quantum possunt assequi prudenter, & juxta Regulas Sanctorum ac sacræ Scripturæ: loqvuntur, *inquam*, de illis, dum se offerunt occasiones, modo quodam timido, frigido ac tepido, vel tacenti quando esset loquendum, adeò ut his modis, & istâ tepiditate, reddant tepidos ac frigidos proximos, quibuscum conferunt, aut à quibus interrogantur, de talibus personis, quæ mihi serviunt: atq; hac ratione obscurant meam gloriam, & proximi perdunt fructum quem capiunt, vel possunt capere ex affectu erga ipsas, & bona opinione, quam habebant de illis, quæ ipsos ad proficiendum juvabant suis precibus, doctrinâ ac bono consilio, & exemplo. Isti, *dixit Dominus*, quoad hoc valde malè agunt, & me offendunt.

Ista res duravit aliquot mensibus, quibus illa dicebat Divinæ Majestati, quanquam cum resignatione. Domine mi, si tibi placet, noli mihi id dicere, per temetipsum te rogo, quia propterea crucior & affligor. Quid me, Domine Majestatis, vis facere? Nunquid ego hoc fortè possum emendare? Emenda id tu, qui potes, & es omnipotens. Dominus svaviter quasi dissimulans ac tacens, illam audiebat, permittendo, ut intimè his rebus affligeretur, eásq; sentiret. Post aliquot deinde dies denuò illi dixit, quàm svavissimè: Ego nolo cogere tuam voluntatem, ut dicas ulli creaturæ id, quod intelligis, parum profuturum, & malè accipiendum: constet tibi tamen, me ab hoc genere hominum, qui sub bono prætextu prudentiæ faciunt, id quod tibi dixi, me offendi, & illos valde malè agere, impediendo meam gloriam, & bonum proximorum.

Hæc omnia ipsam vehementer angebant. Denique, cùm graviter infirma esset ac debilis, neq; posset scribere, dixit ipsi Dominus quodam matutino tempore, per modum inspirationis, cum imperio: Age, Amica, scribe statim meo nomine, quod tibi dicam. *Tum illa:* Sit ita, Domine, sicut dicis, sed poteróne, aut faciámne id bene, cum sim debilis? Itá, poteris, & bene facies, cum mea gratia, *dixit Dominus, scripsitq; subitò, quod est relatum.*

§. VI.

Quomodo cognoscantur somnia bona, síntne naturalia, an supernaturalia, ac Divina.

SErmo hîc est de somnijs bonis, quia de malis ac indifferentibus non est, quod quæratur.

Somnia bona, quæ habet homo naturaliter, & sunt merè naturalia, nihilq; habent Divini admixtum, etiamsi, quàm diu durant, videantur adferre solatium, postquam tamen quis expergiscitur, relinqvunt animam aridam: & quamvis aliquando eorum recordetur, id tamen fit momentaneè & ordinariè elabuntur è memoria, manétq; anima ita constituta, acsi illa non habuisset. Et hæc somnia habet homo, quando integrè est sopitus. Somnia bona, quæ sunt supernaturalia, habéntq; aliquid Divinum, in quibus datur aliquod documentum, vel fit revelatio, aut aliquid simile, ordinariè habentur, quando homo est semisopitus, adferúntq; secum quoddam lumen, propter quod ipsimet homini videntur esse Divina, & inhærent tam fixè memoriæ, ut non elabàntur; producunt in anima, pro ratione somnij, optimos affectus, vel timoris, vel gaudij, vel solatij, vel humilitatis: Semper sunt de rebus serijs, gravibus, & alicujus momenti; ac tam bene disposita, ut in ipsis nihil reperiatur impertinens, vel quod dedeceat gravitatem DEI: contra verò in merè naturalibus semper est aliquid invenire, quod dedecet DEI gravitatem, quam exigit familiaritas cum Divina Majestate: sempérq; bono aliquid admiscetur, quod non est tale, vel saltem est impertinens.

CAPUT XXVII.

Quomodo illi DEUS declaraverit, quales sint imagines ac species corporeæ Sanctorum, qui se præbent spectandos animæ, & quid ipsa hac de re scripserit.

Quia Mysteria, de quibus actum est, repræsentàtur oculis animæ, per diversissimas imagines & species, juverit referre modum, quo ipse DEUS illi explicuit ac manifestavit, quidquid pertinet ad has imagines, & quid ipsa hac de re scripserit, quod sanè est sublimissimum, ac subtilissimum, ut videatur excedere captum fœminæ: verùm providentia tanti Magistri vult interdum per fœminam, qualis fuit ista, instruere, ùt diximus, doctissimos quosq;, ad quos præcipuè dirigitur hoc caput, eo supposito, quòd, quando Venerabilis Marina aliquid exquirebat à DEO, nunquam id fecerit ex curiositate, imò horruerit, ac fugerit talia, sed ipse DEUS, qui ea ipsi volebat manifestare, potenter illam suâ inspiratione permoverit, ut ea ex ipso quæreret. Atq; ita se res habuit in sequentibus casibus.

§. I.

§. I.

DUm, *inquit*, quodam die agerem cum DEO, correpta fui desiderio, interrogandi Divinam Majestatem, quale esset mysterium, Spiritûs Sancti, quod videram, in specie columbæ, & alia hujusmodi, dixíq; illi: Domine, quid est hoc, quod anima videt? & cui fit ista repræsentatio, ut videat speciem hujus columbæ? Nunquid non fortasse phantasiæ? Quia ea visio mihi videtur fieri aliquantùm extra animam, & quasi in alio organo? Respondit mihi Dominus: Dicam tibi, quid hoc sit. DEUS est infinitè magnus, potens, immensus, ac omnia replens & comprehendens, existítq; totus ubivis. Hic magnus DEUS, ut anima meliùs possit grande aliquid cognoscere, capáxque fiat percipiendorum mysteriorum, quæ ipse vult manifestare, ac indicare, colligit ita-

am immensitatem, & magnitudinem, ac Esse Divinum in eam, quam animæ exhibet speciem columbæ, vel alterius rei mysticæ, idq; sine constrictione, aut compressione, ut nihilominus totus existat ubiq;, sicut facit suo modo in Sacramento Altaris, ut ab anima suscipiatur. Dum id volo facere, repræsento ego ipse potentiæ imaginativæ illam speciem columbæ, vel alterius rei, ut dum per hanc portam cognitio DEI ingreditur in intellectum, & interiora animæ, partémq; ipsius superiorem, reddatur capacior, pro suo talento, illius Divini Esse, magnitudinis, & omnipotentiæ DEI, posítq; ab ipso suscipere illud donum expressum per id, quod ipsi repræsento. Hoc fit ordinariè: sed si suscipit à DEO speciem doni, quod illi confert, materialiter, aut si ipsummet donum recipit, non solum anima, sed etiam corpus, & sensus ejus externus, qui, propterea quòd sit adeò cum illa unitus, & quodammodo jam redditus spiritualis, sæpe participat idem quod anima, quamvis id ipsius potentiæ non tam bene percipiant, tum quòd sint abstractæ, tum quòd de se sit hæc res valde perfecta, & expers crassitiei materialis, dico, frequenter in animabus, quæ pervenerunt ad hunc statum, sic existere & fore species materiales, earundem verò receptionem spiritualem, & simul corporalem, modo prædicto: id quod est res purissima, admirabilis, & suo modo secura. Aliàs erit species non materialis, quam sola anima recipiet: atq; hoc est magis ordinarium, ad eum modum, quo alicui, qui non potest multùm intellectu discurrere, ostenduntur in picturis vel tapetibus, præclarè gesta, & facinora heroica antecessorum, dicitúrq; ipsi: Hoc & hoc factum est tali tempore, ac tali occasione, & istud ac illud tali tempore, & tali modo, atq; tali occasione. Quodsi iste, dum id ipsi taliter dicitur, non potest percipere tam longam historiam, dicitur illi: Ecce, hîc in his insignibus, & in istis lineamentis, quæ in pictura hujus imaginis compendiosè & strictim omnia referunt, faciliùs intelliges magnitudinem & prolixitatem hujus historiæ. Ita se res habet, Anima, atq; hoc modo fit. Ut anima deveniat in cognitionem Divinarum perfectionum, ipsiúsq; mysteriorum, ostendútur ipsi inprimis, ac omnes simul illæ species, columbæ, vel rerum hujusmodi, ut in isto compendio, pro suo captu cognoscat res magnas, admirandas, ac plenas mysterijs, faciliùs & svaviùs.

§. II.

QUæris ex me præterea, quale sit illud corpus, quod ostendo animæ, DEI incarnati, & infantis recens nati, & modò parvum, modò majus, pro ratione mysterij, quod illi revelo, in Horto, vel in Cruce, vel in Sepulchro, aut similibus mysterijs. Ad hoc tibi respondeo, quòd ego, per meam Sapientiam ac potentiam effingam, & pingam meâ manu illam parvi vel magni hominis imaginem, qualem exigit mysterium, quod tibi volo exhibere, ac manifestare, quæ quidem imago est longè perfectior, quàm ullæ aliæ species & figuræ: in his imaginibus sum ego ipse, meq; ibi includo arcano modo: & taliter, ac per has imagines mysticas me repræsento imaginationi, ut per eam portam ingrediatur in animam, & in intimũ ipsius recessum, cognitio ac sensus perfectissimus illorum mysteriorum, quæ illi revelo, quasi reipsâ, & verè adessent, sicut fuerunt peracta. Hoc fit ordinariè. Sed adverte unam rem tuam specialem ac mirabilissimam, quòd, quando tibi præsto tantam misericordiam, ut me tibi spectandum præbeam DEUM & Hominem verum, in ea ætate, & constitutione, quâ vixi in mundo, vir triginta trium annorum inter homines, sim egomet ipse, meum proprium corpus, & mea anima, ac mea Divinitas; subducam tamen tunc aspectui tuo splendores meæ essentialis gloriæ, quia non existis in statu, in quo me possis ita videre: atq; idem tibi, Anima, sæpe contingit in visionibus Sanctissimæ Matris. Tua anima sola fruitur his magnificis spectaculis, quamvis oculi tui corporis te non

impediant, imò adjuvent: atq; tam illi, quàm cæteri sensus, sunt participes mysterij, modo perfectissimo, quando convenit. Idem tibi quoq; accidit in dictis mysterijs. Qua in re me gero instar Regis, qui ipsemet vellet repræsentare suis intimis familiaribus, & amicis aliqua præclara facinora à se patrata, & ab ijs non visa: atq; pro ista repræsentatione peragenda indueret vestes similes, ut viderentur esse eædem, in quibus insigne illud facinus patravit, quod modò repræsentat regia ipsius Persona. Hunc in modum, Anima, peraguntur ista mysteria.

§. III.

Aliâ vice, præsente Beatissimâ Virgine, id ipsum illi Dominus exposuit fusiùs. Postquam illi hac de re fuisset locutus, prosecutus est instructionem dicens:

Verumtamen adverte, ait, (anno 1600.) plerumq; in visionibus, imaginibus ac figuris, quas exhibeo spectandas tuæ animæ, Sanctæ meæ Matris, & cæterorum Sanctorum, existere, in iisq; à me mitti Spiritum ipsius Sancti: neq; cogita, has figuras & imagines carere virtute & substantiâ, instar imaginis expressæ & efformatæ in speculo à vultu humano, aut alia quavis re, quæ illi obijcitur. Non enim ità se res habet, nec etiam existima, id fieri, ad eum modum, quo tu acu pingeres aliquid ad alterius cujuspiam artificij, dati tibi pro exemplari imitationem, quod perfectum esset ectypon, & viva imago artificij & exemplaris, tibi propterea oblati. Etiamsi enim sit ejus quædam effigies, sitq; illi usq; adeò similis, non est tamen ipsum exemplar, neq; in ipsam est quidquam derivatum, ex illius substantia. Tale autem est istud mysterium, ut ex hac tam excelsa & sublimi comparatione intelligas excellentiam hujus operis, illúdq; æstimes. Sicut Æternus Pater ac Dominus DEUS Omnipotens seipsum intelligendo, & comprehendendo, producit Verbum Mentis ex sua ipsius substantia ac virtute, quod Verbum productum est illius Sacratissimus Filius DEI, ipsi æqualis, atq; in una eadémq; Substantia, ac Esse Divino, duæ sunt Divinæ Personæ, unde audiveris dici, Filium DEI esse imaginem sui Æterni Patris, ejusdémq; splendorem: audiveris quoq;, interrogatum à quodam ex Apostolis eundem Filium DEI, Redemptorem mundi, de suo Patre, respondisse, ab eo, qui videt illum, videri ipsius Patrem, cùm sit unius ejusdémq; cum illo Divinæ Substantiæ: ita tibi ego nunc dico, se habere, suo modo, hoc opus, quod tu desideras intelligere; quia meâ infinitâ potentiâ, quâ facere possum & facio, quidquid volo, etiam facio, ut, licet illud corpus non sit reipsâ & verè meæ Sanctæ Matris vel Sancti, quem tibi spectandum exhibui, sit tamen imago, & effigies genuina corporis illius Sancti, qui comparet modo quodam admirabili ac Divino, digno Sapientiâ & potentiâ DEI, adeò ut sicut verè dicitis, quòd DEUS generet suum Filium ex suamet virtute, & substantia, manens DEUS, ità, suo modo, illa imago ac effigies, operante DEO, qui id potest facere, recipiat virtutem corporis ab eo Sancto, dum corpus manet alibi. Quapropter, sicut verè dicitis, ab eo, qui videt Filium DEI videri ipsius Æternum Patrem, cùm sit ejusdem cum illo Substantiæ Divinæ: ita dici potest verè, ab illo, qui videt istam effigiem & imaginem, quam tibi ego exhibeo, meæ Matris ac Sanctorum, videri totum illum Sanctum, siquidem ibi existit ejus spiritus & virtus, quæ inest sancto ipsius corpori, modo prædicto.

Hoc est, quod magis ordinariè contingit in visionibus rerum, quas exhibeo. Sed præter istas ordinarias, habet alias tua anima, quas efformo, & efformabo, possumq; efformare ac efficere meâ infinitâ potentiâ. Audiens ego ista magnalia, quæ mihi DEUS manifestabat, & attonita, quòd manifestarentur mihi, quæ eram adeò indigna, ut illa vel audirem, incepi dicere: Non, non Domine: Desiste, per tuam bonitatem, & noli me docere tam sublima & miranda, neq; enim sum digna, à Te doceri. Verùm Divina Majestas, neglectâ eo,

eo, quod ego illi dicebam, progressa est in sua instructione, ut illam finiret. Quis autem intellectus poterit assequi, vel quæ lingua sciet explicare magnitudinem Sapientiæ, quâ iste Dominus hoc meæ animæ manifestabat? solùm dicere possum, quòd ingressus meus Dominus in animam meam, quasi suam domum, & in meum intellectum, occluserit subitò illius portam omnibus, quæ non sunt ipse, manénsq; ibi solus cum ipsa, in secretissimo recessu ac fundo ejusdem, docuerit illam suâ Divinâ sapientiâ, ipsíq; manifestaverit hæc magnalia & arcana sua, ut anima perciperet magna & admirabilia bona ex hac ipsius communicatione; quæ non solùm duraverunt tempore illius raptûs, sed multis pòst diebus, quotiescunq; id quod fiebat frequenter, recordabatur eorum, quæ ibi senserat ac intellexerat, denuò replebatur stupore, & abundabat magnis solatijs, ac bonis in suo, magno Domino.

Id illi accidit, postquam fuisset visitata, ùt diximus, à Sacratissima Virgine Domina Nostra, & in confirmationem eorum quæ dicta sunt. Aliâ vice, quâ illam invisit, dum ab ea abiret, conspexit ipsam ascendentem ad Cœlum, usq; ad locum, ubi eandem Celsissimam Reginam vidit existentem cum corpore & anima, atq; etiam, quòd illa species Beatissimæ Virginis, cui inerat ipsius spiritus, qui hinc ascendebat ad Cœlum, postquam pervenisset ad locum, in quo erat hæc Domina, reipsâ ac verè in illam fuerit ingressa, séq; ei univerit. Et cùm miraretur, quomodo id fieret, cuperétq; hoc intelligere, dixit illi Christus Dominus, id fieri, sicut fit, dum Sol contrahit suos radios, atq; aliquid suæ virtutis & claritatis, quando se illi opponit valde spissa nubes, eâ verò sublata, propagat radios usq; ad terram: ita enim sanctos communicare radios suæ virtutis ac spiritûs his imaginibus, postea verò illos retrahere, quando eæ disparent.

Ego multò pòst, animadversâ hujus rei difficultate, illam rogavi, ut sibi eam denuò peteret à DEO aliquantò magis declarari. Quo facto, scripsit, specialiter pro hac re à DEO illuminata, id, quod sequitur.

§. IV.

VIsiones imaginariæ & intellectuales, quas Dominus DEUS exhibet animæ, quemadmodum ab eodem Domino sum edocta, & ipso volente experta, sunt tales. Quando DEUS vult visitare animam per suum Sanctum Angelum, repræsentat phantasiæ imaginem formatam eo modo & arte, quâ illam Dominus DEUS scit ac potest efformare, éstq; ordinariè species hominis elegans ac splendida. Huic imagini videtur infundere DEUS illum spiritum Angelicum, ibíq; loqui, & se communicare tali animæ. Non tamen cognoscit ac percipit & auditi istum cœlestem Spiritum potentia imaginativa, neq; id fit in isto organo, quòd solummodo repræsentat illam imaginem, sed cognoscit ipsum, audit, ac intelligit pars illa superior animæ, quæ semper respicit DEUM, & res spirituales. Atq; hæc imago tantùm illi est instar gratæ & jucundæ umbræ. Hoc est, quod concernit visionem & cognitionem Spirituum Angelicorum.

Quod verò attinet ad Sanctos, qui habuerunt corpus humanum, idem est, præterquam quòd illæ imagines, quas DEUS effingit ac proponit Imaginativæ, referant genuinè ipsorum corpora, ac formam, & figuram: Interdum autem illos DEUS exhibet splendidos, pro sua Sancta Voluntate, & istæ imagines ac figuræ habent nescio quid virtutis, communicatæ ipsis, à veris corporibus Sanctorum, & quandam quasi umbram illorum, inditam sibi à Divina virtute ac potentia, ut qui videt illam imaginem, vel figuram, videatur sibi in ea videre quasi ipsum corpus Sancti. Et pars superior animæ cognoscit virtutes, ac dona Spiritûs illius Sancti, quoad illa DEUS ipsi vult manifestare, auditq; illum ac intelligit, sicut accidit in eo, quod suprà dictum est de Angelis.

Idem, & eodem modo evenit in visionibus Sanctissimæ Virginis Dominæ Nostræ, nisi quòd Sanctissimum ipsius corpus, plerumq; videatur unà cum Sanctissima anima, quando Dominus DEUS vult præstare

ſtare tantam gratiam & favorem ſuæ creaturæ.

Idem eſt, ac fit in perſona Chriſti JESU Domini Noſtri: quamvis ego auderem dicere, quantùm ſcio & ſum experta, nunquam abeſſe ipſammet illius Perſonam, Sanctiſſimum Corpus & Animam ac DEItatem, ubi anima de his omnibus cognoſcit, quod ab illa vult Divina Majeſtas intelligi, ſentiri, & cognoſci, juxta ipſius capacitatem, præterquam, dum exhibet ſpectandam aliquam ſuam ſpeciem aut imaginem doloroſam alicujus myſterij, ſuæ Paſſionis vel Infantiæ: tunc enim nihil exiſtimo eſſe aliud, quàm ſpeciem & imaginem, qualis eſt corporis Angelici: & Dominum loqui, ſéq; ibi communicare, ac revelare illud myſterium ſuæ Paſſionis ac Infantiæ, tali arte, támq; admirabili ſapientiâ, ut anima, cui manifeſtatur ſimile myſterium, ſentiat, cognoſcat, & intellgat de eo, quantum illi DEUS communicat, acſi realiter, & verè ibi perageretur. Atq; hoc modo contingit in myſterijs Sanctiſſimæ Virginis Dominæ Noſtræ, quando comparet doloroſa ad pedem Crucis, aut in alio myſterio ſuorum dolorum & anxietatum, vel ſui Virginei partûs, aut Incarnationis Verbi Divini, aliarúmve rerum hujusmodi. Exhibétq; DEUS, ùt dixi, hæc ſpectanda tam artificiosè, præſtanter ac ſapienter, & manifeſtat illa animæ adeò evidenter, ut in initijs, quando tale quid contingit, & anima adhuc parum eſt experta, præterquam quòd vehementer obſtupeſcat, videatur turbari, dicátq; ſuo DEO: Quid eſt hoc, Domine, cùm iſtud myſterium ſemel tantùm fuerit peractum, & non ſæpiùs?

§. V.

HOc ſcripſit iſta famula DEI, quod ego ſic intelligo ac declaro duobus modis, quibus fieri poſſunt iſtæ apparitiones. Quia, quod attinet ad Angelos, qui illi comparebant, & quorum quatuor quaſi continuè manebant in diverſis partibus ipſius cubiculi, intelligo, in ea figura & ſpecie corporis, quod repræſentabatur Imaginativæ, reipsâ ac verè ibi, ubi videbatur eſſe illa ſpecies corporea, ipſum Spiritum Angelicum, qui loquebatur, inſtruebat & operabatur per inſtrumenta illius figuræ corporeæ. Et hoc non eſt difficilè credere de Angelis, qui frequentèr deſcendunt ex Cælo in terram, ut inviſant homines, cum iiſq; agant, quorum ſunt Cuſtodes. Eodémq; modo eſt poſſibile, ut ſpiritus & anima alicujus Sancti exiſtat etiam reipsâ ac verè in ea ſpecie corporis, quæ comparet, útq; per illam loquatur ac doceat, ſive id faciat deſcendendo ex Cælo ad terram, ſive etiam ibi remanendo: Quia Omnipotenti nihil eſt impoſſibile. Alius tamen modus magis ordinarius, pro cæteris omnibus Sanctis (atq; etiam interdum pro Angelis) poteſt eſſe, ut exiſtentibus ipſorum animabus in Cælo, eorundémq; corporibus, qui illa ibi habent animabus unita, ſe, non excedendo inde, exhibeant ſpectandos in illis imaginibus ac figuris, genuinè repræſentantibus corpora, quæ habuerunt in hac vita, vel modò habent in Cælo, tam pulchros ac ſpecioſos, quàm DEUS ipſos vult videri. Quibus figuris dicuntur Sancti, per Divinam potentiam, indere ſuam virtutem, ſpiritum & radios, in quantum illis medianibus ex Cælo, DEO ipſomet operante, loquuntur, converſantur, & operantur, acſi revera exiſterent in eo loco: & anima cælitus illuſtrata in parte ſua ſuperiore, iſta omnia ibi videns, concipit & cognoſcit, Spiritum Sancti ex ipſius effectibus, ac proportionem, quâ reſpondet illi imagini ſui proprij corporis, quale illi debetur, & habuit in hac vita, habebitq; in reſurrectione. Atq; cum hoc lumine etiam cognoſcit virtutes, & prærogativas ac perfectiones ejus Sancti, in eo gradu, quo illas ipſi vult DEUS manifeſtare. Percipit quoq; cum eodem lumine, quomodo differant ab Angelis, in quibus, etiamſi apparent in ſpecie puerorum vel juvenum, agnoſcit non eſſe propria ipſorum corpora, & hos Spiritus non habere relationem ad illa, neq; ea exigere naturaliter: ſed quòd ab ipſis aſſumantur, ut ſe accommodent modo, quo poſſunt cognoſci ab hominibus. Et hac ratione applicanda eſt ſimilitudo illius mo-

dà,

di, quo Pater Æternus producit suum Filium, qui est ipsius imago, adeò, ùt, qui illum videt & audit, videat & audiat ejus Patrem. Ità enim, non æqualiter, sed cum quadam proportione, producit DEUS istam vivam imaginem Sancti, quæ illum genuinè repræsentat, & per quam loquitur ac operatur, adeò, ut, qui illam videt, videat quodammodo ipsum Sanctum.

Hujus rei est alia similitudo desumpta ex eo, quod contingit in raptibus; quia sicut anima manet in terra unita suo corpori, illúdq; vivificat, ac aliquomodo movet; Spiritu tamen est elevata ad Cœlum, quia ibi videt ac audit, prout illuminatur, id quod illi DEUS vult manifestare, & spiritus ipsius operatur, quod DEUS illum vult operari: ita demptis omnibus imperfectionibus, dum manet anima Sancti in Cœlo, dicitur descendere ad terram, eo modo corporeo, ad talem locum, quia ibi loquitur, conversatur, & operatur, quod vult DEUS.

CAPUT XXVIII.

De cognitione sui ipsius ac DEI, & de septem motivis propriæ confusionis, expendendis per septem dies hebdomadæ.

ALios etiam varios parvos tractatus, seu diversa puncta conscripsit Venerabilis Marina, ex Divina inspiratione, exponendo varia media, pro obtinendis nonnullis insignioribus vitæ spiritualis virtutibus, ex quibus quædam collecta ipsiusmet verbis referamus, eo quòd contineant doctrinam proficuam, emanantem ex tam bono fonte, ac ab ipsa desumptam ex libro suæ propriæ experientiæ.

§. I.

INcipiamus ab eo, quod scripsit (A. 1612.) de duabus cognitionibus, tam sui ipsius, quàm Domini DEI, quæ, *inquit,* sunt instar duarum portarum, per quas oportet ingredi, ut perveniatur ad Sanctitatem, & perfectionem Divini amoris, eâ arte ac industria constructarum ut moveantur in duobus tantummodo cardinibus, ita ut vix possit moveri prior, quin moveatur posterior. Atq; ex vallibus cognitionis propriæ (si valles vocari possunt) conspiciuntur ac videntur excelsi vertices cognitionis DEI, ex his verò montibus spectantur, & clarè videntur, quasi in lucidissimo speculo, valles nostrarum miseriarum, peccatorum, & fragilitatum. Neq; nobis propterea est despondendus animus: solent enim consternare ac terrefacere animam tam profundæ valles nostrarum miseriarum, & montes tam alti cognitionis DEI, & ejus attributorum, ut effugiant nostrum conspectum, quod ipsum demonstrat illius magnitudinem. Intra portas istas tamen reperiuntur immensi & infiniti thesauri bonorum cœlestium, si quotidie tribuatur tempus istis considerationibus, sæpéq; interdiu & noctu animo revolvatur: Quis est DEUS? & quis sum ego? qualem se DEUS exhibuit erga me? & qualem me ego exhibui erga illum? dicendo ipsi magno affectu: Sic me dilexit DEUS, *sic* (ponderando istam vocem, *sic*) ut mihi dederit suum Unigenitum Filium, æqualem sibi, ut esset meus Redemptor, meus Pater, meus Magister, mea Lux, & meus Dux, utq; ditaret ac repleret animam meam bonis æternis, séq; ipsum mihi daret. Ad se verò conversus homo dicat: Ità te

odio habui ego, téq; offendi, ut te frequentiùs permutaverim, vendiderímq; re nihili & delectatiunculâ vilissimâ, quæ præterit in momento, & postquam solummodo remanet desolatio ac anxietas propter te perditum ac malè commutatum, quòd se videat pauper anima destitutam gratiâ, quam ipsi dederat DEUS, ideóq; obscuratam: ita te non amavi Bonum infinitum, ingratum me exhibendo tantis misericordijs & gratijs susceptis à tua immensa bonitate. Sed incipiendum est à considerationibus cognitionis propriæ, quam in rem juvabunt sequentes.

Septem Puncta cognitionis propriæ.

1. PRimum punctum, pro die Lunæ est, considerare: Quid eram antequam nascerer? & cum ista consideratione ingredi ad fundum usq; animæ, ac bene perpendere, & intellectu penetrare illud nihilum, quod fuimus, ut ità videamus, & cognoscamus potentiam, ac bonitatem magni Conditoris nostri ac Domini, qui sic voluit & potuit, per solam suam potentiam ac bonitatem, nos extrahere ex hoc nihilo ad tantum bonum: intueamur quoq; clarissimè, & agnoscamus nostram miseriam ac vilitatem, ut ita destruamus rotam nostræ vanitatis & superbiæ.

2. Secundum punctum est, considerare: Quid egit mecum DEUS? Ubi satis habet anima DEUM amans, quo se exerceat; reperiet enim ineffabilia, & innumera beneficia, accepta ab infinita bonitate sui DEI. Inveniet inprimis, quòd ab eo sit elevata & extracta ex nihilo, sicut diximus, ad Esse tam sublime ac Divinum, ut conformaretur & quodammodo assimilaretur Divino illi ac ineffabili Esse ipsius, quódq;, nos fecerit ad imaginem & similitudinem sui unigeniti Filij ac Domini nostri, dando propterea animæ, & communicando Esse Divinæ gratiæ, dotando ipsam tribus illis ejus potentijs, præter multa alia dona & gratias ei collatas ex sua Divina misericordia ac bonitate, quæ illam ditant & exornant coram ipsius Creatore. Præterea, quid dicemus de tot alijs beneficijs susceptis ab eodem DEO? ille nos semper conservat in eo esse, quod ex sua Divina bonitate nobis dedit, regit & gubernat, subvenitq; tam paternâ curâ omnibus nostris necessitatibus, fragilitatibus ac miserijs. Deniq; sunt innumerabilia nobis ab ipso collata beneficia.

3. Tertium punctum est. Quid feci ego pro hoc Domino, & quomodo egi cum eo, qui talem se exhibuit erga me? Hic profectò est, cur erubescamus. Si enim bene consideremus, quid fecerimus pro hoc nostro magno & magnifico Rege ac Domino, qui adeò nos sibi obstrinxit, propter tot ac tanta beneficia, de quibus dictum est, inveniemus, nos non solùm non respondisse ipsis cum magna gratiarum actione, & exhibitione obsequiorum, neq; quidquam nobis lucratos esse ipsius thesauris, id quod vult bonitas tanti Domini, sed potiùs loco hujus gratitudinis, & obsequiorum debitorum tali bonitati, immemores istarum coronarum, & pretiosorum indumentorum nostræ animæ, obliteravisse frequenter ipsius imaginé, eámq; defœdavisse luto, & per imprudentiam malè commutavisse thesauros ejus beneficiorum, & gratiarum nobis ex ipsius bonitate collatarum. Hoc est, quod retribuimus isti Domino, ac taliter nos quoad istud, gessimus erga magnam ipsius Majestatem.

4. Quartum punctum est. Quid DEUS mecum agere debuerit? Videamus, quid aliud agendum fuerit huic Domino cum ista miserabili ipsius creatura, quæ tam malè conservavit tanta bona ac thesauros acceptos ab hoc Domino, cum tanto excessu amoris & bonitatis, quàm ut proferret ac pronunuciaret sententiam justissimam, ut qui talia perpetravit, puniatur pro meritis, útq; cùm creatura se ita voluerit perdere, suâ culpâ ac voluntate, & inconsideratè egredi ex domo & palatio regio sui legitimi Patris ac Domini, & instar filij prodigi abire ad domum alienam, ibíq; vesci cibo immundorum animalium, facesse,

facessat, neq; compareat in conspectu tanti Regis ac Domini, & indè abeat in abyssum, qui est locus deputatus & constitutus à DEO pro talibus. Hæc videtur esse debuisse sententia, & ista debet esse nostra consideratio. Sed videamus nunc in quinto puncto, quid fecerit?

5. Quintum punctum est: Quid fecit iste Dominus mecum, pro eo quod debuisset, ut puniret pro meritis nostram malitiam & imprudentiam, ut ità videamus quàm meritò amandus à nobis ex toto corde nostro ac anima, omnibúsq; viribus nostris sit iste Dominus ac Pater misericordiarum. Quod fecit, fuit, nobis hac in re compati, &, ex sola sua bonitate, nos vocare & expectare ac tolerare, atq; portare instar boni Patris, & supremi Pastoris, in suis Divinis humeris, ad sua pascua & gregem, ibiq; nos curare instar boni Medici, ac sanare à nostris fracturis, vulneribus, ac infirmitatibus: & quidem tam præstantibus, pretiosis, ac sumptuosis medicinis & unctionibus, quàm est virtus ipsius Sanctissimi & pretiosissimi sangvinis, profusi pro nostra salute ac remedio, applicata per ipsius clementiam ac misericordiam, & altissima merita, ad curanda omnia nostra mala, peccata, fragilitates, ac necessitates. Hoc est, quod iste Sacratissimus Dominus noster fecit pro nobis, loco ejus, & pro eo, quod merebatur nostra ingratitudo. Videamus autem in sexto puncto, quid faciam ego pro illo?

6. Sextum punctum est: Quid ego faciam pro hoc Domino, qui talis est, ac tam infinitè bonus? Certè verum est, quòd, si una sola creatura, quæ accepit tales gratias ac beneficia à suo Creatore, ac Domino, haberet omnes vitas, quas habent Angeli, & omnes homines, omnésq; illas consumeret, ac impenderet in continuum servitium & amorem hujus Domini, non rependeret illi sufficienter, vel minimum ipsius beneficium. Quod cùm ità sit, cúmq; una sola creatura sit tam exigua portio ex omnibus illis, quomodo per vitam, adeo exiguam & brevem ac labilem, poterit rependere & compensare beneficia & gratias tot ac tantas, támq; eximias? Non oportet nos concidere animo in ista consideratione, sed adhibeamus bonum medium ac remedium, datum nobis ad hunc finem, ab infinita Sapientia & bonitate nostri magni Patris ac Domini; retribuendo illi videlicet id, quod est illius, dando ipsi ac offerendo omnia, quæ nobis dedit, & quæ à Divina ejus misericordia suscepimus. Offeramus illi inprimis ipsius pretiosam Crucem, afflictiones ac dolores, quos pro nobis est perpessus, & satisfaciamus pro nostris debitis, per has ipsius divitias, quæ est bona solutio: ac deinde apponamus his thesauris, nostros teruntiolos, qui indè acquirent pretium. Offeramus ipsi quidquid sumus, habemus, & valemus per ipsum, & in ipso, quia omnia accepimus à Divina ejus bonitate. Demus illi totum cor nostrum, & totam animam nostram, & omnia nostra desideria atq; cogitationes. Demus illi omnia, & nihil nobis retineamus. Amemus ipsum, & serviamus illi, laudemúsq; eum perfectè & continuè, per id quod ipsemet est in se, & quod est respectu nostri. Desideremus ex animo pati amore ipsius: quia magnus iste Rex ac Dominus est ejus conditionis, eáq; præditus bonitate, ut quando ipsi ita offeremus nostros teruntiolos, sit futurus bene contentus, & quàm libentissimè munus nostrum acceptaturus. Hoc est, quod nobis est faciendum pro isto Domino, & sic bonis ipsius ac divitijs, aliquid nobis lucrabimur, siquidem ex ejus bonitate omnia redundant in nostrum bonum.

7. Septimum & ultimum punctum est: Si ità fecero, quid mihi pro hoc dabit DEUS, & quid ab ipso consequar? Quod mihi dabit, erit æternitas infinitorum bonorum, quibus fruar cum Beatis Spiritibus, assistentibus coram throno magnæ Majestatis, cum continuis jubilis & laudibus sui Creatoris ac Domini, in illa cœlesti Jerosolyma, ubi sunt æterna gaudia. Dabit nobis etiam iste Dominus, ut in illo felici loco fruamur societate Sanctissimæ ipsius Matris ac Dominæ Nostræ, atq; omnium

Sanctorum & Beatorum, qui transeuntes ex hoc exilio, per crucem & tribulationes seculi, ac amantes vero amore suum DEUM, meruerunt possidere, & consequi beatitudinem. Ac tandem nobis dabit seipsum, quæ est merces regia ac magnifica infinitæ ejus liberalitatis ac bonitatis, replentis & satiantis animam, ineffabili suâ gloriâ ac beatitudine æternâ. Hoc est, quod speramus, per istum Dominum, & ab eodem magno Domino ac Rege nostro, remunerante abundantissimè nostra exigua obsequia. Sit magna ipsius Majestas benedicta in æternùm pro omnibus. Amen.

CAPUT XXIX.

De medijs, quibus juvari possumus, ad consequendum & obtinendum perfectum amorem DEI.

§. I.

1. PRimum medium & gradus, pro ascensu ad istam sublimitatem perfecti amoris DEI, est puritas animæ, quam Dominus DEUS, utpote Author & Architectus hujus præclari ædificij spiritualis, ipsi infundit, dum ità ponit suâ potente manu primum lapidem, purificando animam, & præservando à lapsibus ac malis, quæ posset incurrere, propter hostem humani generis, jam indè à primis annis ætatis suæ infantilis. Iste est magnus passus, & fundamentum pro inveniendo hoc thesauro.

2. Secundum medium est, ædificare cum gratia DEI, quæ nunquam deest, disponenti se, pro illa suscipienda, supra istud tam firmum ac securum fundamentum. Lapides hujus ædificij debent esse pretiosissimi. Primus erit summa humillima & amabilissima illius magni ac benigni Domini, à quo, ex sola ipsius bonitate, accepit illam primam gratiam. Secundus erit, integrè resignare & amabiliter subijcere seipsum Divinæ voluntati, atq; conquiescere in ejus providentia, cum magna pace & securitate. Tertius erit, continua, svavis, ac jucunda memoria DEI, quem debet conari semper gerere in oculis suæ animæ, cum magnâ humilitate & reverentia. Lapides pretiosi harum Sanctarum Virtutum, & exercitiorum, sunt magni momenti pro isto supernaturali ædificio.

3. Tertius modus erit, ut homo in peragendis omnibus suis operibus virtuosis, & exercitijs spiritualibus, semper exequatur id quod est perfectius, quódq; sciverit & intellexerit esse gratius Divinæ voluntati.

4. Quartum medium est, ut scopus & finis omnium operum ejus sit, major gloria DEI, & in ipso, ac per ipsum operetur omnia, quæ fecerit.

5. Quintum erit, imitatio Christi Domini, ut conetur, quantum est possibile, insistere ipsius Sanctissimis passibus ac vestigijs, sítq; paratus ad dandam libenter, & promptissimè vitam amore illius, quandocunq; Divinæ Majestati placuerit, fueritq; sancta ipsius Voluntas.

6. Sextum, ut propter omnia sua opera, quantumcunq; Sancta & mirabilia videantur aut sint, nolit, neq; intendat quidquam aliud, vel ullum commodum, præter gloriam ac beneplacitum Domini Dei, qui ipsi solus debet sufficere & satisfacere, etiamsi pro hoc Domino passus fuisset cruciatus

ties mille mortes. Hæc ſunt media & gradus, pro aſcenſu ad iſtam Divinam ſublimitatem perfecti amoris DEI: ex quibus operibus, & exercitijs ſanctis ac virtuoſis, componit DEUS cœleſtem quandam mixturam & confectionem, unde emanat ac procedit in animam, illa Divina aqua viva, iſtius Divini Amoris, qui eſt complexus fortis ac potens, & unio quædam perfecta DEI cum anima, in qua unione memoria, intellectus, ac voluntas non ſciunt, neq; ſentiunt quidquam aliud, quod non ſit DEUS, vel directum ad DEUM, ſive id ſit humile, ſive altum, deſolatio vel crux, aut ſolatia, favores ac ſvavitates: in quibus omnibus invenit DEUM, quia ipſe eſt in omnibus. Nec volo dicere, excludi à theſauro perfecti amoris DEI illos, qui fuerunt peccatores, & abluerunt ſe ac purificaverunt per veram pœnitentiam, diſpoſuerúntq; ſe cum gratia DEI, ad obtinendam iſtam miſericordiam: quia ſcimus in Eccleſia DEI repertos fuiſſe plurimos, quibus Divina Majeſtas communicavit iſtam gratiam: verùm ego nunc ſpeciatim loquor cum illis mundis corde, qui tales ſunt ex Divino munere, de quibus mihi ſermo fuit: hoc namq; facit ad propoſitum intentionis, quam DEUS mihi inſpiravit. DEO gratias.

§. II.

Ea quæ poſſunt interturbare, vel impedire aſſeqvutionem perfecti amoris DEI.

1. PRimum ac præcipuum, quod poteſt impedire hunc Divinum amorem, tanquam radix, & fons, unde emanant ac procedunt omnia reliqua, eſt oblivio DEI, & dum quis quaſi proſcripſit Divinam Majeſtatem ex ſuo corde. Hoc eſt magnum damnum, ac malum animæ: ſicut enim maximum bonum ipſius eſt, memoria & præſentia Domini DEI, eò quòd adferat tanta bona luminis, fortitudinis, infallibilitatis, facilitatis in operibus, ac virtutibus, & alia innumera bona: ità oblivio DEI ſecum invehit ingentia mala, tenebrarum, obſcuritatis, deceptionum, cæcitatis, pigritiæ, & faſtidij rerum ſanctarum, ac virtuoſarum, aliáq; multa: eò quòd ſit, ut ajunt, radix & principium omnium malorum, ac damnorum ſpiritualium. Quamvis autem videatur, ſitq; magis contrarium iſti Divino amori peccatum, quod actualiter committitur, credo tamen ſinè omni dubio, hujus ipſius radicem ac principium eſſe, prædictum malum oblivionis DEI: ideóq; qui habuerit memoriam DEI, valde erit vicinus immunitati à peccato, qui verò habuerit oblivionem, lapſui & peccato.

2. Secundum, quod impedit hunc Divinum amorem, eſt, cupiditas inordinata quarumlibet rerum, quamvis ſint bonæ & ſpirituales, quæ transgreditur limites reſignationis quoad omnia, in Divinam voluntatem.

3. Tertium ſunt, peccata ac defectus animæ, præcipuè illi, qui committuntur in eo profundo ac miſerabili ſomno oblivionis DEI.

4. Quartum eſt, ſi anima habeat aliquod idolum, quod adorat, volo dicere, aliquam creaturam, cujuſcunq; generis, aut conditionis ſit, quam nimiùm amat.

5. Quintum eſt, quædam inſenſibilitas ac tepiditas culpabilis, in deſiderando, & exoptando theſauro cœleſti Divini amoris.

6. Sextum eſt, quod pro ſanctis ac bonis deſiderijs, quæ illi dat DEUS, & communicat, ut exerceat virtutes, ſeſéq; perficiat, & pro ijs, quæ cum ipſis operatur, velit ac intendat, quamvis occultè, ſuam mercedem, & utilitatem: cùm ipſi ſufficere deberet ſola gloria DEI. Hi ſunt gigantes, & hoſtes vehementer contrarij Divino amori, & qui hoc vicerit, exiſtimo facile fore, ut cæteri omnes ſuperentur. Det nobis Dominus ad hoc obtinendum ſuum Divinum ſpiritum. Amen.

§. III.

Origo & causa nostri amoris erga DEUM, & erga nos ipsos.

CUm noster Dominus, ac magnus DEUS, sit bonum infinitum, adeóq; dignus amari, amore magno ac infinito, creaturæ verò non possint illum sufficienter amare, sicut esset amandus, neq; sint tanti amoris capaces, nè Divina Majestas careret eo, quod merebatur, eíq; tam justo titulo debebatur, providit ab æterno idemmet magnus Dominus, ut tributum tantopere tali bonitati debitum, ipsi penderetur, per amorem infinitum, cujus ille solus est capax, & ipsius Magnitudo ac Infinitas, quà seipsum perfectissimè comprehendens, infinitè se amat, amore infinito. Ex hoc immenso ac infinito Divino amore, quo noster magnus DEUS ac Dominus seipsum amat, oriuntur, & prodeunt flumina ac fontes Divini amoris, quem communicat idem Dominus suis creaturis, tanta cum virtute, & cum ijs effectibus, ut, qui illum assequitur, & particeps sit hujus Divini ignis, ac dulcium aquarum, non possit esse otiosus, neq; continere istud bonum in se solo, quin communicet ac impertiatur aliquid hujus Divini thesauri illis, qui ab eodem Domino sunt conseqvuti ipsius Divina bona, sùntq; abluti sangvine Christi JESU Domini Nostri, & absorpti ac immersi in hoc Divino mari amoris ipsius. Hoc Divinum mare infiniti amoris, quo DEUS seipsum amat, continet, & complectitur in se talem virtutem, talémq; generositatem, ut dum se copiosè communicat omnibus vasis electis & sacris, videlicet Beatis, & animabus puris, replétq; ipsorum sinus hoc Divino liquore, non imminuatur, nec deficiat, aut exinaniatur, & instar maris retineat nihilominus istam abundantiam, ut inde profluant flumina harum Divinarum aquarum, eodémq; revertantur. Siquidem origo & causa hujus amoris, quo creatura amat suum DEUM ac Dominum, est, quòd ipse illam respexerit ac amaverit, ubi habet suam virtutem ac vim iste Divinus intuitus ac amor, qui est principium, ac finis & causa universalis omnium nostrorum bonorum, quæ nobis obtigerunt per Christum Dominum: per quem Dominum facti sumus grati Æterno Patri. Huic Bono nostro ac thesauro, Christo Domino Nostro, non fuit satis, ut nobis adferret omnia ista bona, redderétq; nos eorundem participes, & esset nostra salus, ac noster Redemptor; sed dignatus est præterea, esse noster Magister, & nostra Lux, nostérq; Dux: ut hac ratione videntes ipsum, & cum eo agentes, cognosceremus illum, & amaremus, ac imitaremur, sequeremúrq; ejus vestigia, amando vehementi amore ac desiderando crucem, quam ipse amavit, cùm hæc sit vera probatio amatorum Christi Domini, nec non abhorrendo ab omni eo, illúdq; spernendo, quod ille sprevit, & à quo abhorruit. Ista ingentia bona, quæ habemus, in nostro Bono ac Domino, & quæ ille, quoad hoc, habet in semetipso, volui explicare his lineis, eò quod illa sim experta, ac delibaverim, ijsdémq; valde delectata, & lætiata fuerit mea anima.



CAPUT

CAPUT XXX.

Quomodo illam docuerit DEUS, quæ sint bona Orationis, & quæ ad eam requirantur, ut exaudiatur, nec non, qualia, & quomodo sint petenda.

§. I.

MAgnum & specialem in me affectum incitaverant illa verba Christi, Domini, dicentis: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Interea tempore quodam matutino (in Majo A. 1623.) dixit mihi Dominus: Veni mecum Anima, cùm habeas talem affectum, & ostendam tibi, quid sit Oratio, atq; magna bona & thesauros, qui in illa continentur. Et uniendo secum meam animam, duxit ipsam in momento ad cœlestem Jerosolymam, ostendénsq; illi maximum & pretiosissimum thesaurum, dixit ipsi: Attende anima: Oratio est thesaurus similis isti, quem vidisti in hac figura, quo emitur Regnum Cœlorum. Deinde, monstrans mihi quoddam Symbolum spiritualissimum armorum, splendidissimorum, & potentissimorum, dixit meæ animæ: Oratio est armatura, virtus, & fortitudo contra omnes hostes, & contra omnes tentationes, quam repræsentant hæc arma. Postea verò ostendens mihi calicem, ex purissimo & splendidissimo, ac spiritualissimo auro, in quo erat pretiosissimus liquor, dixit Dominus animæ meæ: Oratio est quædam Divina & pretiosa theriaca contra omnes morbos, & venena animæ, cujus figura est, liquor hujus calicis, quem vidisti. Tum exhibens mihi spectandos illos Beatos Spiritus, qui ipsi assistunt in illa cœlesti aula, & agunt cum animabus, degentibus in mundo, dixit Dominus meæ animæ: Oratio, est conversatio animæ, cum Beatis Spiritibus. Deinde subjunxit Dominus: Adverte, Anima: Oratio est continuata assistentia animæ in conspectu sui DEI, & in Divina ipsius præsentia; est item tranquillitas, pax, & quies animæ in suo DEO. Hoc est Oratio, & ista sunt ingentia bona ac thesauri, qui in illa continentur, eiq; sunt adnexi: & cùm te duxerim, Anima, ad meam cœlestem curiam, ostenderímq; tibi tanta bona, ac valorem Orationis, nolo, ut abeas vacua, absq; ulla mea gratia. Quia versaris continuè in meo conspectu, degísq; in mea præsentia, & tradidisti mihi tuũ cor, ac promptam voluntatem, ut in omnibus fiat mea, velísq; omnia dare, quæ habes & possides, unáq; vitam, cum ista convenientia & conformitate, volo te honorare, conferendo tibi propriâ manu habitum, qualis confertur Equitibus, quorum professio est, decertare pro meo honore, & veritate fidei. Quod dicendo Dominus; induit me quadam veste honorificentissimâ, in conspectu omnium Angelorum, quæ habebat in pectore rubram crucem, tales ex se evibrantem radios lucis ac splendoris, ut mei oculi non possent sustinere ipsius claritatem. Postquam autem Dominus peregisset hoc mysterium, exhibuissétq; tantam misericordiam meæ animæ, dedit mihi suam sacro-sanctam Benedictionem, & tradidit me meis Dominis Angelis, qui me abduxerunt, cum magna sua admiratione & mea, reposuerúntq; in me angello. Mansi abstracta à sensibus multo tempore. DEUS sit benedictus.

Postquam ad me redij ex ista abstractione, considerabat mea anima, vehementer obstupescens tanta mysteria, quæ in ipsa erant à DEO peracta, & manifestatas sibi à DEO prærogativas Orationis, ac de-

ac deinde ipsum ingerrogavit, dicendo: Mi DEUS, & Domine mi, quandoquidem mihi dixisti, tanta bona contineri in Oratione, obsecro Te, dic mihi, quas debeat habere conditiones, ut sit perfecta, obtineátq; à Te misericordiam. Dicam tibi id *(respondit Dominus)* Noveris esse istas quinque: Charitatem, Fidem, Confidentiam, Humilitatem, & Perseverantiam. Si quis ita petiverit alquid à meo Patre, & in nomine meo, exaudietur ipsius petitio, & obtinebit, quod petet, priúsq; peribit Cœlum ac terra, quàm verbum DEI.

Quod attinet ad has quinq; conditiones, animadvertendum est, charitatem plurimum juvare, ut exaudiatur Oratio, non esse tamen necessariam, quando peccator habet alias qnatuor: & propterea Dominus non addidit, sine istis quinque non exaudiendum. Sanctus Thomas 2. 2. quæst: 83. articu: 16. addit, peccatorem exaudiri, non ex justitia, sed ex pura misericordia: proinde charitas est necessaria, ut quis exaudiatur, quasi ex justitia.

§. II.

AUdivit mea anima, quod ei DEUS ipsius dixerat, reposui humiliter dicendo: Cùm ita sit, mi DEUS, procul dubio miserabiles meæ & indignæ preces, carent istis conditionibus, quas dicis, requiri; siquidem sæpe, ùt mihi videtur, cùm id non merear, non obtineo, quod à te peto. Non bene dixisti, Anima, respondit Dominus: certum enim est, te nihil à me petivisse, quod tibi non concesserim. Atq; si aliter est, dic mihi nunc, unde, quod à me dicitur, intelliges. si, quidquid à me petis, id petis cum resignatione in meam voluntatem, útq; in omnibus fiat, quod cedat ad majorem gloriam, & majus obsequium meum, ac bonum animarum, & bene petis, sicut oportet petere, atq; etiam petis cum dictis conditionibus, etiamsi interdum patiaris nonnihil naturalis fragilitatis, in confidentia, atq; ego omnia facio, sicut à me petis; quomodo, his suppositis, dicis, à me non exaudiri tuas orationes? Adverte, quòd me offendas, quòdq; id sentiam.

Audivit mea anima, quod illi à DEO erat dictum, fuitq; vehementer pudefacta & humiliata, quamvis non desolata: cùm autem occultè desideraret, plura reponere, intelligerétq; illam ipsius DEUS, dixit ei amanter ac benignè. Dic, age, Anima, interroga me, quidquid volueris, ego enim tibi respondebo, & satisfaciam tuis dubijs. Quo dicto mea anima fuit recreata, ut ipsum idcirco interrogaret ac diceret: Dic mihi igitur mi Domine, quando à te peto, & postulo, ut aliquid bene succedat, quod à te rescivi, cessurum in tuum honorem, & bonum animarum, vel salutem multorum, & video, id non fieri, neq; mandari optatæ executioni, quænam potest esse hujus rei causa? Respondit Dominus quàm gravissimè: Animadverte anima, semper petis, quemadmodum dixi, ut fiat in omnibus, & ante omnia, quod cedat ad majorem meam gloriam, prout fieri oportet: propterea, & propter liberum arbitrium, quod dedi homini, cum omnibus necessarijs & sufficientibus auxilijs, ut ijs bene utatur, faciátq; quod est melius & perfectius, ordinariè, hoc modo, quasi ab invicem non discrepamus; quamvis meâ infinitâ potentiâ possim ampliùs ac ampliùs facere, & quidquid volo, quod est magnum meum secretum, in quo includuntur diversæ & gravissimæ causæ. Et cùm hoc sit verum, debeatúrq; Divinæ Justitiæ suus locus, ac veneratio & honor, sicut misericordiæ, & clementiæ, omnibusq; cæteris Divinis attributis, offenderetur Divina Justitia, si ei auferretur ipsius honor ac potentia. Jam verò, postquam Bonitas & Misericordia multùm præstitit, imò plurimùm homini, tribuendo ipsi liberum arbitrium; ille, & ejus tepiditas, pigritia ac malitia, & passiones inordinatæ, noluerunt amplecti auxilia Divina, & gratias ac beneficia: sed potiùs omnia hæc abominati sunt homines, ac spreverunt, hæserúntq; in abysso iniquitatum ac miseriarum: alij verò sequendo suas occultas & vanas inclinationes, præposterè judicant

dicant de veritate, & errando cogitant, se agere bene, valdéq; acquiescunt suis erroribus. Dic mihi igitur, Anima, spectato hoc duplici hominum statu, an non tibi videatur, fore contra DEI, ipsiúsq; Majestatis ac Divinæ ejus Justitiæ gloriam, istos relinquere impunitos? cùm sua propriâ voluntate ac deliberatè velint damnari, & ruere ad infernum: alios autem, eò quòd non aspiciant oculis puris, neq; res expendant absq; passione & affectu, ideóq; errent in agendo? Quòd verò ego ità fieri permittam, est æquissimum, siquidem nolunt bene uti meis auxilijs & consilijs.

§. III.

Sed specialiùs ipsam docuit Dominus modum, petendi à se gratias, in alia visione, quam ità refert:

Quadam vigiliâ Nativitatis, dum agerem cum Christo Domino, dixit mihi ipsius Majestas: Nunc est tempus, præstandi gratias, pete à me, quidquid volueris. Ego respondi: Ità est, Domine mi, & dilecte meæ animæ, tempus esse, obtinendi à te magna dona, & magnas gratias, ideóq; te obsecro, per tuam Sanctam Nativitatem, & Sanctissimam Mortem, ut mihi concedas bonam, ac svavem mortem, sicut expedit ad majorem tuam gloriam, & meam salutem, id quod etiam à te peto pro omnibus. Bene se habet (dixit Dominus) quod concernit priorem partem petitionis: verùm, itáne petis, quod posteriore loco proponis? Pro omnibus? quasi diceret: Non est, quod ultrà petatur: adeóne magnam rem postulas, pro omnibus hominibus? Tum respondi: Domine mi, & Dilecte meæ animæ, à tanto Principe, Rege ac Domino, quantus es tu, potente ac divite in misericordijs, bene possunt peti magnæ misericordiæ & gratiæ, ideóq; ipsas à te postulo: ne te excuses, Bonum meum. Oro te etiam, pro statu Sanctæ Matris Nostræ Ecclesiæ Catholicæ, atq; extirpatione hæresum, & pro existentibus in peccato mortali, nec non pro animabus Purgatorij. Bene est, reposuit Dominus; pete aliquid speciatim; quasi diceret: Non jubeo, te modò petere ista generalia, sed aliqua particularia. Tum ego dixi: Da mihi, mi Domine, per te metipsum & per tuam sanctam misericordiam, lumen tuum, pro agnoscendis tuis veritatibus, iisq; intelligendis, quales sunt in se, & tu me illas doces, in tua Divina communicatione, ut evitem omnem spiritum illusorem ac mendacem. Dominus respondit: Ità facio, sicut petis, pete aliquid speciatim, prout tibi dixi: quæ enim hactenus petivisti, sunt generalia, & semper petenda. Hoc audito, deprehendi me quasi turbatam, quia nesciebam, quid vellet Dominus, à se peti, ideóq; dixi illi: Nescio, Domine, quæ sit tua voluntas, quidve tibi placeat, ut à te petam. Unde peto ac postulo, toto corde meo & animâ, quidquid tu volueris, éstq; tua sanctissima voluntas, ut à te petam, & postulem. Postquam autem hoc dixissem, suggessit DEUS meæ memoriæ ac voluntati, ut valde seriò & ardenter illi commendarem, quandam gravem necessitatem cujusdam gravis personæ, & servæ DEI, cui falsæ aliquæ calumniæ fuerant illatæ, concernentes ipsius honorem ac facultates, ideóq; dixi Divinæ Majestati, cum omni illa animi contentione & vehementia: Subleva Domine istam creaturam tuam, & consolare illam, in ipsius tribulatione ac afflictione, cedátq; id totum ad majorem gloriam tuam, ac bonum animæ ejus. Verùm memor, me aliquando instanter petivisse, nonnulla particularia à DEO, ad ipsius gloriam ac honorem, & à Divina Majestate, propter incomprehensibilia ejus judicia, mihi illa non fuisse concessa, idcirco fui timida, in hac re ab ipso petenda, quamvis conata fuerim abigere fragilitatem ac defectum, qui erat conformis meæ naturæ: & cum isto timore addidi ad meam petitionem, orando pro ea necessitate: Hoc à te peto, Domine, quia mihi inspiravisti, id esse, quod vis, ut à te speciatim petam: sed quia non mereor, ut mihi præstes istam gratiam, imò illâ sum indignissima, timeo nonnihil, ne non obtineam à te, quod postulo.

Audivit Dominus, quæ dixeram, & quodam gravissimo modo, mihi dixit: Disce confidere, & sperare in me, etiam contra spem, sicut fecit Abraham; quando verò tibi videberis, non esse à me exaudita, neq; tibi à me concessum esse, vel concedi, quod à me petis, intelligas oportet, te id non percipere, téq; à me nihilominus exaudiri, & concedi tibi, quod vis, & à me petis, quódq; cedit ad meam majorem gloriam & honorem, ac bonum animarum, quemadmodum tu vis, ac desideras. Ut verò probem tuam fidem & confidentiam, præsto tibi quandóq; hac in re, quod tu nescis, nec intelligis, propter tuos timores ac imbecillitatem naturalem. Dico autem tibi iteratò, ut petas quidquid volueris, discásq; confidere in me, sicut tibi dixi, ac deponere superfluos timores & pusillanimitates, suspenderéq; tuum judicium, & omnia mihi committere. His omnibus auditis, fui humiliata, subjeciq; me, ac obseqvuta sum istis Divinis veritatibus, & confortata sum alijs admirandis affectibus, quos mihi DEUS communicavit.

Concludamus eo, quod mihi ipsa retulit; illud nimirum dictum toties repetitum à Domino: Pete quod volueris, ego enim tibi id concedam, *licèt ab ipsa propter ejus timiditatem tunc non fuerit intellectum, dum illam ita alloquebatur, nihilominus ei visum fuisse universale, non coarctatum ad ullum tempus. omnisseq; illam cum ista confidentia, pro omnibus necessitatibus, quæ ipsi ab alijs commendabantur; id quod non pauci faciebant.*

CAPUT XXXI.

Quanti sit momenti Oratio mentalis, & quomodo sit conjungenda cum studio literarum, non intermissis ijs, quæ sunt agenda ex officio.

EX libro propriæ experientiæ didicit Venerabilis Marina, magnum esse momentum Orationis mentalis, quæ comprehendit meditationem Divinorum mysteriorum, & familiaritatem cum DEO, quarum utilitates strictim descripsit hunc in modum:

§. I.

ORatio, *inquit*, est potentissimum & efficacissimum medium, ad nos liberandos, ab omnibus nostris spiritualibus infirmitatibus. Hæc nos curat à gravissima infirmitate, quam omnes patimur, nostræ propriæ voluntatis, & evellit ex corde, quidquid nos potest impedire, & removere à perfecto amore DEI: dum námq; anima cognoscit suum magnum DEUM ac Dominum, specialiter ab ipsomet illuminata, exardescit Divino illius amore, ac desiderijs ferventissimis, exequendi Divinam voluntatem, destruendíq; suam propriam, & sic inflammata fastidit, reijcitq; à se, quidquid non est DEUS, ac desipiunt illi omnia, quæ ipsam separant, ab eo amore forti, svavi, casto, & pleno omnibus bonis. Quòdsi velimus curari ab infirmitate superbiæ tam periculosa, adeóq; radicata, in nostris cordibus, nescio aliud potentius medium, quàm sit, recurrere ad DEUM, per orationem, ubi homo cognoscit seipsum, & per istam cognitionem se abominatur, ac desiderat, ut illam execrentur, ipsiúsq; obliviscantur omnes, quia videt ac intelligit, se id meruisse. Quò verò ampliùs cognoverimus DEUM,

DEUM, eò ampliùs cognoſcemus nos ipſos, ſicut, ſi quis ſe intueatur in clariſſimo ſpeculo, habens bonos oculos, quibus videbit & agnoſcet omnia ſua peccata, & ea emendabit. Atq; hac ratione cœleſtis medicina Orationis ſanat ac liberat, ab omnibus malis & miſerijs. Unde ego miſerabilis & pauperrima, quæ nec valeo, nec poſſum, neq; ſcio quidquam, invenio remedium mearum neceſſitatum ad pedes mei DEI: ibi peto, ibi ſpero, & ibi obtineo remedium. Quòd ſi illud alij alio modo inveniunt, ego id non invenio meliùs, quàm iſto; & poſſum dicere, unumquemq;, ut communiter dicitur, æſtimare nundinas, ex ſucceſſu, quem in illis habet.

Omnia hæc ſunt verba iſtius famulæ DEI, quæ familiaritatem cum DEO vocat, omnium optimum exercitium, propterea quòd in eo exerceantur actus omnium virtutum, & obtineantur pro ipſis vires. Hæc eſt ſententia Marinæ, de exercitio ſanctæ Orationis, & in ſuis colloquijs ac ſcriptis, idem valde ſeriò inculcabat, ſpecialiter in uno, quod juſſu DEI, & glorioſi Sancti Dominici exaruit ad Patrem Provincialem Ordinis Prædicatorum, hujus Provinciæ Hiſpanicæ, & ego referam, cùm ſit ipſius doctrina utiliſſima, quibuscunq; Religioſis. Sic autem dicit:

§. II.

DEUS ſit in anima veſtræ Paternitatis, Amen.

Cùm magnus DEUS noſter ac Dominus ſit tam infinitè bonus & ſapiens, ac miſericors, adeóq; amans ſuarum miſerarum creaturarum, ut propter iſtum amorem ac bonitatem ſuam, ejus Majeſtas ſe dignetur illis communicare, atq; hac in re facere ea, quæ judicio noſtri exigui intellectûs videri poſſint, indigna ipſius Magnitudine ac Majeſtate: cùmq; propter hæc opera & munificentiam ſuam, ſit tam dignus laudari ac amari & honorari ab omnibus; quando anima advertit ex inſpiratione, & ſpeciali ipſius lumine, bona & magnificentiam ejuſdem Domini, quoad hoc, dignam ſola ejus bonitate, & Eſſe Divino ac infinito, ut nulla lingua id poſſit explicare, neq; intellectus comprehendere vel aſſequi: quando etiam propterea agnoſcit, quantopere ſimus omnes obligati ipſi ſervire, eúmq; amare; loquitur ex inſtructione & obedientia miſerabilis creatura, quæ ex ſe non eſt capax, neq; poteſt habere virtutem, aut capacitatem, pro rebus majoribus, vel alijs, quàm ſint eæ, ad quas illam ejus conditio ac diſpoſitio obligat, & quæ illi conveniunt: ipſius enim virtus eſt, quæ ſola id poteſt præſtare, potéſtq; dare loquelam mutis, & auditum ſurdis, ac viſum cæcis, ſicut ſcimus eſſe factum, à Divina ejusdem Majeſtate. Ac proinde dico, ideo, & ut me magis declarem, quòd magnus DEUS Noſter ac Dominus dignetur frequenter, ex ſuis immenſis & incomprehenſibilibus judicijs, ac infinita bonitate, commonefacere homines de eo, quod ipſe vult, per debilia & exiguæ virtutis atq; capacitatis inſtrumenta, ut ita magis cognoſcantur ipſius opera, & magnificentia, ac infinita potentia, cùm nullo indigeat auxilio, ad faciendum id, quod vult, velítq; ejuſmodi inſtrumenta quærere, quæ conveniant & congruant operi, quod Divinæ ejus Majeſtati placet, peragere & operari in ſuis creaturis: útq; præterea cognoſcatur & appareat illud, quod Divina Majeſtas vult eâ ratione peragere ac operari, eſſe ipſius opus, & ſpecialem ejus voluntatem: ſiquidem, ut dixi, loqvuntur muti, & audiunt ſurdi. Suppoſito jam eo, quod dictum eſt, & cùm ità ſe res habeat, ùt verſtra Paternitas novit, duo ſunt, quæ cum gratia DEI dicere, & de quibus commonere Veſtram Paternitatem vellem, non quaſi exiſtimem, Veſtram Paternitatem non gerere eorum curam, ſed ut intelligat & percipiat ſpecialiùs voluntatem DEI, ac Sancti Dominici, Patriarchæ hujus Sacræ Religionis: Siquidem idcirco DEO placuit, imponere humeris Veſtræ Paternitatis crucem & onus ejusdem gubernandæ, in quo non poſſunt deeſſe ea, ad quæ attendat,

dat, & de quibus ſolicitetur. Primum igitur ſit, ut Veſtra Paternitas conetur valde ſeriò & ardenter, in omnibus ſuis colloquijs & adhortationibus, peculiari curâ perſvadere ſuis Religioſis, ſtudium ſanctæ Orationis, & meditationis rerum Divinarum, in qua conſiſtit, meo judicio, maxima pars omnis noſtri boni, & perfectio in omnibus rebus, ſicut ante annum diſſeruimus, ſi Veſtra Paternitas meminit; ut hac viâ ac medio, & quàm optimè potuerint ac ſciverint (in hac enim ſchola optimè ſolet diſci) appropinquent ad DEUM, quantùm ipſis eſt poſſibile, ferántq; illum ſemper in oculis ſuæ animæ, in omnibus ſuis operibus, verbis, & cogitationibus, atq; in hoc perſeverent ſvaviter, patienter, & humiliter, expectantes DEUM, quia infallibiliter aderit Divina ipſius Majeſtas, ubi fuerit tempus: útq; adeò, & quidem ſpecialiter, ſcholaſtici Religioſi, qui ſtudent, ac navant operam diſcendæ Sacræ Theologiæ, ut doceant populum, ſintq; Magiſtri in Eccleſia, non ſolùm ſatis ſe feciſſe arbitrentur, ſi ſtudeant, ac diſcant ſacras iſtas literas, pro inſtruendo populo, ſed ſimul ſtudeant, ſeſéq; impendant, magnâ curâ ac diligentiâ, addiſcendæ huic ſacræ Scientiæ, & Facultati Orationis ac Meditationis, ubi addiſcitur Divina ars & ſcientia virtutum, atq; imprimis ſanctæ humilitatis, & amoris DEI ac proximi, quam, niſi quis didicerit apud pedes Chriſti, Noſtri magni Domini & Magiſtri virtutum, non poterit eſſe verus & perfectus Magiſter: ideóq; nemo illorum decipiatur, cogitando, quòd abſolutis ſtudijs Sacræ Theologiæ & Literarum, nihil ipſis ultrà ſit agendum, poſſíntq; prodire ad alloquendum & docendum populum Chriſtianum: quia ſi non ſtuduerunt, & ſe impenderunt, addiſcendæ huic ſacræ Scientiæ, de qua ſum loqvuta, facilè, cùm deberent populum docere humilitatem, proderent ſuammet ſuperbiam, atq; iſta ab Auditoribus diſceretur. Quando enim hoc malum occupat animam, ſemper ſe prodit per verba & opera neſcio quid mali odoris, qui inficit, & indicat peſtem latentem. Cùm verò etiam deberent docere charitatem, & amorem DEI ac proximi, doceretur ab illis, propter prædictam rationem, non hoc, ſed aliquid aliud, omnino diverſum. Convenit igitur ad evitandum hoc tantum malum, imprimis imbui illos virtute (ut verè ac ſeriò illam addiſcant, & proficiant) atq; ubi iſtam didicerint & exercuerint, tunc perageretur ad gloriam DEI optimè, & cum profectu, ille labor ac munus. Et credant mihi, ad obtinendum & aſſequendum hoc tantum bonum, ut ſint boni Magiſtri, & quælibet alia bona, ſummè ac ſpecialiſſimè prodeſſe Sanctam Orationem ac Meditationem, & quidem tantopere meo judicio, ut ſi me interrogarent centies & millies, quodnam ſit remedium maximum & efficaciſſimum, pro conſequendis omnibus bonis, ac ad occurrendum omnibus neceſſitatibus & miſerijs, quas anima patitur in hac vita, ſemper dicerem, eſſe Orationem ac Meditationem. Atq; ſi mihi ſimiliter diceretur, quid maximè proſit, ad obtinendam à DEO miſericordiam, & poſſidendum perfectum ipſius amorem ac proximi, ſanctámq; humilitatẽ, & cognitionem propriam noſtrarum miſeriarum, tam neceſſariam, dicerem aſſiduè, eſſe Sanctam Orationem & Meditationem: hæc enim verè elevat animam, ducítq; ad ſuum DEUM ac Dominum, & per hanc ipſa illum attrahit ad ſe. Dum autem habet ac poſſidet anima, iſtud tantum bonum, & hoc tam clarum lumen, atq; hunc tam opulentum & pretioſum theſaurum, eſt illi facillimum deſerere ſeriò & ex animo, omnia propter ipſum, eundémq; amare perfectè, non jam vivendo ſecundùm carnem & ſangvinem, ſed amando, in ſuo DEO ac Domino Chriſto, Bono noſtro, ipſius Crucem, & quidquid ille amat, ac abhorrendo ab eo, à quo ipſe abhorret, jam abſq; difficultate & repugnantia: Siquidem caro jam eſt ſubjecta & ſubjugata Spiritui. Hæc bona & commoda hauriuntur, cum DEI gratia, ex ea bonorum ſcaturigine, & fonte Sanctæ Orationis, adeò commendatæ ab omnibus Sanctis,

ctis, & à nostro magno Magisto ac Domino, Christo nostro Bono. Et credat mihi Vestra Paternitas, me loqui, de hoc bonorum genere, ùt quæ sim experta id, quod dico, esse verum: Siquidem DEUS & Pater misericordiarum, consideratâ ac spectatâ meâ imbecillitate ac indigentiâ, ut semper opus habuerim recurrere ad Divinam ipsius Majestatem, me duxit hac viâ, ab ipsis primis annis meæ infantiæ, quamvis ego ex omni gratia valde malè, & parum sciverim proficere, quod mihi Divina Majestas dignetur ignoscere per suam misericordiam. Unde ajo hoc esse, de quo magni refert, commone facere, ac edocere omnes, &, sicut dixi, specialissimè Religiosos studentes, qui docebunt alios, & erunt Magistri animarum. Secundum est, ut Vestra Paternitas peculiari solicitudine procuret collectionem suorum Religiosorum, præcipuè verò juvenum, quibus est consultissimum, cavere familiaritatem & conversationem hominum secularium, etiam virorum: quia, quod attinet fæminas, clarum est, multò magìs esse advertendum, ut evitentur, & hæc res est magni momenti: licèt enim fortè non esset aliud incommodum, vel periculum metuendum, quàm, quod plerumq; incurritur, agendo & conversando cum hominibus non spiritualibus, sed fortasse dissolutis, quòd nimirum relaxetur Spiritus & capiatur delectatio ex rebus exigui momenti & fructùs, atq; ita ijs adhærescat affectus erga talia, cum aliquo excessu: est tamen magnum inconveniens, quòd inde soleat resultare summum damnum, dum ita flaccessit vigor animæ, invadúntq; illam passiones carnis & sangvinis, à quibus, dum occupatur anima, non invenit in ea locum DEUS: quia ipsius Majestas zelosissimè amat animas, neq; permittit secum morari, & conjungi quidquam, quod sit illi contrarium, ac indignum ejus præsentiâ & amore. Atq; hoc est, quod de re præsenti possum dicere Vestræ Paternitati, quam obsecro, amore DEI, ut mihi ignoscat, suscipiátq; pro sua charitate, malum modum, quo hoc retuli, quia magna mea debilitas ac defectus mearum virium aliud non patitur. DEUS dignetur rata habere omnia, détq; Vestræ Paternitati suum Sanctissimum Spiritum, ut in omnibus ipsi placeat. Vallisoleti, 27. Octobris, Anno 1599.

§. III.

ALiam epistolam scripsit cuidam Patri gravi ac docto ejusdem Religionis, qui ipsi aperuerat suas intentiones, & ab illa petiverat consilium, quid sibi esset agendum, eò quòd desideraret, agere vitam solitariam. Et verò plurimum refert, ne sub titulo humilitatis, & frequentioris orationis, se ex pusillanimitate dedant solitudini ij, qui sunt præditi talento, ad benefaciendum alys. Dicit porrò ita:

Quod mihi videtur, de negotio Vestræ Paternitatis, postquam illud DEO, quàm diligentissimè, ac perattentè commendavi, & juxta lumen mihi à DEO datum, expendi & consideravi statum ipsius animæ, est, ut eam moneam, non convenire ullâ ratione, ad majorem DEI gloriam, ejusdémq; obsequium, ac bonum, tùm propriæ animæ, tum Religionis, ut Vestra Paternitas agat, de mutatione loci, quod illi nunc in mentem venit. Ratio autem, cur id DEUS & Sanctus Dominicus fieri nolit, est, quòd non obtineatur, victoria fugiendo, sed pugnando, & quòd vilium animorum sit, vitare pugnam necessariam, atq; hostes conjunctos & vicinos animæ, quos certum est, ipsam insecuturos & impugnaturos ubivis, & in omni loco, quódq; idcirco sit convenientius, & gratius Divinæ Majestati, certare in simili casu, & statu animæ, qualis est Vestræ Paternitatis, quàm fugere, etiamsi ex certamine referat aliqua vulnuscula: cùm res connexissima pugnæ sit, accipere aliquem ictum, quoadusq; is, qui exercetur, acquirat dexteritatem; & Divina Majestas, cognoscens nostram debilitatem ac miseriam, sæpe nobis compatitur. Hoc est, consequi virtutem (dicit Dominus) & obtinere ipsius coronam; aliter autem se ge-

rere, in hujusmodi ſtatu animæ, eſt, eſſe puſillanimem, & poſſidere virtutem imperfectam, dummodo ſic fugiendo, ipſam obtineat, quod difficulter fiet, quamvis tali homini id videatur facile. Et plus valet modicum, ſi modicum dici poteſt, acquiſitum legitimè, quàm multum, quod obtinem° medijs, mutuatis à ſpiritu noſtræ puſillanimitatis. Ut proinde non conveniat, ſicut dixi, ad majorem gloriam DEI, neq; ad majus ipſius obſequium, quod in hoc eventu videtur, fieri conſideratè & prudenter, ſicut Veſtra Paternitas exiſtimat: cùm tamen non ſit illuſtrata peculiari lumine DEI, ſicut par eſt, ut illuminetur, pro ſimili negotio mandando executioni: præterquam, quòd DEUS nullo modo moverit ipſius voluntatem ad hunc finem. Quod decet fieri, cedítq; in majus obſequium DEI, eſt, ut, confidendo in Divina Majeſtate, quæ nunquam deeſt ulli eam quærenti, animo forti & conſtanti, pugnet contra ſe ipſam, & contra ſuas naturales propenſiones, laborando, & anhelando, cum ſudore vultûs ſui, & viribus ſuperioris partis animæ ſuæ, pro obtinenda virtute, & victoria ſui ipſius, cui reſpondet corona floridæ laureæ, quæ datur, non ſocordibus ac puſillanimis, qui fugiunt, & vertunt tergum hoſti, illos deniq; inſecuturo ſed generoſis militibus, qui obijciendo ipſi pectus, & animosè reſiſtendo, illum vincunt, ſibíq; ſubjugant. Hoc ſi factum fuerit, ac mandatum exeqvutioni, multum valebit, ac æſtimabitur in conſpectu DEI, cùm iſta ſit ipſius voluntas, cedátq; ad magnum fructum, & commodum ſpeciale Religionis, quam ipſius filij ſemper debent quàm proniſſimâ voluntate, & ſpiritu juvare, donis acceptis in hunc finem à DEO, & à Sancto Dominico.

CAPUT XXXII.

Quales oporteat eſſe Superiores, & Confeſſarios, ac Patres Spirituales.

§. I.

DEclaremus, quales debeant eſſe Superiores, ac Prælati Religionum, ut perfectè exequantur ſua munera.

Debet Prælatus eſſe Servus DEI, bonus Dux militiæ Chriſti, bonus Pater, bonus Judex, & bonus Paſtor.

Debet eſſe bonus Dux Exercitûs Chriſti JESU Domini noſtri, ſapiens, prudens, & generoſus; ipſum enim oportet eſſe primum, & præcipuum, ac præcedere cæteros, in omnibus operibus virtuoſis ac religioſis, quantumvis arduis & difficilibus. Debet quoq; docere magìs exemplo & Oratione, quàm ſtrepitu verborum, ita ut ſit viva regula reliquis omnibus. Debet præterea eſſe miniſter ac ſervus ſuorum militum, & ſubditorum, memor Chriſti JESU Domini Noſtri & Magiſtri, qui venit miniſtrare & non miniſtrari, ſicut ipſemet dixit; debétq; libenter exponere ſuum honorem, & ſuam vitam, ac ſanctitatem, ſi eſſet opus pro Ordine, ac bene peragendo ſuo officio, & pro honore ſui Domini ac DEI. Debet quoq; idem Prælatus eſſe bonus Pater, manſvetus, affabilis, conſolari afflictos, & proſpicere neceſſitatibus ac miſerijs naturalibus & ſpiritualibus filiorum Chriſti JESU, qui illis ipſi confidit, commiſitq; illius manibus & protectioni. Debet inſuper eſſe prudens & ſagax in ſuo regimine, qui ſciat ſtringere ac

re ac laxare, quando, & sicut magis expedit pro bono ordine rerum, & ad gloriam DEI, ac bonum & augmentum suæ Religionis, ac domûs, accommodando se, & compatiendo naturis, genio ac virtuti suorum subditorum.

Debet esse bonus Judex, exeqvutor justitiæ, si id exigat necessitas, & gloria DEI; fidelis, rectus, discernens verum à falso, & liber à passionibus, semperq; habens præ oculis DEUM. Debet etiam illam integrè exercere, non mutando, neq; invertendo naturam, quam ipsi DEUS regendam dedit, sed perficiendo ipsam & accommodando legibus Religionis ac justitiæ, ut in omnibus DEUS honoretur & glorificetur, ac sacra Religio prosperè per ipsum procedat & augeatur. Debet quoq; iste Prælatus, esse bonus Pastor gregis JESU Christi, curam habens suarum ovium, & erga easdem hospitalis, quærens, si id sit necessarium, ovem perditam, & referens in suis humeris ad gregem, ligans ac solvens, quàm optimè potuerit, cum charitate, oratione, & commiseratione, illius fracturas, vulnera, & miserias, imponendo ipsius ori salem orationis, ut illum sumat, qui curat ac sanat miserias humanas, ac vegetat & confortat, pro omnibus bonis spiritualibus, éstq; præsidium & castrum Divinum, quo se recipiunt pauperes, ac vulnerati milites, ut quiescant & curentur.

Hæ sunt leges inviolabiles, quas DEUS vult servari, à Prælatis, ac Superioribus, &, si quis est, in quo non reperiatur, neq; ipsi data sit ista dexteritas, seu Spiritus DEI, vehementer illum rogo, nomine DEI, cujus credo esse id, quod dico, ut si non vult errare, & perdere, tum se, tum alios, fugiat ad montes & solitudinem, non materiales, sed spirituales, quæsiturus DEUM, ac operam daturus suo profectui, & curæ suiipsius, donec illum ipsemet DEUS educat ad hoc opus, suâ potenti manu, operâ & virtute Sanctæ Obedientiæ: tunc enim bene proceder, & rectâ viâ progredietur. DEUS nos illuminet suâ Divinâ bonitate, dirigátq; in omnibus operibus nostris.

His quæ dicta sunt de Superioribus, volo adjungere, quod scripsit, dicens, se ex Divina communicatione intellexisse, fieri à DEO magnam gratiam ijs, qui gubernant, dando ipsis, qui illos adjuvent, aliquos speciales suos amicos in term, & confidentiam erga eosdem: quamvis enim regimen generatim non debeat inniti revelationibus, quas illi ipsis refemnt, sed præceptis DEI, ipsiúsq; doctrinæ, & proprijs Constitutionibus ac Regulis approbatis: nihilominus eveniunt quædam specialis momenti ac difficultatis, pro quibus prudenter peragendis, esset error, non uti consilio horum amicorum DEI, & illa cum ipsis non conferre. Hoc monitum videtur simile illi monito Ecclesiastici: Cor boni consilij statue tecum. *Nam anima Viri Sancti interdum revelat meliùs veritates, quàm septem excubitores, qui sedent in specula, ad illas explorandas.*

§. II.

QUod Servo DEI Confessario, & Patri spirituali incumbit faciendum, ut prosit animabus, quæ sunt curæ ipsius commissæ, & quas regendas suscepit, amore DEI, primum est, purificare seipsum, & esse sanctum, ac verè amicum DEI, quia reverâ nemo potest dare alteri, quod ipse non habet, éstq; certum, quòd quale est lac à matre datum filio, talis sit futura ipsius educatio, vigor & robur.

Secundum est, ut assumat hoc tantum negotium, juvandarum animarum, consideratè ac seriò, útq; sciat æstimare, & magni facere valorem ac dignitatem animarum, liberatarum, & emptarum Divino ac infinito pretio sangvinis JESU Christi Domini Nostri, qui dixit, delicias suas cum filijs hominum. Et cùm istæ animæ sint templum, ac habitaculum Spiritûs Sancti, ubi ipse hospitatur, est hoc Patri Spirituali singulariter considerandum ac ponderandum, debètq; se æstimare felicem, ac beatum, & humiliare se cum gratiarum actione, eò quòd DEUS ipsum dignetur ex sua bonitate eligere pro

suo

ſuo œconomo, qui illi debeat apparare & exornare domum, in qua ipſe ſit habitaturus & hoſpitio excipiendus; nec non pro hortulano, qui debeat colere ipſius hortum, ut proferat copioſum fructum, & ſvaves ac odoriferos flores virtutum & devotionis, quò omnia poſſint proponi in conſpectu & in menſa magni Regis, ut ea ſuſcipiat in ſacrificium & holocauſtum.

Debet tertiò, ſeriò, ac toto corde deſiderare, ſalutem & profectum talium animarum, & offerre pro illis DEO Orationes ac Sacrificia, rogaréq; Divinam Majeſtatem, ut ipſum faciat idoneum Miniſtrum & Coadjutorem ſuum. Amet quoq; illas ità in Domino, ut ſit paratus, ſi opus eſſet, exponere vitam, pro earum ſalute, & gloria DEI, ad id faciendum libenter propter Dominum, qui dedit ſuam Divinam, pro ſalute omnium. Quòdſi viderit exiguam diſpoſitionem, ad proficiendum, ex parte pœnitentis, non propterea deſpondeat animum, aut fiat puſillanimis, vel affligatur, ſed ſperet in DEO, cujus eſt illud opus, corde dilatato, fore, ut ipſe, per ſuam bonitatem & miſericordiam, illam promoveat ac provehat in lucem, quomodo, & quando ejus Majeſtati viſum fuerit ac placuerit, ſecundùm magnitudinem ipſius occultorum & altiſſimorum judiciorum: cogitétq; & credat, ſe tantùm eſſe miſerabile inſtrumentum Divinæ Manûs, cujus eſt iſtud opus, ſicut diximus.

Quartò, debet conari, magnâ curâ & ſolicitudine, ſi vult erigere magnum & pulchrum ædificium, ut faciat foſſas, jaciátq; profunda & ſolida fundamenta, volo dicere, adnitendum ipſi eſſe, ut auferat ab anima terram, ac vilitatem honorû terrenorum, vanorum ac temporalium, atq; etiam quorumdam aliorum, qui videntur ſpirituales, & non ſunt: útq; anima ſe ex propoſito collocet in ſterquilinio ſuæ vilitatis, & ſui nihili, teſtâ radendo ſua ulcera & ſaniem inſtar Jobi. Et credat Confeſſarius, non reperiri (meo judicio, atq; ſecundùm id, quod, DEO dante, ſum experta) aliam majorem diſpoſitionem, quàm hanc profundam humilitatem, ut Divina Majeſtas operetur ſtupendas & admirandas res ſuas, in anima.

Debet quintò, reddere animam propenſam, quantùm eſt poſſibile, erga amorem DEI, & erga ipſius Crucem, ac ad patiendum pro Domino, qui in ipſa nos redemit, condiendo illi iſtam eſcam Crucis mille modis, ut illi ſit addicta, & ſapiat omnimodè, inſtar mannæ filiorum Iſrael, quia reverâ bona ac theſauri, qui in ea reperiuntur, ſunt manna abſconditum illi, qui eam deguſtat, continet enim ſaporem omnium rerum Divinarum, & ipſiusmet DEI, quo nihil ampliùs dici poteſt.

Sextò, conetur omnibus ſuis viribus proſcribere & enecare in anima pœnitentis, qui eſt cupidus ſui profectûs, omne judicium proprium, omnémq; propriam voluntatem. Hæc etenim eſt peſſimus animæ vermis; tinea, quæ omnia bona ipſius corrumpit, ea corrodit, ac deſtruit. Debet autem Confeſſarius & Pater Spiritualis illam hac in re adjuvare & exercere, cum ſancta prudentia, proponendo ipſi mala ac damna, quæ iſta vitia adferunt animæ: debet etiam propterea expendere & explorare genium, virtutem, ac naturam pœnitentis, & gratias ac dona, quæ DEUS ipſi communicavit, & ſecundùm hoc, tendere vel remittere nervum arcus mortificationis, & probationum, quibus valde eſt neceſſarium, & conveniens, illam exerceri, pro ipſius profectu, útq; omnes virtutes unitæ edant ſvavem & concordem muſicam, quæ bene ac ſvaviter reſonet, in auribus DEI. Debet quoq; Confeſſarius, Servus DEI, ut hoc opus bene peragat, obſervare in eo modum ſvavem & gravem, qui ſit acerbus, unáq; dulcis, ne anima inſipiens, in virtute debilis & infans, exaſperetur, vel concidat animo, propter nimiam acerbitatem, id quod ipſi multùm poſſet obeſſe; nec propter nimiam dulcedinem magis infanteſcat ac debilitetur: útq; corroboretur & acquirat vires requiſitas ad obediendum, quæ res eſt clavis hujus totius ædificij, & id, id quod illam debet plurimùm adhortari.

Præte-

Præterea, illidebet magis operibus (quæ ille intelligat, cognoscat & percipiat, si nimirum toleret ipsius fragilitates ac tædia, & alia) quàm verbis, præbere indicia magni desiderij, quo optat ipsius salutem, & majorem profectum, quia alioquin fortasse parum efficeret; & nullo modo expedit, animam in hoc statu macerare, & nimiâ fame Sacræ Communionis vexare, si anima sit pura, quia languescet, nimiámq; concipiet internam tristitiam.

Debet septimò Confessarius, seriò persvadere pœnitenti, cupienti proficere, studium continuæ Orationis, adducendo ipsum & collocando, quantùm potuerit, ad portas Divinæ Misericordiæ, ut petat eleemosynam, instar pauperis Lazari, debétq; illum ducere in hoc exercitio viâ ordinariâ, quam nos docent Sancti (non verò aliâ) orationis ac meditationis, gratiarum actionis, & cæterorum huc pertinentium, continuæ quoq; memoriæ DEI, & ipsius præsentiæ. Quodsi, dum anima hoc modo procedit in isto sancto exercitio, bono ac utili, DEUS, qui est universorum Dominus, intervenerit, duxeritq; ipsam ad aliam viam, non ita ordinariam, non debet illam Confessarius, ab ea abstrahere: Sed debet diligenter attendere ad id, quod DEUS operatur, & custodire suum illum agrum, ne veniant latrones & fures, qui sunt diabolus, cum suis imaginibus ac repræsentationibus, & phantasia, humores, ac natura cum suis apprehensionibus, & illusionibus: id quod poterit agnoscere prudens & peritus Pater Spiritualis, ex effectibus, quos ista producunt in anima. Atq; si sub initia hujus novæ viæ, viderit Confessarius, quòd plerúmq; tentent intrare in animam ista mala reptilia, reducat ipsam ad priorem viam ordinariam semel ac sæpiùs: ita enim expedit, & quia diabolus, ùt est tam superbus ac hostis humilitatis, videns suos ictus resilere ad se, dum se anima humiliat, recedet pudefactus. Neq; timeatur, DEUM propterea offensum iri, cùm enim sit, qui est, redibit Divina ipsius Majestas semel iterúmque ità, ut nemo sit qui ipsi id possit impedire, aut facere, quò minùs exequatur, quod intendit operando in anima, quod vult, éstq; conforme Sanctæ ipsius voluntati. Et probando hac ratione Confessarius animam, acquiret illius notitiam, perspectúmq; habebit, quoad hoc, ejus statum. Non aperiat autem Pater Spiritualis isti pœnitenti, quod sentit & cognoscit, de statu ipsius animæ, in re præsenti, quia non expedit, nisi quando est necessarium ad ipsius profectum, auxilium, & solatium, si eo indiguerit.

Hoc intelligitur de principijs, quamvis ista principia durent multis, vel paucis annis, prout DEUS disposuerit, donec nempe anima sit exercitata, & profecerit in virtutibus ac spiritu; si enim id adsit, parum hæc res potest nocere vel nihil, cum gratia DEI: habeátq; pro optimo signo, sanctum timorem DEI in anima, & quòd, hac viâ incedens, sit circumspecta & quasi timida, humilis, subdita, subjecta, & obsequens judicio sui Patris Spiritualis, cui vult obedire nomine DEI, qui ipsum illi dedit pro adjutore & Magistro: contrarium autem, ùt est vana lætitia & complacentia, atq; gaudium, licèt sit modicum, eò quòd habeat res singulares, & extraordinarias, atq; vana quædam confidentia, quamvis occulta, quæ se semper prodit per aliqua indicia & signa sui mali coloris, atq; interna inquietudo, ut in nulla re spirituali videatur conquiescere, quam sentit, audit, intelligit, & cognoscit internè, atq; cum continua inquietudine audiat aliquid hîc, ac videat ibi, & parum sciat referre de eo, quod fieri internè experitur, prorsus est pessimum signum, & cura hujus morbi est, humiliare istam animam, ac abducere ipsam ab hac via, & efficere, ut observet modum ordinarium orandi, sicut dixi. Atq;, ut procedat bene in gubernandis, & curandis hujusmodi animabus, debet Pater Spiritualis habere animum ac affectum, quoad ista, prudentem & sincerum, ut cogitet, credátq; Dominum DEUM, qui est, qualis semper fuit, in bonitate, sapientia, incomprehensibilitate suorum Divinorum judiciorum,

 & in

& in omnibus reliquis ſuis attributis, facere, ac poſſe facere in animabus opera admiranda & ſtupenda, propter ſuam bonitatem, & bonam diſpoſitionem, quam ad id habent, cum ipſius gratia, atq; hoc modo operatum ſemper fuiſſe, implendo Eccleſiam Sanctis, qui admirabilibus ac diverſis fuerunt virtutibus ornati. Debet quoq; eſſe præditus, quadam prudenti aſtutiâ & ſagacitate, ut exploret quàm diligentiſſimè, quà ingrediatur & egrediatur diabolus, ipſiuſq; ambages, qui frequenter, permittente id DEO, ſe transfigurat in Angelum lucis, ſicut vidimus, ut decipiat animas. Propter hæc omnia debet Confeſſarius habere pondus, & ſtateram fideliſſimam in ſuo corde, ne natura ipſius ad alterutram partem inclinet, ſed ut conſiſtat in medio, habeátq; præ oculis ſcripturam Sacram, & doctrinam Sanctorum. Dominus nos omnes doceat, détq; nobis ſuum Sanctiſſimum lumen & gratiam. Amen.

§. III.

DIcit Dominus, non eſſe optimum, pro Magiſtris vitæ Spiritualis, qui regunt animas, quas DEUS ducit vijs extraordinarijs, non habere affectum aut propenſionem erga ea, quæ in hac materia debent docere, & ipſis communicare, quando illa exiſtimant eſſe ſecura, & conformia regulis, quæ in eam rem habentur: ſi enim careant illo affectu, vel habeant à talibus averſionem, neceſſe eſt, ut dent filijs Spiritualibus lac inſipidum, quo generantur Spiritus exiguæ diſpoſitionis, ut DEUS ipſis præſtet tales gratias, ſive ordinarias, ſive extraordinarias, quarum una valeat, ut ajunt, centum: volo dicere, ut per unam talem elevet DEUS animam ex ſtatu imperfecto, ad perfectiorem, vel alium magis ſublimem ac cœleſtem perfectarum virtutum, & amoris DEI: neq; debet Magiſter eſſe tepidus, vel remiſſus in eo, ut velit ſcire, & inquirere ſpiritualia; ſed inſtar boni mercatoris ac ſoliciti, non ſolùm vendere illis, qui veniunt ad ipſius officinam, ut quærant merces, ſed etiam ijs, qui tranſeunt per viam, & incitare illos, ut emant aliquid ex ipſius officina. Neq; debet dicere: Qui venerint ad meam officinam, illos ſuſcipiam; ſecùs verò facientem nihil curo: ſiquidem frequenter reperiet in aliquibus tranſeuntibus præclaram occaſionem, quà tam illi, quàm ipſe valde evadat dives coram DEO, cui rem fecerit admodum gratam, inſtruendo illam animam, ſi erat innocens, atq; aperiendo ipſi fraudes, ſi erat illuſa, & non incedebat per viam lucis ac veritatum Spiritûs Sancti, & ſacræ Scripturæ. Non oportet iſtos dicere: Ego non debeo interrogare perſonas Spirituales, ſed ſolùm audire, & reſpondere ad ea, quæ mihi dixerint: quia ſæpe evenient, ut interrogando eruant venas aureas admirandi Spiritûs Divini, quo utriq; ditentur; aliàs verò deprehendent ſtagna, & lacunas, ac ſterquilinia ſordida & abominabilia, quæ, candidâ nive apparentis Spiritûs cooperta, latebant ſub illo ſecreto: quæ ſi expurgentur per veram doctrinam, non inficiunt animam, neq; corrumpunt erroribus, quos fortè conceperunt per illuſionem, & opera diaboli, noſtri adverſarij, ac hoſtis capitalis.

CAPUT

CAPUT XXXIII.

Quomodo debeant amare Crucem Sponsæ Christi Domini, ipsum imitando, & clausuram, quæ illis est observanda.

§. I.

DEbent dicatæ DEO Virgines id habere fixum in intimo animæ suæ fundo, omni conatu & cum omni cordis sui stabilitate, quòd sint Sponsæ JESU Christi, Domini Nostri, quæ desponsatio cum ipsis peracta est, per verba de præsenti, quódq; idcirco se debeant, ut tales considerare, & servare huic cœlesti Sponso fidelitatem, tali Domino ac Sponso debitam. Utq; hoc faciant, debent præsupponere, eundem magnum Dominum ac Regem, Sponsum suum, esse maximæ Dignitatis, Majestatis, Potentiæ, & Magnitudinis; adeò ut illum non capiant Cœli Cœlorum, sítq; is, qui omnia replet, & complectitur: ad cujus pedes omnes creaturæ se demittunt, & genua flectunt, offerentésq; ibi suas coronas confitentur, se, omnia, quæ habent, ac possident, accepisse ab isto Domino, & per illum. Debent etiam præsupponere, ipsum esse præditum amore infinito, & infinitâ bonitate, vel propterea, quòd dignatus sit oculos in ipsis defigere, à sua æternitate, & accipere illas ac assumere pro suis sponsis: atq; sicut dignatus est, & vult ex sua propria voluntate, ipsas elevare ad tantam dignitatem, ita etiam illum velle, ut hanc magnam gratiam, ac donum ipsius cognoscant hæ sponsæ, & se exhibeant gratas, útq; secundùm hanc adeò debitam justitiam intelligant, se à Majestate hujus Cœlestis Domini, Sponsi sui, ardentissimè amari, neq; ipsum permittere aut velle, ut in in illis reperiantur alij amores, vel sit alius ipsarum amator. Præsupposito hoc fundamento, & istâ veritate, videamus nunc magis speciatim, quomodo se gesserit iste Dominus ac Sponsus erga istas suas Sponsas, qualiter illas amaverit ac amet, quomodo easdem vocaverit & eruerit ex manibus, & regione latronum ac Philisthæorum, adduxeritq; ad suam domum ac palatium regium: & quàm propterea sit conveniens, ut ipsum ament, eiq; serviant, & respondeant isti gratiæ ac misericordiæ, apténtq; se ad ipsius genium & voluntatem.

Quod attinet ad primum, quomodo amaverit iste cœlestis Sponsus has suas Sponsas, dicat id nobis Divina ipsius Majestas ac Bonitas infinita; ille enim hoc bene novit. Nam sicut nemo potest scire, neq; intelligere ardentem & incensum amorem, quo magna ejus Majestas amavit suas pauperes creaturas, jam inde à sua æternitate, cùm jam tunc decreverit tanta ipsis bona præstare, ac inprimis illis animabus, quas Regia ejus Majestas elegit ad hanc dignitatem suarum Sponsarum: ita non est, qui id possit explicare, vel exprimere verbis. Ut autem possemus intelligere & indagare quadantenus istum Divinum & magnum ipsius amorem, quo nos amat, exhibuit nobis ac discooperuit suum Divinum pectus nudum, transfixum pro nobis, & nostra salute, duro ferro crassæ lanceæ. Ostendítq; nobis ibi ob eundem finem suas sacras manus vulneratas ac transfixas crassis clavis, quibus fuerunt affixæ & acclavatæ Cruci. Ostendit nobis etiam suum Sacratissimum corpus sanciatum, ac dilaniatam suam pretiosam carnem, crudeli tormento flagellorum; suum sacrum caput, confixum crudelibus ac duris spinis, quæ penetraverunt ipsius

Divinum cerebrum. Vidimus ibidem ipsi° infamem & ignominiosam mortem, magnam illius derelictionem, ac desolationem ejusdem Domini, qui est protector, individuus comes, & gloria omnium creaturarum. Hoc est, quod ibi vidimus, nobísq; ostendit, & ista fuerunt indicia hujus magni amoris, hi testes fide digni, qui testimonium perhibuerunt isti causæ, & dixerunt, quod sciebant, permittentes reliqvum secreto Divini Tribunalis, ubi est mare Divini ipsius & infiniti amoris, quod non agnoscitur totum ex his indicijs, quia quia amplior est & major amor, quo nos amavit, quàm id, quod pro nobis est passus: atq; ita, ob hanc rationem, possumus dicere, majorem fuisse causam, quàm illius effectus.

Hoc est modicum illud, quod possumus dicere, de isto Divino amore, quo cœlestis hic Sponsus amavit istas Sponsas suas. Sed non contentus his omnibus, amavit illas, & zelavit pro ijs, sempérq; ipsas tulit in oculis (& istud est secundum, quod dicebam) ac in omnibus earum vijs & semitis custodivit & protexit ab earum hoste, peculiari curâ & auxilio, atq; in ipsarum necessitatibus & fragilitatibus illas confortavit, ac tulit instar boni Pastoris, ad sua pascua, & umbrosa prata, ibíq; easdem pavit, ac recreavit & curavit, instar boni medici. Ibidem illas custodivit, ac defendit, à dentibus lupi voracis, & à manibus latronum ac prædonum, quod est tertium beneficium. Deniq; non dimisit ipsas ex sua potenti manu, neq; ijs defuit suo Divino auxilio, donec illas adduceret, ad suam Regiam domum ac palatium, ubi easdem deposuit, & continet, atq; observat oculis Divini & specialis amoris. Ita se gessit hic Divinus & cœlestis Sponsus, erga istas suas Sponsas, quas in tales elegit, ex sola sua infinita bonitate.

Videamus modò, cùm ita se res habeat, & propter has gratias susceptas, quid deceat facere istas Sponsas, & quomodo debeant respondere his donis & gratijs obtentis: quia, si istam gratitudinem oporteret esse conformem, his indeptis gratiis, sine dubio essent exiguæ, breves, & insufficientes, ad hanc æqualitatem faciendam, vitæ omnium hominum & Angelorum, impensæ in magnum & continuum servitium, ac amorem datoris universorum bonorum & gratiarum. Verùm deniq; nihilominus, cùm iste summus Domin° ac Sponsus sit, & quidem ex sua propria natura, tam generosus, & plenus infinitâ bonitate ac misericordiâ, & singulari magnificentiâ ac liberalitate, quia venit ex Indijs cœlestibus, tam potens ac abundans omnibus thesauris ac bonis, quæ ipsius Pater æternus habet ac possidet, quibus omnibus fruitur, quódq; habet ac possidet ex natura, propter hanc causam & rationem (idq; bene, tanquam Rex ac Dominus magnus, qui nemine indiget, quia intra portas suæ domûs, suíq; Divini cordis habet, quæ illic est, venam suæ gloriæ & scaturiginem ac fontem perennem omnium suorum Divinorum & cœlestium bonorum, ac thesaurorum, ut idcirco propter solam suam infinitam bonitatem & munificentiam elegerit, pro Sponsis suis, pauperes ancillas suæ domûs ac indigas, & carentes omnibus bonis ac divitijs) libenter ac bono animo suscipit ab illis, pauperem teruntiolum totius ipsarum amoris, totus enim esse debet, sicut diximus, neq; vult quidquam ex ipso deesse, útq; secundùm illum totum faciant omnia sua opera, & in ijs omnibus ipsum respiciant ac ament, insistentes ejus vestigijs, induentes illius insignia ac vestem, sicut decet bonas ac dilectas Sponsas, optantésq; cum gaudio & forti amore Sacram Crucem, quam iste ipsarum cœlestis Sponsus, propter illas, tantopere amavit ac desideravit.

Adeò ut omnem felicitatem, ac beatitudinem & gloriam Sponsarum JESU Christi Domini Nostri, oporteat considere, in sacra ipsius Cruce. Hæc debet esse ipsarum gaudium & lætitia, ac protectio, & sub hac umbra debent confidere, atq; sub isto sacro vexillo, cujus Dux est Christus Dominus, debent militare, & hoc regnum debent quærere, ista bona acthesauros debent ambire, & accumulare

pe

ex toto vitæ ipsius decursu, qui semper est viridis, ac fragrans, & producit, profértq; fructum Divinum vitæ æternæ: debent autem decerpere semper avidè istum ipsius Divinum fructum, & colligere pretiosum manna, quod est svavissimum, & propterea semper surgere manè cum filijs Israël, neq; permittere elabi aut perdere ullo modo tempus aut occasionem lucrandi, malè enim facerent, essentq; dignæ gravi reprehensione, si, cùm cœlestis Sponsus plantaverit hanc vineam, & istam Sacram arborē, suis tantis impensis, colueritq; ipsam, & irrigaverit tam pretiosâ & copiosâ aquâ vitæ, quàm est pretiosus illius sangvis, idq; pro munere & gloria suarum Sponsarum, dum deberent colligere cum sudore ac doloribus fructum hujus vineæ, atq; bonorum & ingentium thesaurorum sui dilecti Sponsi ac Domini, essent tam socordes ac pigræ, sicut ille stolidus piger, qui, eò quòd manum non extenderet, ac admoveret ori, fame moriebatur, vel sicut illi indiscreti invitati, qui vocati ad convivium regium, se excusaverunt vanis & insufficientibus excusationibus. Hæc est obligatio Sponsarum JESU Christi Domini Nostri, atq; idcirco reprehendentur illo die, quo reddenda ipsis erit ratio. Unde oportet, ut hoc bene considerent, ac attendant, semper vigilando, bene instructis suis lampadibus, ut ita ipsas inveniat dispositas & præparatas, cùm venerit Sponsus. Utinam magnus DEUS, propter suam infinitam bonitatem, nos omnes disponat ad excipiendum ipsum die nostræ rationis, détq; nobis suum lumen, ut illum cognoscamus ac amemus. Amen.

§. II.

Afferamus alia monita breviora, & magni momenti, quæ dedit cuidam Religiosæ. quæ, ait, me interrogavit, quid illi faciendum esset, ut exequeretur quædam vehementissima desideria, sibi à DEO indita, ut esset optima Religiosa, & plurimùm proficeret in virtutibus, Sanctitate ac perfecto amore DEI. Instruxit me DEUS suo lumine, dixítq;: Dic isti Religiosæ, quòd, si velit erigere in sua anima maximum & pulcherrimum ædificium, ubi Dominus hospitetur & maneat, sintq; deliciæ ipsius cum anima, collocet se in profundissimo loco sui nihili, & agnitâ suâ miseriâ, effodiat fossam, eruátq; inde omnem terram affectuum minùs purorum, minúsq; mundorum, ac passionum animæ, jaciátq; profunda, inde & solida fundamenta humilitatis, ac totalis, quoad hoc, resignationis suorum bonorum desideriorum, in voluntatem & beneplacitum sui DEI ac Domini, ut sit contenta, ad solam gloriam Divinæ Majestatis, esse una ex minimis famulabus & ancillis, in domo ipsius, serviréq; illi in eo, quod ipsi magis placuerit, laborando, quantumcunq; poterit, eíq; erit possibile, in adimplendis ejus sanctis præceptis & consilijs, juxta perfectionem Regularum & Instituti suæ Religionis.

§. III.

Aliàs ei DEUS repræsentavit clausuram, quam debent observare Virgines, pro sua securitate. Vidi, *inquit*, quoddam Templum clausum, pulcherrimum & elegantissimum, cujus portæ & frontispicium erat plenum cancellis quibusdam crystallinis, puris ac pellucidis; intra istud templum mysticum erant quidam gradus pulcherrimi, & splendidè apparati, in quorum summitate (erant autem quasi decem vel undecim) super planitiem quandam magnam & amplam, erat erectum theatrum, & suggestus cujusdam Sedis admirabilis, & pulchrè adornatæ. Dum admirabunda considerarem hoc mysticum templum, vidi intra illud, ad latus eorum graduum, ascendentes paulatim, & pulcherrimo ordine, quasdam Virgines gravissimas & modestissimas, formosissimas, atq; eleganter comptas, habentes in suis capitibus coronas aureas, & ramos palmæ in manibus; videbantur esse puellulæ, seu juvenculæ, fuerintq; circiter viginti, vel paulò plures, quæ ingressæ in il-

lud Sanctum templum, inceperunt quasi exornare denuò illos mysticos gradus; quod officium exequebantur cum magno silentio & modestia. Deinde vidi, per eandem portam, per quam ingressæ fuerant istæ Virgines, intrantem sacrum Agnum DEI, in hac ipsa specie Agni cum cruce & vexillo, quod stringebat, & suo humero habebat acclinatum, qui transivit per medium illarum Sanctarum Virginum, exhibens se ipsis valde affabilem & benignum. Hanc speciem Agni circumdabat instar cujusdam lucis ac splendoris, ipsemet DEUS, sicut cognovi & intellexi. Transivit iste Divinus Agnus illos gradus, & ascendit ad illum suggestum, qui erat in earum summitate, collocavitq; se in ea Sella mystica. Tum Sanctissimæ illæ Virgines se omnes prostraverunt in ijs gradibus, auferentes ex suis capitibus coronas, substernentésq; pedibus Divini Agni, & post modicum silentium inceperunt cantu demisso ac suavi, laudare & benedicere suum DEUM, quem habebant præsentem, præ se ferentes magnam lætitiam, & gratitudinem, propter gratiam sibi præstitam, per pretiosum Sangvinem Agni, quando illis contulit pretiosum donum puritatis ac virginitatis, quod DEUS tantopere æstimat.

Dum viderem hoc mysterium, fui abrepta, nesciens, quid significaret, præter id, quod audiveram ac videram. Sed Dominus mihi illud declaravit, dicens mihi: Hoc templum clausum & habens cancellos transparentes, quos vidisti, significat custodiam & clausuram, quam debent observare meæ Virgines, quibus ego sum dignatus conferre istud donum, & puritatem virginalem, quas oportet esse instar horti conclusi, quem nemo alius ingrediatur, quàm DEUS: nec videri debent ab alijs creaturis, nisi per cancellos, & vela. Has vehementer amat DEUS, & ipsæ amant illum, cognoscunt ac laudant, sequitúrq; eas & comitatur Agnus DEI purissimus, mundissimus & innocentissimus, qui dedit pro illis suum sangvinem ac vitam. Hæc est significatio eorum quæ vidisti. Vale.

Credibile est, DEUM id ostendisse suæ famulæ, ut sustineret alacriùs exteriorem clausuram, in qua illam detinebat tot annis, affixam lecto, in cubiculo angusto, obscuro, clausis portis & fenestris, quia lumen & aura illi vehementer officiebant, ubi nec ullum videbat, nec poterat videri à venientibus, ad ipsam invisendam, & alloquendam, qui erant multi.

A. M. D. G.

LIBER

LIBER VI.
MIRABILIS VITÆ VENERABILIS VIRGINIS
MARINÆ DE ESCOBAR.

De ejus heroica perfectione, cujus ſpecimina præbuit in perferendis adverſis, & exercendis omnis generis virtutibus, déq; raris gratijs, illi à DEO præſtitis, non ſinè inſignibus promiſſis, concernentibus ipſius obitum.

INitio hujus Hiſtoriæ diximus viam extmordinariam, quâ DEUS duxit Venerabilem Marinam, fuiſſe ex admirandis combinatam gratijs & favoribus, atq; horrendis tormentis & cruciatibus, unáq; præclariſſimis virtutibus, id quod patuit in decurſu præcedentium Librorum. In hoc ultimo exponemus ipſius perfectionem, quâ excelluit, in modo patiendi, & exercendis omnis generis virtutibus, prætereáq; extmordinarias gratias, quibus fuit cumulata à DEO.

CAPUT I.

De tremendis cruciatibus, quos ſuſtinuit, circa extremos vitæ ſuæ annos, ac de pura intentione, quam in illis habuit.

DUo præcipuè complectitur perfectio ſtatûs, in quo continuè exercetur virtuoſa patientia; neq; enim conſiſtit tam in eo, ut tormenta ſint multa, varia, terribilia, ac diuturna, quàm, ut modus patiendi ſit excellentiſſimus, cum pura intentione placendi ſoli DEO, ita ut, qui patitur, non affectet, nec opter,

optet, quantum est in ipso, propria commoda, vel solatia sensibilia, transfundendo totam suam voluntatem in Divinam, quoad omnia, & in omne tempus, quo voluerit, ad mortem usq; cum magna constantia, in illis sufferendis: quanquam etiam multitudo, & gravitas cruciatuum, multùm demonstret perfectionem intentionis, resignationis, & sanctitatis. In utroq; excelluit Venerabilis Marina de Escobar, quod ipsa refert, recensendo simul gratias, quas illi DEUS præstabat.

§. I.

IN primis refert, quod contigit An. 1615. hunc in modum: Sunt graves & prorsus extraordinarij dolores, afflictiones, vexationes, & molestiæ, quas patior in corpore, unáq; crudeles angustiæ interiores animæ, quod DEUS permittit modo adeò subtili, admirabili, & spirituali, ut licèt verum sit, me cruciari à diabolo, nesciam tamen explicare causas hujus martyrij, tam corporis, quàm animæ: tantùm hactenus me resignabam in Divinam voluntatem, dicebámq; meo DEO: Martyrium patior, mi Domine, & Bonum meum, in obscuritate ac tenebris; ità, ut quasi non videam instrumentum, quod me lancinat, & hoc vehementer affligit, ac dolet, sicuti, si quis vulneretur per proditionem, & in tenebris. Sufficit mihi tamen, quòd tu hoc videas, ac velis, ut ego id amem, & suscipiam cum gratiarum actione: siquidem nos ex tua admirabili manu, quidquid nobis obveniat, oportet taliter suscipere. Fiat in me voluntas tua.

Interea, dum summis tenerer desiderijs, ut, quidquid paterer, dirigeretur ad majorem gloriam DEI, & obsequium ac beneplacitum ipsius, dixi illi quadam vice: Domine mi, ego vehementer cupio, & ex toto corde meo, omnibúsq; viribus meis vellem, ut, quidquid mihi offers afflictionum, dolorum & Crucis, totum tibi summè placeret, cederétq; in tuum obsequium, & gloriam. Hoc est, quod assequi exopto, vellémq; si ita juberes, ut id figeretur & imprimeretur in mea anima adeò; ut nunquam immutaretur ista mea voluntas ac desiderium, útq;, si serva caro vellet, aut peteret aliud, quàm hoc, non exaudiretur, nec admitteretur, & pactum istud semper suam vim retineret; ac suum vigorem, ita ut nunquam revocaretur. Audivit DEUS mea dicta & affectum, quo proferebantur, dixítq;: Placet mihi, quod dicis, Anima; bene est. Ego hinc cepi solatium, & mansi aliquamdiu abrepta: atq; tum converti oculos ad unam partem cubiculi, vidíq; Christum Dominum sedentem in Throno Regio, stipatum multis Angelis, & qui erant viciniores ejus Majestati, tenebant lumina in manibus; Dominus autem breviter scribebat quædam quasi punctuatim, seu arcanis notis, & licèt ego ea non viderem, ex ipsius tamen inspiratione, intellexi, qualia essent, quamvis non penitus, sicut statim dicam. Scivi solùm illas arcanas notas seu puncta mystica, concernere id, quod ego Divinæ Majestati dixeram, de meo desiderio. Verùm erat tanta mea admiratio, ac timor, quòd hoc viderem fieri à Domino, ut vix potuerim, vel voluerim illum aspicere, præ mero pudore & verecundia.

§. II.

POst hoc, exactà integrâ sequenti nocte, cum ijsdem affectibus, vidi manè, oculis animæ, Christum Dominum, sedentem in eodem Throno & loco, atq; cum eodem comitatu, quo priori vice, & postquam illum vidissem, cum tanta pompa ac Majestate, fui occupata à quodam gravi metu, ac timore, quòd ipsum viderem mihi præsentem. Et quia nesciebam, an, propter meos multos defectus, bene agerem, si annuerem spectando, atq; expendendo mysterio, quod in me Dominus volebat operari, etiamsi mihi non dixisset quale esset, sed me illuminavisset, aliquod esse, ideo recurri ad DEUM per orationem, ut ab ipso peterem in hoc negotio illuminari, inferendo mihi vim, ne adverterem animum ad mysterium, quod Dominus

Dominus volebat peragere, sed nihil mihi id profuit, quò minùs illud viderem, quia hæc erat voluntas Divinæ Majestatis. Vidi itaq; scribentem, cum summa gravitate, & vel imaginabili majestate, non jam punctuatim & arcanis notis, sed literis claris ac legibilibus. Interea etiam vidi commeantes in pavimento quosdam parvos & malitiosos dæmones, qui petulciebant & gesticulabantur, à quibus molestabar, quia perstringebant meos oculos quibusdam quasi fulgetris, quæ turbabant meum visum, & dixi in animo meo: DEUS bone, quomodo isti audent comparere, & hoc facere coram Majestate hujus Domini? atq; Dominus id permittit? Responsum autem mihi fuit, diabolum habere licentiam, pro exercendis illis suis illusionibus ac nequitijs. Sed cùm Dominus reduceret manum, quasi scriptâ unâ lineâ, inchoaturus aliam, tantus fuit terror, quo sunt perculsi diaboli, ut in momento omnes diffugerint. Dominus complevit suam mysticam scriptionem, & intuitus quosdam Angelos, ibi præsentes, nullo verbo ipsis dicto, sed modo quodam gravi, quasi dato illis signo, respiciens me, præcepit illis, ut mihi exponerent, quod ab ipsius Majestate fuerat scriptum. Verùm, tanta erat mea consternatio, timor, verecundia, & confusio, ut tremerem, nec ipsum auderem aspicere, neq; ad illum convertere oculos; persuadebam autem quasi mihi, illud scriptum, esse aliquam sententiam contra me latam, ùt, quæ etiam eam merebar, meis peccatis; & hoc sentiebam ex intimo animo, quod me notabiliter affligebat ac angebat. Ita præterijt nonnihil temporis. Et Dominus tacebat, erátq; quodammodo mihi absconditus: illi verò Sancti Angeli progrediebantur in eo, quod mihi dicebant, cum magna suavitate, non inferentes mihi ullam vim, neq; me affligentes, quoadusq; tandem vicerunt meam debilitatem ac timorem, & proponentes mihi eam scripturam, docuerunt me illam legere. Habebat duas priores lineas, majusculis scriptas literis; reliquas autem, quæ fuerint tres vel quatuor, minore charactere: Et erant scriptæ in membrana, cujus superficies referebat speciem albæ Attalicæ, ac erat aliquantò major mediâ philyrâ chartæ: sub ultima linea, in illius medio, erat scriptum, *IESUS*; & ad finem ejusdem lineæ: *CHRISTUS*. Quod verò continebat scriptura, erat istud:

Ego Dominº Majestatis ajo, me, cùm ista mea creatura desideraverit, ac desideret ex toto suo corde, ac anima, mihi placere, & satisfacere in omnibus, quæ fecerit ac passa fuerit, illi polliceri, pro præmio vitam æternam, & me ipsum.

Legi ac vidi istud scriptum, quod mihi subitò abstulerunt, atq; complicuerunt. Et quia eram nonnihil turbata, non vidi, cui fuerit ab Angelis traditum. Deinde redierunt Angeli ad locum, in quo antea fuerant, & Dominus Majestatis inde abivit, illis stipatus, nec ipsum tunc ampliùs conspexi. Fui autem multùm recreata, unáq; solicita, possémne, propter meam fragilitatem, servare in mea anima promissum, quo se mihi Dominus obstrinxerat.

Circa hanc pollicitationem, cujus verba non fuisset ausa dicere, neq; scribere, si ego ipsam ad id non adegissem, advertendum est, quòd habeat aliquid specialius, quàm dum universim DEUS promittit omnibus justis, se pro eorum bonis operibus, daturum ipsis vitam æternam; tum propter modum & solennitatem, cum qua fuit pencta; tum ob specialia auxilia, & pignus obtinendæ hujus vitæ beatæ. Facta enim est pro remunerunda generosa intentione, placendi soli DEO, propter ipsummet, cujus intentionis integra merces non potest esse alia, quam si det se ipsum, quemadmodum hic dicitur.

§. III.

Alia insignior revelatio, de eo, quod patiebatur, quam postea habuit Anno 1623. hoc modo.

IN primis; sumere cibum vel potum; (ad quod me propter meam magnam imbecil-

imbecillitatem compellebant Medici) erat mihi martyrium, quasi gladij flammei, ustulantis ac vulnerantis totum meum corpus & cor, unáq; patiebar ingentes angustias & afflictionem, ac destituebar omni solatio, & remedio, omnésque res naturales idem in me operabantur, ùt etiam applicatio qualiscunq; vel minimi remedij. Corpus meum & omnes illius sensus, ac pars inferior animæ, omnésq; ipsius potentiæ, sustinebant continuum martyrium, & erant quasi in ardenti igne, simili, meo judicio, igni Purgatorij: dolores, quos patiebatur universum meum corpus, præter ea, quæ dicta sunt, erant intimi, vivacissimi, & intensissimi, qui totum penetrabant, ac lancinabant, abq; ullo levamine. Videbar mihi semper versari in craticula Sancti Laurentij, & in rota, referta novaculis, Sanctæ Catharinæ. Inter hæc martyria tam diuturna, patiebar & illud gravissimum, quòd metuerem, ne non essem bene resignata in Divinam voluntatem in his occasionibus, & tantis martyrijs, quorum author & causa principalis erat dæmon, à quo torquebar, permittente id DEO, ad majus bonum meæ animæ; quamvis diu noctúq; elicerem multos actus resignationis, cum summo & vehementi desiderio, placendi DEO, in patientia, plurísq; facerem meum martyrium, quàm omnes thesauros, & solatia, à DEO condita.

Aliàs, præ acerbitate doloris lamentabar, & subitò me invadebant timores, an non aliquantùm excessissem in his lamentationibus. Suggessit DEUS meæ memoriæ, verba illa Prophetæ Davidis: *Circumdederunt me dolores mortis, pericula inferni invenerunt me, tribulationem & dolorem inveni, &c.* Et puto, me cum metu iteravisse ista verba, quasi conquerendo. Intuitus est me Dominus, magnopere mihi compatiens, vicésq; meas dolens, & dixit mihi: Anima mea, quid habes? Conqueraris licèt, ne timeas, bene facis; propterea enim tibi revocavi in memoriam hæc verba, mei Prophetæ, quæ non solùm intelliguntur de me, sed etiam de justis, qui propter me patiuntur. Fui valde animata hoc Divino dicto, & propter vim dolorum, repetebam interdum illa verba, atq; aspiciebam Dominum; & semel elevavi oculos, ac intuita sum ipsum tenerè, dixiq; illi eadem verba. Et videbatur Dominus tangi mei commiseratione, advertens me pati, dixitq;: Anima mea, quid tibi est? quid vis? Hic me habes, hîc sum tecum. Ego respondi: Domine mi, nihil volo aliud, quàm te, & te solum, utq; fiat in me tua sancta voluntas. Et quamvis DEUS mihi præstaret istos favores, ita nihilominus patiebar, acsi nihil tale experirer. Sed cùm essem valde afflicta, dixit Sanctis Angelis: Liberate istam animam à cruce; quasi mei misereretur. Et Angeli mihi abstulerunt crucem, caruiq; illâ per unum diem, non sine magno levamine: elapso autem eo die, denuò sum passa, sicut priùs.

Tunc mihi dixit meus Sanctus Angelus, quòd à dæmone, qui me, ultra viginti annos, fuerat perseqvutus, modò, quàm solicitissimè, DEO permittente, dilanier, quibusdam acutis uncis ferreis, tam properanter, quàm textor celeriter jactat liciatorium, texendo telam. Vidi etiam juxta me, quasdam flammas ignis, excitati à dæmone, quas mihi ingesserat, unde provenerunt calores, quos patior.

Paulò post (in Julio, 1623.) in alijs cruciatibus mihi videbantur dilacerari viscera, & putabam me comburi: gemebam, ob vehementiam dolorum, quibus non eram ferendis, & non sciebam tum, qui me discruciaret. Dominus autem mihi ostendit multos diabolos, in specie rabidorum canum, qui latrabant & me invadebant, ut me morderent; quamvis, dum me tangerent, destituerentur viribus: mordebant nihilominus, quantum sufficiebat, ad me torquendam. Postridie, ipsos rursum vidi, aliquantùm remotos, quibus erant permixti multi Angeli, qui illos tenebant, & quasi ligabant.

Post hoc, vidi Dominum, indutum eo modo, quo ejus Majestas vestiebatur dum degeret in mundo, cúmq; mihi ostende-

ret pallium, nonnihil elevatum, vidi in illo maximas divitias ac thesauros. Et dixit mihi: Anima, aspice, quid mihi dederis, aspice, quomodo me ditaveris. Ego respondi: DEUS mi, & Domine mi, quid ego miserabilis tibi possim dare, cùm sim pauperrima? Dominus verò dixit: Omninò, dedisti mihi aliquid de veste, quâ ego eram indutus in mundo; atq; illud ipsum, quod ego tibi do, & communico. Ego veni in mundum, induíq; me, vestri causâ, molestijs ac doloribus, quorum te reddidi participem; tu verò laborando, mei causâ, & patiendo, me ditavisti. Dum paterer hoc tormentum, venit ad me Sanctus Angelus Raphaël, & adhibito rubro quodam liqvore, signavit me crucibus, perungens meos oculos, frontem, humeros, pedes ac manus, quâ unctione fui refocillata, & conquievi modicùm, post illum cruciatum.

Alio die, postquam vidissem Christum JESUM, Dominum Nostrum, Crucifixum; mei Domini Angeli me duxerunt ad pedem Crucis, ubi me reperi, quasi affixam Cruci, quam amplectebar, & Dominus elevavit meam animam per semetipsum, in specie suavis, ac bene olentis fumi, ita ut transiret per eundem Dominum, donec perveniret ad cœlestem patriam, & conspectum Beatissimæ Trinitatis, ubi remanet pars superior meæ animæ, remanente hîc Domino, atq; ibi me DEUS docuit, ipsam, per Christum Crucifixum, ascendisse ad cœlestem gloriam.

§. IV.

EOdem tempore (8. Aprilis Anno 1623.) voluit & ipsa conficere scriptum, correspondens illi scripto Christi Domini, de quo dictum est, quod hunc in modum refert: Dedit mihi DEUS his diebus, vehementissima & insolita desideria, conformandi me in omnibus, quæ facerem ac desiderarem, cum Divina voluntate, adeò ut mihi videar confici, id tam ardenter optando, fiámq; impos mei, præ vehementia affectuum; dum expono mea desideria Divinæ Majestati, petendo ab illa ac postulando, ut mihi præstet istam gratiam. Inter hæc, quasi mihimet erepta, ex impulsu hujusmodi desiderij, dixi meis Dominis Angelis: Mei Domini, quis ex ipsis scit bene scribere? Respondit celeriter Sanctus Angelus *Parvus*: Ego, Soror, bene scribo; quid tibi vis à me scribi? Sanctus autem Angelus meus Custos dixit quàm gravissimè: Ego, Soror, scribam, dic mihi, quid velis. Cui respondi: Scribat Dominus meus in hunc sensum: Istam esse meam determinatam voluntatem, ut, quod peto à meo Domino, quidquid desideravero, postulavero, & intellexero, id velim cedere ad majorem gloriam Domini DEI nostri, esseq; omnia conformia ipsius Sanctissimæ voluntati. Sanctus Angelus hoc scripsit, dixítq;: Vides hîc, Anima, scripturam? nunc illam subscribe. Ego eram ità abrepta à DEO, ut voluerim subscribere, & non potuerim. Sanctus Angelus verò Custos arripuit meos digitos, & juvit me, subscripsíq; optimè: *Indigna ancilla IESU, Marina.* Postea recondidi scriptum intra me. Sed Sanctus Angelus dixit: Expecta, Soror, quia aliquid deest. Quid, Sancte Angele? reposui. Respondit: Subscriptio Domini, ut ipsius Majestas subscribat, quomodo tibi hoc indulgeat, & concedat. Profectò, bene dicit Dominus Angelus, ajebam ego. Feratur igitur, ut illud subscribat. Sanctus Angelus tulit quàm humillimè scriptum ad Divinam Majestatem, & porrexit flexis genibus Domino, qui ita subscripsit: *Christus IESUS.* Ac tum Sanctus Angelus, mihi illud restituit, quod ego intromisi in meam animam, & cor. Vehementer obstupui, quòd Dominus subscripsisset, & confirmavisset meum scriptum.

Post hoc valde timui, considerando tot gratias, mihi à DEO præstitas, adeóq; extraordinarias, ac videndo, quàm parùm cum illis proficiam. Dominus autem me est solatus, dixítq;, nè me affligerem: quòd, sicut dum aliquis adipiscitur thesaurum, illúmq; clavi custodit, propter me-

tum latronum, ita sanctus timor, qui apud me perpetuò durat, quémq; mihi dat Divina Majestas, sit clavis, quâ occluduntur & servantur gratiæ, mihi ab eadem Majestate præstitæ.

CAPUT II.

Quomodo illi DEUS declaraverit, hunc patientiæ statum, esse perfectiorem præcedente, satisfecerítq; ipsius, ea de re, dubijs.

NOn obstantibus dictis, affligebatur ista famula DEI, in hoc suo statu, in quo continuè sustinebat tot morbos, tribus quatuórve rebus, ex quibus illi oriebantur quædam dubia, seu profectæ ex amore querelæ, de DEO; propterea quòd ij cruciatus illam fuerint soliti impedire, ne frequentiùs cum Divina ipsius Majestate, ut consvevemt, familiariter ageret, néve conversaretur cum proximis, qui adventabant, ad ipsam alloquendam. Et idcireo timebat, ne id totum fieret, propter sua peccata, unáq; metuebat, ne laberetur denuò in alia, ob defectum resignationis ac patientiæ. Sed ad omnia respondit, & plenè illi satisfecit Dominus.

§. I.

QUodam die, *inquit*, dum essem graviter afflicta, incepi enarrare DEO meas miserias, fragilitates, ac necessitates, quas inter, plurimùm de eo querebar, quòd viderem, me plerúmq; non posse subitò excludere ex animo omnia, quæ non sunt DEUS, & uni ac soli ipsius Majestati adhærere. Licèt enim pars superior semper ab ipso dependeat, cum eóq; sit conjuncta, contemplando illum, obsecrando, & amando, non potest tamen omnes in id suas potentias & actiones integrè impendere, sicut priùs, neq; eum sola versari Divina Majestate. Et quia, tot jam annis, DEI, cum mea paupere anima, communicatio, ex mera ejus bonitate, erat tam continua, támq; familiaris, non poteram cogitare, aliam esse præcipuam hujus rei causam, quàm meos defectus, miserias, & peccata. Interea mihi dixit Divina Majestas: Amica, parum assequeris, ac parum potes intelligere de meis sublimibus, & incomprehensibilibus judicijs; simúlq; gravissimo sui Divini vultûs, & oculorum intuitu & motu, indicabat ac significabat id, quod exprimebat verbis, & innuebat meæ animæ. Sed quia ego apprehenderam, quod dixerat, respondi Domino: Verè, mi Domine, firmissimè credo, quod à Tua Majestate dicitur; Sed quis dubitat, quin defectus creaturæ separent animam à suo DEO, ac Domino? Non bene dicis (reposuit Divina Majestas) etsi enim universim, ita se res habeat, aliter tamen speciatim accidit in ijs, qui me verè amant: horum enim defectus consumuntur, ac pereunt in igne charitatis & amoris, quo feruntur in DEUM, sicut levis palea posita ante infinitum ignem, remanéntq; ex illis, cineres humilitatis, & propriæ cognitionis, quibus conservatur ignis, & prunæ ardentes Divini amoris. Quod si verò existimas, téq; nunc esse credis, remotiorem à me, quàm in alio statu, propter allegatas rationes; expecta. Et hoc dicto, me rapuit in admirabilem ecstasim, in qua vidi illum Dominum, (qui me taliter alloquebatur, séq; mihi communicabat, & erat Christus JESUS Dominus noster) cum magna majestate, & magnificentia, incinctum circulo, cujus altitudo excedebat latitudinem, erátq; accommodatus ac

ac adaptatus ipsius personæ. Hic circulus fuit pulcherrimus & lucidissimus, habuitq; suos emicantes splendores & radios, quibus erat plenus, directos versus personam Christi Domini. Intrà eundem circulum, & apud pedes Divinæ Majestatis manebat mea anima, quam permeabant, & penetrabant isti radij, pertingentes suis cuspidibus ad Dominum. Tum mihi dixit: Ità es mihi vicina, & sic me tibi habes vicinum. Fui propterea vehementer humiliata, obstupefacta ac attonita, & correpta sum desiderio, sciendi, ipsúmque interrogandi, quàm fuerit vicina Divinæ Majectati mea paupercula anima, in statu antecedente, in quo nihil erat aliud, quàm uniones, visiones intellectuales, & ardentes affectus, ut vix posset cuiquam alteri rei esse intenta, quæ non esset DEUS, & ampliùs DEUS; passiones quóq; animæ videbantur, esse quasi extinctæ ac mortificatæ. Responsum quo Dominus huic interrogationi satisfecit, non fuit aliud, quàm translatio meæ animæ ad quédam amplum & spatiosum campum, ubi non vidi Divinam Majestatem; sed ille campus plenus erat DEO, & in medio ejusdem campi manebat mea anima. Dictúmq; mihi est subitò: Ita eras conjuncta DEO, in eo statu, de quo quæris: Non est tamen iste status melior & aptior, ut in eo perveniatur ad majora, in quo solus DEUS in creatura operatur, propter meram suam bonitatem, & clementiam, & quia id tali animæ tunc expedit: Sed ille, in quo creatura est quasi derelicta, ac deserta à DEO, tantúmq; navigat adverso flumine, & invocat DEUM, ac ad eum aspirat, diu noctúq; ipsum quærens, sine quiete, sine gaudio, aut solatio, ut anima quodammodo pendeat inter Cœlum ac terram, & nec fruatur DEO, quia illum non invenit, neq; adesse advertit, quamvis ipsum habeat ac possideat; nec etiam fruatur creaturis, quia illas jam propter DEUM dereliquit, ipsáeq; eam ultrà non satiant, neq; sinum illius replent; ubi nihil aliud est reperire, quàm afflictionem & crucem, ut natura, cum suis doloribus & passionibus, videatur consurrexisse contra spiritum, ejúsq; imperium detrectare. Iste est admirabilis status (dixit Dominus) & plurimùm disponit, ad assequenda magna dona, accedente meâ gratiâ & auxilio. Quæ enim in eo reperiuntur, non sunt ampliùs indomitæ passiones animæ, sed meæ permissiones, pro majori ipsius bono, siquidem jam priùs transivit illum primum statum subjugationis passionum, ac propriæ voluntatis, seq; exercuit in virtutibus, ubi, meâ utendo gratiâ, & favore, se disposuit, ut in ipsa operarer illa mirabilia & specialia, ùt sunt meæ visitationes, & uniones, ac oblivio omnium creaturarum, unà cum cæteris omnibus bonis, quæ conseqvuntur hunc animæ statum, eiq; sunt adnexa. Atq; talis est is, in quo nunc versaris, propter quem tantopere mihi es questa, dicendo mihi, te esse perditam, & à me remotissimam. Statim autem, his dictis, Dominus disparuit, neq; illum ampliùs tunc anima vidit, sed mansit plena solatio, & vehementer est mirata, quòd audiret ac intelligeret ea, quæ ipsi Dominus, eo modo, dixerat.

§. II.

Quod attinet ad alterum difficultatem, sic illi satisfecit. Quadam vice, *ait*, dum paterer gravissimos dolores, incepi mihi ipsi dicere, bene fieri, quòd illos paterer, in pœnam nimirum meorum peccatorum. Superveniente autem acutissimo dolore, incitante me ejus vehementiâ, dixi inadvertenter: Paulatim Domine! Et Divina Majestas me interpellavit, dixitq; mihi: Noli id dicere, Amica: nam si ego essem capax doloris, sentirem maximum, ex tui afflictione. Vivo ego! quòd non meminerim tuorum peccatorum. Fabrico autem tibi pretiosam coronam, ut Pater meus recreetur, quotiescunq; te viderit: quod mihi magnum attulit solatium.

Aliâ occasione, dum me dæmon undequaq; summè torqueret, omniq; essem destituta solatio, converti me ad DEUM,

ſtatim ac reperi ad itum, dicendo ipſi: Mi Domine & dilecte meæ animæ, dic mihi, per tuam bonitatem: quæ fuit cauſa hujus tanti mali, quod patior, propterea quòd te à me abſentes, & dæmon me ità excruciet? Dic, dilecte mi, quid feci, in quo tibi diſplicui? Hæc & alia dicebam cum lachrymis & gemitibus, non quòd mihi eſſet grave pati, amore ipſius; non enim erat; ſed dulciſſimum & ſvaviſſimum: verùm dolor ille proveniebat ex ardenti amore, quo erga ipſum ferebatur mea anima, & ex deſiderio ei placendi, útq; in me glorificaretur. Ad hæc omnia reſpondit Divina Majeſtas id unicum, quod mihi ſatisfecit: Dic agè, quid feci ego, quando ità fui habitus, ſicut ſcis, ut ſuſtinerem tanta tormenta, & Crucem amore tui?

Aliàs, cùm dicerem Domino: DEUS mi, propter quale peccatum meum, me ita affligis? reſpondit mihi Æternus Pater dicens: Dic tu, Anima, propter qualia peccata afflixerim meum Filium, permiſerímq;, ut tantopere exeruciaretur? Reſpondi: Meus Dominus non habuit peccata, paſſus eſt propter mea, & totius mundi. Tu verò, dixit Dominus, non pateris modò propter tua peccata, ſed ut manifeſtetur in te meâ gloria, ac propter majus bonum animæ tuæ, & cæterarum animarum. Dixi illi ſecundò: Ah! mi Domine, videris à me abhorrere. Dominus autem reſpondit: Aſpice, Anima, aſpice me. Et exhibuit mihi ſuum Divinum pectus atq; cor, intra quod me vidi, dicens mihi: Nunc non poteris dicere, quòd à te abhorream, cùm ſis in meo corde.

§. III.

TAndem expoſui Domino, ultimam meam querelam, de hoc præſenti ſtatu, dicendo ipſi: Mi Domine, ex una parte mihi dicit Tua Majeſtas, quòd, ſi alloquerer tales perſonas, converterentur, vel emendarentur; ex alia verò, me ità affligit, ut illas non poſſim alloqui, quid eſt hoc? Reſpondit mihi Dominus: Modò magis præ oculis habeo tuum majus bonum & profectum, quàm proximorum. Tunc miſerta eorum, qui me volebant alloqui, illi dixi: Cùm Tua Majeſtas non ſit acceptatrix perſonarum, poſſet omnibus benefacere, quaſi dicerem: Benefaciat his, quibuscum mihi eſſet loquendum, quamvis cum ipſis non loquar. Verùm Dominus, qui in omnibus operibus ſuis eſt juſtus & rectus, attendens etiam ad diſpoſitionem, non omnium, ſed quorundam, qui me voluiſſent alloqui, reſpondit: Ipſi id apud me non promeruerunt, vel ſe reddiderunt gratiâ meâ indignos: atq; ego nunc tecum ſic volo agere. *Unde apparet, quanti æſtimet DEUS ſtatum patientiæ: ſiquidem in illo conſtituit ſuos ſervos, quamvis propterea ipſis ſit abſtinendum ab eo, quod poſſent præſtare proximis, cum eorundem commodo: quod quidem intelligere oportet, illum velle, quando ipſe, pro ſua infinita ſapientia, id ſic diſponit; non autem dum per noſtrum indiſcretionem, nos reddimus inaptos, pro ejusmodi operibus.*

Aliud ſimile dubium ipſi Dominus eximit, idem aliter concludendo. Dum, *inquit*, quodam die ponderarem diverſas vias, quibus me DEUS ducit, animadverti, quòd, ante viginti quatuor annos, mihi quædam revelaverit futura; ùt peſtem, quæ graſſata eſt Valliſoleti, ſex menſibus antequam ingruiſſet, unáq; tempus, quo erat deſitura; nec non mortem quarundam inſignium perſonarum, ejusdémq; cauſam, & ſimilia, quæ prædicebam juſſu DEI, nunc autem mihi nihil diceret futurum, ſed ſolummodò id, quod hîc & nunc oporteret fieri; incidit mihi cogitatio, cur mecum jam aliter ageret DEUS, vel, erraverímne in prædicendis ijs rebus. Dum hoc animo revolverem, vidi Divinam Majeſtatem, quodammodo indignabundam, quæ mihi, quaſi me redarguendo, dixit: Nunquid fortè vis inveſtigare occulta judicia hujus mei facti? Noveris, nunc illa tempora, ut, quæ tibi dico & revelo, aut multa ex illis malè fuerint accepta, atq; etiamnum accipiantur, ideóq; facio, ut ea contineas, ne quidquam dicas. Intelligere verò, te modò eſſe in ſublimiore ſtatu animæ,

mæ, quàm unquàm fueris, qui, in oculis DEI & hominum Sanctorum ac spirituali um id intelligentium, est; *amore mei pati.* Iste est excellentior status, quàm dum suscipiuntur misericordiæ, & gratiæ, vel prophetiæ, aut revelationes meæ. Cùm igitur existas in isto statu, & ego te detineam in hoc lecto patientem, lauda me ideò, & benedic. *Nihilominus solatus est illam Dominus aliâ vice, dicendo ipsi, quòd per hunc patientiæ statum eam etiam perficiat, ut benefaciat alijs: cùm enim ipsa illi diceret:* Domine, propter mea peccata me detines in lecto jam duodecim annis, sicut ligari solet, & claudi canis venaticus, qui si ejulet, intrat curator canum, & illum flagellat. Mittamus jam ista; dixit Dominus, cum magna gravitate. Ità oportet claudere canes venaticos, ut bene venentur, qui, dum educuntur ad venationem, sunt fideles suis Dominis, ferúntque ipsis prædam ad manum. Talem te exhibuisti tu, erga me, quæ mihi adduxisti multas Virgines ad Religionem. Sed adverte, dari etiam quasdam aves, quas earum Domini gestant in manibus, & admovent suo pectori ac fovent, & alunt carne cordis, ac deinde dimittunt ad capiendam prædam, quam adferunt suis Dominis, ità tu mecum agis: quia ego te gesto in meis manibus & foveo, ac alo meâ carne & corde, tu verò postea bene facis alijs, quos adducis ad meum servitium.

Aliàs (in Decembri Anno 1623.) dixi meo Domino: Videor mihi, mi Domine, jam hîc hærere instar trunci, eò quòd nihil agam boni, & quod cuiquam prosit. Dominus autem mihi respondit: Quomodo hoc dicis? Nónne te perpetuò resignas in meam voluntatem, ac desideras bene omnia facere, quæ concernunt meum honorem, sempérq; me invocas & rogas, ut te liberem à doloribus, si est è gloria mea? Cùm id facias, quomodo dicis, te esse similem trunco?

Aliâ vice dixi Domino: Mi DEUS, jam non possum cum ullo loqui, nec scio, quid dicam. Videor mihi quasi extra me esse, neq; possum respondere ad interrogata. Tum Dominus: Ne te id reddat solicitam: ego enim loquar, & respondebo pro te.

CAPUT III.

De excellentibus actibus resignationis, in Divinam voluntatem, quos frequentissimè exercebat in suis gravibus doloribus, & quomodo ei DEUS ostenderit, sibi illos valde placere, ipsámq; plurimùm ijs promereri.

TAntopere DEO placebat resignatio, & conformitas, quâ Venerabilis Marina suam voluntatem transfundebat in Divinam, inter suos graves dolores, ut ipsi id persæpe manifestaverit varijs obstupescendis vijs: quia se continuè exercebat in eliciendis actibus hujus resignationis, eò quòd vehementer metueret, ne contra illam delinqueret. Atq; hic timor, erat summa ipsius Crux, propter ardens desiderium patiendi, juxta beneplacitum DEI, qui die quodam, dum istos dolores pateretur, illi dixit: Per memeipsum tibi polliceor, propter hæc tua desideria adimplendæ meæ voluntatis, quòd te nunquam sim derelicturus, sempérq; sim titi adfuturus in tuis tribulationibus.

§. I.

§. I.

QUadam nocte, *ait ipsa*, dum vehementer affligerer & paterer ingentes dolores, invocans DEUM, habénsque animam defixam in ipsius Divina præsentia, dixi DEO, ex intimo affectu meæ animæ. Ah, mi Domine! ah, mi Domine! Non eâ intentione, vel desiderio, ut mihi responderet, vel me consolaretur; id enim semper longè est à me, neq; unquam debet optari, siquidem plus valet, estq; æstimabiliùs pati, quàm deliciari; & anima, quæ seriò amat Divinam Majestatem, vel desiderat illam amare, non respicit valorem operum, sed solùm gustum, & beneplacitum sui DEI, in quo consistit ipsius bonum & felicitas. Postquam illa verba dixissem, Dominus Majestatis mihi respondit, admirabili ac Divino modo: Quid vis, Filia mea? quid vis Filia mea? Considera, quid velis, & dic mihi. Quia mihi erat inexpectatum tale responsum, commovit me ad vehementes & insolitos affectus: Nam ordinariè, accommodans se Dominus meæ naturæ verecundæ ac timidæ, & meæ vilitati, rarò me vocat Filiam, sed Amicam, vel Marinam; ideóq; audito nomine Filiæ, fui turbata, & expavi. Dum id videret Dominus Majestatis, dixit: Ne timeas: ego enim sum, ego sum tuus Pater, tuus DEUS, ac Dominus: Ne timeas; agnosce me; nónne me novisti? Audiens hoc anima mea, fuit repleta solatio, & ingenti admiratione, amore, ac reverentiâ illius Divinæ Majestatis, & magnificentiæ, atq; cum omnimoda resignatione in ipsius acceptissimâ voluntatem, dixi: Quod volo, Domine misericordiarum, est; ut, quidquid fuero passa, ac tu me volueris pati; ad tuam majorem cedat gloriam & obsequium: útq; in qualibet occasione afflictionis, dolorum, & Crucis, nihil faciam, quod te offendat, ac adversetur tuæ gratiosissimæ voluntati, hoc volo, & hoc desidero, ac à te peto, & flagito, atq; nihil aliud. Quæ verba aliquoties iteravi. Bene est (dixit Dominus) quiesce nunc. Et postquam apud me aliquamdiu mansisset, consolando me, dum abituriret dixit: Vale. Et ego fui veùementer confortata.

§. II.

DUm aliquando ipsa mecum conferrem, quàm sit bonum, pati pro DEO, quámq; ego parum fuerim passa, quantacúnq; mea esset afflictio spiritûs ac desolatio, respectu sensibilium consolationum Divinæ Majestatis, quas percipiebam, quæ desolatio eò usq; jam progressa erat, ut propter illam essem in statu, in quo homo sibi ipsi relinquitur, quemadmodum ait Ludovicus Blosius, dixi Domino: Amem te, Domine, ex toto corde meo, & obruant me afflictiones, ac desolationes, pro tua voluntate. Atq; cùm mihi Divina Majestas panderet quædam secreta, dixi illi: Ego Domine solùm volo, ut in me fiat tua voluntas: & scire vellem, quomodo illam quàm perfectissimè debeam implere. Audivit hoc Dominus, & post modicam moram, gravissimo modestissimóq; tono, mihi respondit: Propter hunc actum, & propter id, quod es passa isto octiduo, plurimùm profecisti in perfectione ac meritis. Utq; id agnoscas, veni mecum. Sequta fui Divinam Majestatem, & ducta sum ad quendam locum ac sedem, seu solium cælestis beatitudinis, longè eminentius & sublimius, quàm mihi fuerit aliàs ostensum à Domino. Obstupui valde ipsius sublimitatem & altitudinem: ex eo verò solio, vidi Majestatem Christi Domini, & Sanctissimam ipsius Matrem, ac Apostolos, sicut illos videram antè ex alio; fuítq; mihi responsum, quòd, sicut multi, qui veniunt ad fontem cum diversis vasis, omnes abeunt contenti, dum habent vasa plena; ita constituti sint Cælites, dum vident Divinam Majestatem, quæ cujuslibet vas replet: nihilominus verum esse, unum parum aquæ hausisse ex fonte, eò quòd vas ipsius fuerit exiguum, alium verò multum, eò quòd habuerit vas amplum. Post hoc jussa fui descendere, quod invita feci: Nescio tamen, cum

cum quali abſtractione id faciat Divina Majeſtas, ut minùs ſentiatur: ſolùm dico, me vidiſſe locum, & ſedem, quam occupabo, ſi illam, propter mea peccata non perdidero. Et timeo, ne ipſam perdam, quaſi mihi non fuiſſet dictum, ut confiderem, illam à me conſequendam, unáq; ſinè metu ſpero, futurum, ut eandem obtineam, qui ſunt affectus in ſpeciem contrarij, duarum virtutum, quæ ſibi non repugnant, neq; poſſunt repugnare.

Poſtridie manè me inviſit glorioſus Sanctus Franciſcus, & ſolatus eſt me, exhibens mihi vulnera ſuarum manuum, qua de re jam ſcriptum eſt, & inter alia verba conſolatoria mihi dixit: Propter actum reſignationis, quem elicuiſti, & propter id, quod es paſſa, elapſo octiduo, promerita es ampliùs, quàm totâ reliquâ vitâ tuâ, utcunq; fuerint magnæ & inſolitæ gratiæ ac merita, quæ toto ipſius decurſu tibi accumulaviſti. Vide, an non ſit bonum, pati?

§. III.

ALio anno, in hebdomada ſancta, agens cum DEO, vidénſq; me valde afflictam, ac metuens, ne eſſem minùs patiens, eliciebam multos actus reſignationis; offerendo me, ad patiendum, quidquid DEUS vellet, & quantocunq; vellet tempore, ipsâ etiam totâ æternitate, ac dicebam, etiamſi ſerva caro reſiſteret, id mihi firmum fixúmq; futurum, & ſubſcribendum à me iſtud animi mei decretum, ſi eſſet opus, ſangvine cordis mei. Petebam autem hoc tam inſtanter à Chriſto Domino, ut Divina ipſius Majeſtas mihi dixerit: Sit ità. Vocavitq; ſubitò unum ex quatuor Angelis hîc præſentibus, dicens illi: Angele mi, veni huc. Acceſſit ſinè mora unus ex duobus *Minoribus*, & Divina Majeſtas ſcripſit in quadam charta, quaſi tres lineas, quam ſtatim convolvit ac dedit Angelo, ut mihi ipſam ferret. Attulit illam, dixítq; mihi: Soror lege hoc: Ego ità verecundabar, ac timebam, ut non fuerim auſa attollere oculos, neq; legere. Acceſſit Sanctus meus Angelus Cuſtos, & gravi-

ter mihi dixit: Eja, Soror, quare non legis, quod tibi exhibetur? Elevavi in momento oculos, & repræſentata mihi fuit in ea ſcriptura Majeſtas Domini DEI: Licèt verò illam non legerim diſtinctè, intelligebam, quid contineret, quòd nimirum approbaret illam meam reſignationem. Angelus rurſum complicuit chartam, quam mihi porrigebat, ego tamen illam nolebam acceptare, ſed dicebam, ut traderetur Angelo meo Cuſtodi, quam ipſe ſuſcepit, & obſervavit, ſicut ſolet alia ſervare.

Aliâ vice, per idem tempus ſeptimanæ Sanctæ (Anno 1616.) vehementer deſiderabam, reſignare me totam in DEI voluntatem, inito cum Divina Majeſtate pacto & contractu, ut tota eſſem ipſius, mea anima, vita, corpus, honor, utq; in omnibus, & per omnia exequerer ſanctam ejus voluntatem, quacunq; tandem viâ me duceret, ſive ea eſſet Crucis, afflictionum ac dolorum, ſive alia. Atq; hoc ſolùm dicebam cum intenſis affectibus, multíſq; verbis, ſignificantibus hanc reſignationem. Dixi quoq;, Domine, opto, ut conficiatur ſcriptum, iſta omnia continens, quod ego ſubſcribam, utq; etiam Tua Majeſtas illud ſubſcribat. Dominus pro ſua magna manſvetudine mihi dixit: Quid dicis? Ità Domine; conficiatur ſcriptum iſta omnia continens, quæ dico. Per me licet, *repoſuit Dominus*, dic tuo Angelo Cuſtodi, ut id ſcribat. Ego quamprimùm dixi meo Angelo: Domine Angele, audítne, quid dicat meus Dominus? Ut mihi conficiat iſtud ſcriptum. Tum Angelus dixit: Sit ità. Et acceptis, ad ſcribendum requiſitis, conſcripſit omnia, quæ ego dicebam, literis aureis & cæruleis, in charta. Scripſerat autem, quòd me ego reſignarem ex toto corde & voluntate, in voluntatem mei DEI, ut Divina Majeſtas de me, in rebus omnibus, diſponeret, juxta ſuum Divinum guſtum, & beneplacitum, uſq; ad mortem; ducendo me per viam Crucis, & patientiæ, ſicut Divina Majeſtas decerneret: atq; in eundem ſenſum, multa alia, & ne, ſi natura aliquomodo reſiſteret, ulla hujus rei ratio haberetur. His ſcri-

ptis, petivi chartam, quam subscripsi tremens, istis verbis: *Marina serva, & ancilla mei Domini JESU Christi.* Ita à me subscriptam, dedi meo Domino, ut illam & ipse subscriberet, quam ipsius Majestas suscepit, & admirabiliter subscripsit, vidiq; subscriptionem esse hanc: *Is, qui est, Dominus fortis, & potens.* Reddidit mihi Dominus chartam, & ego illam tradidi meo Angelo custodiendam.

Per aliquot dies flagrabat anima mea, quibusdam longè ardentioribus, & vehementioribus solitò, affectibus fidei, amoris, & spei erga meũ DEUM ac Dominum, nec non resignationis in omnibus, & per omnia in ipsius Divinam voluntatem, ac diffidentiæ de me ipsa, repetitis frequenter his quatuor: Domine in te credo, & in te confido, te amo, & in te me resigno. Inter hæc aliquando manè, dum ità esset constituta mea anima, dixi Domino: Mi Domine, & DEUS mi, optarem vehementer, ut hæc prompta voluntas mea, & isti affectus ardentes, quos mihi concedis, stabiliter permanerent in mea anima, nè unquam in illa deficerent, conscribere illos propriâ manu, & meo charactere, subscribereq: ipsis meum nomen, ut ità fixum perseveraret in mea anima, quod statuo, nè ab eo unquam possem recedere; atq; idem dicebam istis meis Dominis Angelis. Interea, dum hoc magno ardore dicerem, vidi Majestatem Domini DEI, Sanctissimam Personam Patris, in specie humani corporis. Et dixit mihi Divina Majestas amanter: Noli, Anima, noli te fatigare, in eo faciendo, ut, quod dicis, scribas, neq; enim poteris; & exiens, ex suo Divino pectore, librum, non magnum, eo aperto dixit: Hic, Anima, in isto libro scribes, quod desideras, absq; tua molestia, & utiliùs. Accede huc, Anima, & scribe. Cùm mea anima id audiret dici à Domino, fuit valde turbata, neq; est ausa ullo modo accedere: quia summa erat magnificentia & majestas illius Domini. Dum essem ità turbata, dedissetq; Divina Majestas eum librum mysticum, Sanctis Angelis, ut illum tenerent apertum, expectando dispositionem animæ, Sanctus meus Angelus Custos, me vehementer urgebat, ut accederem; Sed mea anima magnopere renitebatur. Videns hoc meus Angelus, apprehendit meum brachium, voluitq; ducere meam manum, cui imposuerat calamum. Hoc advertens, incepi celeriter, & cum turbatione dicere: Non, Domine Angele, non, Domine, relinquat me, relinquat me modò: scribam enim postea. Reliquit me Angelus, quia ità illi mandaverat Dominus; deinde verò, postquam modicùm quievissem, dixit Domin°, accepto libro ex manib° Angelorum, qui illum tenebant, ad suam manum: Accede, mea Anima, accede, cum mea benedictione, & scribe hic, quod vis ac optas, hic enim manebit scriptum in perpetuum, & conservabitur in meo pectore id, quod tu vis. Tunc mea anima accessit, cum magna voluptate ac solatio; scripsitq; illo calamo, quem ei ipsius Angelus dederat, in libro, quem Dominus tenebat in sua manu, literis arcanis, quidquid ipsi dictabant illius affectus, & ad quod ferebatur à suis desiderijs, ac firma voluntate. Deinde, Dominus clausit librum, impositq; in suum sacrum Sinum, ac dixit: Nunc, Anima, vale. Hoc modo anima mea fuit delibuta magno solatio, mansitq; in raptu, & unione cum suo DEO. Post hunc raptum, & ad me reversa, dum considerarem illud mysterium, quod Dominus fuerat operatus in mea anima, dicebam admirabunda: DEUS bone, qualis fuerit Divinus ille, & admirabilis liber, in quo, ex mandato Domini, mea anima scripsit, quod ego tunc non scivi, neq; intellexi. Interea mihi dixit Dominus: Liber iste Divinus & mysticus, qui tibi fuit à me exhibitus, est meæ Sapientiæ, & refert, ac repræsentat meum Sanctissimum Filium; est ille liber clausus septem sigillis, de quo audiveris dici. Iste est liber mysticus, quem vidisti.

§. IV.

ALiâ vice me vocavit Dominus de nomine, dixitq; mihi ejus Majestas: Marina,

rina, accede, quid malles? Ego respondi celeriter, non permittens Dominum complere, quod cæperat dicere: Quod tu volueris dilecte meæ animæ & Domine mi; nolo quidquam aliud. Dominus respondit: Satis est. Conticui modicùm; & statim me invasit desiderium sciendi, quid Dominus voluisset dicere, interrogavique ipsum. Dicat mihi, Tua Majestas, mi Domine, quid voluerit dicere. Tum Dominus pro sua infinita bonitate: Dicam tibi, cùm me non permiseris, finire sermonem. Quid malles, an, ut ego ipse te exercerem tuis doloribus, ac molestijs; an verò, ut viâ naturali, recuperares sanitatem? Ego respondi: Domine mi, malo mortem subire, à te mihi illatam, quàm aliter vivere, vel esse sana. Dominus autem respondit: Bene dixisti, valde mihi satisfecisti tuo responso. Elicui tum multos actus resignationis, quàm ferventissimos potui, in manus Divinas. Atq; aliquando, dum hos actus elicerem, addidi ex intimo corde: Etiamsi patiendum esset in æternum. Et Dominus interrupit meum sermonem, dixitq;: In æternum, non: sed patieris modico tempore, & non ampliùs.

Alio die (in Januario Anno 1619.) venerunt ad me Domini mei Angeli, dixerúntq; mihi: Soror nostra, ne contristeris propter id, quod tibi volumus dicere. Propter quid, mei Domini? respondi ego; dicant mihi, quidquid volunt. Scias (dixerunt) tibi, quoad vixeris in hoc exilio, non defuturas afflictiones, &, quæ patiaris; anima te: ita enim vult DEUS. Ego illis respondi: Domini, ita & ego volo; ancilla sum Domini; fiat in me sancta ipsius voluntas: & conata sum me resignare, quantùm potui, in voluntatem Divinam, cum magno gustu ac promptitudine. Illi responderunt: Hoc à te expectavimus. Postea vidi quandam veluti laminam auream, & in illa quasi impressum Sacro-Sanctum Nomen JESU Christi Domini nostri, cúmq; ipsam magis considerarem, vidi suprà esse nomen *JESU*, infrà verò *CHRISTUS*, quod Divinum Nomen paulatim ad me videbatur accedere, ac penetrare meam animam & cor, ut visum fuerit, me intimè pervadere.

Interdum pauperculum corpus meum, & pars inferior animæ, est istar jumenti, quod sub immani pondere oneris corruit, & non potest assurgere, neq; suscipere, vel despicere ad terram, atq; ità confractum & conquassatum, ac naturali quadam obstupefactum hebetudine, perseverat in ea molestia, donec herus adveniat, illúdq; elevet, ac aliquantùm ipsius onus sublevet: ità se habet, suo modo, natura, & pars inferior animæ, atq; corpus oppressum à doloribus, & oneratum suâ gravi cruce, manénsq; in quadam magna obscuritate ac derelictione; ut illi Crux, esse videatur ferus leo, ipsam deglubiturus & consumpturus. Inter has tamen afflictiones, diu noctúq; invocat DEUM cum resignatione, dicendo illi: Veni mi DEUS, & migremus, quando, & sicut Tu volueris.

§. V.

OBsignemus hæc supremo resignationis actu, qui summè DEO placet. Postquam, *inquit*, (in Aprili Anno 1623.) sustinissem quatriduo vehementissimum martyrium, ac terribiles dolores, ità ut, nec de die, neq; de nocte possem quiescere, neq; cum ullo agere, videréq; mihi ustulari, & comburi, atq; excoriari, ac pati pœnas Purgatorij; elapso isto quatriduo, aliquantùm respiravi, & incepi, cum, quàm maximo scivi, fervore, elicere actus amoris DEI, & aliarum virtutum, dixíq; Divinæ Majestati: Verè, mi Domine, desidero ex toto corde meo, & anima, non aberrare à tuis veritatibus, & amare te, toto meo corde, atq; etiamsi mihi constaret, quòd me esses damnaturus, & præcipitaturus ad infernum, nihilominus te amarem, servirémq; tibi omnibus meis viribus, ideo tantùm, quia es, qui es, & propter solam bonitatem tuam, quódq; infinitè merearis amari, id quod, Domine, dico ex toto corde meo, & affectu. Audivit Dominus orationes me-

as, adeò plenas affectibus, & substitit modicùm, aliquantò autem pòst, dixit Divina Majestas: Profectò anima, actus iste, quem elicuisti, mihi fuit gratissimus, & magni ipsum feci: tu verò multùm illo promeruisti, auxistiq; tibi meam gratiam, & quidem tantùm, ut unà cum eo, quod hoc quatriduo fuisti passa, id tibi non possit verbis exponi. Ego autem tibi hoc explicabo, per familiarem similitudinem. Si aliquis Pastorculus eveheretur ad dignitatem Regiam, fieretq; Rex; jam scis, quantum discrimen intercederet inter hos duos ipsius status. Multò autem magis tu, spectata in statu animæ ac meritorum, quem priùs habebas, quamvis fuerint maxima differs à te ipsa, considerata, in statu sublimissimo, quem modò habes, post id quod passa es, & post elicitos tuos actus, suntq; merita tua sinè comparatione multò majora. Obstupui magnitudinem bonitatis DEI, qui paulò post mihi dixit: Anima, si essem capax doloris, & compassionis, condolerem & compaterer tibi. Video, te instar Jobi, neq; minùs illo, vulneratam. Dico autem tibi verè, quòd sim te exuturus hac veste, quam tibi dedi, dolorum, & afflictionum, & ubi eâ fueris exuta, ostendam, qualis sis, pro gloria mea. Atq; subitò visus est me Dominus exuere illâ veste, & sic exutam, me sustulit in suas sacratissimas manus, duxitq; me ad cælestem Jerosolymam, ubi mea anima comparuit formosissima, atq; splendidissima. Et ostendit illam Cæli Civibus, ut ipsam viderent, ac admirarentur magnam gratiam, mihi à Divina Majestate præstitam.

Post hoc (Anno 1623.) aliquot inde elapsis diebus, dum vehementer essem afflicta, à continuis doloribus, videbatur mihi mea anima, longè aliter constituta, quàm aliàs consveverit, aliquantùm obscurata, ideóq; dixi meo Domino: Videor mihi, mi DEUS, me ipsam non nôsse, sum valde remota à te, & Tu à me, DEUS mi. Dominus autem mihi dixit: Verè tibi dico, Anima, quòd non recedam à te, quódque inter tuos dolores tibi adsim: Vidésne nunc tuam animam, alio modo spiritualissimo, ac sinè figuris? Et ostendit mihi illam Dominus in Cœlo splendidissimam, totámq; ardentem amore DEI, instar Seraphini, ac plenam maximâ cognitione sui DEI; idq; ad eum modum, ut etiam pars inferior & natura, suo modo, fruerentur illo summo Bono, per brevissimum spatium. Nihilominus, videbar mihi esse quasi mortua, nihilq; utile agere. Et Dominus mihi dixit: Veni huc, Anima. In doloribus tuis, quid facis? Ego respondi: Conor, Domine, me resignare, quantùm possum, in tuam Divinam voluntatem. Tum Dominus: Ecce, Anima, propter singulos actus resignationis, tibi augetur tantopere meritum, ut consternareris, si id intelligeres.

§. VI.

DEniq;, postquam aliâ vice sustinuissem tam diuturnos cruciatus, ut non possem agere cum DEO, sicut eram solita, dixi illi: Domine, nunquid dolores sunt peccata, quòd te in ijs absentes? Respondit: Non sunt peccata, sed virtus, ac fortitudo DEI, & catinus, in quo probatur fides, confidentia, ac resignatio animæ. Atq; non esse tuas imaginationes, ea, quæ in te peraguntur, ex hoc agnosces, quòd illa modò habere non possis, sed quando tibi à me conceduntur.

Aliàs, cùm conquererer Domino, eò quòd quærerem sublevationes in afflictionibus, quia mihi dixerat Confessarius, Sanctum Jobum, sedentem in sterquilinio, testâ rasisse sua ulcera, carentem ijs solatijs, quæ ego habebam; respondit Dominus: Etiamsi te ego non faciam tam sanctam, quàm fuit Job, nónne tamen libenter eris minima scopatrix meæ Domus? addidítq; Dominus, pro meo solatio: Ne cogites, parùm esse id, quod pateris hîc quindecim annis, quia spectatâ tuâ contemplatione, & cæteris circumstantijs, ex plurimùm patientibus hoc tempore.

In isto responso significavit Dominus, quòd nos oporteat esse resignatos, quoad gradum

dum Sanctitatis, quem nobis voluerit concedere, sicuti etiam, quoad tempus migrationis, ad fruendum ipso. Atq; in hunc finem: Quadam vice, *inquit*, cùm essem valde debilitata, amplexatus est Dominus, modo spirituali, gratiosissimè meam animam, & dixit: Brevi te abducam mecum. Ego illi respondi: Quando Domine? Et Divina Majestas dixit: Quando tu vis, filia, dic, quid vis? significans mihi se facturum, quod ego vellem. Verùm ego illi dixi: Ego nolo, aliud quàm ut fiat tua voluntas, mi Domine. Tunc ipse: Hoc mihi placet, & hoc ego expectabam, ut velles; ego enim te præveni, atq; ad id juvi: quasi diceret, huc, ut eliceres istum actum resignationis, direxi ea, quæ facta sunt.

CAPUT IV.

De magna generositate, quâ recusavit tempore vehementis sitis & anxietatum, solatia sensibilia fontium, & musicæ, quæ quæ ipsi offerebant Angeli, quantúmq; hoc placuerit DEO, & quomodo id illi statim rependerit.

Manifestius indicium puræ intentionis, & perfectæ resignationis in patiendo, est omnimoda renunciatio solatiorum, & gratiarum sensibilium, etiamsi offerantur ab Angelis, ipsóq; DEO, dum sumus prompti, amore ipsius bibere purum calicem Passionis, quo anima magis disponitur ad suscipiendas similes gratias, sicut accidit Venerabili Marinæ, & ipsa refert hunc in modum:

§. I.

PRidem proposueram, quantùm est in me, non admittere favorem aut consolationem, seu temporalem, seu spiritualem, in hac vita, sed committere me semper manibus DEI, ut Divina Majestas de me faceret, quod magis cederet in ipsius honorem, semperq; esse subjecta & subdita Divinæ dispositioni. Inivi specialiter cum DEO quendam contractum & pactum, quamvis Divina Majestas illud non acceptaverit, non assentiendo mihi, neq; dissentiendo, petens, ut dignaretur in hac vita abstinere à favoribus, & gratijs, quas mihi solet præstare, & quæ me magnopere consolantur in afflictionibus. Unum est, quòd isti mei Domini Sancti quatuor Angeli consveverint me, in meis doloribus & afflictionibus, recreare svavissimâ musicâ cælesti, adhibitis instrumentis musicis, & concinendo Divinas laudes. Alterum est; quòd, quando vehementer sitio, ijdem mei Domini mihi soleant adferre quandam mysticam aquam, quâ non solùm extingvunt meam sitim corporis, sed & mea anima recreatur. Dum igitur, in festo Sanctæ Magdalenæ, agerem cum DEO more solito, in meo cubiculo, & lecto, audivi strepitum svavem & jucundum, quasi delicati & svavis venti; verti caput ad unam partem cubiculi, sursum versus respiciens, & vidi quasdam lingvas, quasi igneas, valde ardentes: videbantur esse aureæ, fuerintq; circiter duodecim vel tredecim, ità resplendentes, sicut splendet ferrum ignitum, quando extrahitur ex ustrina. Inceperunt subitò isti mei Domini Angeli, eleganter induti veste viridi, & festivè exornati cantare, & personare omnes simul insolitâ melodiâ, ac musicâ perfectissimâ, multis instrumentis musicis, omni-

um vocum, tam ſvaviter, ut abriperent animam, fuiſſémq; ſinè dubio tum extincta, & expiraviſſem, ſi DEUS aliter non diſpoſuiſſet. Canebant Divinas laudes, & ſpecialiter quendam cantum, quem cecinerunt die Purificatæ Beatiſſimæ Virginis, *cujus eſt factamentio in ſecundo libro.*

Vidi tum Perſonam Spiritûs Sancti magna Majeſtate conſpicuam, non clarè ac diſtinctè, ſed quaſi ſub aliquo velo, vel nubecula, atq;, ùt mihi videtur, in figura & ſpeciæ Columbæ. Eſt ineffabilis & incredibilis Potentia ac Majeſtas, cum qua iſte Dominus veniebat, ut, licèt eſſet tectus, & coopertus velo, bene adverteretur, eſſe DEUS ac Dominus univerſalis Cælorum ac terræ. Poſtquam ceſſaverunt cantare Sancti Angeli, quorum muſica duraverit diutiùs, quàm horæ quadrante, Divinº Spiritus, DEUS ac Dominus noſter, cum magna Majeſtate, ſvavitate ac affabilitate, directo ſuo ſermone ad Sanctos Angelos, dixit ipſis: Multùm me recreaviſtis veſtrâ muſicâ, & laudibus, quas mihi concinuiſtis, ſempérq; mihi placebit, ſi iſtam creaturam fueritis ſolati, & exhilaraveritis in ipſius doloribus ac afflictionibus, veſtrâ muſicâ, canendo ipſi id, quod modò cecініſtis, & alia, quæ vobis videbuntur canenda, eodémq; modo, ſi illi ſuccurreritis ſolatio aquæ, quemadmodum conſveviſtis: etiamſi enim illa renuntiaverit, amore mei, iſtis ſolatijs ac fomentis, tamen ideo quòd ipſis renuntiaverit, ego deinceps volo, ut in dictis occaſionibus illi ſubveniatis, eam ſublevetis, & confortetis. Dum hoc audiret, mea anima exarſit amore hujus Domini, tam liberalis erga ſuas creaturas.

§. II.

AD hoc confirmandum, quadam vice (in Auguſto, Anno 1614.) dum vehementer ſitirem; quia recuſabam ſuſcipere aquam, mihi à Sanctis Angelis oblatam, vidi unum ex quatuor prodeuntem in medium qui canebat ſvaviſſimè, quaſi voce diſcantiſticâ, ut me mihi eripuerit: alter ſequebatur, ferens pelvim, inſtar pateræ marmoreæ, cum ſuo ſcypho ſuperpoſito, pleno aquâ bulliente, quam mihi dedit bibendam. Quando mihi fui reddita, puduit me, bibiſſe, & dolebam ob factum Angelorum, ſed ipſi mihi dixerunt: Nè te affligas, quia DEUS id fieri voluit, nobiſq; mandavit. *Unde apparet amabilis providentia DEI, in conſolanda ea, quæ ſe mortificabat, præbendóq, potu illi, quæ ipſum, propter evitandum ſolatium, recuſabat.*

Verùm aliquando nonnihil exceſſit in hac pertinacia, non acceptandi hujus ſolatij, quia poſtquam aliquot diebus fuiſſet valde excruciata à ſiti. Comparuit mihi, *inquit*, ingens crater, quaſi cryſtallinus, elegantiſſimus: ego illum rejiciebam, metuens ne eſſet imaginatio, orta ex mea ſiti. Hoc duravit triduo. Poſtea vidi Sanctum quendam Angelum, tenentem in manibus illum craterem plenum aquâ, qui mihi dixit: Venio nomine DEI, ut tibi præbeam hoc levamen, ſiquidem valde vexaris ſiti. Reſpondi illi: Sancte Angele, jam inivi pactum cum DEO, quòd nolim hîc iſta ſolatia; & ſic ipſum reliqui, ac recurri ad DEUM. Angelus me expectavit, & ego non redij ad illum. Deinde adverti, quòd permiſiſſet cadere craterem ad terram, & aquam effundi humi. Aliquantò pòſt mihi dixit: Quid debeo, nomine tuo, reſpondere DEO, qui me miſit? Dixi illi: Age DEO magnas gratias pro favore, quem mihi volebat exhibere: quòd autem illum non acceptaverim, non feci, quaſi mihi diſplicuerit, ſed quia mihi metuebam. Reverſa ſum ad DEUM, qui mihi dixit: Verum eſt, te mihi placere in eo, quod ità facis, ſive acceptes favores, ſive illos refugias: ſed hac vice vehementer offendiſti Angelum; deprecare illi culpam, & dic ipſi, ut tibi dicat, quid à te velit fieri, ut ſatisfacias, pro tuo defectu. Feci id, & ille mihi dixit: Quod volo, eſt; ut nunquam ampliùs hoc modo agas cum Angelis DEI: quia nec DEUS, neq; Confeſſarius tibi dicunt, ut non acceptes, quod tibi ab illis datur.

§. III.

§. III.

ADmirabilior fuit sequens visio. Dum, *inquit*, aliâ vice graviter excruciarer doloribus, & magna ariditate, exhibuit mihi Dominus fontem pulcherrimum, & maximum, plenum aquâ clarissimâ, & crystallinâ. Fons, in quo colligebatur hæc aqua, erat constructus ex pellucidissima & pretiosissima crystallo, admirabiliter elaboratus, instar parvæ cisternæ, eráteq; supernè valde latus, instar pateræ pulcherrimæ, & elegantissimè fabricatæ. Proposito mihi isto fonte, dixit Dominus: Vexaris siti, Amica mea; accede, & bibe ex hoc fonte, quem tibi offero: refrigerabitq; sitim & ardorem, quem pateris. Dum hoc audirem, fui attonita, dicens intra me: DEUS bone, nollem, ut huic meæ molestiæ ac siti, quam patior, admisceretur aliquid meæ indigentiæ ac passionis! (quasi dicerem: ne sit visio istius fontis aliqua imaginatio, quemadmodum sibi solent imaginari fontem infirmi sitientes) Nihil volo, Domine, aliud, quàm tolerare meam Crucem amore tui, nihil volo. Dominus ad id, quod versabam in corde meo, respondit: Ne metuas, Amica, quia quæ vidisti & audivisti, non sunt effectus tuæ indigentiæ, sicut tu cogitas, sed sunt opera mea & misericordiæ meæ. Accede nunc, & bibe ex fonte, quem tibi offero; requiesce & mitiga tuum ardorem, ac noli metuere. Ego illi respondi: Ut ut se res habeat, mi Domine, nihil nunc volo solatij, & favoris, quem mihi præstas, sed pati amore tui. Tunc Dominus mihi denuò dixit: Accede ad fontem, quem tibi offero, Amica, & fac meam voluntatem. Cùm audivissem hoc verbum: Fac meam voluntatem; excitavit in mea anima affectum extraordinarium Obedientiæ; & sicut, qui evigilat ex somno, cum vehementi apprehensione alicujus rei celeriter peragendæ, expergefacta fui ex illo meo raptu, vertiq; me quàm citissimè, modo quodam spirituali, & cucurri ad amplectendum fontem, ex quo me Dominus jusserat bibere, ac vidi crystallum transmutatam & conversam in purissimum & splendidissimum aurum, elaboratum & exornatum, elegantiâ cælesti ac Divinâ, & habente nescio quid Divinum, ut recrearet, atq; consolaretur animam, illiq; satisfaceret: abstulitq; & mitigavit ardorem ac sitim, quam patiebatur natura, ita ut mihi non esset opus aquam haurire, contentam in fonte, quam etiam non hausi. Et postquam essem reversa ad DEUM, cum affectu admirationis, ob ista ipsius operà, ità ut non possem proferre ullum verbum, dixit mihi Divina Majestas: Amica, fons tibi est conversus in aurum, qui priùs fuerat ex alia viliore materia, ut ex hoc mysterio intelligas, quòd tantò fuerit majus, atq; exaggeratius beneplacitum meum, & obsequium mihi à te præstitum, dum maluisti tolerare Crucem tui doloris & afflictionis, quàm te recreare solatio, quod tibi offerebam; quantò magis differt aurum purissimum ac pretiosissimum, ab alia materia viliore, & communiore, illámq; excellit.

Hoc audito fuit mea anima repleta solatio, & egi illi magnas gratias, pro ipsius operibus & misericordijs.

In confirmationem hujus rei scripsit hæc verba:

Vivo in Cruce, sed non desidero, neq; peto illâ carere. Atq;, si Dominus mihi offert (ùt facit pro sua bonitate) solatia & levamina, dico illi ex corde: Non, non, Domine, differamus id modò, ad aliud tempus, si tibi placet. Quamvis Dominus, cùm hoc bis fecissem, duabus occasionibus, quas mihi obtulit, quodam vespere, aliquid mihi tunc concedens, postea noctu, nihil minùs cogitanti dixerit: Promitto tibi, quòd tibi septuplum sim repensurus pro eo, quo sponte neglexisti frui, propter me.

§. IV.

DUm aliâ nocte (in Junio A. 1616.) paterer ingentes anxietates, ut non possem dormire, converti oculos ad meos Domi-

Dominos quatuor Angelos, & vidi illos festivè vestitos, exhibentes excellentiam suarum naturarum ac virtutum, in suis elegantibus vestimentis. Videntes me ipsi ità afflictam, accesserunt ad meum lectum, ut me consolarentur, & alloquerentur: atq; sublatis in cælum oculis, subitóq; demissis, mihi dixerunt & significaverunt omnes molestias, afflictiones, tormenta, & mattyria, quæ perferuntur in hac vita, propter DEUM, esse tam brevia ac momentanea, si conferantur cum bonis alterius vitæ, ac æternitate DEI, quàm est sublatio oculorum in Cælum, eorúmque demissio. Dominus autem peculiariter me illuminavit, ut hanc veritatem clarissimè agnoscerem, qualis est in se, ità ut nullum mihi de ea remaneret dubium. Atq;, ad istud propositum, Sancti Angeli mihi dixerunt quædam alia. Post hoc valde obfirmatè: Jam satis, Soror (dixerunt) es fatigata, & afflicta; absq; ulla oppositione, veni nobiscum. Vidi statim intrantes meum cubiculum, plurimos Angelos DEI; quorum alij habebant ramos in manibus, alij instrumenta musica, & magnum numerum Beatarum Virginum, quæ omnes erant eleganter exornatæ, & formosissimæ. Affecit meam animam magno solatio, & gaudio, tam sancta societas. Fui ducta à Sanctis Angelis & Virginibus, ad quendam lenem defluxum magni fluvij, qui mihi videbatur fuisse hujus Civitatis, pontem versùs, ubi supra aquas, in quodam quasi curru triumphali, omnes vehebamur, & aquæ fuerunt profundæ, ascendebántq; usq; ad currum. Ibi inceperunt resonare instrumenta, & concini laudes DEI, ac Sanctissimæ ipsius Matris, pulcherrimâ melodiâ cælesti: specialiter verò cantabant Angeli hymnos, & versus, qui exprimebant magnam gratiam, quam fecit mundo DEUS, suo in illum adventu, ac magna bona, & gratias, quas conseqvuti sumus homines, ex tanta misericordia. Hoc diu duravit, & musica modicùm fuit intermissa. Tum quidam Angelus DEI, qui regebat illam felicem & beatam Societatem, dixit altâ voce: Progrediamur; descendimus secundo fluvio procul; ità ut jam progressi fuerimus ultra terminos hujus Urbis, atq;, ut mihi videtur, ad ingens quoddam mare aquarum, quæ pertingebant usq; ad Cælum; cujus una porta fuit aperta, & ingressi sunt Sancti Angeli ac Sanctæ Virgines, unàque ego. Duxerunt me procul intrò, donec me collocarent ad pedes Christi JESU Domini Nostri, qui me suscepit valde affabiliter ac amanter, & salutavit; atq; postquam me secum univisset, & introduxisset in suum Divinum Esse, paulò pòst me reperi in meo angulo.

Aliâ vice, cùm me sentirem vehementer affligi ac vexari à siti, non advertens, quid dicerem, dixi istis Sanctis Angelis: O! si quis posset bibere ex fonte, qui est in tali loco (erat in quodam loco vicino Civitati Roderici, ubi fui educata puella, quem mihi pridie revocaverat in memoriam quidam vir Nobilis, mecum locutus) Angeli mihi dixerunt: Nos te ducemus. Et subitò me inceperunt ducere viâ jucundissimâ, juxta littus cujusdam fluvij, quod utrínq; erat consitum pulchris arboribus. Derepente conspexi, se advolventem grandem globum igneum, qui mihi incussit ingentem timorem. Dixerunt autem mihi Angeli: Noli timere, neq; enim habes, quod timeas: Et postquam mihi appropinquavisset, vidi advenientem Christum Dominum. Angeli me constituerunt prope fontem, & inceperunt edere dulcem musicam, quâ durante venerunt quatuor sancta animalia, instar candidorum & pulcherrimorum Agnorum, qui procubuerunt ad pedes Angelorum, quasi dormientes ad sonum musicæ; fuitq; mihi dictum, per eos repræsentari, quatuor Sanctos Eremitas, magnæ contemplationis, qui vixerunt in desertis, Sanctum Paulum primum Eremitam, Sanctum Antonium, Sanctum Hilarionem, & Sanctum Arsenium. Ego bibi, quoad sedarem meam sitim. Et finitâ musicâ, fui reducta ad meum angulum: quia id totum contigit in spiritu.

CAPUT

CAPUT V.

De quibusdam mysticis convivijs, & specialibus musicis Angelorum, quibus illam DEUS est solatus, & remuneratus ejus voluntatem, quâ hujusmodi favores, quantum erat in ipsa, recusabat acceptare, quando sitiebat & angebatur.

§. I.

Nova patrabat miracula DEUS, ut magis recrearet, tam libenter, amore ipsius, recusantem ista sensibilia solatia. Dum, *inquit*, aliquando manè essem valde afflicta, & vehementer vexarer siti, voluerunt me consolari Angeli, oblato mihi potu, sicut aliàs solent. Ego abnui, dicens, me nolle ista solatia in hac vita, sed differre illa, donec migrarem ex hoc exilio. Tunc mihi loqvutus est Christus Dominus, dicens: Polliceor tibi, Filia mea, me tibi, quia te privavisti hoc solatio, daturum aquam vivam, quæ tibi auferet omnem sitim; & paulò pòst addidit: Est nihilominus mea voluntas, ut absq; contradictione suscipias levamen, quod tibi volo præbere. Tum vidi Christum Dominum stipatum multis Angelis, assidentem mensæ mediocri, magis longæ quàm latæ, in qua erat panis candidissimus, quasi Panis cælestis, & ingens scutella, quæ videbatur esse ex pretiosissima crystallo, in qua erant septem fructus pulcherrimi, singuli diversi coloris, cærulei, albi, rubri, aurei, ut hac varietate recrearent oculos. Erat ibi etiam quædam pelvis, instar magnæ pateræ, plena aquâ, superposita columellæ aureæ, & in alia pretiosissima patina, erat Agnellus assus. Aspexit Christus Dominus Angelos, qui ipsum statim intellexerunt, & collocaverunt me ad eandem mensam in altera parte, è regione Christi Domini, qui sedebat ad ejus medium. Deinde Divina Majestas fregit particulam illius Divini Panis, quam posuit ante me in mensa, dicens ut ipsam sumerem, eò quòd ille Panis allaturus esset vigorem, robur, solatium, & levamen meæ animæ, unáq; vires corpori. Ego hærebam, contemplans Panem. Et accedentes ad me Sancti quatuor Angeli, mihi dixerunt: Soror, comede, quia ita vult Dominus. Hoc audito, accepi illum, & comedi, non quidem masticando, sicut hîc comeditur, sed spiritualiter ac mysticè: & postquam ipsum sumpsissem, sensi effectus in mea anima & corpore, de quibus Dominus dixerat. Visumq; mihi fuit, tantum Panis manere in mensa, quantum fuerat antea. Postea dedit Dominus signum Angelis, & admoverunt ad me scutellam cum septem fructibus, qui magnitudine adæquabant parva poma, & comedi unum, videbárq; mihi in eo uno, sumere virtutem omnium septem. Sapor tam Panis, quàm fructûs erat cælestis. Verùm ad hoc non tantopere attendebam, eò quòd ibi valde vevecundarer, & cor esset intentum mysterio ejus rei, quam videbam. Postea attulerunt pelvim cum aqua, & dederunt mihi potum, quo magis fui recreata. Atq; tunc me reclinavi, demisso capite super mensam, & Dominus dixit Angelis, ut me sinerent dormire eo somno, & non excitarent, quódq; post istum somnum, essem habitura alium naturalem. Adverti Dominum imposuisse suam sacratissimam Manum meo capiti, quam super illud tenuit, quamdiu duravit iste mysticus somnus, in quo mihi aperuit significationem

hujus cæleſtis convivij, dicendo: Ille Agnus aſſus, qui ibi erat, ſignificat Agnum DEI, qui eſt in Cruce mortuus pro ſalute hominum, profuſo ſuo ſangvine pro omnium peccatis, propter cujus merita illis conferuntur omnes virtutes, gratiæ, indulgentiæ, dona ac bona cæleſtia: ſeptem fructus in ſcutella, ſunt ſeptem vices, quibus idem Agnus fudit ſangvinem pro vobis, & ſeptem Sacramenta, per quæ applicantur ipſius merita, & gratia, quam per ea obtinuit: Panis candidus eſt figura Sanctiſſimi Sacramenti Altaris, quod eſt vita & ſuſtentatio veſtra. Poſt hæc audita & intellecta, ceſſavit ille modus ſomni ſpiritualis, & incepit naturalis, ac tum verè dormivi.

§. II.

A *Dminabilio fuit ſequẽs conviviũ*: Cùm unâ ex his noctibus eſſem vehementer afflicta à doloribus ac ſiti (in Julio A. 1615.) venerunt ad me iſti mei Domini Sancti Angeli, dixerúntq; mihi: Soror noſtra veni huc, vocat enim te Dominus. Poſt aliquas meas tergiverſationes ſolitas, me duxerunt ad quendam amœniſſimum hortum, ubi erant plurimæ arbores, fontes, & vaſta flumina. In ejus medio fuit cænaculum, & in illo Thronus, inſiſtens ſubſtrato gradui, ubi conſidebat Majeſtas Chriſti JESU, qui eſt unicum Bonum noſtrum: ibi me collocaverunt ſupra illum gradum, attulerúntq; mihi multos fructus horti, & unam elegantiſſimam pelvim, cum aqua limpidiſſima: omnia poſuerunt ante me. Fructus tantùm tetigi manu, quamvis illos non guſtaverim: ex aqua tamen pelvis bibi, quantùm ſufficit ad ſedandam ſitim. Mei quatuor Domini Angeli inceperunt canere, præſente Domino, & alijs multis Beatis Spiritibus, qui ibi erant, non omnes ſimul, ſed ſinguli ſeorſim: incepit enim *Minor*, & cecinit cantum, ſeu hymnum in laudem Divinæ Majeſtatis, ejuſdémq; Bonitatis ac Miſericordiæ, propter illam, quam exhibuit peccatoribus, ignoſcendo ipſis eorum peccata, & adducendo illos ad cognitionem propriorum errorum, ac deinde ad ſuam gloriam, conſtituto ipſorum capite, Sancto Rege Davide, qui aderat præſens, canente eodem Angelo, de agnitione commiſſi peccati, quam ipſi DEUS dederat per Prophetam Nathan. Quo cantu finito aſſurrexit Sanctus Rex David, deponénſq; ſuam Coronam, proſtravit ſe ad pedes Domini, penes quos illam collocavit, laudavítq; ipſum ac benedixit, propter magnam gratiam, quam ei præſtiterat. Deinde ſecundus Angelus incepit decantare laudes DEI, & cecinit hymnum, ſeu cantum, benedicens Divinam Majeſtatem, propter gratiam præſtitam Sancto Jobo (& alijs Sanctis Juſtis) quòd illum ad ſe duxerit, viâ tam extraordinariâ afflictionum, & Crucis. Atq; eo cantu finito, ſurrexit Sanctus Jobus, qui aderat, & provolutus ad pedes Domini, ipſum laudavit, ac benedixit, propter eandem miſericordiam & gratiam, ſibi exhibitam. Tertius Angelus proſeqvutus eſt muſicam, & cantavit hymnũ, ſeu canticum, laudans ac benedicens DEUM, propter gratias mihi collatas, jam inde ab infantia mea, ducendo me viâ extraordinariâ liberando à tot periculis, & cumulando tot gratijs. Deinde fui ducta ad pedes Domini, ubi illum laudavi, & benedixi, propter omnes ipſius miſericordias. Tandem quartus Angelus, qui fuit Sanctus Raphaël, incepit ſuum Cantum, in laudem Divinæ Bonitatis & Miſericordiæ, quam mihi Dominus exhibuerat, & nunc exhibebat, præſtando mihi tam inuſitatas gratias. Tum Dominus ſurrexit ex ſuo Throno, & ivit ad vicinum altare, ubi accipiens hoſtiam, qualis ordinariè porrigitur communicantibus, me communicavit ſpiritualiter. Senſi admirabiles effectus, quales experiri ſoleo, dum ſumo epulum Euchariſticum. Deinde mihi Dominus impertitus eſt ſuam benedictionem, & accipiens quoddam quaſi aſpergillum, me aſperſit ſangvine, cujus multæ guttæ inciderunt in meam faciem. Quando autem me incepit aſpergere, præſentes Angeli, qui erant multi, ſe pro-

se prostraverunt humi coram Domino, cum magna reverentia, & Dominus me replevit fructibus suæ Passionis ac Mortis, per istum sacrum rorem. Post hoc fui modicùm mihi erepta, ac deinde ad me reversa, reperi me in meo angulo.

§. III.

VExata à siti, dixi in animo meo: Sitio. Intellexerunt id mei Sancti Angeli, ac dixerunt: Nos tibi dabimus potum, si vis: statimq; me deduxerunt ad pedem cujusdam optimi fontis. Habebat is supernè unum solùm canalem, ad quem ascendebatur per amplos gradus, qui paulatim arctabantur, donec sursum ad ipsum perveniretur, adeò ut esset locus angustus, ubi erat canalis, ex quo prodibat copiosa aqua, quæ effundebatur abundanter per gradus deorsum, adeò ut inferiùs fieret, ac oriretur fluvius, circa quem erant spatiosæ utrinq; ripæ, & in illis multi Angeli DEI. Collocaverunt me mei Domini, ad pedem fontis, & paulatim adduxerunt sursum ad canalem, ubi me reliquerunt solam. Ego propterea fui nonnihil afflicta; aqua autem influebat in meum os, quamvis non biberim: circumspexi quaquaversum, & vidi meos Dominos inferiùs, apud ultimos gradus: dixerunt mihi, ne affligerer, ac tandem me deduxerunt inde, & progressa sum cum illis, ad ripam fluvij, qui, ut dixi, oriebatur ex hoc fonte. Ibi vidi Divinam Majestatem, in altera parte ripæ. Dominus me invitavit, ut transirem eò, ubi ipse erat, dicens: Veni ad me. Vehementer desiderabam transire, & dicebam: Domine, non possum, quia fluvius intercedit. Dominus autem dixit: Ne timeas, veni ad me. Ego incepi ambulare per fluvium, acsi calcarem terram, & perveni ad Dominum. Divina Majestas me suscepit hilariter, & jussit me considere, dicendo: Sede, quia venis defatigata. Ego statim consedi apud pedes Domini, non cum timore & verecundia, sicut soleo, sed aliquantò liberiùs; quod, nescio, quâ ratione fecerim. Ibi mihi dixit Dominus, quòd me esset refocillaturus, & subjecit: Ades fatigata & afflicta Soror, accipe: deditq; mihi Divina Majestas quiddam comedendum; quid autem fuerit, ignoro: solùm scio, fuisse rem mirabilem, & valde dulcem ac svavem, & pretiosam, quam ego tantùm mysticè admovi ori. Postea mihi dixit Dominus: Sume, & bibe; acceptóq; pretioso scypho aureo, ex manu unius Angeli, pleno aquâ, porrexit mihi illum Divina Majestas suâ manu (erat scyphus elaboratus ad eum modum, quo hîc conficiunt scyphos argenteos) suscepi scyphũ aquæ ex manu Domini, & ebibi totam aquam, quæ in eo fuerat; reddidi ipsi scyphum vacuum, quem suscepit ex mea manu, ut nunc consternata non cessem stupere benignitatem Domini, & meam audaciam. Postquam suscepisset Dominus scyphum, tradidissétq; illum Angelo, extendit ejus Majestas longum quoddam linteum instar mantilis, quod habebat, & retinens unam ipsius extremitatem, injecit illud in meum sinum, ut me eo abstergerem. Tanta enim fuit infinita bonitas Domini, ejusdémq; misericordia, & comitas, quâ mecum egit. Post hoc vidi, istos meos Dominos adveniente: quia mihi antè disparuerant. Atq; tum incepi me quasi componere, & erubescere, sicut aliàs consvevi, coram Domino, qui me rapuit in ecstasim. Reddita sum mihi, reperiq; me in meo angello.

§. IV.

ALiàs in festo Beatissimæ Virginis, expectantis partum; vidi duos Angelos DEI, ingredientes meum cubiculum. Ambo ferebant in manibus calathum seu corbiculum gratiosissimum, plenum diversis fructibus, & rosis, floribus, & foliis virentibus. Fui turbata, & confugi ad DEUM, avertens ab illis oculos: sed ipsi appropinquantes ad me, dixerunt mihi: Soror nostra; ne nos averseris, neq; turberis. Suscipe hoc donum, & corbiculum fructuum, quem tibi ferimus, nomine DEIparæ, Dominæ nostræ, adferet enim ma-

gnum levamen tam naturæ tuæ debilitatæ, quàm animæ: hîc illum trademus Sancto Angelo tuo Custodi, ut ipsum tibi servet, & subveniat tibi suo tempore, quando eo indigebis. Videbantur mihi esse in corbiculo fructus, instar prunorum, quæ dicuntur monastica, præterquam quòd fuerint valde rubra, & gratiosa; præterea instar prunorum, quæ vocantur rosea, amœni coloris; & prunorum Sancti Michaëlis, quæ habebant maculas variorum colorum. Angeli, non expectato ulteriore meo responso, exposuerunt illos fructus ad pallium mei Sancti Angeli, & retinuerunt corbiculum, quem posuerunt sub brachium, ut illum auferrent. Quando vidi auferentes corbiculum, re verâ ægrè id tuli, voluissemq;, ut ipsum mihi reliquissent, erat enim gratiosissimus, & non potui satiari ipsius aspectu, ac dixi: Domini Angeli, relinquant corbiculum. Nam profectò etiam hîc, quando aliqua illustris persona mittit quodpiam munus, solet relinquere scutellam, in qua ab ea mittitur; quantò magis id oportet facere Matrem DEI, cùm sit tanta Domina. Illi tergiversati sunt, dicendo: Non habemus facultatem, illum reliquendi: fecimus, quod eramus jussi. Hoc dicto mihi valedixerunt, & abiverunt. Post duas horas iterum sunt reversi ijdem Sancti Angeli, & attulerunt quoddam pretiosissimum crystallinum vas, habens duas ansas, exornatum auro, plenum aquâ, capiens tres circiter mensuras, & dixerunt mihi: Soror, Mater DEI tibi mittit hoc vas aquæ, ut tuus Sanctus Angelus te inde potet, ubi tibi dederit comedendos fructus. Conspecto vase, dixi intra me: Modò non auferent Sancti Angeli vas, quia meus Sanctus Angelus non habebit, quò effundat aquâ: atq; ita factum est, quia accepit vas, ac retinuit. Et postquam hoc dixissem, discesserunt à me Sancti Angeli, ego verò egi gratias meæ Dominæ pro beneficio, & tanto favore, quem mihi ipsius Majestas præstiterat. Quadam autem occasione, dum essem vehementer debilis, meus Sanctus Angelus Custos, mihi dedit ex illis fructibus, & tres haustus aquæ: atq; sic fuit magnopere refocillata natura, quia intra viginti quatuor horas nihil sumpseram. In anima quoq; percepi magnum solatium. Etiam aliàs, quando eram debilis, ac patiebar defectum virium, adfuit mihi Sanctus Angelus, ut me eodem remedio confortaret.

§. V.

A Lijs vicibus illam absq; epulis recreaverunt Angeli, quibusdam cantilenis, quas coram ipsa concinebant cælesti harmoniâ. Quadam nocte, *ait*, patiebar gravissimos dolores à diabolis, qui sex circiter horis duraverunt, vehementer me debilitantes. Verùm Dominus me in illis est solatus; ostendendo mihi locum Beatitudinis, ad quem eram perventura, sicut frequenter faciebat. Et post tres horas dolorum, mihi revocavit in memoriâ, quod fecerat Sancto Francisco infirmo, submittendo Angelos, qui ipsum recrearent musicâ, dum nihil minùs cogitarem, quàm quòd aliquid simile mihi esset eventurum. Præterierunt aliæ duæ horæ, & horâ quartâ matutinâ adfuerunt duo speciosissimi Angeli, quorum unum agnovi, esse Sanctum Raphaëlem, sed non alterum, neq; mihi est dictum, quis esset. Præterea in quadam aula, exornata pretiosissimis tapetibus, se circumquaq; collocaverunt multæ Sanctæ, quasi auscultaturæ musicam, ad quam se parabant Angeli, qui deambulabant per aulam, acsi concordarent duo admirabilia instrumenta, quæ divinè resonabant. Concordatis autem instrumentis, constiterunt in medio aulæ, è regione sui, quasi in angulis aulæ diametraliter oppositis, & inceperunt canere, atq; ad primum versum fui absorpta summo gaudio ac jubilo lætitiæ; adeò ut, licèt cecinerint præterea tres alios, non potuerim illos percipere: voluissem tamen ipsos audire. Et Dominus præcepit Angelis, qui semper mihi adsunt, ut mihi illos dicerent: unde cœpi solatium. Erant isti:

Quando

Quando Divina Essentia
Hanc animam respexit,
Ut illam, per gradus crucis,
Eveheret, prospexit.

Post aliquot dies, in alijs acerbis doloribus, ipsam recreaverunt aliâ musicâ cælesti, prosequentes inchoatum textum: & quia ipsos non bene intelligebat, rogabat illos, ut sibi dicerent versus, quos cantabant. Aliâ vice autem ab ijs petijt, ut sibi omnium refricarent memoriam. In alijs magnis afflictionibus illam denuò exhilaruerunt musicâ Sancti ejus Angeli, animando ipsam ad patiendum.

CAPUT VI.

Quomodo illam Dominus vulneraverit quibusdam mysticis sagittis, quæ repræsentabant vulnera amoris DEI, & proximi: perfecerítq; in ipsa suæ Passionis vulnera, & præstiterit illi, alios magnos favores.

Tanti æstimat DEUS meritum patientiæ, ut sæpe ita servis suis conferat gratias, ut reddantur magis conspicuæ, per dolores, quos ipsis admiscet, quemadmodum apparebit in sequentibus revelationibus.

§. I.

COmmunicavit DEUS meæ animæ, magnam ac notabilem compassionem & commiserationem, quâ dolebam vices proximorum, propter afflictiones, desolationes, ac dolores, quos patiebantur, adeò ut mihi viderer habere vulneratam animam meam, & cor; sentirémq; tenerè in me ipsa, effectus illarum molestiarum, ac dolorum alienorum. Cum ista compassione, & ex Divina inspiratione, rogavi quadam nocte Angelum meum Custodem, ut me duceret, vel permitteret ire, ad imponendam manum, in nomine Domini, super locum doloris, quem patiebatur quædam infirma, cum magno periculo suæ vitæ. Angelus mihi id prohibuit, dicens: Anima mea, ne hac de re agas, quia debilitas tuarum virium naturalium, non respondet istis desiderijs. Nihilominus videns meus Sanctus Angelus, affectum meæ animæ, consensit in illum itum: atq; ita in momento me reperi, apud infirmam, & posui manus super locum doloris, sicut optaveram, ac redivi, quàm celerrimè. Hoc eodem tempore, postquam me dæmon pessimè tractavisset validis ictibus, quibus me contudit adeò, ut meus Angelus Custos, vix me videretur posse detinere, unde egregiè fui confracta, & afflicta; quadam nocte nihil cogitans de eo, quod mihi statim accidit, & præsente Domino, jacebam affixa lecto junctis manibus, vidíq; subitò, in quantum mihi illam DEUS voluit manifestare, Divinam ipsius Omnipotentiam, omnem magnitudinem, totum ejus Divinum & infinitum Esse, ita ut summè fuerim attonita, & internè obstupefacta. Interea vidi, quòd ex Majestate illa Domini DEI, ac tertia Persona Sanctissimæ Trinitatis, inciperent prodire potenter, quasi eas emitteret ille Divinus Spiritus, quædam parvæ aureæ sagittæ, instructæ cuspidibus chalybeis, quarum singulis sauciavit valdè ac vehementer istam pauperem creaturam, in pectore, humeris, parte dextra, & sinistra cordis, cum magno meo dolore: ad dorsum ceciderunt tres: una in medio, & duæ in humeris, atq; aliæ ad manus & pedes. Dum ita essem afflicta ac doloribus gravata, Sanctus meus Angelus Custos dixit, magna cum reverentia &

commiseratione Domino Majestatis: Vulnerâsti & afflixisti, Domine DEUS noster, istam animam, sagittis tui potentis, ac Divini amoris, & sauciam illam præterea habes, compassione & amore proximi: Vide, Domine, quid nunc ab illa velis. Dum mea anima audiret, quod Angelus dicebat suo DEO, quamvis ita essem afflicta & vulnerata, memor meæ miseriæ, properabam, & dicebam: Angele, dic reliqvum Domino, dic Domino, qualis sim, edissere illi meos defectus. Audivit Dominus, quod ipsi Angelus dixerat, ac respondit: Bene dicis, mi Angele: & dico tibi, hanc animam, ita constitutam, admirabilem esse meis oculis. Atq; tum jussit Dominus Sanctum Angelum Raphaëlem auferre à me sagittas, traderéq; illas Angelo meo Custodi, ostendendas ab ipso, tanquam teste oculato, in occasionibus spiritualibus, quando Domino placeret. Ablatis sagittis, manabat sangvis ex vulneribus. Ego cum dolore dicebam DEO meo: Afflixisti me, mi DEUS ac Domine, & vulnerâsti, reddidistíq; me similem leproso: quis me sanabit? à nemine volo curari, nisi à te, mi DEUS ac Domine. Fiat, sicut dicis, dixit Dominus: dic mihi tamen modò, quid habes, quod mihi retribuas, pro tanta misericordia, & gratia, quam tibi præstiti? Pauperrima sum, Domine, & egena, ajebam ego, nihil habeo tibi dãdum, quod mihi non dederis. Omnia tibi nunc reddo libenter, omnibúsq; viribus meis tibi denuò offerro meam animam & cor. Bene est, reposuit Dominus. Da mihi nihilominus jam aliquid, & impone manum in tuum sinum, ac vide, an aliquid ibi habeas, quod mihi possit offerre. Tunc inserui manum, sicut jussa eram à Domino, in meum sinum, & exemi illam plenam sangvine, ostendíq; ipsam Domino, cum ingenti mea admiratione. O quàm mihi placuisti Anima! (dixit Dominus) quòd mihi obtuleris tuum proprium sangvinem. Pergratam mihi rem fecisti. Et præcepit cuidam Angelo, stanti penes se cum mantili, ut extergeret illum sangvinem ex mea manu, eámq; mundaret. Fac idem secundò (dixit Dominus) & pone manum ad tuum pectus, quam cùm imposuissem, sicut me Dominus jusserat, extraxi eodem modo plenam sangvine, & Angelus mihi illum absterfit. Jussit me Dominus, idem facere tertiò, atq; Angelus tenens mantile, mihi ipsum tertiò absterfit. Subjecit Dominus: Nunc, Anima mea, da mihi, quod tibi deest. Stupens hanc petitionem Domini, dixi ipsius Majestati: Quid vis, ut tibi dem, Bonum meum, & Domine mi, cùm ego potiùs vellem petere, per istam gratiam & favorem, quem mihi præstitisti, aliquem alium, tantùm abest, ut cogitem me posse aliquid dare tibi, vel offerre. Considera bene Anima (dixit Dominus) quia aliquid habes in te, quod mihi des. Tum ego videns instantiam Domini, aspexi meum pectus, inspirante mihi id Domino, & vidi illam Crucem septem vulnusculorum, quam habebam (*cujus jam est facta mentio, in libro secundo*) tangénsq; ipsam, sensi me habere, in singulis illis vulnusculis, cuspidem chalybeam, vel alterius metalli, & intelligens, Dominum velle, illas sibi à me offerri, extraxi easdem sigillatim, ac posui super pelvim, quam tenebat ille Angelus, habens mantile, cum gravi meo dolore, ac admiratione ejusmodi operum, & mysteriorum Divinorum. Exemi præterea ex quinq; partibus, quas habeo vulneratas, ex manibus, pedibus, & latere, quatuor parvos claviculos, & cuspidem lanceæ, quâ fuerant renovata ea vulnera: omnia illa instrumenta doloris obtuli Domino, cujus Majestati fuit acceptissima mea oblatio, dixítq; mihi: Optimè fecisti, & placuisti mihi; eò quòd libenter volueris renovare tua vulnera, restituendo mihi idem instrumentum, quo ego illa tibi, ex amore, infixi, ad majus bonum tuum & coronam, demonstrandóq; mihi hoc modo, te esse paratam, quantum est in te, firmáq; tua voluntate, ut ijsdem clavis vulnerem tuam animam & cor, quotiescúnq; volueris. Atq; statim, postquam hoc Dominus dixisset, accessit ad me ipsius Majestas, & aureis nummis, quos posuit in singulis vulneribus

neribus ſagittarum, ſtitit ſangvinem ex illis manantem, eadémq; ſanavit, ut tamen remanerent impreſſa ipſorum ſigna. Poſtquam Dominus tam mirabiliter curavit meam animam, univit illam ſecum, adeò forti complexu, & unione tam arctâ, ut mihi viderer prorſus deficere: ubi mihi manifeſtavit Dominus talia, tam Divina, & mirabilia, ut ego illa nec poſſim, nec ſciam verbis exprimere.

§. II.

PAulò pòſt mihi dixit Dominus quodam die (20. Julij, A. 1619.) Anima, viſne venire ad me? Ego tacui, timens aliquantùm. Poſtridie accidit idem, & tertiò ſimiliter; atq; tunc dixi: Ità Domine. Subitò me ſecum univit Dominus, unione tam arctâ, ut jam mihi viderer expiratura. Deinde me dimiſit, & vidi me totam, à pedibus ad caput uſq;, ita vulneratam, ſicut fuit Chriſtus Dominus alligatus columnæ, quo factum eſt, ut ſentirem dolores, quos ille tunc eſt paſſus. Induerunt me Angeli tunicâ lineâ transparente, ac paulò pòſt, habitu & ſcapulari Sanctæ Birgittæ, remanentibus diſcoopertis pedibus & manibus, ac latere, quaſi tunica & habitus haberent illic aperturam: deinde acceſſit Sanctus quidam Angelus, qui mihi in quinq; illis partibus, infixit clavos, quos ego exemeram, & obtuleram Domino, non abſq; aliquo dolore: quamvis priori vice fuerit longè major. Poſt hoc vidi quandam ſellam, in qua me collocaverunt mei Sancti Angeli: & ex parte, nonnihil remoti, erant quatuor diaboli, aſpicientes me torvè, more ſolito, ut mihi incuterent metum. Venerunt quatuor *Parvi* Angeli, volentes accipere ſellam, apprehenſis perticis, quas habebat inſertas, ut me ferrent aliò. Puduit me, & erubui, quòd hoc Angeli facerent, dixíq; illis, me nullo modo in id conſenſuram: reſponderunt autem mihi: Si nos non tulerimus ſellam, ferent ipſam illi diaboli, elige, quod vis. Ego reſpondi: Malo hoc fieri, quàm conſentire, ut illam ferant ipſi, mei Domini. Tunc venerunt diaboli, & ſuſtulerunt ſellam, qui, comitantibus me Sanctis Angelis, unà cum meis, illam ferebant quietè, quamvis indignabundè. Tranſiverunt per quendam fluvium, ad magnum campum, prope hiatum aliquem Inferni, inſtar profundiſſimi putei, ubi mihi Dominus oſtendit multas animas, cumulatim ſibi invicem ſuperpoſitas, cum diabolis terribiliter ejulantes, inter horribiles ignes, & fumos, ac odorem Sulphuris, unde adeò exhorrui, ut dicerem intra me: Bonum eſt hîc pati, ne deveniatur ad tam horribilem locum. Poſtea pervenerunt ad portam cujuſdam paradiſi, & loci delicioſiſſimi. Inde me tulerunt Angeli, in Spiritu, ad cæleſtem Jeroſolymam, ubi me Dominus ſecum univit, & introduxit in ſecretiſſimum penetrale ſui pectoris, oſtenditq; mihi grandia arcana ſuorum judiciorum quæ neſcirem verbis exponere. Et poſtquâ mihi fuiſſet bene precatus, retulerunt me Angeli ad meum angulum.

Poſt unum diem, mihi dixit Dominus: Anima, accede ad me, ne timeas: méne times? Ego, quamvis timerem, acceſſi, vidíq; me indutam, perforatâ illâ albâ tunicâ. Erat ibi collocata in alto ingens Crux, cui me ipſemet Dominus admirabili modo affixit, alligans me in juncturis manuum, & ſuffraginibus pedum: Manſi ita alligata aliquamdiu, cum magno dolore, adeò ut mihi caderet caput inclinatum, nec illud poſſem ſuſtinere erectum. Et milleni Angeli ſpectabant, quod fiebat, quaſi attoniti, propter extraordinarias vias, quibus DEUS ſuos ducit. Aliquantò pòſt Dominus inclinavit Crucem ad terram, atq; tum fuit maximus dolor, quem ſenſi, ut exiſtimarem, me eſſe extinctam, ereptámq; mihi animam, & abductam à Domino ad Cælum. Poſtea redij ad me, & paſſa ſum tam terribiles dolores, ac divulſiones in toto corpore, quaſi id corporaliter contigiſſet.

Poſt hoc me admirabiliter aſpexit Dominus, ac dixit: Anima mea, complevi in te opus, quod decreveram, & impreſſi tibi omnia vulnera mea, ac plagas, quas pro

tua

tua salute, ac remedio suscepi, signavique te hoc meo sigillo, ex quo agnosceris deinceps, pro mea vera Filia, pura & munda, in tota cælesti Patria, & nemo te mihi unquam poterit auferre. Vale modò, Anima.

Non videbatur mihi Dominus hoc dicto significavisse, me brevì, aut quàm citissimè morituram, sed loqvutus fuisse, de similibus operibus & mysterijs, qualia erant illa, quæ tunc mihi contigerant, ac hujusmodi rebus admirandis, & quasi me vellet liberare ab eo, quod eram passa. Mea anima audivit propter suos solitos timores, quod illi dicebat Dominus, cum turbatione, & acsi id vix audire vellet: nihilominus illi Dominus reliquit impressas, & quasi obsignatas illas veritates in anima. DEUS sit benedictus.

§. III.

PAucis diebus pòst mihi dixit Dominus. Cùm particeps jam facta fueris meæ Passionis, par est, ut particeps fias meæ Resurrectionis, & hoc dicto, me duxit ad cælestem Jerosolymam, ubi me est solatus, more consveto, cúmq; ego vehementer sentirem reditum ad hoc exilium, dixit mihi Divina Majestas: Ne id ægrè feras; etsi enim me non videas clarè, maneo tamen tecum, & ubi est mea gratia, est quoq; mea gloria. Triduo vel quatriduo pòst, quodam die, sumpto Sanctissimo Sacramento, jacuit mea anima, prostrata à Sancto meo Angelo Custode, ad pedes Christi JESU Domini Nostri, totiúsq; Beatissimæ Trinitatis. Dum ita esset provoluta, vidit mea anima ac sensit, se à Domino consperſam aspergillo intincto in sangvine, quo tota fuit infecta, ac depicta: & postea vidit, quòd, postquam id fecisset Dominus, acceperit ad suam sanctissimam manum quoddam gutturnium, plenum liquore, seu aquâ mysticâ, effundénsq; illam paulatim super caput, ac deinde ad manus, ità ut deflueret ad quandam pelvim, me omni ex parte madefecerit, & imbuerit eâ sanctâ aquâ. Toti huic mysterio aderat flexis genibus, & quàm attentissimus, Sanctus Angelus meus Custos, considerans, quod fiebat. Deinde accepit Dominus quoddam mantile, & postquam illo absterſisset eam aquam ex meo capite, mansit in ipso expressa ac designata Corona spinea sangvinolenta. Hoc mantile tradidit meo sancto Angelo Custodi, qui illud servavit intra se. Idem fecit Dominus cum alio linteo minore, in manibus, ubi reliquit impressa sangvine, vulnera manuum: quod similiter datum fuit meo Angelo Custodi, & ab ipso servatum. Postea magno quodam linteamine mihi absterserunt mysticè quidam sancti Angeli illas maculas, & picturas sanguineas, in quo manserunt expressa ac designata sangvine, omnia signa flagellorum, quibus Dominus fuit concisus, & quæ ejusdem Majestas impresserat in mea anima, tempore illius arctæ unionis, de qua sum loqvuta. Erat res visu admirabilis, quia in tam exiguo loco, quantus est, commensuratus staturæ unius personæ, videbantur esse infinita signa valde distincta & expressa, quamvis conjunctissima, & alia alijs superaddita. Ibi erant signa pedum & lateris, non verò manuum & capitis: hæc enim fuerunt designata in prioribus linteis. Istud linteum majus etiam est datum Angelo meo Custodi. Non parum mirabatur mea anima adeò extraordinaria mysteria, præsertim, quòd tunc non sciverim, nec intellexerim, quid significarent: atq; ita vehementer hærebat attonita, cogitando, qualia esse possent ea mysteria, quæ in ea fuerat operatus Dominus. Sic diu erat perplexa, nec Dominus ipsi quidquam dicebat; postea verò videns illam Divina Majestas ita constituram, dixit illi: Anima, quare sic es consternata? Ne te affligas, neq; timeas: quod enim modò nescis, nec intelligis, scies postea, & quando magis expediet. Nunc autem vale; præcepitq; meo Sancto Angelo & cæteris, qui mihi solent gratificari, ac tunc ibi comparuerunt, ut me solicitè & considerate acciperent, reponerentq; in meo loco, ac abstraherent ab illo raptu, qui fuit tantus,

tantus, ut nihil potuerim loqui, nec agere. DEUS sit benedictus!

Pauci dies post hoc præterierunt, & dum aliquando manè agerem cum Domino, exposuit mihi ejus Majestas significationem horum mysteriorum, dixitque: Nunc, Anima, tibi dicam, & scies declarationem istorum mysteriorum, quæ vidisti. Quod fueris conspersa sangvine, erat figura, & significabat, tibi denuò applicari mea merita, & sangvinem effusum pro tua salute, ac remedio. Unctio tui capitis, imbuti illo pretioso liquore, fuit nova unctio, & gratia Spiritus Sancti, quæ tibi est applicata, & gratiosè atq; amanter collata. Mysterium lotionis manuum significavit, applicari tibi gratiam, ut puriùs & perfectiùs peragas opera, concernentia meum honorem. Tradita autem sunt Angelo mantilia, quæ retinuerunt impressa in ijs signa, ideo, ut die tuæ mortis & judicij particularis, illa exhibeat cæteris Angelis, & hi ex ipsis agnoscant admiranda opera, quæ ego facio in meis creaturis, easdémq; custodiant, ac protegant, videntes amorem, quo erga illas feror, ac propter omnia me laudent, & glorificent.

CAPUT VII.

Quomodo Christus Dominus in ea compleverit mysteria suæ Passionis, efformando in illa Crucem quatuor brachiorum, incisam ipsius pectori, velítque, ut honorentur sua, quoad hoc, arcana judicia.

ADmimbili artificio DEUS extruebat ædificium spirituale istius suæ famulæ, perficiendo, & manifestando sensim in alijs visionibus, quod cæperat in alijs, speciatim in mysterio Vulnerum & Crucis, cujus in præcedentibus libris facta est totius mentio, ut apparet ex eo, quod sequitur:

§. I.

DUm, *inquit*, quodam tempore matutino (in Septembri A. 1622.) agerem cum DEO, nihil minùs cogitans, quàm, quòd mihi esset præstiturus aliquâ extraordinariam gratiam, venit ad me S. Dominicus, & loqvutus est mihi amanter, dicendo, se venire nomine Domini ad me invisendam, & peragendum mysterium, quod essem visura. Reverita fui Sanctum, ac resignavi me in voluntatem DEI, & Sanctos ex Ordine Sancti Dominici, omnes tenentes luminaria in manibus. Subitò me accessit meus Angelus Custos, & magna cum charitate, modestia, & verecundia, assistentibus ipsi reliquis meis Dominis Angelis, detexit superiorem partem mei pectoris, ubi formamus signum Crucis, quando nos signamus, & Sanctus Dominicus, perattentè & amanter, accepto quodam instrumento, valde subtili ac delicato, ex manu Sancti Angeli, qui juxta ipsum stabat, formavit Crucem in illa parte, aperiens nonnihil pectus, ità ut erumperet sangvis. Erat Crux instar earum, quas dicimus Caravacenses, habens quatuor brachia, in hunc modum; ✝ Cui statim superimposuit velum admodùm subtile, ac delicatum: atq; Sanctus Angelus meus Custos me iterum cooperuit; Sanctus autem valedicens mihi, peramanter dixit: Vale jam, Soror nostra, ego enim feci, quod eram jussus à Domino. Hoc dicto disparuit, & reliqui omnes, qui cum ipso venerant, Sancti, ac Angeli. Ego vehementer obstupefacta, & consternata, propter hoc factum, ac tantas misericor-

dias, quas Dominus operatur in hac sua indigna ancilla, dicebam intrà me: Quale est hoc mysterium, quod DEUS est operatus in ista sua miserabili creatura? Dum ita essem absorpta, elevavi oculos animæ, & vidi quendam Angelum DEI, qui quasi expectabat, donec essem disposita, ut me posset alloqui, nomine DEI, & mihi pandere significationem illius mysterij, quod me in tantam admirationem rapuerat: ego tamen agens, more meo, timidè, abstrahendo me, nec illum alloquebar, neq; ferè aspiciebam, quamvis ipsum fuerim reverita. Ità mansi bono tempore, ut diutiùs non potuerim. Videns id Sanctus Angelus, accessit ad meum Custodem, & alloquens ipsum submissè, ut, quid diceret, non audirem, dixit illi, quare venerit jussu DEI, útq; ipse mihi id manifestaret. Quo dicto, abivit, valedicens mihi, ego etiam me ab eo expedivi, nonnihil confusa, eò quòd me non exhibuerim talem, qualem me exhibere debuissem, & quòd nescirem, quid secretè fuerit loqvutus Angelo meo Custodi. Interea verti oculos animæ, & aspexi, tanquam confusa, & erubescens, meum Sanctum Angelum Custodem, qui me ita videns constitutam, loqvutus est mihi amanter, dicendo: Ne propterea confundaris, vel te affligas, nec enim habes causam. Et pro solatio tuo tibi dicam, ipsum nomine DEI venisse, ut tibi aperiret significationem peracti in te mysterij. Noveris porrò, quòd Dominus DEUS Majestatis, post collatas tibi tot ac tantas misericordias, quas experta es, præsertim, quia te signavit omnibus suis signis suorum sacrorum vulnerum, ac eorum, quæ ipsi inflixerunt flagella, & corona spinea, imprimendo tibi illa cum ingenti amore, vi ac virtute Divinâ, voluerit nunc ex sua bonitate, & altissimis judicijs exhibere tibi gratiam admirabilissimam, nimirum inserere tibi omnem suam Crucem interiorem & exteriorem. Atque ideo te exercuit omnibus modis, quòd te oporteat pati Crucem, qualem ipse fuit passus, tam in anima, quàm in corpore, id quod significant illa quatuor brachia Crucis, quæ vidisti, modo adeò Divino & arcano, ut tota sis penetrata ab ipsa, & quodammodo in illam conversa, sicut vidisti, ac sensisti, dum operatus est hoc mysterium manu gloriosi Sancti Dominici.

§ II.

AUdiens mea anima hæc mirabilia, quæ illi Angelus ipsius dixerat, vehementer obstupuit, & reversa ad se ex illo raptu, cum magno dolore, & extraordinarijs affectibus dixit suo Angelo: Angele mi, ac Domine, quid est hoc, quod mihi dixisti? Qualia opera, & quæ magnalia sunt ista Omnipotentis DEI, ipsiúsque incomprehensibilium judiciorum? Ipse benedictus sit in æternum, propter illa omnia. Verumtamen rogo te nunc, Angele mi ac Domine, ut mihi dicas, quomodo possim ego miserabilis intelligere, aut assequi hoc ænigma Divinæ Sapientiæ? quâ ratione, postquam mea pauper anima suscepit à suo DEO tot ac tanta auxilia, ut ipsam ditaret, ac locupletaret, & DEUS in illa tam infinita ac admiranda mysteria est operatus, ut videatur tota esse Deificata, & ardens amore Divino, totáq; plena heroicis & magnis virtutibus, ita ut esset verum exemplum virtutis, & quasi speculum, in quo omnes conspicerent, & agnoscerent, quis sit DEUS, quæ ipsius infinita Bonitas, Magnificentia, & Sapientia; in particula limi sordidi, vilis ac abjecti, malè excocti, quod non potest retinere liquorem misericordiarum sui DEI, sed totum admittit, ac effundit; quâ, inquam, ratione possit fieri, quòd hæc talis anima, in qua DEUS videtur deposuisse sua dona, agat vitam adeò miserabilem, tam ordinariam, tam plenam fragilitatibus, imperfectionibus, ac defectibus, ut potiùs videatur esse opprobrium, molestia, & Crux omnium, nihilq; ulli prodesse, quàm talis anima, cui DEUS exhibuerit prædictas misericordias? hoc, Angele mi, ego non capio, nec assequor. Audivit Sanctus Angelus mea dicta, meásq; toties iteratas querelas, dixitq; mihi quam amanter

amantissimè: Dic age, Anima, licet, quidquid volueris; & quiesce: ego enim tibi respondebo nomine DEI ad omnes tuas querelas ac difficultates. Finivit anima mea suum sermonem, cumq; videretur non posse cessare, conticuit, tanquam fatigata suis affectibus. Tum Sanctus Angelus illi dixit: Anima, dic, si Omnipotens DEUS, & Bonitas ipsius ac Sapientia, voluit suâ manu condere aliquam creaturam, illiq; infundere animam, in qua, pro solo suo libitu ac beneplacito, dignatus est operari res sublimissimas, ac singularissimas, & spiritualissimas, atq; ipsi manifestare, & indicare digito altissima mysteria suarum perfectionum, attributorum, ac Divini Esse: eidémq; DEO ac Domino Omnipotenti placuit facere hoc opus, tam perfectum & spirituale, ac deinde illud cooperire velo tam subtili, & mirabili, ut oculis humanis, ac inprimis tuis, Anima, vix possit agnosci, donec adsit tempus, idem opus tam secretum Divinæ Sapientiæ: Si, inquam, isti Domino placuit id facere, quis poterit ipsum prohibere, vel improbare illius Divina opera? Si hic DEUS, ex limo, ex quo te formavit, voluit vas coagmentare, illúdque imbuere svavissimis odoribus, adeò, ut licèt sit factum ex rudi limo, suo tamen odore & fragrantia aliquid sui valoris manifestet; siq; idem vas luteum, voluit tantâ arte expolire, & includere talibus gemmis, atq; exornare opere encaustico ac tam vario labore, ut pretio adæquet maximos thesauros; & aliquamdiu occultare, quemadmodum meretur ipsius valor, ut illud postea collocet in abaco suæ Ecclesiæ militantis, ac triumphantis, ubi reponuntur ejus divitiæ, ac thesauri, & vasa diversi generis, omnia solita adhiberi ad Regiam ipsius mensam; Si Omnipotens hòc voluit facere, quis Consiliarius ejus erit? Si immensæ ipsius bonitati, potentiæ, & Sapientiæ placuit, remanere sub candido velo specierum panis & vini, ita ut, qui illas aspiciunt absq; oculis fidei, non possint intelligere, quale possit esse hoc Divinum mysterium, quis poterit penetrare, vel cognoscere illam summam bonitatem, & infinitam potentiam? Sunt, Anima, immensa DEI, ipsiúsq; bonitatis & incomprehensibilium judiciorum opera; non est, qui illa possit assequi: ideòq; nos Sancti ejus Angeli tegimus alis capita nostra, & prostrati in ejus conspectu, non scimus aliud dicere, quàm: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS.* Hoc est, Anima, quod tibi nomine DEI dico, pro tuo solatio, & tua pace. Quiesce nunc in Domino.

In ista communicatione significat Sanctus Angelus, præcipuam tantarum misericordiarum, quas consequebatur, causam fuisse, infinitam bonitatem DEI, & æternam ipsius voluntatem. Ut autem eas conservaret, voluisse DEUM easdem tegere, eo velo ipsius miseriarum, de quibus adeò querebatur, donec adveniat tempus illius retegendi in Ecclesia militante ac triumphante.

CAPUT VIII.

Quomodo ipsam DEUS induxerit, ad suscipiendos tres mysticos nummos aureos, qui repræsentabant tres ferventes affectus, superatâ repugnantiâ, quam sentiebat, in illis acceptandis; & quid egerit, ut ei significaret, istam humilem repugnantiam sibi non displicere.

ERant tam admirandæ gratiæ, quas DEUS præstabat suæ afflictæ famulæ, ut non obstupescam, ipsam usq; adeo restitisse, dum essent acceptandæ: Siquidem ipsemet DEUS, qui una ex parte illas ipsi offerebat, eámq; de ijs præmonebat, ex alia tamen ei infundebat illum spiritum humilis, ac meticulosæ tergiversationis, quâ, utpote ab ipso profectâ, non offendebatur: id quod insinuavi, tanquam valde necessarium, ne cui offendiculum præbeat resistentia, quâ repugnavit sequenti gratiæ:

§. I.

DUm, *ait*, aliquando manè (in Decembri, An. 1618.) agerem cum DEO, conspexi Angelum, qui videbatur esse ex Supremis: hic conjectis in me oculis, & extendens manum, mihi dixit: Anima, accipe hos aureos nummos, qui sunt magnus thesaurus, quémq; tibi mittit Dominus DEUS noster Majestatis. Cohorrui, ac fui valde turbata, neq; ipsi ullum verbum respondi: sed recurri ad DEUM, ut implorarem sanctissimum ipsius lumen, id quod diu egi, nolens redire ad Angelum, neq; illum aspicere: sed quia me suaviter Dominus adegit ad eum videndum ac audiendum, reversa sum ad illum, & aspexi ipsum. Sanctus Angelus autem mihi dixit secundò: Anima, accipe hos aureos nummos, quos tibi mittit DEUS, & cum tibi ipse istam gratiam exhibeat, ne verearis, nec formides. Nihilominus, quia sentiebam magnam difficultatem, ac repugnantiam in suscipiendo illo thesauro, quem mihi offerebat, dixi illi: Domine Angele, ego non possum acceptare istos nummos, quos mihi offers, neq; sum ad id disposita. Ista sunt admirabilia, & plena mysterijs, quæ excedunt meam exiguam habilitatem, & capacitatem meæ animæ: hic adest meus Angelus, ipsi trade istum thesaurum, ille enim optimam illius rationem reddet, quam ego fortè non redderem bonam, & dilapidarem ipsum. Angelus verò respondit: Anima, ego non habeo facultatem à DEO faciendi id quod dicis, atq; tu ipsa debes suscipere istum thesaurum. Non suffecit, quod ab Angelo fuerat dictum, neq; ipsius persvasiones, ut possem animum inducere ad acceptandos eos nummos. Dum hoc Angelus videret, tacuit, & quievit: ego quoq; tacui, & egi cum DEO. Paulò pòst vidi Majestatem Christi JESU Domini nostri, qui statim ac advenit, accepit tres nummos, quos Angelus tenebat in sua manu, dixitq; mihi, extendens suam sanctissimam manum: Accipe, Anima, hunc thesaurum, quem tibi offerro, tibiq; gratiosè dono, & serva illum intra te ipsam. Fui afflicta ac turbata vehementer, audiens hoc dici à Domino, & quia magnam sentiebam repugnantiam, in illo dono acceptando, respondi ipsi: Domine mi, & DEUS mi, ignosce mihi; ego me non invenio capacem, pro eo acceptando, neq; scirem bene uti isto thesauro. Videns Dominus difficultatem ac repugnantiam meæ animæ in acceptanda illa gratia, quam mihi exhibebat, dixit gravior, & vertendo se modicùm, acsi vellet abire:

Anima

Anima, protestor per memet ipsum, quòd, nisi mihi obtemperes, me sis graviter offensura. Vale. Et discessit, relictis nummis in manu Angeli. Ego fui vehementer contristata, verum, tamen egi cum DEO, more solito. Postquam aliquamdiu ita fuissem tristis, conspexit mea anima secundò Majestatem Christi Domini, quasi advenientis ad me, & cùm ipsum attentè ac reverenter intueretur, vidit in eodem Domino, totum sacrum mysterium Beatissimæ Trinitatis. Quâ visione fuit mea anima absorpta, & aprepta in stuporem: deinde etiam vidit stantes ante Divinam ipsius Majestatem duos Angelos, qui tenebant quandam parvam pretiosissimam pelvim, singuli ex sua parte. Et statim atque accessit Angelus, qui habebat nummos aureos, reverenter, impressóque illis antè osculo, ipsos injecit in illam mysticam pelvim: Dominus autem Majestatis Trinus in personis, & unus in Essentia, ijs dedit suam benedictionem, ac deinde singulæ tres Divinæ illæ personæ acceperunt singulos, & paulò pòst reposuerunt in illa parva pelvi, in qua priùs fuerant: conjectis verò in me oculis, dixit cum magna gravitate ac majestate: Agè, Anima, accipe istos nummos, & hunc pretiosum thesaurum, quem tibi gratiosè dono.

Hæc divina verba ita permoverunt, & perculerunt meam animam, ut, quæ antea fueram tam refractaria ac meticulosa in illis acceptandis, me proripuerim quàm celerrimè, & utraque manu exporrectâ, ad ipsos accipiendos, & arripiendos, acsi essent multi. Statímq; illos posui intra meum pectus, ac intimum cor meum. Et anima mea sensit cum magno meo solatio in se potentissimam unionem, ac præsentiam sui DEI, simúlq; summa quædam bona: atq; tum illi obtulit denuò suum cor, ac promptam voluntatem, & stabilem ac veram resignationem ad omnia, quæ ipsius DEUS ab illa requireret, intimúmq; amorem erga suum Deum, ut sic amando, pedibus subijceret omnia, quæ non essent Deus, & illam retardarent à perfecto ipsius amore.

§. II.

INter hæc, Dominus Majestatis quodam gravi & sublimi modo dixit: Anima redde mihi nummos, quos tibi dedi, & ex gratia donavi; debes autem mihi illos reddere cum lucro. Quia mea anima id audivit à Domino dici, eo divino modo, fuit quasi attonita, afflicta ac turbata: nam una quidem ex parte illi videbatur difficile, se privare thesauro, quem acceperat, ex alia verò, quòd ipsi Dominus diceret, ut eundem illi redderet cum lucro, vehementer angebatur, & afflictabatur, ideóque respondit Domino: Domine mi, & DEUS mi, quid est hoc, quod dicis? quid est, quod mihi mandas? ut tibi restituam nummos? Domine hoc vis? atque ut tibi illos restituam cum lucro? Hoc non est possibile Domine. Utinam verò non potiùs illos dilapidaverim, malè impenderim, & defoderim in terra, quàm ijs fuerim aliquid lucrata, & auctiora reddiderim talenta, atq; utinam etiam aliquid deterius non fecerim. Eja, Anima, (dixit Dominus, cum imperio) restitue mihi nummos, quos tibi dedi, & ità, sicut tibi dixi. Cùm audirem hoc decretum Domini, obstupui, intuens Divinam ipsius Majestatem. Tum dixit Dominus: Marina, admove manum tuo pectori & cordi, ibi invenies thesaurum, quem à te peto, & mihi dare debes. Tunc admovi manum, sicut mihi Dominus mandaverat, & extraxi tres nummos, quos acceperam, obtulíq; illos Domino, & singulæ Trium Divinarum Personarum receperunt suum. Deinde dixit Divina Majestas: Bene est: modò, Anima, abundè satisfecisti, & complacuisti mihi in tua oblatione, atq; ejusdem affectibus, id quod totum significatur tribus illis nummis aureis: qua in re tibi ego priùs exhibui favorem & gratiam, quando tibi singulæ Divinæ tres Personæ dederunt donum, quod significant: Pater donum resignationis, in omnibus, & per omnia; Filius traditionem cordis, ac voluntatem, ad omnia paratam; Spiritus Sanctus autem amorem perfectum, &

contemptum omnium, quæ illum possunt impedire. Auditis his verbis, quæ erant plenissima mysterijs, & obstupescenda sui DEI ac Domini, fuit abrepta in magnam admirationem, ac ad se modicum reversa ex illo raptu, dixit Domino: Si, DEUS mi, & Domine mi, habebat in animo Tua Bonitas, exhibere mihi istam gratiam, & misericordiam, de qua locutus es completo mysterio, quare tot usus es ambagibus, ac tot vijs processisti, atque tantopere disceptâsti cum anima, neque es ipso facto exequutus, quod tuæ sanctissimæ erat voluntati consentaneum? Tu, Anima, (dixit Dominus) nescis mea arcana & mysteria, donec ego te illuminem, ideóque modò loqueris, acsi illa non intellexisses; sed ego nunc te volo illuminare, ut scias, quod ignoras. Jam tibi constat quod creaverim hominem præditum libertate, & libero arbitrio, quódque, dum illi volo præstare magnas gratias, velim ipsius dispositionem, &, licèt sim Dominus universorum, requiram ejus voluntatem, atq; ut illum pertraham ad meam, ac præstem ipsi beneficia & gratias ex mea bonitate, scis, quòd illi dem inspirationes, & impulsus, hoc, & alijs diversis modis, quærámq; occasiones ac tempus, & locum, ut illum ad me adducam, & subijciam mihi ipsius voluntatem. Hoc est, Anima, quod vidisti, & quod tibi accidit, in isto mysterio. Colliquescebat, præ summa teneritudine anima mea, dum audiret talia dici à suo Deo ac Domino, expendens tantam bonitatem & misericordiam erga suas creaturas, & non desistebat nec poterat desistere, ab ullo laudando ac benedicendo cũ lachrimis, & affectibus, inter quos fuit sibimet erepta: & quando post raptum ad se redijt, jam Dominus abiverat.

§. III.

VErùm, ut Angeli, qui viderunt prædictam repugnantiam, & homines, qui illam erant lecturi, animadverterent, ipsam non displicere DEO, quando procedit ex corde humili & cupido, ne illum offendat, usus est admirabili strategemate, quod ipsa sic refert:

Dum quodam die agerem cum DEO, vidi efformari in Cœlo à quibusdam Angelis, quandam parvam sellam ex auro, ornatam multis gemmis. Conata sum me abstrahere ab ista visione, cum longè majore vi, & resistentia, quàm soleam, dicendo, esse forsan apprehensionem meæ phantasiæ. Diu duravit hoc certamen, acsi resisterem magnæ alicui tentationi. In ista molestia vidi ab Angelis, quos comitabantur multi alij, deferri sellam ad meum cubiculum: ijdémque dixerunt meis Dominis, qui mihi assistunt, mandavisse Deum, ut me in illa ferrent ad ipsius conspectum; & in momento, cùm non possem ampliùs resistere, quàm restiterim, me in ea collocaverunt, ac tulerunt ad cœlestem Aulam. Præcedebat Angelus, ferens ramum palmæ, & in illius summitate parvam coronam. Postquam perveni ad conspectum Divinæ Majestatis & Christi JESU Domini nostri, qui ibi etiam aderat, voluissem surgere ex sella, & me prosternere coram DEO, sed non poteram, ac, præ pudore, quòd me viderem ita constitutam, inclinavi caput positis cubitis supra sellam, petens in animo meo auxilium à meis Dominis, ut me possem erigere. Tunc mihi dixit Divina Majestas: Bene veneris, Amica, arreptáq; mea manu me elevavit: atque ego me statim prostravi ad ipsius pedes. Jussit me elevari & rursum considere: ac tum injecit meo collo pretiosum torquem, confectum ex gemmis, anteriùs latum, & datâ mihi suâ benedictione, dixit: Vade in pace, vicisti enim me. Mandavit deinde Angelis, ut portarent sellam, & palmam, ad quendam locum Cœli, méq; reducerent ad meum angulum. Incepi considerare illa verba, quæ mihi Dominus dixerat: *Vicisti me*, dicebámq; illi: Tu, Domine, me vicisti, non autem ego Te; quia me resistente, Tu executioni mandavisti, quod volebas, ut auferrer in sella. Versabar in hoc dubio, interrogans Sanctum Angelum meum Custodem, quid illa verba significarent: sed postridie mihi dixit Dominus: Scias, Anima, quòd jusserim efformari hanc

hanc sellam, eámq; tibi offerri, istâ conditione, ut, si illam statim acceptares, ipsam perderes: si verò, quantùm in te est, repugnares ac resisteres, illam lucrareris. Cùm ergo tantopere repugnaveris, lucrata es ipsam, & vicisti me, quia pluris æstimas, exequi meam voluntatem, & mihi placere, quàm suscipere mea dona.

Ista ultima verba Christi Domini, bene declarant sublimitatem finis, ad quem dirigebantur istæ repugnantiæ, qui erat, ut anima esset magis aliena à resistendo Divinæ voluntati, quam æstimat præ ceteris donis.

***

CAPUT IX.

Quomodo DEUS illi dederit quendam pretiosum librum, propriorum meritorum & mysticam clavim suæ Divinæ Voluntatis, ad obtinendum, quidquid à se peteret, additâ causâ, ob quam ipsi exhiberet has gratias.

§. I.

PAulò post susceptam gratiâ trium illorum nummorum, dum alio die (in Decembri Anno 1618.) agerem cum DEO, vidi derepente Angelum quendam ex Supremis cum libro parvo aperto, quem tenebat in manu. Hic quasi dissimulanter, ne turbaret meam timidam animam, me aspiciebat, & contemplabatur suum mysticum librum, nullo mihi dicto verbo. Averti ab hoc spectaculo oculos, attendendo ad sacrum, quod audiebam, jam enim elevabatur Hostia, atq; tunc petivi à DEO lumen, sicut soleo. Jussit me Divina Majestas aspicere denuò Angelum, ipsúmq; audire: & ego memor magnæ repugnantiæ, quam ostenderam in præcedenti visitatione, continui me, congessíq; rursum reverenter oculos in Angelum, dicendo ipsi: Quid jubet Angelus DEI? respondit mihi: Venio, Anima, nomine DEI, ut feram tibi hoc donum, istum pretiosum librum, suscipe illum in nomine ipsius, cum reverentia & gratiarum actione. Ego, nonnihil timens, ac turbata, illi dixi: Desidero implere voluntatem DEI; si ipse vult, ut accipiam istum pretiosum librum, faciam: sed expectame modicùm, quia vado ad DEUM, & statim redibo. Tacuit Angelus, & exspectavit me: non poteram autem unquam avertere oculos à mystico libro, qui constabat ex duabus tantùm tabellis, in quarum una erant sculpta & expressa omnia mysteria vitæ & passionis Christi Domini, in altera verò, mysteria & gratiæ, quas DEUS mihi exhibet, quamvis id non sufficienter intellexerim. Angelus rursum dixit: Accipe anima hoc donum DEI, & serva illud intra te ipsam. Postquam hoc dixisset, vidi Majestatem Domini, qui accepit librum, quem habebat Angelus, ac dedit mihi. Ego illum suscepi ex ipsius manu, cum reverentia & gratiarum actione. Postquam autem ipsum accepissem, mirabiliter mihi mutatus est in aurum purissimum, & gemmas. Servavi illú intra me, cum magna admiratione, desiderans scire mysteriú hujus Divini libri. Tunc Dominus Majestatis dixit: Volo satisfacere tuo desiderio, & declarare tibi mysterium. Noveris, quòd ego ex mea bonitate, in hac figura libri mystici, tibi dederim ac tradiderim applicationem valoris meorum meritorum vitæ meæ, & sanctissimæ Passionis, atque tua opera ac virtutes & gratias, quas à me suscepisti: omnia

omnia tibi tradidi, ac profiteor mihi esse solutum & satisfactum eo, quod tibi do, pro quibuscunq; tuis debitis, & pro omnibus, quorum ego à te exsolutionem possem exigere: sicut si aliquis haberet scripturam magni valoris adversus suum debitorem, dicerétq; illi cum magna charitate & amore: Accipe, amice, istud chirographum, quod habeo contra te, & serva illud; ego enim protestor, mihi esse satisfactum, & solutum pro omnibus, quæ mihi debes, téq; ab omni debito liberum pronuncio, amore DEI, in perpetuum. Dum mea anima hoc audiret dici à suo DEO ac Domino, agebat illi cum insolitis affectibus & lacrymis magnas gratias, summéque ipsum laudabat, atque ità mansit in ecstasi.

§. II.

NOn multò pòst (in eodem Decembri anno 1618.) agens cum DEO, vidi duos Angelos, utrumq; cooperientem caput duabus alis, & alijs duabus pedes, videbantúrq; præter morem admirari bonitatem DEI, quâ agit cum suis creaturis. Ambo tenebant, ex sua quisque parte, pretiosam & grandiusculam clavim, ex auro purissimo & splendidissimo, erántque tecti quasi aliquâ nubeculâ. Avertebam me ab aspiciendo isto mysterio, propter meos timores, & cogitabam, quid hoc posset esse, & qualisnam esset ista clavis. Subitò autem Dominus Majestatis accepit clavim, & accedens ad me, dixit mihi: Anima mea, suscipe ex manu mea hoc donum, quod tibi offero, & istam clavim mei cordis ac voluntatis; serva illam intra te ipsam, atque plurimùm æstima. Eram attonita, & quasi mihi erepta, quod ignorarem significationem hujus mysterij, dixitque mihi Dominus: Explicabo tibi, quid significet, & quod non intellexisti: est autem, quòd tibi præstem favorem & gratiam, per hanc tibi repræsentatam clavim mysticam meæ voluntatis, ut quotiescúnque volueris, à me quidcunq; petere, concernens bonum animarum, & gloriam meam; quamvis sit aliquid temporale, modò sit expediens, totum à me obtineas, atq; ego tibi id concedam, quàm promptissimè & libentissimè: adeóque, sicut, si aliquis Rex, tantam præstaret gratiam alicui suo magno intiméq; charo ministro, ut illi traderet clavim sui gazophylacij ac thesauri, in quo habet pretiosissimas ac selectissimas res suas, ut illuc ipsius clavi ingressus, inde efferret, ac distribueret suis amicis, & notis, quidquid vellet eiq; placeret; ità nunc ego tibi, hoc modo, exhibeo istum favorem & gratiam, de qua tibi dixi. Obstupescens, ac tenerè amans tantam bonitatem & misericordiam mei DEI, agebam ipsi ardentissimis affectibus magnas gratias, & laudabam illum, tam propter id, quod est in se ipso, quàm ob ea, quæ præstat suis creaturis.

Interea fui recordata misericordiæ, quam mihi DEUS pridem exhibuerat, dando mihi subscriptionem in pura charta, ut in illa peterem, quidquid esset conforme ipsius voluntati, & dixi illi: Domine, dic mihi, per tuam bonitatem, quomodo ista gratia, quam mihi contulisti dando mihi hanc pretiosâ clavim tui cordis & voluntatis, differt ab illa, quam mihi dudũ præstitisti, dando mihi subscriptionem in charta pura, cujus nunc memini? respondit Dominus: Ingens est discrimen, quia gratia, quam tibi contuli, dum tibi dedi illam subscriptionem, erat similis gratiæ, quam concederet prædictus Rex intimè sibi charo ministro, non dando ipsi clavim sui gazophylacij & selecti thesauri, sed facultatem distribuendi alias res ipsius pretiosas & æstimabiles, non tamen tam reconditas, & Regi charas.

§. III.

AUditis his à Domino, dixi illi cum humillima cognitione meipsius: Estne possibile, mi DEUS, & mi Dominc, ut velis exhibere similes misericordias huic sordido & abominabili sterquilinio meæ animæ? quales, mi Deus, habere potes causas, ut id facias? Multas habeo, respondit Dominus:) sed dicam tibi tantum istam, quæ est præcipua. Ego, Anima, ut tibi

tibi præstem meam gratiam, respicio magnum timorem & circumspectionem, cum qua vivis, & procedis in omnibus occasionibus, quæ tibi offeruntur, ac in omnibus misericordijs, quas à me suscipis, atque resignationem in omnibus & per omnia in meam voluntatem, nec non firmum decretum, quod habes, sequendi meam voluntatem in omnibus, quæ intellexeris ipsi esse conformia, etiam in modicissimis & minimis rebus, proterendo idcirco vniversa pedibus. Fui consternata, dum audirem, talia dici à Domino, expendénsque magìs meam miseriam, quàm aliquam mei ipsius curam gerens, dolebam. Multùm me humiliando, ut non attendens ad ea, quæ mihi Dominus dicebat, ipsi dixerim: Sit ità, licèt, Domine, sicut dicis: hactenus tamen non habui quidquam speciale, quod tibi potuissem offerre, vel pro te pati; & si tale quid haberem, nescio, quid ageret mea miseria, & quomodo responderem obligationi, quâ tibi sum obstricta, pro tuis beneficijs. Respondit Dominus: Hoc ego quidem, Anima, optimè novi si tu ignoras. Id quod ego video, Domine (ajebam ego) est, quòd dum extraordinariè affligor, ac vexor in corpore, doloribus & cruciatibus, à te petam levamen, quamvis cum resignatione, si sit tua voluntas. Tum mihi Dominus respondit: Quid verò mali facit aliqua anima, si facit ac dicit idem, quod ipsius DEUS ac Dominus dixit in sua passione? nihil potest agere melius, quàm si ipsum imitetur.

Ego reposui: Considera, Domine, meam miseriam ac ineptitudinem, & nè hoc dicas: Adverte, illam esse tantam, ut omnes istas misericordias, quas mihi exhibes, prodigam, & malè impendam, quódque, licèt initio sentiat anima suum commodum & bona, statim obliviscatur omnium, & nihil proficiat. Respondit Dominus: Bene loqueris, sicut judicas: sed dic mihi, ánne ideo non esset aliquis valde dives & locuples, si quis Rex ipsi sæpissimè daret thesauros, sibi servandos, quos ille conservaret solicitè, quia non semper ipsos versaret manibus, séque illis oblectaret, sicut faciebat initio, quando Rex primùm illi singulos seorsim dabat? Non profectò, sed tandem progressu temporis se inveniret ditissimum ac felicem. Ità se habet, Anima, suo modo, quod tibi accidit, cum his gratijs. In ista communicatione fui abrepta somno quodam spirituali, affixa pedibus Domini, & expergefacta reperi me ità immutatam, ut difficulter possem dare operam rebus exterioribus. Verùm quando Dominus mihi conferebat gratiam, dando mihi illam clavim, venit mihi in mentem, an ea promissio DEI, intelligenda esset, de rebus particularibus, quas ab illo peterem; an universim? Responditq; mihi Divina Majestas, intelligendam esse de qualicunque re particulari; non tamen de omnibus universalibus in genere, ut, si ab illo peterem conversionem omnium hominum, quandoquidem ipsius misericordia non debeat derogare justitiæ.

Aliquot diebus ab hac visitatione præterlapsis mihi dixit Marina, quòd, cùm vellet petere aliquid à DEO, ipsi contigerit, ut se non posset excitare ad illud petendum, quasi dependeret in eo petendo ab alterius voluntate. Ego ipsi respondi, magnum nostrum DEUM habere clavim voluntatis suorum servorum, aperiréque ipsam per inspirationem, & movere illos, ad petendum id, quod Divinæ ejus Majestati placet: ipso verò non aperiente, esse voluntatem illorum quasi clausam, neq; se applicare ad petendum eo fervore, quo aliàs petunt, atq; hoc illum facere, quando propter sua arcana judicia non vult aliquid concedere, quod, nè ipsis neget, facit, ne à se petant.

CAPUT X.

Quomodo DEUS illi miſerit quendam myſticum florem, quo confortaretur, additis alijs cauſis inſignium gratiarum, quas ei præſtabat deſumptis ex deſponſatione ſpirituali, & quomodo ipſam ditaverit myſticis nummis aureis, non dicendo illi, quid ſignificarent.

Deò Venerabilis Marina percellebatur raris gratijs, quas illi DEUS præſtabat, ut ipſi quavis vice redderet novas illarum cauſas, & rationes. Unā præcipuam, ac repetitam adferemus, deſumptam ex ejus deſponſatione ſpirituali, cujus toties facta eſt mentio.

§. I.

QUadam vice, *ait:* dum eſſem afflicta doloribus mei corporis, ac tolerarem quandam internam crucem moleſtiſſimam, vidi deſcendentem ex altitudine Cœli quendam Angelum DEI, qui veniebat, præſeferendo lætitiam & gaudium, dicens, quando jam mihi appropinquabat: Anima mea, & creatura DEI, lætare & gaude in ipſo; vide, quale tibi feram donum DEI; vide, quid tibi mittat Divina Majeſtas. Atq; hoc repetebat aliquoties. Ità ad me acceſſit, uno genu humi defixo (unde ego fui turbata, ac vehementer extimui) & vidi, quòd ferret in ſua manu pulcherrimum, atq; pretioſiſſimum florem, qui, dum ego illum aſpicerem, incepit coruſcare, inſtar lucidiſſimæ ſtellæ. Accipe, anima, (dixit Angelus) hoc cimelium, quod tibi adfero miſſum à DEO, neq; eo turberis, quod me vidiſti facientem, quia nos Angeli DEI ſumus ſervi & miniſtri ipſius ſervorum & Amicorum. Videns me urgeri ab Angelo, ut ſuſciperem illum pretioſum florem, ſuſcepi ipſum, & ſumpſi ad meam manum: ſtatim autem ac illum apprehendi, incepi & ego reſplendere inſtar clariſſimi ac pulcherrimi ſolis, & Angelus mihi dixit: Anima, cuſtodi & conſerva intra te ipſam hoc cimeliū, quod tibi Dominus miſit. Tunc ego illum poſui & ſervavi in meo pectore, & intra me, ſtatimque illâ pretioſâ theriacâ fuerunt curati mei dolores, & cruciatus mei corporis. Dixit autē mihi Angelus: Anima ſcisne hujus rei cauſam? adverte, quòd, dum Rex quiſpiam, vel Imperator, ſibi vult deſponſare filiam alicujus Principis, ad indicandum & ſignificandum, ſe velle ipſi eam magnam gratiam præſtare, mittat illi aliquod monile, vel annulum pretioſum pro dono. Ecce, ita tecum ego Magnus Rex Regum & Dominus dominantium: atq; licèt verum ſit, tibi aliàs ab ipſo præſtitam eſſe iſtam gratiam, modò tamen denuò ipſam confirmavit. Præterea iſte pretioſus & myſticus flos, quem tibi Dominus mittit, eſt etiam figura & ſymbolum amoris æterni, & infiniti, quo te amavit à ſua æternitate, quando illa Beatiſſima Trinitas decrevit, te creare & accenſere numero ſuorum Fidelium, dareq; tibi ſuum ſanctiſſimum Filium, pro tua redemptione, ac liberatione, & conferre tot auxilia, ut ſalvaveris, tandémque ſeipſam donare in æternitate bonorū: æſtima magni Anima, iſta beneficia inæſtimabilia, & miſericordias Domini, atque animadverte, iſtud pretioſū cimeliū, & hunc Divinum florem, futurum inſtar theriacæ contra omne venenum, propterq; ſuavem ipſius odorem fugiturum à te, nec tibi nociturum vel obſuturum diabolum, ſicut bonus & ſuavis odor fugat peſtem, & malos odores. Age nunc, Anima, his intellectis, quid velis, ut dicam Divinæ Majeſtati, quo nomi-

nomine? quid per me nuntias, & quod indicium præbes gratitudinis, pro tanta gratia, quam accepisti? consideratis & intellectis his misericordijs, quas mihi DEUS exhibebat, tam magnas ac sublimes, quodammodo obmutui, dixíq; illi: Sanctissime Angele DEI, nescio, quid dicam, obmutesco, & erubesco, confusissima ac miserabilis, ut possim respondere eâ reverentiâ, amore, & gratitudine, quam debeo tanto Domino, ac tali bonitati, & magnæ misericordiæ: dic, meo nomine, Domino meo, quod tibi visum fuerit, & scis, mihi esse faciendum. Bene habet, Anima (dixit Angelus) faciam sicut dicis: dic tamen & tu modò pro tuo genio ac sensu, & capacitate aliquid, quod ego tuo nomine dicam Domino: quia hoc divinæ Majestati placebit, eritq; gratum. Ergo, sancte Angele ajebam, si ità est, refer meo Domino, me indignam ipsius famulâ & Ancillam dicere, ut benedicatur, adoretur, & glorificetur in perpetuas æternitates, in omnibus suis creaturis millies, iterúmq; millies, pro eo, quod est in semetipso, & quod est erga nos suas pauperes creaturas, propter omnes suas misericordias ac beneficia, generalia & particularia, quæ nobis semper præstitit ac præstat: speciatim verò pro ista gratia & favore, quem mihi nunc denuò exhibuit, & per quem illum oro & obsecro, quàm humillimè possum, ut mihi præstet etiam istum, ut sciam cognoscere & conservare istam novam misericordiam, quam ab ipsius Divina Majestate suscepi, eidémque respondere. Optimè (ajebat sanctus Angelus) dixisti, plurimùm mihi satisfecisti; Dominus Majestatis suscipiet libenter, quod ipsi significas, præstabitq; tibi propterea, & propter suam bonitatem multas gratias. Vale.

§. II.

Multò meliùs declaravit DEUS, quod dixerat Angelus, eâdem similitudine, hoc modo: Postquam accepissem à Deo multas & maximas gratias his diebus (in Decembri anno 1621.) dixi DEO, cum magno affectu: DEus mi, & Domine mi, quis credet hos favores, & tam magnas & insolitas misericordias, quas mihi exhibes, cum ego ipsa, quæ illas suscipio, & non possum dubitare de illarum veritate, obstupescam ac admirer tuam infinitam bonitatem, tantámq; misericordiam, quam præstas creaturæ tam malæ, & peccatrici, qualis sum ego? Audivit me DEUS, & peramanter mihi respondit: Ne te id consternet, Anima, quia amor, quo ego feror erga homines, est infinitus; nónne plus fuit, quòd sim factus homo, & passus pro vobis? ità sanè. Considera, Anima, dixit Dominus, non fore magnopere mirum, si quispiam Rex, qui sibi desponsavisset per procuratores, aliquam Principem alienigenam, & alterius regni, ipsi mitteret cimelia, pannos pretiosos, & vestes auro argentóq; graves, ex suo regno: si etiam ad illam ablegaret nonnullos suos Ministros, qui ei offerrent aliquas ipsius effigies, & alias res hujusmodi, ad demonstrandum illi, hac ratione, amorem, quo ipsam prosequitur, & magnitudinem sui regni, ac suam, suarúmq; divitiarum: non profectò, non esset hoc adeò mirabile, imò meritò fieret. Id ipsum autem ego tecum facio, mea es, & te mihi desponsavi, accepi te in sponsam, ideoq; tibi dono mea cimelia, meas effigies, mittóq; ad te meos ministros, sanctos Angelos, qui tibi assistant, te juvent & custodiant; exhibeo tibi Imagines Beatitudinis, & varijs utor modis, ut agnoscas meam, & regni mei amplitudinem. Unde noli obstupescere, neque mirari id quod tecum ago.

Adamus, quod illi dixit Dominus, eâdem adhibita similitudine, ad idem propositum, tempore cujusdam gravis cruciatûs, ut ipsa refert (Anno 1615.) hunc in modum. Toto hoc tempore, quo patiebar terribiles dolores, mihi exhibebat Dominus magnas & extraordinarias misericordias, monstrando mihi immensitatem sui divini Esse, ducendo me ad cœlestem Jerosolymam, manifestando mihi suam præsentiam in sanctissimo Sacramento, & reliqua hactenus recensita, ideóq; consternata & stupens, quod DEUS his mensibus

præstaret tot ac tantas misericordias huic suæ ancillæ indignissimæ, vilissimæ, & miserabilissimæ, plenissimæque defectibus, præ omnibus creaturis DEI, dixi Divinæ Majestati: Quomodo, Domine mi, ita agis? ecce sum pauper & miserabilis, ac millies pauper & miserabilis: ideóq; vehementer metuo, nè non respondeam tantis misericordijs; imò, quantum est in me, credo sine dubio, me omnia profundere, instar vasis argillacei, malè excocti. Respondit Dominus acdixit: An ignoras, quòd, dum Rex aliquis & Princeps agit, ut sibi desponset, quam sibi delegit, quia ità ipsi libet facere, adveniente jam tempore nuptiarum, priùs illi mittat multa cimelia ac dona, & gemmas exquisitissimas ac pretiosissimas in signum & pignus eorum, quæ, sine comparatione plura, illi donaturus est, ac traditurus die nuptiarum, & quando ipsam deducet ad sua regna suámq; aulam, ac regium palatium? ità nunc fit, & quia me intelligis, nihil tibi dico ampliùs, quam hanc esse rationem, quâ respondeo tuæ admirationi, & humili repugnantiæ.

§. III.

TAndem, quadam vice illam ditavit, multis mysticis nummis aureis, quos ipsi Dominus contulit, non manifestando illi, quid significarent, sæpè enim vult occultare bona, quæ nobis confert, ut discamus vivere in fide, & subjectione judicij. Dum quodam die agerem cum DEO, post sacram Communionem, inter ardentes affectus amoris, quo ipsum complectebar, dixi: Ah Pater mi! ah, Domine mi! invocando Divinam Majestatem. Dominus mihi respondit, pro sua bonitate: Quid vis, Anima? Ego dixi: Pater ac Domine mi, dona mihi aliquam eleemosynam. Et Dominus respondit: Sit ita, accipe, cùm ità anheles, ac desideres aliquid accipere: deditque mihi Dominus, inijciens illos in meum sinum, & quasi intra meipsam, multos nummos, ex auro purissimo, & alia pretiosa cimelia, quibus acceptis fui summè ditata, & repleta mille bonis ac thesauris: omnia strinxi, nesciens quid esset, neq; intelligens, qualia bona haberem, nisi, quòd ilis abundarem. Fui aliquantulùm mihi erepta, considerans magnitudinem horum divinorum & cœlestium thesaurorum, ac desiderans illos agnoscere. Interrogavi meum Dominum, ut mihi dignaretur dicere, qualia bona illa essent, quæ acceperam, & ejus Majestas mihi dederat, quòd tantopere ipsis sim ditata. Dominus, quasi dissimulanter, mihi dixit: Bene, Anima, bene. Ego videns, Dominum tacere, ac adhuc desiderans scire, qualia essent ea bona, dixi meo sancto Angelo Custodi, qui aderat: Mi Domine, si scis, qualia sint bona ista, dic mihi. Sanctus Angelus respondit: omnino scio, ne tamen tu id velis nunc scire: da mihi istos thesauros, quos ego tibi servabo. Ego dixi: Accipiat meus Dominus Angelus. Et postquam extendisset S. Angelus magnum linteum, in quo erant quinq; vulnera Christi Domini, quàm vivacissime expressa, injeci in illud omnes eos nummos ac cimelia, quæ Angelus in eo linteo superimposuit humeris. Ego id fui mirata, ac dixi: Domine Angele, quomodo hoc fit, quòd omnia cimelia, quæ mihi Dominus dignatus est dare, mihi auferat & servet intra seipsum? Sanctus Angelus respondit: Dum ego tibi aufero cimelia, & ea servo intra me, juvo te, ut illa intra te conserves. Quòd autem imposueris linteum humero, quid significat Sancte Angele? Nónne scis (ajebat) quòd DEUS nobis commendaverit custodiam & protectionem vestri; ideóq; in omnibus vestris vijs vos juvamus, vobis succurrimus, & vos portamus in volis manuum, ac super humeros. Adhuc non contentus eo, quod S. Angelus mihi dixerat, convertit me ad Dominum, & dixi: Obsecro nostram Majestatem, mi Domine, ut mihi, si placet, dignetur dicere, qualia sint ista dona, quæ accepi tam mirabilia, per quæ tantopere sum locupletata & repleta bonis? Dominus mihi respondit: ne mirere, quòd illa non cognoscas, nec intelligas, non enim omnes gratiæ & favores, quos ego

ego præsto meis servis, & ipsi suscipiunt, cognoscuntur ab illis & intelliguntur: imò frequenter assequuntur magnas meas gratias, non intelligentes, quid assequantur, & habeant. Ità siquidem expedit: Sicut, si hìc aliquis Rex diceret suo Filio, Infanti, hæredi suorum regnorum: Ecce Fili, es Dominus Hispaniæ, Flandriæ, & non diceret illi; es Dominus Jndiarum, & aliarum regionum, aliarúmq; provinciarum, propter exiguam ipsius capacitatem; ità ego vobiscum ago: quia licèt vobis manifestem aliquas gratias & favores, quos vobis exhibeo, alios taceo, propter vestram exiguam capacitatem, & quia ita vobis expedit. Hoc dictum Domini mihi mirè satisfecit, cui magnas egi gratias, pro omnibus istis operibus.

Fortasse isti aurei nummi significabant speciales actus meritorios, & heroicæ virtutis, quos inadvertenter eliciebat, dum susciperet gratias, vel fuerunt illi dati, propter mysterium, quod referetur sequenti Capite.

CAPUT XI.

Quomodo ipsi DEUS, per mirabiles visiones ostenderit paupertatem, ac nuditatem animæ, secundùm se spectatæ, etiamsi possideat multas divitias spirituales; & qua ratione, dum illas DEO reddit, easdem recipiat auctiores.

Sublimissima documenta perfectionis manifestabat DEUS in visionibus suæ famulæ, modò ipsi adumbrando ea, quæ habebat, quamvis occulta, modò eam docendo, quæ illi erant observanda ad majorem indies progressum faciendum in sanctitate. Inter hæc maximè notabile, meo judicio, fuit, quòd illi depinxerit, quàm vivacissimè paupertatem ac nuditatem animæ, secundùm se considerata, quamvis ex divina gratia sit ornata magnis divitijs spiritualibus, & quomodo se illis spoliando, ut ipsas offerat suo DEO, easdem recipiat longè auctiores.

§. I.

DUm, *inquit*, quodam manè agerem cum DEO, excitavit sua Majestas in mea anima affectum ferventissimum, & ardentissimum amoris ac desiderij, ut ab illa peterem aliquid, concernens bonum meæ animæ: & nesciens, quid peterem, vel quid dicerem, dixi Divinæ Majestati: Domine mi, & Dilecte meæ animæ, dona mihi aliquid, da mihi aliquid per temetipsum, Dilecte mi, quod repetebam cum vehementi affectu, addidíque deinde: Si, Tu, mihi Domine, aliquid dederis, ego tibi dabo, quod habeo. Quamvis autem id dicerem, mea tamen anima nesciebat, haberétne quidquam, quod posset dare suo DEO, propter suam summam paupertatem. Sed præ desiderio ejus, quod petebat, promisit, quod se habere ignorabat, disponente ita rem DEO, ut inde eliceret, quod habebat in animo. Cùm sanctus Angelus meus Custos audiret hos fervores, ut anima mea videretur sibimet eripi, imponens digitum ori, quasi me vellet terrere, dixit: quid est hoc, Anima? quid est hoc, quod dicis, ut videaris, non esse tui compos: nunquid fortè habes aliquid ex te ipsa, quod possis dare tuo DEO? insuper quod habes, & accepisti ab illo, jam ipsi dedisti ac obtulisti frequen-

ter: adverte quid dixeris, & obtuleris tuo DEO, quia te ad multum obligavisti: considera, quomodo possis stare promissis. Audiens hæc dicta, adeò divina ac plena mysterijs, vehementer obstupui, & fui consternata: interea verò conspexi Majestatem Christi JESU Domini nostri, qui erat stipatus multis sanctis Angelis, & gravi quodam ac suavissimo modo, paulatim ad me accedens, quasi descendendo per quosdam gradus, mihi dicebat: Eja anima, præsta quod mihi promisisti, & vide quid habeas, quod mihi des, ego enim ideò venio. Atq; hoc dicto magis magisque mihi Dominus appropinquabat, & extendens suam sanctam manum apprehendit, cum summa gravitate, oram pallij, iterúmq; dixit: Age, anima, hîc impone, quod habes, mihi dandum. Vehementer fuit turbata mea anima, audiens ac videns sanctam perseverantiam sui DEI in ista petitione, cúmq; se adverteret esse pauperrimam, ita ut nihil haberet, quod ipsi offerret, circumspiciens intuita est suum Sanctum Angelum Custodem, dixítq; illi cùm verecundia & pudore: Mi Domine Angele, habétne ipse fortè aliquid, quod mihi det, ut illud offeram meo Domino. Sanctus Angelus me aspexit, & præseferens quandam quasi erubescentiam, dixit: Non, Anima; ego nihil habeo, quod tibi dem, ut offeras tuo DEO, quia totum esse, & gloriam quam habeo, accepi & accipio ab illo ideóq; omnia sunt ipsius. Itaq; eram confusa & afflicta: adhuc tamen illum aspiciebam, cum nescio qua occulta confidentia. Videns me ità constitutam Angelus, & ostendens, se dolere meas vices, dixit mihi: Exspecta, Anima, videamus; & imponens manum intra seipsum, exemit mysticè grandem thesaurum gemmarum, quas ante aliquos dies mihi dignatus erat donare Dominus, imponénsq; illas suo pallio, mihi dixit: Accipe, Anima, hunc thesaurum, quem accepisti à tuo DEO, & redde illum ipsi. Fui valde recreata hac re, & rogavi S. Angelum, ut ipse illum afferret Domino, nomine meo, eò quod ego essem indigna id facere: Sed Dominus DEUS meus, qui præsens aderat, dixit: Non, Anima, non sic oportet fieri, quia tu ipsa mihi debes offerre hoc munus; humilia te, ac noli tergiversari, & fac, quod tibi dico. Tunc assumpsi nonnihil animi, & quamvis tremerem ac sudarem, incipiebam utraque manu colligere ex pallio S. Angeli illos thesauros, inijciebámq; ipsos in pallium Christi Domini, donec nulla gemma superesset: deinde Dominus complicuit pallium quàm gravissimè, dixítq;: Bene est, Anima mea, vale. Ego enim abeo. Atq; ità rapta sum in quandam ecstasim, ut non viderim abeuntem Majestatem mei DEI.

§. II.

VErùm reversa deinde ad me, & intuita me ipsam, deprehendi me pauperrimam, pessimè vestitam, laceram & pannosam, ut nihil in me haberem, quod mihi posset prodesse, imò quod me non posset pudefacere. Cùm me talem viderem, obstupescebam & erubescebam dicebámque ac repetebam identidem clamando, vehementer dolens, & specialiter illuminata à DEO. DEUS me adjuvet! talisne sum ego? DEUS mi, talis ego sum? & tantáne est mea miseria, ac summa egestas? atq; hócne est, quod habeo ex me ipsa, & mihi relicta? Dum ita essem confusa & pudefacta, Dominus Majestatis, misit ex Divino suo secreto Angelum ad illos, qui mihi aderant, & ad meum Custodem, per quem ijs mandabat, ut me adducerent ad Divinum ipsius conspectum. Videns hoc mea anima, fuit valde afflicta, quia non sciebat, quomodo sibi esset comparendum coram Domino Majestatis, tam pauperi ac pannosæ, & recordabatur, quid Dominus dixerit illi, qui venerat ad convivium non habens vestem nuptialem, ac timebat, ne idem sibi contingeret: ideóq; aspiciebam meos sanctos Angelos, & dicebam illis, timens: Mei Domini, quid facient mecum? quomodo me ita ducent ad conspectum Divinæ Majestatis? habebuntne fortè aliquem ornatum, quem mihi dent, ut me cooperiant?

Ut

Illi responderunt aliquantum graviter: Non, soror, non habemus ullam vestem, quæ tibi conveniat, ea enim, quam nos gerimus, tibi non quadrabit. Hoc audito, quod mihi dixerant, remansi confusa. Videns me ità constitutam meus Dominus Angelus *Parvulus Paranymphus*, dixit quàm amantissimè: Bono animo esto, soror, nè te afflige, ecce hîc meum pallium, quo te cooperias. Et hoc dicens, deposuit illud ex suis humeris, imposuitq; meis, quo tota fui bene tecta, ac decenter exornata: etiamsi enim Sanctus Angelus fuerit tam parvus, in sua specie, quàm est puer duorum vel trium annorum, mirabiliter tamen me à capite usque ad pedes texit. Egi ipsi magnas gratias, pro favore mihi præstito, & charitate, quam mihi exhibuerat, fuiq; repleta solatio ac recreata. Deinde ad me accessit Sanctus Angelus meus Custos, & cæteri mei Domini, complacentésq; sibi in meo solatio, me duxerunt ad cœlestem Jerosolymam, sicut illis Dominus mandaverat, præsentaverúntq; conspectui Beatissimæ Trinitatis, ubi me prostraverunt. Dominus Majestatis me aspexit oculis benignissimis, dicens: Surge, Anima mea, surge & accede ad me: postquam enim tu implevisti tuum promissum, dando mihi, quod potuisti, & ego à te amanter petieram, æquum est, ut tanquam omnipotens ac dives, tibi illud restituam longè auctiùs. Et postquam hoc dixisset Dominus, reperit se mea anima in illo ipsius Divino esse admirabiliter cum eo unitam, ubi mihi manifestatum fuit sacratissimum mysterium Trinitatis, & omnium Trium Divinarum Personarum, Unius DEI, quæ admirabilissimè, & spiritualissimè adornabant ac ditabant meam animam talibus divitijs & cœlestibus thesauris ac Divinis, ut nulla lingua possit explicare, neq; intellectus assequi, quales illi splendores, divitiæ, ac thesauri cœlestes fuerint. Spectaculo hujus mysterij aderant infiniti Angeli DEI, & omnes admirabundi ac attoniti, propter bonitatem sui DEI, dicebant: Quæ est ista creatura? quæ est ista anima, quam Dominus Majestatis ita adornat ac ditat? & laudabant ac benedicebant suum DEUM & Creatorem. Divina Majestas prosecuta est aliquamdiu istud mysterium, & mea anima permansit in illa felici unione, ac deinde ipsam suavissimè & paulatim ille Dominus à se dimittebat. Dum autem comparuisset in Divino ejus conspectu, dedit illi suam sacrosanctam benedictionem, conferendo ipsi, per illam, magna bona, & dicendo: Vade jam in pace, donec adveniat dies desponsationis, & nuptiæ in æternum duraturæ. In omnibus punctis horum mysteriorum, illuminabat me Dominus secretè, ut intelligerem eorum significationem: ità tamen, ut mea anima magis esset intenta illis figuris mysticis, eliciendo affectus, & amando suum DEUM, ac affluendo Divino solatio, quàm illarum significationi: ùt quæ vestiebar, ac denudabar iterúmq; ditabar, penitus ignorans, quare mihi talia repræsentaret ille Dominus, qui me valde amat, & quem ego tantopere amo, ac in qno confido, totam me committens ipsius manibus. *Omitto deinitio dictum est, significaverit, quia jam clarare, quid hoc & per se patet.*

§. III.

E*Andem veritatem ipsi manifestavit DEUS alio modo (in Augusto, anno 1618.* Cùm, *ait*, nihil tale cogitarem, vocaverunt me quatuor mei Domini Angeli, dicentes mihi: Audis, soror, aspice huc. Et vidi Sanctum Angelum *Minimum*, flexis genibus ante illos, cum pelui in manu: illi autem habebant in suis manibus catenam auream crassam, & valde longam, quam sunt osculati, & posuerunt supra pelvim, ac deinde protulerunt quædam instrumenta musica, similitérq; collocaverunt in pelui. Surrexit Sanctus Angelus, & tulit ad conspectum DEI illam pelvim, cum catena ac instrumentis? & inceperunt personare atq; canere demisso tono, magnâ suavitate, laudes DEI, ageréq; illi gratias pro favoribus, quos exhibet suis creaturis. Catenam verò accepit meus Sanctus Angelus Custos, & osculatus est illam

illam reverenter, posuítq; ad meum collum, trina circumvolutione, erat enim magna, in memoriam Sanctissimæ Trinitatis. Deinde me duxerunt ad conspectum Divinæ Majestatis, ubi me allocutæ sunt tres Divinæ Personæ, quasi unâ eâdémq; voce, & vocando me de nomine, dixit: Marina, aspice donum, quod tibi dedi, quid mihi pro illo dabis? Ego respondi: Mi Domine, non habeo quod dem, quia sum pauper creatura tua; Si tamen totus mundus esset meus, totum tibi darem. Tunc mihi Dominus dedit extraordinarium lumen, ut cognoscerem totum mundum, ipsiúsq; divitias & regna, dicendo mihi: Vidésne illum hic? ego tibi illum do, tanquam tuum, tuæq; dispositioni committo (id quod dicebat tam seriò, ut mihi videretur totus esse meus, méque esse ipsius Dominam:) dabísne nunc mihi illum? Ego respondi: omnino, Domine, dono tibi illum, & meipsam, meámq; voluntatem, fac de me, quod volueris. Dominus autem mihi respondit: Plurimùm mihi hac in re placuisti, maximè verò, quòd mihi tradideris tuam voluntatem. Vidi subitò, me habere stellas splendidissimas in meis manibus & pectore, in pedibus autem signa quædam nigra instar carbonis, & pulveris carbonarij. Ego nesciebam, quid hoc significaret. Aliquantò autem pòst, intellexi illa signa nigra in pedibus, mihi fuisse data, ut ea aspicens, quando mihi viderem exhiberi aliquem favorem, me humiliarem, ac scirem, illud solum esse meum, cætera verò DEI.

Intellexi præterea, in his visionibus illuminata à DEO, modum, quo ordinariè Divina Majestas dat Divinas inspirationes hominibus, quia in primis ab ipsius Majestate aliquid inspiratur Angelis, & ab illis homini. Sanctus autem Angelus Custos solicitat eam inspirationem, ac deinde DEUS præbet suum efficax auxilium, stímq; homo consentit illi Divinæ inspirationi: aliàs autem hæc omnia DEUS facit per se ipsum, licèt priùs illud sit ordinarium.

CAPUT XII.

De alijs documentis sublimissimæ perfectionis, quæ illi DEUS dedit, de solidis, & heroicis affectibus, quibus obtinetur æterna gloria.

§. I.
Quomodo DEUS cognoscat nostros affectus.

DUM aliquando manè agerem cum DEO, videréq; mihi, cum magna mea confusione, coram ipso comparere, sine affectibus, quos me oporteret habere, sine reverentia & amore, aliísque ejusmodi; dixi ad DEUM, magno cum dolore: verè, mi Domine, ego coram te compareo, acsi compareret aliquod jumentum, coram magno Rege, absq; ullâ apprehensione, vel cognitione illius, in cujus versaretur conspectu: hoc unum mea anima, ex toto corde, & intimè optat, ut semper versetur in tuo conspectu, & coram te, cum omnibus illis ardentibus, incensis desiderijs, quæ tu à me requiris, reverentiæ, fidei, amoris & confidentiæ, ac resignationis, cæterísq; omnibus, quæ tibi placerent: hoc mea anima summè desiderat, ac vult. Cùm id dixissem DEO, respondit mihi Divina Majestas: Anima

mea, omnia, quæ intimè & ferventer desideras, video, & in illis defigo meum obtutum, ijsdémq; acquiesco, & sum contentus, licèt tibi videaris, quoad ea, quæ magis patent, & non sunt adeò interna, esse tam tepida, quàm dicis, & sicut conquereris: mei enim oculi, ac mens Divina semper respicit secretiora animæ, ubi sita est firma ipsius voluntas, & intima ejusdem desideria, ac veri affectus. Si bona sit, & profundè fixa, benéq; culta hæc radix; id quod patet, éstque extrinsecum hujus arboris seu plantæ, non est tantoperè curandum, semper enim nihilominus proferet bonum fructum. Hoc est, quod ego magis respicio, quódq; mihi satisfacit: sicut sapiens hortulanus, qui semper considerat ac respicit radicem arboris, seu plantæ, quam curat, habétque sibi commissam, præcipuè illam colit, quia certus est, arborem, quamdiu perseveraverit ibi ipsius vigor, firmitérque terræ inhæserit illa radix, producturam suum fructum bonum & copiosum. Tunc mea anima dixit Domino: Mi Domiue, quod dicis de ista radice & hortulano, certum est, sed ego nunquam video fructum hujus plantæ, & meæ animæ, quam tu creavisti & excoluisti tot gratijs; nescio, utrùm id non proveniat ex mala radice. Ad hoc respondit Dominus, ac dixit. Noli sic loqui, Anima, quia id non bene intelligis. Nunquam arbusculæ, vel plantæ sciunt, aut intelligunt, proferántne fructum, an non, neque, sítne is exiguus vel copiosus: sed hortulanus, qui omnia novit, & percipit, videt florem, & agnoscit fructum, recreatúrq; ipso, & illum decerpit, capítq; ex eo commodum, quia ipsum comparavit suo labore: Ita se habet, sicut ista arbuscula, à qua dixi non agnosci proprium fructum, hoc genus animarum, atq; ego non aliter facio, quàm iste sapiens hortulanus, qui illum agnoscit & decerpit, eóq; delectatur. Summum erat solatium, quod mea anima cepit, ex his tam divinis verbis, quæ ei DEUS ipsius dixerat, & vehementer stupens illi dixi: Mi DEUS, & Dilecte animæ meæ, quàm admirabiliter ac divinè scis loqui, & loqueris? Benedictus sis in æternum millies millenis vicibus.

§. II.

Manifestat illi, æstimari in cœlesti gloria, bonos affectus & opera.

ALiâ vice præcepit DEUS sanctis Angelis, meis, Dominis, ut me ducerent ad cœlestem Jerosolymam. Vestiverunt me priùs quàm splendidissimè, pretioso quodam pallio, suo more, & duxerunt per quandam planissimam, & amænissimam viam; flabat suavis ventulus, quo recreabar; splendebat sol, absq; ulla molestia, illuminabat non urendo, neq; calefaciendo: ascendebam sursum paulatim, quàm lentissimè, & quidam sancti Angeli me præcedebant, conspergentes viam multis herbis, & floribus odoriferis, fragrantissimis. Postquam perveni ad cœlestem patriam, constituerunt me coram Majestate DEI Domini nostri, Trini, & Unius; Suscepitq; me Dominus peramanter, dicendo mihi: Bene veneris, Anima, ad hanc cœlestem patriam, Angeli mei, accipite istam Animam, ducite illam, ut lustret Civitatem, & bona, quæ in ea reperiuntur. Perge, Anima, dixit mihi, recreate, & quiesce, fruere eo, quod visu dignum est in Cœlo. Duxerunt me, & primum, quod mihi ostenderunt, fuit cumulus suavissimè olentium, ac pulcherrimorum florum, ut me ipsius aspectus in magnam rapuerit admirationem. Venit autem quidam Angelus ferens baculum, commovítque flores, & revolvit cumulum, ex quo prodivit maximus, & suavissimus odor, ac fragrantia tam grata, ut repleverit totam cælestem Aulam, me verò confortaverit, summéq; recreaverit. Inde me duxerunt ulteriùs, ostenderúntq; mihi maximum acervum gemmarum, inæstimabilis valoris, atq; Angelus revolvit baculo acervum, & prosiliêrunt ex gemmis, quidam Divini splendores, ac tam insolita claritas, ut illuminaret, non minùs, quàm mille soles, cœlestem Aulam. Duxerunt me adhuc

ulteriùs, & exhibuerunt mihi congeriem flammarum Divini ignis, qui non comburendo urebat, illuminabat, recreabat, ac emittebat ex se maximos splendores, suavémq; claritatem, obstupui videns talia mysteria, & fui attonita: Dominus autem mihi dignatus est illa statim declarare dicendo: Ecce Anima, ille cumulus florum, quem vidisti, significat ardentia desideria, meorum servorum, ac amicorum, viventium in mundo, & quia in eorum oculis, ipsorúmq; judicio, sunt exigua, ac persæpe habentur, non æstimant illa; in conspectu tamen meo sunt, sicut montes florum suavissimè olentium, & magni pretij coram me: vos ea non curatis, ego verò æstimo, & magni facio. Acervus gemmarum significat quædam bona opera ordinaria, & progressus, quos facitis in meo servitio, quæ, opinione vestrâ, sunt exigui valoris, & eò quòd sint valde frequentia, non æstimatis illa, in oculis verò meis sunt gemmæ magni valoris & splendoris. Congeries autem ignis significat affectus amoris, quos mei servi identidem iterant, quósque parvi penditis, eò quòd vobis videantur esse exigui, cùm tamen in conspectu meo sint magni momenti ac pretij. Cepi summum solatium ex cognitione harum Divinarum veritatum, ac Divinæ bonitatis, quæ tantopere æstimat exiguitatem nostrorum operum. Postea me duxerunt mei Domini ad conspectum DEI, ad eum locum, in quo ipsum priùs videram, ibíq; mihi eadem Majestas contulit magnam cognitionem suæ Divinitatis, ac Divini Esse, ubi fruita sum tantis bonis, ut non possint explicari, neq; exprimi verbis.

Inde me duxerunt ad quoddam elegans palatium, quod erat, ut sic loquar, quædam separata habitatio illius felicis Civitatis, situm tamen intra ipsam, & incolebatur à sacratissima Humanitate JESU Christi, Domini nostri. Ibi verò mihi fuerunt ostensa merita, dignitas, ac Majestas JESU Christi Domini nostri, ùt est homo, quo spectaculo mea anima mirabiliter fuit consternata, & obstupefacta: sed etiamsi essent tam admiranda, quæ cognovi, duxerunt me inde altiùs, ad aliam cognitionem multò majorem, Naturæ Divinæ Christi JESU, Domini nostri, simul ac humanæ, atque hìc fui absorpta, adeóq; mihi erepta, ut penitus me perdiderim in illa Divina caligine: quæ cognitio superavit universas, quas mihi Divina Majestas de se ipsa dedit, per omnem vitam meam.

§. III.

Docet illam, dolores, conjunctos solido affectui, præstare, toleratis cum gustu sensibili.

DUm essé vehementer afflicta à meis continuis doloribus, vidi quosdam sanctos Angelos, diversos ab ordinarijs, qui mecum manent, deambulantes per quoddam pratum, plenum elegantissimis, pulcherrimis, & suavissimè olentibus floribus, valde demissis & parvis, quos deambulando conculcabant: atque cùm spatiantes pervenissent ad locum ejusdem prati, in quo erant aliæ herbæ, ùt apparebat, exigui valoris, & contemptibiles, altiores tamen & erectiores, tangebant illas manibus, quasi vellent frui grato illarum & suavi odore, ac deinde admovebant manus ad faciem, sicut hìc consuevimus facere. Id videndo dicebam intra me: videant, quæso, mei Domini, quomodo conculcent pulchros & elegantes flores, alias autem herbas, quæ nullius sunt momenti, contrectent manibus. Sancti Angeli se verterunt, & appropinqvaverunt mihi, dixerúntq;: Quod vidisti, contingit in te, & Dominus tibi id voluit significare, exhibendo tibi istud mysterium. Noveris, dolores, quos pateris, & afflictiones, quas sustines in præsenti statu, licèt cum lamentis naturæ, esse coram DEO instar illarum altarum herbarum, quæ videntur deformes tuis oculis, coram DEO autem ac nobis sunt magnæ æstimationis ac valoris, multóq; meliores illis, quas conculcamus, quæ licèt sint bonæ, non sunt tamen adeò perfectæ, & significant afflictiones, quas fuisti passa in alio statu, quando ha-

do habebas ſenſibiles guſtus, inter patiendum. Eſto bono animo, & excita te, ad patiendum amore DEI.

§. IV.

Quomodo ſecernendi ſint boni affectus, & opera.

COgitans quodâ die (6. Aprilis 1623) quam eſſem mala, ut exiſtimarem me eſſe peſſimam creaturam totius mundi, nec reperiri in me quidquam boni, niſi quod DEUS mihi confert de ſuo; vidi quendam Sanctum Angelum cum cribro in manibus, pleno gemmis, & pretioſis lapidibus, quos ad ſolem diutiſſimè cribabat, & decidebant ad terram quædam minimæ paleæ, inſtar atomorum. Eo conſpecto, dixi intra me: DEUS me juvet! quàm eſt bona mea imaginatio? Id mihi apparet, quia videre ſoleo Angelos, quos habeo, & res inſolitas. Averti me ib ipſo videndo, amovens oculos, & repugnans ultra quatuor horas, etiamſi per intervalla illum coacta fuerim intueri. Non potui non attendere, quia Dominus me ad id adegit. Vidi igitur illum Angelum, allucente eo Divino Sole, qui erat ipſe DEUS, cribrantem eas gemmas. Et dixit converſus ad me: Soror, iſtæ gemmæ, & lapides pretioſi, quos hîc vides, ſunt tua opera, quæ peragis, & tui affectus, opinione tuâ, exigui. In lumine autem iſtius Divini Solis, & coram DEO ſunt gemmæ pretioſiſſimæ, & magni valoris: atomi verò, quos vides decidentes ad terram, ſunt minimæ paleæ quarundam imperfectionum, illis adnexarum, quæ in DEI præſentia, ac Divinæ claritatis conſumuntur. Atque hoc eſt, quod tibi DEUS voluit indicare per id, quod vidiſti.

✠ * † * ✠
* ✠ *

CAPUT XIII.

Quomodo DEUS, circa poſtremos ipſius vitæ annos, deſignaverit alios quatuor Angelos, ut occultè adeſſent in ejus cubiculo, qui ſe interdum manifeſtabant, mirabiliter repræſentando varia myſteria.

CUM DEUS multiplicaret gratias, quibus cumulabat ſuam famulam, deputabat etiam novos Angelos, quorum, in illis ipſi conferendis, uteretur operâ, atq; poſtremis annis, quibus ego cum illa egi (& qui ſpectatâ ejus ætate eſſe videntur proximi extremo ipſius ſenio) ut dictum eſt in primo libro, datos nempe ipſi fuiſſe, dum eſſet quadraginta quinq; annorum vigeſimâ ſecundâ Octobris, quatuor angelos, illi aſſignavit alios quatuor, qui eam miris modis diſtrahebant, ipsiq; manifeſtabant magna myſteria, unâq; munera, quibus occupantur in obſequio, quod exhibent Electis, quæ referentur ordine, quo contigerunt.

§. I.

ULtra quindecim jam dies DEUS objicit meis oculis, ſimul quatuor ſuos Angelos, qui plerúmq; omnibus his diebus manſerunt in meo cubiculo, apud unum angulum mei lecti. Non video illos ordinariè, ſed aliquoties intra diem, quando DEO placet, quia non ſunt, ſicut alij quinque Angeli, qui mihi ordinariè aſſiſtunt: Nam hos video, dum volo.

Quando illos primâ vice conſpexi, interrogavi ipſos: Domini, quid hîc agunt? quid volunt? Et illi mihi peramanter re-

ponderunt: Soror nostra, ne soliciteris, ne te affligas. Ego mansi cum DEO, & abstraxi me ab ipsis videndis, quàm maximè potui, licèt per intervalla se mihi exhiberent spectandos.

Post biduum deinde, vel triduum, vidi omnes quatuor pariter assidentes mensæ, quæ constabat ex auro purissimo, & erat instar abaci: assidebant singuli singulis ipsius lateribus, & ex angulis mensæ pendebant campanulæ aureæ, atq; penes quamlibet campanulam erat parvulus Angelus. Quatuor ij Angeli, quasi designabant in illa aurea mensa, cœlos, planetas, & illorum motus, nec non officium, quod ijdem Angeli obeunt in movendis cœlis. Et postquam hoc aliquamdiu fecissent, quasi me recrearent, ut me abstraherent, à meis doloribus & molestijs, atq; ego id quàm attentissimè spectavissem, absoluto opere, illi parvuli Angeli pulsaverunt campanulas, quibus ediderunt valde harmonicam ac suavem musicam, & subitò mihi disparuerunt.

Biduo rursum vel triduo post, ipsos denuò conspexi, & videbantur mihi colere quendam elegantissimum, & gratiosissimum, ac fragrantissimum hortum, atque evellere quasdam herbas, alias verò plantare, nec non efformare pulcherrimas arcas; quæ omnia me rapiebant in admirationem, & vehementer sublevabant in meis doloribus. Hoc aliquamdiu duravit, & intellexi, esse symbolum officij, quod sancti Angeli Custodes exercent, curam habendo hominum, dum evellunt vitia, & plantant virtutes.

Post aliud deinde biduum, illos iterum vidi, & inceperunt pulsare instrumenta musica, atque dulcissimè, & admirabilissimè, submisso tono, concinere Divinas laudes, exhilerando me hac musicâ cœlesti. Ego id magnopere obstupui, & extimui ac dixi: DEUS bone, quàm sunt extraordinaria ea, quæ mihi eveniunt! Sanctus Angelus autem meus Custos mihi respondit: Anima, quare expavescis. Nónne scis, quòd sis Sponsa DEI, & quòd appropinquet tempus nuptiarum æternarum, velitq; DEUS, ut agnoscas ac delibes ipsius magnificentiam, atque id quod te expectat, videásq; thesauros, quos habet in suo regno? Ità enim faciunt Reges terreni, postquam egerunt, de desponsanda sibi aliqua Filia Regis exteri, cui ab ipsis mittuntur pretiosa munera, & ministri, à quibus edoceatur de divitijs ipsorum regni, quarum aliquas illi transmittunt. Deinde se conjunxerunt isti quatuor Angeli, cum quinq; illis, qui mihi ordinariè adsunt, ad cantandum & personandum; atq; Angelus *Parvus* se collavit in medio reliquorum octo, incepitque canere solus, cæteri verò illi respondebant, & sequebantur ipsum tono demisso. Sanctus Angelus mihi dixit: Eja Soror, tu non debes juvare, cane, incipe, nos te sequemur. Et quamvis ego recusaverim id facere, ursit me tamen ità, ut debuerim, inceperimq; canere, quasdam cantilenas, valde spirituales, quas ego sciebam; & Angeli eas repetiverunt. Hoc modo cecini tres vel quatuor: & finita fuit illa musica cum magno solatio, ac refocillatione mea: tum mihi disparuerunt.

Post duos dies, denuò illos vidi, habentes in manibus evaginatos gladios, cuspidibus sursum conversis, capulis autem directis ad brachium, & stabant bini ac bini, sibi invicem oppositi: atque gladij vehementer resplendebant. Dum hoc viderem, dixi in animo meo: Quid hoc erit? Illi mihi dixerunt? Ne te affligas, Soror, videbis enim, quid sit futurum. Hoc dicto, se subduxerunt meis oculis. Post triduum autem, ipsos iterum similiter vidi: ac tum in momento, cum magna agilitate, simúlque gravitate, prodierunt in aciem, atq; inter Cœlum & terram, altissimè ascenderunt, ut viderentur capitibus tangere Cœlum, quod videmus, ubi inceperunt gladijs impetere diabolos ibi commeantes, qui erant multi, præcipitando aliquos ad profundum maris, alios ad terram, ita tamen, ut absorberentur ac descenderent ad barathrum, vehementer consternati, terrefacti, ac trementes, jam hîc, jam ibi impingentes. Com-

to hoc

to hoc officio redierunt ad meum angulum valde rubentes, formosi, & hilares, cum gladijs in manibus. Interrogavi illos: Domini, dicant mihi, quid significat hoc, quod fecerunt? Responderunt: Præcipitavimus diabolos, sicut vidisti; nisi enim ita subinde fieret, plurimùm nocerent mundo. Interrogavi ipsos præterea: Quare autem gestant gladios cuspidibus sursum versis? Responderunt: Quia Justitia semper debet suspicere DEUM, & cœlum, & eos, quorum est administrare Justitiam, semper oportet respicere DEUM, aliàs enim putabunt, se illam exercere, & fallentur: quod non dicimus tibi soli, sed ut ipsum dicas ministris justitiæ, cum quibus ages, ut semper respiciant DEUM, quando ferent sententias.

Biduo pòst, quadam nocte, vidi rursum istos Dominos quatuor Angelos, qui bini deambulabant per quandam aulam, duo in una, & duo in altera parte, atq; orabant simul, ad eum modum, quo duo Religiosi orant Divinum officium. Recitabant tono alto, sine cantu, atq; omnia, quæ ab ipsis recitabantur, erant laudes DEI, & faciebant id quàm suavissimè ac dulcissimè: quando se convertebant ad me, coruscabant, atque emittebant ex se ingens & admirabile lumen, ac Divinos splendores. Hoc exercitium duravit diu.

Aliâ vice, cùm essem valde afflicta à meis doloribus, & molestijs, atque malis, quæ diabolus, DEO permittente, mihi inferebat, vidi omnes quatuor Angelos, paulatim fabricantes, quendam gratiosissimum, & elegantissimum fontem; erat tam pulcher, & speciosus, ut vehementer obstupuerim, eo viso. Habebat sex vel septem canales, ut mihi videbatur, neque enim illos numeravi, & ex illis profluxit derepentè ingens copia aquæ: ex uno autem canali incidit aqua ad meum lectum, ideóque ego quàm citissimè dixi: Ah, Domini, lectus perfunditur! statim illum removerunt, ita ut aqua flueret extra lectum. Manante sic aquâ ex fonte, quàm suavissimè, quod me vehementer recreabat, vidi venientes duos diversos Angelos, & duas Sanctas Virgines ac Martyres, cum cantharellis gratiosissimis, ad hauriendum aquam ex hoc fonte: ibant & redibant, auferebántq; aquam, ac revertebantur, ut plus haurirent, id quod diu duravit, cum magna mea admiratione. Fuit mihi dictum, illum fontem esse figuram & symbolum Ecclesiæ Catholicæ, quæ est plena meritis Sanguinis & mortis, ac Passionis Christi JESU Domini nostri, & meritis ipsius Sanctorum. Illos autem Angelos, qui abibant, ac redibant, hausisse eam aquam ac Divina merita, ut illa impertirentur fidelibus, atque id ab ipsis fieri per sanctas inspirationes, quas suggerunt servis DEI, ut eos disponant ad suscipiendum istam virtutem meritorũ Christi JESU, per sancta Sacramenta: illas quoque Sanctas Virgines ac Martyres, etiam elargiri sua propria merita fidelibus, sibi devotis, qui se illis commendant.

§. II.

SEquenti Novembri (anno 1622.) vidi Sanctos quatuor Angelos, meos novos contubernales, & quamvis fecerim, quantùm potui, ne ipsos viderem, non fuit possibile. Erant omnes simul juxta quandam textrinam, quæ erat ex præstantissimo auro, duo ad latera telæ, & unus ubi tela texitur, alius autem ubi convolvitur: Texebant pretiosam telam ex auro delicatissimo, pulcherrimo, & pretiosissimo in illa textrina: duo ex ipsis jactabant radios textorios, quibus erant inserta pretiosa fila aurea, alius convolvebat telam, quæ texebatur, alius verò evolvebat fila, pro eadem tela. Hoc modo texebant illam elegantem telam, donec ipsam perficerent. Fuit valde pretiosa, & præstans. Deinde omnes quatuor illam fortiter extenderunt, & composuerunt, atq; circumvoluerunt uni ex vectibus, illius textrinæ, qui erat aureus, ac rotundus, non tamen illam reciderunt á liciatorio, sed ita ipsam tulerunt ad cœlestem Jerosolymam, & obtulerunt Divinæ Majestati dicentes: Domine DEUS noster, hîc ferimus istam pretiosam telam, ut illam videat Tua Majestas,

est enim optimè pertexta, rescindemúsne illam Domine? Divina Majestas ipsam jussit evolvi, & aspexit, atque diutissimè consideravit, ac dixit: Verè est valde delicata, pulchra, & pretiosa; sed nolite illam abscindere, quia ipsi deest nota distinctiva, quæ mea manu debet attexi, & est optima telæ pars. Convolvite illam, & servate. Sancti Angeli ipsam collegerunt, circumvolentes illam vecti aureo, optimè compositam, & imposuerunt in columnam crystallinam, pellucidam, elegantissimam, & splendidissimam, quam cooperuerunt thecâ candidissimâ, & tulerunt ad quendam locum Aulæ cœlestis, ubi ipsam reliquerunt.

Sequenti Januario (Anno 1623.) vidi eosdem quatuor Angelos, qui introspexerunt per portulam Sacrarij aurei in quo sum à Domino collocata, & dixerunt: Soror, vísne venire eò, ubi nos habitamus, ad amplam, & pulcherrimam Aulam. Ego illis respondi: Dominus me hîc collocavit ubi maneo, nihil aliud volo, quàm quod est conforme ipsius Divinæ voluntati. Post hoc vidi, omnes quatuor sedentes in quadam mystica sede, depositis coronis, quas ordinariè gestant, & sunt quædam quasi serta; deposuerunt autem illas ad pedes cujusdam Solis splendidissimi, qui ibi aderat, intra quem manebat ipse DEUS. Erat cum illis quidam parvulus Angelus, qui cum ipsis aliàs venerat, & omnes inceperunt conglomerare spiram filaceam, splendidissimorum filorum aureorum. Parvulus Angelus tenebat rhombum, & illi conficiebant elegantem fasciculum ex illis filis aureis, gratiosissimum, & stupendè pulchrum. Eo perfecto dixerunt Domino: vúltne tua Majestas, ut scindamus filú? Dominus respódit: nõ scindite. Non sciderunt illud, sed perfecerunt suum orbem filaceum, & tradiderunt ipsum Domino, quem ille servavit intra se. Redierunt ad me Angeli, & dixerunt mihi: Soror, multi affectus resignationis, quos nunc elicuisti tam ferventes, resignando te in voluntatem DEI, in eo, quod tibi hodie accidit, cum naturis quarundam creaturarum, adeò placuerunt DEO, ut sint instar filorum auri purissimi, ex quibus confectus est orbis aureus, quem vidisti; modò solùm superest, ut Dominus suâ manu faciat illam notam distinctivam telæ, quam, Divina Majestas dixit, totam debere fieri ipsius manu, ut post hoc abscindatur tela ex liciatorio. Hoc est Soror, quod significat fasciculus filorum aureus quem vidisti, ut perficiatur tela, quæ texitur, præter notam, quæ à Domino est apponenda.

§. III.

EOdem mense Januarjo, post perfectam desponsationem spiritualem, cum Spiritu Sancto, quæ jam est descripta, dum agerem aliquando manè cum DEO, vidi comparentes apud portam mei cubiculi quatuor, vel quinq; dæmones, qui torvè intuentes & trementes, ac velut timentes explorabant, & aspiciebant, quid ageretur in cubiculo, statimq; retrocedebant, quasi terrefacti eo, quod viderant. Dum hoc facerent, vidi unum expostoribus quatuor Angelis, prospicientem apud portulam parvam auream, qui ipsos intuitus, finxit se velle in illos jacere sagittam, seu telum: & dæmones statim turbati, ac terrefacti profugerunt quàm celerrimè, nec illos ampliùs vidi, sanctus autem Angelus rursum est ingressus, clausique portam.

Sequenti nocte, patiendo meas afflictiones, more solito, audiebam quendam clamorem, & quasi ejulatus, qui me molestabant, & notabiliter affligebant animam, adeò, ut aures corporis aliquid perciperent de illis ejulatibus. Idem contigit alterâ nocte, quod ego conabar attribuere meæ debilitati, tanquam rem naturalem; sed Sanctus Angelus meus Custos, mihi rem aperuit, dicendo, fuisse diabolos, quos videram ad portam cubiculi. Summo manè vidi, ab uno ex dictis illis Angelis, aperiri portulam, per quá apparebat quædam maxima & spatiosissima aula, tres parietem, qui videbatur constare ex materia subtilissima, & pretiosissima, quasi cœlestis,

cœlesti, habebátq; colorem Cœli: in illa erant quatuor mei Domini Angeli prædicti, & alius *Parvulus*. Isti quatuor Angeli acceperunt ex manibus *Parvuli*, quædam instrumenta musica, & inceperunt deambulare per illam mirabilem aulam, facto initio suæ deambulationis à porta, pulsantésque illa instrumenta, ac admirabiliter & divinè tono demisso, ac suavissimo cantantes, laudabant, & glorificabant suum DEUM ac Dominum, atque mirabili quodam modo ac genere cantilenæ & versuum, exprimebant, suo ordine, omnes vias & status meæ animæ, quibus illam DEUS duxit ab ipsius initijs. Licèt enim ego non audirem versus, nisi confusè, solúmque mea anima frueretur illo Divino solatio, ac se recrearet & oblectaret eâ cælesti musicâ; percipiebat nihilominus, & intelligebat, quid contineret illa historia. Dum fruerer hoc bono, inspiravit mihi DEUS desiderium, rogandi illos meos Dominos Angelos, ut, postquam pervenissent deambulando ad portam, ubi ipsos magis audiebam, sisterent modicùm, quò clariùs intelligerem illam mirabilem cantilenam, quam ipsi tam divinè cantabant, & componebant, ad illa instrumenta musica. Atque sicut cogitavi, & desideravi, ità feci, ac petij id ab illis amore DEI; quod ipsi fecerunt cum maxima claritate, gustu, & gravitate, atque subsistentes prope portam personuerunt, cicinerúntq; divinè, ac admirabiliter modicùm, quia jam canebant ultimos versus, & quasi finiebant suam cantilenam, ac dicebant:

Et postremis vitæ annis,
Illam sibi desponsavit,
Clausit suo Secretario.
Angelisq; commendavit,
Ut adjutam custodirent,
Donec fiat, ut resurgat.

Hoc solùm mea anima audivit, & clarè intellexit, reliqua verò omnia percepit confusè, sicut dixi, & statim, ac finiverunt istam musicam cœlestem, tradiderunt instrumenta *Parvulo* Angelo, de quo dixi, clauserúntq; illam portam auream. Ego mansi rapta in ecstasim, & quando ex illa redivi, sensit se mea anima valde confortatam, & recreatam, agebátque magnas gratias suo DEO, pro tot misericordijs, & gratijs, quas Divina Majestas mihi præstat.

Deinde mihi dixit meus Dominus Angelus Custos quàm amantissimè: Anima, ésne jam expergefacta ex somno Divino tui DEI? Bene habet; scias autem, à tuo cælesti Sponso ac Domino, ut remuneraretur molestiam, quam tibi attulerunr ejulatus, & mala lingva diaboli, quod ipse permisit ad majus tuum bonum, esse missos ad te Sanctos Angelos, ut te consolarentur ac recrearent Divinâ, & cœlesti musicâ. Age ipsi gratias, & lauda illum propter omnia.

CAPUT XIV.

De alijs raris modis, quos adinvenerunt isti Sancti quatuor Angeli, ut ipsam recrearent, in illius afflictionibus, eíque exhiberent diversa mysteria.

Progrediebantur isti quatuor cœlestes Spiritus, in adinveniendis, jussu DEI, novis modis, quibus exhilararent afflictam illius famulam simúlq; ipsam instruerent, & proveherent in ejus spiritu.

§. I.

IN primis, dum essem vehementer afflicta, propter quasdam mihi occurrentes molestias, licet, quæ DEI est bonitas, mihi non viderer quidquam prætermisisse, concernens ipsius honorem, venerunt ad me

Sancti

Sancti Angeli, qui mihi ordinariè adsunt. (7. Februarij Anno 1623.) dixerúntque Soror, es afflicta, ne te angas, nam nihil deliquisti, mane nobiscum, quia te recreabimus atq; consolabimur. Et postquam hoc illi dixissent, alij aperuerunt portulam ædiculæ aureæ, ac per illam prospicientes, atque considentes in quodam subsellio mystico, omnes simul assumptis instrumentis musicis, tam hi, qnàm illi, inchoaverunt cœlestem ac Divinam musicam alternatim, & duo Angeli *Parvi*, qui cum illis manent, (nam quisque quaternio Angelorum habebat unum *Parvulum* adjunctum) inceperunt divinè decantare laudes DEI, singuli seorsim, cum suis quatuor Angelis, & postea se conjunxerunt, ac cecinerunt unitis vocibus latinè laudes JESV Christi Domini nostri. Tantùm intellexi id, quod ultimò cecinerunt, & fuit: *Gloria & honore coronâsti eum Domine, & constituisti eum super opera manuum tuarum*; postea omnes se prostraverunt, adorantes Christum Dominum. Fuit ingens levamen & solatium, quod mea anima cepit, ex hac cœlesti musica, & vocibus Angelicis. Absolutâ musicâ, *Parvi* Angeli tulerunt in suis pallijs, magnam copiam florum, valde fragrantium, suavissimèque olentium. Nescio quales fuerunt, præterquam, quòd illorum odor fuerit admirabilis. Erant autem multi flores accumulati, quos ego optimè olfeci, ut magnopere confortaverint meam naturam: accipientésq; ad manus istos flores, quasi plenis pugnis, consperserunt illis quàm reverentissimè, gradus aureos, qui tendunt à portula aurea ad meum cubiculum, & ijs consperſis, exhibebant magnam reverentiam Domino, qui ibi aderat, quasi occultus. Paulò pòst, cum eadem reverentia, ijdem duo *Parvi* Angeli omnes illos flores rursum collegerunt ad suas manus, & distribuerunt suis Sanctis quatuor Angelis, singuli suo quaternioni, ac deinde permutatis officijs hi ipsi *Parvuli* Angeli, transeuntes ad alios quatuor Angelos, dederunt ijs plures flores quàm suis, utì & meo Custodi, quos illi intra se ipsos servaverunt. Obstupefacta, eò quòd viderem tale mysterium, dixi Sancto meo Angelo Custodi: Mi Domine videat; mihi non dederunt ullos flores. Sanctus Angelus autem respondit: Ne propterea doleas, Soror, dederunt enim illos mihi, quos ego tibi servabo. Fui vehementer refocillata, & recreata isto amœno spectaculo. Intellexi autem, illis floribus fuisse significata gaudia, & gloriam accidentalem, quam habent in Cœlo Angeli, quando convertuntur pectatores, & DEUS confert favores, atque gratias suis electis.

§. II.

PLerumque, singulis noctibus, soleo cum intensis affectibus animæ, elicere quosdam actus virtutum, quàm possum ferventissimos, ùt sunt, Fidei, Spei, & Charitatis, Cognitionis mei ipsius, Doloris de meis peccatis, Resignationis meæ voluntatis in Divinam, offerendo illi omnia, quæ per diem fecero, operata fuero, & cogitavero. Dum frequentarem quadam nocte (13. Februarij Anno 1623.) hos actus, vidi aperiri illam portulam auream, & Sanctos quatuor Angelos simul sedentes in quodam subsellio mystico, cum magna gravitate, & authoritate: Vidi quoq; pulcherrimam aviculam, quæ habebat pedes aureos, & rostrum resplendens instar rubini; plumas splendidissimas, atque coronam auream in capite, & vidi illam in manu unius Angeli, ex quatuor, atq; volitantem, subsistendo in singulorum manu: postea verò denuò revolabat, & subsistebat secundò ac tertiò in cujuslibet manu, atq; tandem incepit divinè decantare laudes Divinas, & quatuor Angeli exhibuerunt magnam reverentiam DEO, cujus laudes ab illa decantabantur. Peracto autem isto officio, ascendit avicula paulatim ad cœlum, perdidiq; ipsam ex oculis. Vehementer sum mirata, videns istud mysterium, & propter meos solitos timores, qui hoc tempore multùm fuerunt aucti, dixi intrà me: Bene operatur mea phantasia, quæ sibi imaginatur aviculas; & aperui oculos, quantùm potui, nec volui videre illam

illam avem, DEUS autem mihi ipsam videbatur magis offerre spectandam, & hoc modo diu pugnavi, repellendo á me, & avertendo hoc mysterium, acsi esset tentatio. Sanctus Angelus meus Custos, videns me ita anxiam ac timidam, dixit mihi: verè, Soror, es terribilis cum tuis timoribus: non est imaginatio, sicut existimas, sed res seria. Ego respondi meo sancto Angelo: JESU! mi Domine! ut ego videam aviculam? ità, Soror, respondit, & visne, ut illam tibi adferam, ipsámque videas? Tum ego quàm celerrimè reposui: Non, mi Domine, neque hac de re cogitandum est, certè illam nolo videre Domine Angele; quia DEUS mihi exhibet res tam insuitatas, quæ me in tantam admirationem rapiunt, ut me non capiam. Sanctus Angelus respondit: quare tantopere miraris, Anima, quod vidisti? Majora alia tibi exhibuit DEus; nónne recordaris fasciculi filorũ, ex purissimo auro, qui te inspectante glomeratus est, & alia mirabiliora, quæ tibi DEUS ostendit? Noveris, Anima, DEUM tibi hîc, & in ista avicula, nihil aliud voluisse exhibere, quàm pretium tuorum ferventium affectuum, quos noctu diúq; elicis, omnium virtutum, Fidei, Amoris, & Confidentiæ, resignationis, ac reliquarum, quas significabat illa avicula, quam vidisti redimitam coronâ aureâ, & habentem splendidissimas plumas, rostrum ex rubino, ac pedes aureos. Scias præterea, à sanctis Angelis DEI, qui pridem tibi cohabitant, repræsentari ac offerri DEO omnes actus ferventes, quos elicis interdiu, ab alijs quatuor autem, qui tibi sunt recenter dati, offerri DEO actus ferventes, quos elicis noctu. Atque hoc est mysterium aviculæ, quod te tantopere turbavit, ac in admirationem rapuit. Ita cessavit communicatio sancti Angeli, & ego mansi plena solatio.

Post hoc, etiamsi optimè fuerim instructa per lumen, quòd DEUS meæ animæ communicavit; de veritate mysterij, dixi divinæ Majestati: Profectò, mi Domine, & DEUS mi, si his gratijs, quas mihi præstas, vis solari, & recreare meum Spiritum ac naturam debilem, pro ejus capacitate, longè mihi, exiguo meo judicio, videtur esse Crux major, quam patior propter meos solitos timores, ac defectus, quos in rebus committo, quàm sit levamen, solatium & commodum, quod mea anima ex ijs potest capere, eò quòd illas nesciat combinare. Bene habet, Anima (dixit Dominus quàm gravissimè) bene habet: tu tamen id non multum intelligis, sicut tibi videtur; permitte me agere, & scito, quòd homo prudens sumat cibum, ac sustentationem naturalem timendo, an non sit obfuturus valetudini cibus, quem sumit, cùm sibi videatur ignorare, vel non posse servare regulam temperantiæ: & nihilominus pro sua prudentia comedat, séq; reficiat, cùm clarè sciat, quòd ipsi magis posset nocere, graviúsq; adferre discrimen vitæ, abstinentia à cibo, quàm possit ejusdem sanitati obesse, si, comedendo, sumat aliquid superflui. Ita, suo modo, se res habet, Anima, in hoc negotio spirituali, de quo loqueris, sunt enim sinè comparatione majora bona, quæ obtines, & commodum, quod capis, pro omnibus rebus, ex gratijs, quas tibi præsto, quàm tibi possit nocere molestia ac nimij timores, cum quibus illas suscipis. Unde permitte me agere, & quiesce tranquillè ac pacatè, confidendo mihi, quòd te nunquam sim derelicturus, sicut tibi sum pollicitus.

§. III.

ALio die (in Martio, Anno 1623.) agens cum DEO, vidi quatuor Angelos, quos mihi DEUS nuper dederat, tenentes in suis manibus, quædam fila ex purissimo auro, quæ à pedibus pertingebant ad ipsorum manus, & ex ijs conficere quosdam fortissimos laqueos instar catenarum, ac postquam illos perfecissent, imposuerunt sibi ipsos ad collum. Quamvis autem essent multi, videbantur tamen esse unus solus, & omnes quatuor Angeli erant intra catenam unitissimi, sed valde hilares, felices ac beati. Deinde mihi fuit

dictum, per illos laqueos multos, & unum, significari vinculum amoris & charitatis, quo Divini spiritus sunt inter se uniti, & colligati in Domino. Deinde vidi DEUM ad ipsos venientem: prostraverunt se omnes humi, ac adoraverunt eum, obtulerúntq; ipsi illos laqueos aureos, agnoscentes illum pro DEO, ac Domino, ex cujus munere acceperunt Esse, & felicitatem. Dominus suscepit illos laqueos, imposuitq; ipsos suo collo, & fuit unitus cum Angelis, atq; Sancti Angeli cum ejusdem Majestate, intra illum laqueum. Accessit postea Dominus ad me dicens: veni huc, Anima, quia propter te peractum est istud mysterium. Et injecit meo collo illum laqueum, qui constabat, ut dixi, ex multis, fuique tunc tota unita cum meo Domino, & Sanctis Angelis, eo Divino vinculo charitatis & amoris.

§. IV.

Die alio (in Majo. 1623.) mei Domini Angeli assumptis instrumentis musicis inceperunt personare, & canere, basso demisso tono, devotè & suavissimè, laudes Divinas, atq; elevatis oculis vidi, quòd in illa aurea aula, quæ est è regione mei lecti, Angeli, qui ibi manebant, apertâ portâ cum accepissent quandam auream pretiosissimam, ac splendidissimam catenam, appenderint illam per partes aulæ, secundùm longitudinem, illiusque annulos, per intervalla, numeraverint, efformantes eâdem catenâ angulum, ita ut fecerint circiter septem vel octo angulos, in quorum singulis erant, sicut vidi, quædam symbola, ac Divinæ & admirabiles figuræ. Una repræsentabat quinque vulnera, & virtutem mortis ac Passionis Christi JESU Domini nostri; alia figura erat, sacratissimæ Personæ Spiritûs Sancti; aliud symbolum, Patris Æterni; alia effigies, Divinæ Justitiæ, referens gladium, alia figura, flammarum ignis, quæ erat symbolum Amoris Divini, alia variorum armorum, symbolum Divinæ Potentiæ, alia figura Sanctorum Patriarcharum, & alia Sanctorum Evangelistarum: omnes istæ figuræ erant admirandæ, & videbantur vivæ, ac genuinè exprimentes id, quod in illis repræsentabatur. Erat aula pulcherrima, quia illam exornabat quidam Divinus sol, quem ipsa vidi splendidissimum, coopertum umbellâ coloris cœlestis, plena campanulis aureis, quæ pulsatæ edebant suavissimam musicam. Intra hunc solem erat persona sacratissima Spiritûs Sancti. Elevaverunt me ex lecto, & duxerunt ad aulam, ad quam ascendi quatuor vel quinq; passibus, ubi flexis genibus adoravi illam Divinam Personam. Subitò ille sol irridians umbellam, quæ fuit mutata in quandam divinam clarissimam lucem, illuminánsq; me, occupavit meam animam, & me totam pervasit, seq; mecum intimè univit, & ego cum illo: atque ita me duxit Divina Majestas ad cœlestem Jerosolymam, ubi diu mansi, perfruens magnis ac divinis bonis: postea me paulatim deduxit Dominus ad meum cubiculum, remanente meâ animâ, & parte ipsius superiore in eodem Domino, ubi nunc sum.

§. V.

Propter magnos calores, qui me molestabant jn cubiculo, in quo manebam (in Julio anno 1623.) rogavi meas Socias, ut me efferrent ad aliud frigidius, ubi soleo transigere partem æstatis. Sustinui maximam molestiam in hac migratione non enim me potuerunt efferre, nisi in alio lectulo, & semi raptatam. Mei sancti Angeli hoc tempore videbantur se subduxisse, méq; deseruisse, donec tandem, cùm me non possent meæ Sociæ elevare ad lectum altum, advenerunt, méque juverunt. Ego illis dixi: Ah, mei Domini! quomodo me dereliquerunt? Responderunt? Non, Soror, non te dereliquimus, neque derelinquemus; sed DEUS, ut possis pati, sic res disponit. Cùm alij quinq; Angeli maneant ordinariè intus, in aula aurea, quam jam descripsi, & ego inde exiverim, dixi intra me: Sancti Angeli qui sunt intus, etiam me deseruerunt, et manentes ibi. Statim atq; hoc dixi, con-

ſpexi illos coram me, & dixerunt mihi: Non, Soror, non te deſerimus, quia virtus noſtra ad hæc omnia ſe extendit; hîc ſumus quatuor, ſolus Angelus, quem tu vocas *Parvum*, manſit in aula.

Conſederunt illi quatuor Angeli, è regione mei, in quatuor ſellis, & vidi, quòd haberent in manibus libros membraneos gratioſiſſimos, ſinguli ſuum, atq; etiam calamos ad ſcribendum, quos intingebant omnes in uno atramentario, quod videbatur continere liquorem aureum: habebant ante ſe ijdem Sancti Angeli Divinum Solem ſplendidiſſimum, qui erat ipſemet DEUS & inceperunt ſcribere in ijs libris graviſſimè, aſpicientes illum Divinum Solem, qui eos illuminabat, & illis dictabat, quid ipſis eſſet ſcribendum. Etiam ego illos diutiſſimè contemplabar. Abſolutâ ſcriptione, occluſerunt libros, & omnia eorum tria latera muniverunt clauſuris, ac utrinque obſignaverunt, ſinguli ſuum, diverſis ſigillis. In una parte obſignaverunt ſancto nomine JESU, ſplendidiſſimo, cui videbatur inêſſe ipſa virtus & majeſtas JESU Chriſti Domini noſtri; in altera verò parte ipſos obſignaverunt ſole lucidiſſimo, qui in ſe continebat quandam Beatiſſimæ Trinitatis ſpeciem, magnæ majeſtatis, & magnificentiæ. Obſignatos libros omnes Sancti quatuor Angeli, ſunt amplexati, ſinguli ſuum, & humi proſtrati, illis impreſſerunt oſcula coram eo ſole, erexerúntq; ſe, tenentes libros in manibus. Divinus ille ſol ſuis radijs illuſtravit eosdem libros, attraxítque ad ſe, & ſecum univit, remanentibus Angelis, ſine ipſis. Vehementer mirabar videns talia myſteria, & dicebam: DEUS bone! quid hoc erit? ſine dubio Sancti Angeli notabant meos defectus, à me commiſſos, fortè, ut peterent eorum veniam à DEO, condolentes mihi; & deſiderabam ſcire myſterium, ideóq; illos de eo interrogavi. Angeli mihi reſponderunt: Conſtet tibi, Anima, conſcriptas fuiſſe à nobis moleſtias, quas ſuſtinuiſti hac die ac nocte, atque id quod toleraviſti in iſta mutatione loci, & tua merita, quæ his reſponderunt: Me miſeram! mei Domini, ajebam ego, cùm potiùs commiſerim mille defectus, fuerímque ſæpe impatiens, quod non potuerim ſuſtinere dolores, quos mihi DEUS offert. Bene eſt, Soror, dixerunt illi, aliud fert judicium DEUS de rebus, quàm vos: non commiſiſti defectus, imò magnum fuit tuum meritum, & propterea clauſi fuerunt libri, quia te latent tua merita, & ſignati Sanctiſſimo nomine JESU, quia ab hoc Domino, & ab ipſius morte ac paſſione procedit omne meritum: appreſſum quoq; fuit ſigillum illius Divini Solis, & figura, Sanctiſſimæ Trinitatis, quia radix, unde oritur omne meritum, eſt DEUS Trinus & Unus. DEUS ſit benedictus.

§. VI.

QUodam die, ex his (in Auguſto anno 1623.) vidi meos Dominos quatuor Angelos, qui ordinariè mecum manent, voluiſſe transire ad locum, in quo ſunt alij quatuor, & quaſi mutare ſtationem. Fui mirata, & dixi illis: Mei Domini, quò vadunt, & me deſerunt? Reſponderunt: Non te deſerimus, Soror, DEUS nobis mandat, ut nunc mutemus locum, & Sancti Angeli, qui morantur in aurea aula, te cuſtodiant, nos autem obeamus ipſorum officium. Omnes erant valde compti & ornati, occurrerúntque ſibi omnes in via, & inceperunt inter ſe diu conferre, loquutique ſunt de meo obitu. Dum ita loquerentur, vidi, quòd Divinus quidam ſol ipſos ſuis radijs illuminaret, & perfunderet ſuâ Divinâ luce, iisque ſuggereret illud, de quo agebant; & vidi, in manibus duorum illorum Angelorum, pretioſiſſimam coronam auream, jam quaſi abſolutam, quódque ille Divinus Sol apponeret coronæ, quoddam cor ſplendidiſſimum, habens colorem rubini, quo corona longè magis fuit exornata, & elegantior reddita, cúmq; jam talis eſſet, idem Sol illam ad ſe attraxit, ſervavítque intra ſe ipſum, & Angeli ſancti abiverunt ad ſtationem, quam illis Dominus deſignaverat. Finito hoc myſterio, acceſſit

ad me Sanctus Angelus *Parvus*, qui vocatur *Paranymphus*, & non mutavit locum, ac incepit personare & decantare laudes DEI, pulchrâ melodiâ, dixitque mihi: Soror, nunquid non cantabis mecum? Canta, juva me. Ego illi non respondi, & ipse prosecutus est suam musicam, mitigando meos dolores. DEUS sit benedictus.

Paulò pòst (in eodem Augusto Anno 1622.) vidi Majestatem Domini DEI in meo cubiculo, & omnes mei Domini Angeli simul prodièrunt, ad ipsum excipiendum, atque humi prostrati, illum adoraverunt, & Divina Majestas ipsis dedit suam benedictionem; cúmq; se erexissent, incepit DEUS cum illis loqui, quasi secretò, & retulit ijs aliqua, inter quæ unum erat, se ipsis mandare, ut redeant ad suam stationem, quam antea singuli tenuerant, ac deinde diu cum illis est conversatus, quam conversationem ego non intellexi, existimo tamen quòd, sicut quando aliquis Rex præstitit magnas gratias cuipiam magno & intimè sibi familiari Ministro, quæ alios rapuerunt inadmirationem, & cogitat ipsi præstare alias majores, confert cum magnatibus & Consiliarijs de eo, quod fecit, & aperit ipsis rationes sui facti, non petens ab illis consilium, sed quasi satisfaciens eorum admirationi; ità Dominus recensuerit, istis Sanctis Angelis, rationes, quas Majestas ipsius habuit, jam inde à sua æternitate, præstandi mihi tot gratias, ducendiq; me per vias extraordinarias, quibus me duxit, atq; aliorum majorum favorum, quibus me esset cumulaturus. Durante istâ communicatione, vidi in manibus duorum Angelorum illam coronam auream, tam pretiosam, cum corde splendido, quam pridie intra se Dominus servaverat, quando mihi apparuit in specie Solis: cúmque accederem ad ipsius sanctissimos pedes, Divina Majestas illam imposuit meo capiti, & Sanctissima Virgo, quæ aderat, venit ad me, imposuitque literas, quas acceperat die suæ Assumptionis, & intromisit in meum pectus. Completo autem hoc mysterio, me reperi in meo angulo, postquam me DEUS deduxisset ex loco, in quo mea anima pridie manserat.

Denique 1. Octobris, cùm Tribunal Sacræ Inquisitionis publicavisset, quandam generalem sententiam, & pro illa exstruxisset theatrum, sicut solet fieri, vidi hos Sanctos quatuor Angelos, exeuntes ex sua aurea aula, & descendentes per gradus, ad meum cubiculum, ubi in una illius parte fabricaverunt theatrum, videlicet venientem Sanctum Archangelum Michaëlem, stipatum plurimis Angelis, qui violentè adducebant, quasi raptando, quandam magnam bestiam, quam non agnovi bene, essètne taurus, an alia, ac ibi illam posuerunt supra theatrum, & confoderunt lanceis, atque occiderunt. Dixit mihi Sanctus Angelus: Hæc est illa magna bestia, quæ seduxit istos pauperes pœnitentes, qui sunt afficiendi supplicio, in Festo S. Francisci.

CAPUT

CAPUT XV.

Quomodo DEUS illi, per amabilissimas similitudines, ostenderit, quòd ipsam eruat ex periculis, in ejus affectibus ac operibus, & speciatim, in concernentibus sublimitatem orationis, & contemplationis, tranquillam reddendo in ipsius timoribus.

Quia Venerabilis Marina ardentissimis flagrabat desiderijs, summè placendi DEO, absque ulla ipsius offensione, nulla ei erat optatior visio, neque gratia ulla acceptior, quàm illa, quâ redderetur hac de re certior, ideóque ipsam Divina Majestas interdum hujusmodi gratijs solabatur.

§. I.

Cùm essem vehementer afflicta, gravibus doloribus, & alijs rebus, quæ me angebant, (in Octobri anno 1617.) dixit mihi DEUS: Veni, Amica, & respirabis, ac recreaberis eo, quod tibi ostendam. Duxit me DEUS secum adhærentem suo lateri, quasi apprehensâ meâ veste, quod ego advertens, dixi: Bone JESV, qualia sunt ista mea phantasmata, & somnia? ac recurri ad DEUM, more solito, pro implorando ipsius lumine, ad assequendas ipsius veritates; quod diu egi, quamvis propterea non cessaverim videre DEUM, in prædicta specie. Post hoc me Dominus est intuitus, ac dixit: Marina, quid facis? quare sic agis? dic, quare me deseras? hoc tibi placet, sed immeritò: nihilominus errores amoris bene possunt ignosci; veni mecum. Duxitq; me Dominus per quosdam altissimos montes & maxima præcipitia, per semitas tam angustas, ut tantùm caperent Divinam Majestatem, ac me, quæ semper juxta ipsius latus, & in parte magis periculosa incedebam, plena timore ac metu, ne ruerem. Interdum autem Dominus mihi dicebat aliquod verbum consolatorium, méq; animabat. Et sic ambulantes venimus, ad quoddam pratum, plenum gratiosis floribus suavè olentibus, qui erant valde affixi terræ, ac demissi. Ibi mihi quiescenti dixit Dominus: Inclina te, ac decerpe aliquos flores, mihíq; offer. Inclinavi me, & decerpsi quinque flores, atque Dominus mihi dixit: ne decerpas plures. Flexi genua, & obtuli Divinæ Majestati flores, quibus Dominus est impertitus suam benedictionem, & accepit illos ad suas manus, ac retinuit. Duxit me inde Dominus per alias vias, quasi circa illas rupes, & quidem per semitas difficillimas, cum magna mea molestia ac timore, ne ruerem, confidentem tamen in Domino, quòd me esset adjuturus, secum euntem: atque cum his timoribus & confidentia progrediebar, donec pervenissemus ad quendam altissimum verticem, ubi substitimus, & Dominus me jussit aspicere deorsum: ibi vidi quandam vallem, & in illa paradisum deliciarum, ingentia arboreta, vastos fluvios, qui videbantur maria, & milliones Angelorum DEI, qui edebant pulcherrimam harmoniam suâ musicâ, & ego dixi: Hic sine dubio est paradisus. Quasi obmutui, obstupefacta tam pulchro spectaculo. Inde me duxit Dominus, per alias semitas magis arduas, ac altas & periculosas, hinc vehementer timentem, inde verò sperantem, cum magno labore ac molestia, Dominus autem me excitabat ad procedendum, & interdum consolabatur, donec pervenissemus ad quendam magnum montem, in cujus vertice erat maxima planities. Postquam eò pertigissemus,

quievimus, & Dominus se acclinavit quasi ad quendam murum, qui illic erat, dixitq; mihi: Modò quiesce; & in momento se coram me transfiguravit Dominus, apparuitque gloriosus, & pulcherrimus, ascenditq; ad Cœlos, quem ego vidi ascendentem, donec illum perderem ex oculis, atq; tum mansi sola in illo deserto, nesciens, quid mihi esset agendum, nec quò, vel quà eundum. Dum ita essem anxia & afflicta, vidi meum Sanctum Angelum Custodem, & alium Angelum ex meis quatuor, qui erat *Minor*. Quando illos conspexi, visa mihi sum vehementer recreari, & salutavi ipsos. Illi mihi dixerunt: Agè, Soror, grandis tibi adhuc restat via. Erat mihi autem descendendum, per altissimum montem & valde præcipitem, vergentem ad quendam vastum fluvium. Et dixerunt: Hàc tibi descendendum est, juvabimus te; nihilominus tibi hæc via est emetienda. Incepi cum magna molestia & metu ambulare, donec venirem ad ripam grandis ac vasti fluvij, & inter fluvium atque rupem & montem erat unica tantùm semita, quæ capiebat meos Angelos ac me; ubi mihi disparuerunt, & me reliquerunt solam. Fuit ingens mea afflictio & timor, quia ignorabam, quid mihi esset agendum. Fluvius crescebat, & aqua pertingebat usque ad meos talos; fluctus erant tanti, ut me sustulerint in altum, ita tamen, ut manserim stans, nec unquam ceciderim. Quando me vidi insistentem aquis, neq; cadentem, & ipsas altissimè ascendentes, perdidi nonnihil timoris, & propè totum. Tunc temporis elevavi oculos ad Cœlum, quod vidi mihi aperiri, & Dominus mihi exhibuit mysterium Sanctissimæ Trinitatis, eo modo, cujus hæc miserabilis vita est capax, vidíq; illam cœlestem Jerosolymam gratiosam, ac admirabilem. Abripuit me illuc Dominus, univitq; secum, ubi diu mansi absorpta, donec me Dominus dimisisset à se, reliquisétque solam in illa cœlesti Jerosolyma, & ibi denuò vidi meos duos Angelos, qui disparuerant, atque tum illis dixi: Mei Domini, quomodo me deseruerunt? Illi me sunt blandé alloquuti; Dominus autem me secum univit; & quando mihi sum reddita, reperi me in meo lecto. Postea mihi dixit Dominus, omnia præterita esse facta pro me recreanda, ac sublevanda à meis afflictionibus, & fuisse figuram meæ transactæ vitæ. Interrogavi Divinam Majestatem, quid significaverint illi flores; & Dominus mihi dixit, quòd significaverint quinque sensus externos, quos mihi Dominus dederat, ac dat omnibus hominibus, atque illos esse flores, si conferantur cum beneficijs, quæ Divina Majestas exhibet animæ, & abjectos instar vilium florum campestrium, communes hominibus & brutis; fuisse autem ipsos à DEO benedictos & acceptatos ideo, quòd ego eosdem illi obtulerim ab infantia.

§. II.

DUm considerarem magnas gratias, à DEO, ex sola ejus bonitate, mihi præstitas & vias tam extraordinarias, quibus me DEUS ducit, inciderunt mihi multa, quæ mihi evenerant: aliunde verò considerans, quàm malè omnibus urat, & quàm sim ingrata, questa sum DEO de me ipsa, & rogavi illum, ut me juvaret, mihiq; præstaret gratiam, ne ipsi in ulla re displicerem: & extimui vehementer me ipsam, atque istas vias extraordinarias. Intenta his, & alijs hujusmodi considerationibus (in Aprili anno 1632.) vidi Majestatem Domini nostri JESU Christi, qui me est mirè solatus, ac dixit: Anima, bene habet, non est cur timeas: sed attolle nunc oculos, & aspice sursum. Elevavi oculos, & Dominus mihi ostendit quasi in se ipso, secretissima sua judicia, ac modum, quo ipsius Majestas ad se ducit animas, diversis vijs; præsertim verò vidi, magnam congruentiam viarum, quibus DEUS me ducit, atq; id quàm clarissimè, ut obstupuerim, & fuerim mihi erepta videndo usque adeò arcana judicia Divinæ providentiæ. Deinde mihi dixit Dominus: Audi nunc Anima, nónne vidisti aliquem figulum, qui versat optimam massam argillaceam intra suas manus, & delicatissimam, ac deinde

deinde ex hac massa format aliquod perelegans & artificiosum ornamentum capitis, illúdque inaurat, quod postea adhibetur ad honorem, ex qua eadem massa figulus format alia vasa, pro humanu usu, ad contumeliam. Si id facit figulus, potero & ego ex eadem massa facere, quod volo, & mihi placet, atque te ducere per vias extraordinarias, quemadmodum decrevi. Dedi tibi mea auxilia & subsidia, disposuiq; te ad accipiendas misericordias & gratias, quas tibi præstiti. Quid ita times? nónne ego possum facere, quod volo? sum Dominus universorum. Tu desideras, mihi in omnibus placere, & pro toto mundo non faceres contrarium. Non habes, quod timeas, quia ego non possum esse contrarius mihi ipsi. Quis te affligit? quis te condemnat? hoc Domini dicto fui vehementer recreata, non tamen propterea perdidi timores, & credo, me in ipsis non displicere DEO.

§. III.

AGens cum DEO (in Martio Anno 1622. (dixi illi simpliciter, quamvis non sine ipsius inspiratione: Mi Domine, da mihi aliquid ampliùs, & hoc idem repetebam aliquoties: Domine da mihi aliquid amplius. Audivit Dominus meam petitionem, & pro sua solita mansuetudine & bonitate mihi respondit: Quid petis Anima? ut tibi dem aliquid ampliùs? dedi jam tibi me ipsum, quid amplius tibi debeo dare? vel quid ampliùs tibi dare possum? Ego respondi meo Domino: non loquor, mi Domine, de tuis divinis donis & gratijs, quas mihi præstas, sed ut des mihi aliquid ampliùs, quod ego tibi possum dare; plura auxilia, majorem dispositionem ad te ampliùs amandum, tibique serviendum. Dominus mihi respondit: Verè tibi dico, quòd tibi dederim, & habeas omnes dispositiones necessarias, pro obtinendis omnibus favoribus & gratijs, tibi à me præstitis. Fui attonita audiens, hoc dici à Domino, qui aliquantò post mihi dixit. Anima, vísne venire mecum? Ego respondi: ità, Domine, eamus. Apprehenditq; me ipsemet in brachio, & in uno latere, ac elevavit me divinâ vi, & duxit secum, absq; ullo comite. Inprimis me duxit ad quandam planitiem, campestrem, ubi erat ingens multitudo congregatorum hominum, quasi distentorum negotijs, quibus immixti erant Angeli DEI, numero pauciores, qui ipsos juvabant, & suggerebant illis, quod erat necessarium. In una parte autem stabant multi diaboli, quasi conjuncti ità, ut tantùm explorarent, quid fieret. Dominus me traduxit per medium illorum hominum ac turbæ, quam transivi cum compressione ac difficultate, sicut, qui ingreditur aliquod templum, in quo est multus populus, ac transit difficulter, impingendo in alios. Postquam hinc exivissem, duxit me DEUS ad quandam divinissimam solitudinem, ubi sola fui cum Domino, atque ibi sum fruita Divinâ ipsius Majestate absque ullius prorsus creaturæ interventu, cum magna pace & gaudio, ac lætitia spirituali, fuitque mihi ibi tam bene, ut nunquam voluissem discedere ex illa Divina solitudine, quia fruebar meo DEO ac Domino prorsus sola, & cum magno emolumento. Dominus me voluit inde educere, & ego illum rogavi, ne id faceret, ac dixi: Non, Domine, bonum est nos hîc esse. Voluit denuò me Dominus educere, & ego iterum reposui: Non, mi Domine, bonum est nos hîc esse. Deniq; Dominus me duxit ad cœlestem Jerosolymam, ubi mihi ipsius Majestas ostendit gloriam Beatorum. Licèt autem res hæc fuerit tanta, ut me, quod ibi mihi fuit ostensum, affecerit summo solatio & gaudio, nihilominus melius mihi fuerat in solitudine cum meo Domino. Postquam vidissem istam gloriam, duxit me Dominus ad quandam magnam altitudinem, ubi mihi manifestavit tam admiranda, ut ego illa nesciam verbis exprimere, vel explicare, quia omnia erant DEUS, & magìs DEUS, atque hinc me eduxit Dominus ad aliam altitudinem eminentiorem ac sublimiorem, ubi mihi idem Dominus excellentiori ac Divino modo ostendit lon-

longè plura, atque admirabiliora, quam priùs, & quæ minùs verbis possunt exprimi, aut explicari. Inde verò me eduxit Dominus ad aliam altitudinem eminentiorem cæteris, ubi Dominus videtur ultimam manum apposuisse suis gratijs, mihi præstitis, ostenditq; mihi, & cognovi res tam sublimes, támque admirandas, ut mihi ipsi fuerim erepta, neque sciam dicere, qualésnam fuerint. Ibi agnovi illud Divinum Esse, & ipsius Divina attributa, atq; existimo, quòd se mihi DEUS omnipotens totum ostenderit, & quodammodo animam meam pervaserit, ubi penitus fui absorpta & immersa in illud Divinum Esse. Hîc mansi diu. Interea conspexi meos Dominos Angelos, qui ordinariè mecum manent, hactenus enim illos non videram: & revera mihi displicuit, quod ipsos viderem, quia statim intellexi, illos venire ad me abducendam. Dominus illis dixit: Accipite istam Animam, ac ducite illam, jam enim, est tempus, ut quiescat. Fui rapta in magnam ecstasim, & postquam Dominus à me discessisset, datâ mihi suâ benedictione, quando ad me sum reversa, reperi me in meo angulo.

Declaravit mihi deinde Dominus istam gratiam, quam mihi præstiterat, dixítque ipsius Majestas: Omnes gradus, per quos te duxi, à solitudine usque ad ultimum adeò perfectum, sunt gradus orationis & contemplationis, quibus te duxi, & tu progressa es in tua vita, donec pervenires ad statum, quem modò habes perfectissimum, & ad quem potes pertingere in hac vita: quòd autem te duxerim, per illam turbam hominum, indéque eduxerim, significat, impossibile esse, ut animæ, quæ cupiunt pervenire ad solitudinem, & gradus, quos vidisti, id possint præstare, nisi priùs deserant tumultum vitæ præsentis & mundi, ejúsque occupationes.

§. IV.

Alia varia media notatu dignissima adhibuit DEUS, ut moderaretur ipsius timores, quibus angebatur utrùm non viveret illusa, ſéq; hac viâ perderet. Quadam vice, *inquit*, in his afflictionibus, mihi dixit Dominus: Anima mea, quis te affligit? quare angeris? quis te condemnat? Ego respondi: Mi Domine, mea peccata. Ne te vexes, dixit Dominus, ne te affligas, vivis enim sub mea protectione ac tutela, & sicut gallina habet sub sua tutela & alis pullos, ita ego te habeo. Egi illi magnas gratias pro favore, mihi exhibito, & addidi: Mi Domine, aliquando pulli egrediuntur extra alas gallinarum, atq; tum venit accipiter, & rapit illos, unde ego idem possum metuere. Dominus autem mihi respondit: Polliceor tibi, per memetipsum, quòd nunquam sim tibi defuturus, neq; subtracturus meam protectionem ac tutelam. Ob hæc dicta sibi visa est mea anima reddita quàm certissima, me fore salvam, & Dominum mihi nunquam defuturum, ídque tam infallibiliter eventurum sibi persuadebat, ut nihilominus simul ipsam intimè pervaserit maximus timor, ne displicerem DEO, summéque optaverit illi placere, ut nesciam, quomodo possint simul consistere tantus timor, ac tanta securitas.

Aliâ vice, dum mea anima esset vehementer afflicta, timerétq; comparere coram suo DEO, ac Domino, eò quòd adverteret, reprobari à Divina Majestate Spiritus quarundam personarum habentiũ, in suis animabus quædam prorsus extraordinaria, non absque signis externis, dixi illi: Domine mi, ac DEUS mi, si reprobas spiritus istarum personarum, qui tibi sine dubio fideliter serviunt, & caeteri malitiâ, quid dices de mea anima misera, & infelici, ac tot peccatorum rea, quam, Domine, ducis vijs tam extraordinarijs? Placeóne tibi Domine, & procedóne bene? Audivit Dominus, quod ita ipsi dicebam, & respondit mihi cum magna Majestate, ac summa charitate, dicendo: Desiste, Anima, à tuis nimijs timoribus, & confusione, neque te mihi talem exhibe. Existimásne enim fortè, quòd à me omnes animæ ducantur, & illæ progrediantur eâ viâ, quâ tu? Noveris, aliter se rem habere, téq; & à me duci, & incedere viâ admirabili

rabili, commodâ, & securissimâ, ac eâ, quæ in mea Ecclesia erit clarissima, & eximiæ, charitatis, ac utilitatis, eò quòd in illa nihil reperiatur aliud, quàm Spiritus, & meæ puræ ac sinceræ veritates, absque alijs mixturis. Certum enim habeto, me esse purum ac Divinum spiritum, & indere ea, quæ sunt spiritualia, secura, ac sincera: ideóque, Anima, ne tantopere timeas, & habe solatium in me, atq; age mihi magnas gratias pro beneficijs, & favoribus, quos tibi exhibeo, eò quòd ego sim, qui sum, quódque tu te ijs non reddas indignâ. DEUS sit benedictus, & acceptet confusionem ac verecundiâ, quâ id scribitur.

Aliàs illam DEUS per continuum triduum pacabat, ac placabat varijs modis, id quod ipsa hunc in modum refert. Primo die, cùm essem auditura sacrum & communicatura, vidit mea anima quatuor elegantissimè exornatos & speciosissimos Angelos, qui habebant in manibus aureos cereos ardentes ac adstabant sancto Missæ Sacrificio quàm reverentissimè, atq; dum ego vellem ambigere de hac visione, Angelus meus Custos, exhibendo se quasi indignabundum, me reprehendit, & humi prostravit, tandémque me, sub ipsum tempus Communionis, ipsemet amanter elevavit, ac reposuit in meo loco. Ego propterea vehementer afflicta ac turbata, me commendavi DEO, & postquam illum suscepissem, timens ne distraherer, incepi recitare quàm celerrimè psalmum: *Miserere mei.* Interea mihi dixit Dominus: Expecta modicum, Anima, noli ita festinare, ausculta modò, quid tibi velim dicere. Conticui, tametsi non statim, dixitque Dominus: Anima, noli esse adeò terribilis, quoad timores, & confide mihi. Ego respondi, me summè desiderare, ut non errem, útque ipsi placeam. Tum Dominus dixit: Anima, nemo te contemnat, ac bonum tuum desiderium te salvat, & quomodolibet mihi placebis, cedéntq; omnia in tuum bonum. Hoc modo, subseqvutâ unione, cum Divina ipsius Majestate, completum est mysterium, mansitque mea anima repleta solatio.

Secundo die mihi DEUS secum agenti dixit: Anima veni mecum. Quod mea anima audivit, sed neglexit adeò, ut istius dicti non ampliùs recordarer, quasi timerem, fuissétne DEUS, qui me est alloqvutus. Notabili tempore pòst, me abripuit Dominus, & arctè univit cum suo Divino ac infinito Esse, atq; ibi mihi fuit revelatum altissimum mysterium Beatissimæ Ttinitatis. Tres istæ Divinæ Personæ, & unus DEUS ferebant meam animam intra se ipsas, quasi illigatam & unitam: jam erat in brachijs unius Divinæ personæ, jam in brachijs alterius, in quo mysterio & unione altissima, sentiebat mea anima maxima bona. Postquam aliquamdiu mansissem in hoc DEO, ac tribus Personis Divinis, intellexi, quòd Dominus vellet meam animam dimittere ab illa tanta ac tam potenti unione, & ego ægrè id ferens dixi: Non Domine, non Domine; Tu sæpe dixisti: Ego manebo in illa, & ipsa manebit in me; oportet te ergo, Domine, stare promissis. Bene habet, dixit Dominus DEUS, & intuentes se invicem illæ tres Divinæ Personæ, ac unus DEUS, approbaverunt, quod pro se mea anima allegabat, dixerúntq; Non te deseremus, neq; tu nos deseres. Nō cessabit unio, quam agnovisti (relaxabitur autem quando expediet) quoad duraverit vita mortalis. Et paulò pòst relaxavit Dominus istam unionem tam sublimem & admirabilem, mansítq; diu cum mea anima eo modo, & ità me alloquendo ac tum finitum fuit illud mysterium, cum magno levamine & solatio meo. Deinde mihi dixit Dominus: Anima, bene nunc poteris esse contenta, quòd initio hujus in te peracti mysterij tibi dixerim: Anima, veni mecú: qua de re timuisti, & voluisti dubitare.

Tertio die mihi, volenti communicare, & graviter ægrotanti, dixerunt quidam Sancti Angeli, atq; ipse DEUS: Dominus modò ad te veniet, ut tibi conferat sanitatem, quæ tibi erit magis conveniens, creatura DEI. Ego respondi: Sanitas, quam mihi volo à meo DEO conferri, est animæ, & nulla alia. Suscepi Divinum Sa-

cramentum, ſtatímq; ſenſi & adverti in me ipſa, præſentiam Chriſti JESU Domini DEI noſtri, & Hominis veri, quàm ſpiritualiſſimè & admirabiliſſimè. Loqvutus eſt mihi Dominus, dixítque! Anima mea, toto decurſu tuæ vitæ deſideraviſti, mihi eſſe grata, & placere, ſempérque me rogaviſti, ut tibi gratiam iſtam & favorem præſtarem. Quam ergo nunc habes rationem timendi ac dubitandi? Quis Parens filio, ſi is ab ipſo petiverit partem panis, dabit lapidem? vel quæ Mater obliviſcetur infantem uteri ſui. Quodſi verò fuerit repertus Pater aliquis tam crudelis, & Mater adeò obliviosa, ego tamen nihil tale faciam, atque de hoc noli penitus dubitare. Dum ità Dominus ageret cum mea anima, vidi quaſi commeantem ſuperiùs Sanctum ac Divinum Spiritum, in ſpecie quadam magnæ majeſtatis: comparebátque iſte Dominus quaſi coopertus vmbellâ, inſtar grandis ac Divinæ Aquilæ, & quamvis mea anima, hanc ſpeciem agnoverit, vix tamen illam vidit. Majeſtati hujus Domini inſerviebant & aſſiſtebant multi Sancti Angeli. Acceſſit Dominus ad aurem meæ animæ, dixítq; mihi pauca quædam verba Diviniſſima, & ſecretiſſima, in abditiſſimo fundo meæ animæ. Hoc fecit ter, ità ut quavis vice modicum recederet. Fuerunt tam ſpiritualia & myſterijs plena hæc dicta, ut difficulter potuerint ab anima percipi. Deinde mihi viſum eſt, impoſitum fuiſſe meo pectori nummum ex auro puriſſimo. Dum mea anima ſtuperet hæc myſteria, converti me ad Dominum, quem intra me ipſam habebam, & dixi illi: Quid eſt hoc, DEUS mi & Domine? quale fuit iſtud myſterium, quod vix intellexi? Dominus mihi dixit: Anima, inſpice tuum cor, ubi invenies & videbis myſterium, quod ſcire deſideras. Cùm mea anima intueretur, quod me intueri juſſerat Dominus, vidi in meo corde quoddam ſigillum ipſiusmet DEI, in quo erat expreſſa Sanctiſſima Trinitas, ſpecialiter verò ibi agnoſcebatur Perſona Spiritûs Sancti. Tunc mihi dixit Dominus: Anima, omnipotens DEUS ac Divinus Spiritus in illis alloquijs myſticis, quæ percepiſti & nõ intellexiſti, tibi præſtitit magnam gratiâ, quia inſeruit tuo cordi ſuâ potenti manu clavim & ſeram, impreſsitq; ibi ſuum ſigillum, ut nemo poſſit eò fraudulenter ingredi, & ipſe ſolus ſit Dominus tui cordis ac animæ. Hæc ſunt myſteria à te viſa: quæ ſicut & alia myſteria, à me tibi manifeſtanda, ac omnia tibi à me dicenda, ut ſine ullo dubio credas, eſſe mea, à te peto, tibíq; mando, útq; nunquam ambigas de ulla re, quam videris vel audieris, ſi non expreſsè repugnet meæ legi, fidei, vel ſacræ ſcripturæ, ac doctrinæ Sanctorum. Loquebatur autem de hoc Dominus, ſpectatis regulis communibus & ordinarijs, certámq; reddebat meam animam de veritatibus, quas ipſi jam manifeſtaverat, déque gratijs, quas mihi præſtiterat, ac de modo, quem à me volebat in ijs obſervari.

§. V.

Concludamus viſione, in qua DEUS exercuit ac probavit ipſius timores, ut experientiâ diſceret, qnali ab ipſo praditus eſſet facultate, ad cognoſcendas fraudes diaboli, ſéque ab illis liberandi. Dum agerem, *inquit*, aliquando manè cum DEO, vidi oculis animæ venientem ad me ſanctiſſimam Virginem Dominam noſtram, ſtipatam multis ſanctis Angelis, & nonnullis ſanctis virginibus. Inter illos erant duo ſancti Patriarchæ, Sanctus Dominicus, & Sanctus Jgnatius, maximam præſeferentes reverentiam, humilitatem ac devotionem. Incepi affligi, & ſolito plùs turbari, quia DEUS permiſit, ut ſpectarem hoc myſterium coopertum quadam nubeculâ, ut vix illud poſſem videre: diabolus enim permiſſu DEI (ut mihi divina Majeſtas deinde dixit) erat cauſa illius obſcuritatis ac turbationis, & quotieſcúnque iterum aſpiciebam dictum myſterium, à quo aſpectu non poterat abſtinere, quia DEUS ita diſponebat, nuò me terrefaciebat ac turbabat. Dum id videret Sanctus Angelus meus Custos, qui quodammodo explorabat, quid ter-

ret, complexus est spiritualiter meam animam dicendo ardenter: Quid est hoc, Anima mea? quid habes? quid sentis? quæ est causa tui timoris ac turbationis? quiesce Anima, amore DEI. Nihilominus, etiamsi essem inter brachia mei sancti Angeli, tremebam ac timebam, quotiescúnq; aspiciebam illam nebulam, quâ diabolus, DEO permittente, obtexerat illud mysterium, quæ mihi incutiebat magnum horrorem. *Unde apparet, quàm bonus spiritus sit contrarius malo; siquidem illa nebula, quæ procedebat à diabolo, ità ipsam affligebat & terrefaciebat, sicut terretur ovis, dum videt lupum.* Cum ista afflictione dicebam Sancto Angelo, qui mihi ab blandiebatur: Heu me! Sancte Angele, libera me ab omni eo, quod non est DEUS, aut ipsius veritas. Hæc afflictio & pugna duravit valde diu, donec Dominus DEUS Majestatis benignè ad me convertisset oculos, mihíq; dixisset: Age, Anima mea, veni nunc mecum, & quiesces in me: atque cùm hoc DEUS diceret, mea anima se reperit in pectore, & secreto Divinæ Essentiæ ac Beatissimæ Trinitatis, ubi abactis omnibus timoribus, molestijs, & obscuritatibus, fruebatur illo Domino cum magna pace & quiete. Ibi illi fuit ostensum ab eodem Domino manifestissimè & clarissimè illud sacrum mysterium, quod ipsam tantopere turbaverat & afflixerat: vidit enim in eodem DEO, quasi aliquantùm extra illud divinum pectus, Sanctissimam Virginem Dominam nostram mirum in modum speciosam, & singulariter illuminata cognovit aliquid de multis hujus Dominæ virtutibus ac donis cœlestibus: vidit illos Sanctos Angelos ac Virgines, quæ eam reverentissimè comitabantur; vidit etiam duos illos Sanctos Patriarchas, exhibentes illi Dominæ reverentiam & cultum, quemadmodum dixi. Contemplata est aliquamdiu mea anima hoc mysterium cum magna pace & consolatione sua; nihilominus etiamsi Sanctissima Virgo, & sancti Patriarchæ me fuerint peramanter alloqvuti, ego præ mero pudore ac verecundia, propter id, quod factum fuerat, vix audebam illis loqui, vel respondere. Per aliquot dies frequentissimè commorabar in eo Domino, quasi in ipsius manibus, dicebámque illi cum magno affectu, singulis vicibus: DEUS mi, ac Domine mi, ego in perpetuum volo manere in tuis sacris manibus, unde prodivi ex sola tua bonitate ac misericordia, abluta ac purificata aquâ Sancti baptismi, ubi mihi fuit collata tua gratia, & cœleste donum trium virtutum Theologicarum. Nunc, mi DEUS, revertor ad illas, ut me denuò suscipias & cures, lavésq; maculas ac infirmitates mearum novarum culparum & peccatorum lavacro pretiosi sanguinis, mei Redemptoris ac Salvatoris Christi JESU, effusi pro nostra salute, & remedio: Benedictus sit ipse inæternum. Amen.

His diebus (in Octobri Anno 1623.) fui passa, ex Divina bonitate, maximos dolores; & quamvis pars superior meæ animæ semper gaudeat, quemadmodum scripsi; pars tamen inferior, & natura patitur, propter derelictionem ac desolationem, ut mihi videar non esse ea, quæ sum, atq; DEUS videatur esse mei oblitus. In hac afflictione, & in meis timoribus cogitans, utrùm incidissem in peccata vel defectus, propter quos DEUS mihi id immitteret, converti me ad DEUM, dixíq; tenerè: DEUS & Domine mi, obsecro tuam Majestatem, ut me digneris, quocunq; modo tibi placuerit, illuminare, atque hac de re edocere. Scis enim, quòd desiderem, in omnibus me conformare tuæ sanctissimæ voluntati. Audivit DEUS meam petitionem, & paulò pòst, cum gravitate & authoritate dixit: Verè tibi dico, Anima, quòd te non dereliquerim, neq; deseruerim, nec vnquam sim derelicturus: semper tibi adsum, in omnibus tuis cruciatibus, & afflictionibus. Quòd has permiserim, factum est, ad probandam tuam Fidem ac Fidelitatem, atq; ad majus augmentum tuorum meritorum & coronæ. Ego respondi cum meis timoribus: Domine mi, deliquíne fortè aliquid inter meas molestias? DEUS mihi

respondit, cum magna majestate: Vivo ego in cœlis, & in terra, quòd ne minimùm deliqueris contra Fidem ac Fidelitatem inter tuos cruciatus. Audivit mea anima hæc dicta cum magno timore ac tremore, egíq; ipsi gratias pro favore mihi præstito, ac timui aliquantùm ob id, quod Dominus dixerat, & fuissétne ipse. Tum Dominus respondit: Ego sum, noli timere, & in signum hujus veritatis, quòd ego sim, qui tibi loquor, concedo tibi, ut quamdiu vixeris non recedat à te sanctus timor meus: Noveris quoque, tibi jam appropinquare Regnum cœlorum. Fui plurimùm recreata, & animata his, quæ mihi Dominus dixerat. Licèt verò aliquantùm timerem ob quasdam res temporales, an me in ipsis conformarem voluntati DEI, vel an me non permitterem aliquatenus ductui meæ naturæ; Dominus mihi tamen respondit alio modo, prorsus diverso à præcedenti communicatione, reddens me certam, me bene procedere, útque me permitterem hac in re ductui meorum Confessariorum, & quoad istud me gererem sicut hactenus. Cùm autem aliquantùm dubitarem de hoc alloquio DEI, Sanctus Angelus Custos mihi dicebat: Attende, Anima, quid tibi dicat Dominus, ipsius enim Majestas est, quæ loquitur, ne timeas.

CAPUT XVI.

Quomodo ipsi DEUS, per alias admirabiles similitudines, manifestaverit pulchritudinem, efficaciam & valorem internorum ipsius affectuum, præsertim illorum, quibus optabat videre DEUM: nec non varietatem ac venustatem virtutum, quas ijsdem affectibus comparabat, pro exornanda sua anima.

DUm DEUS, *inquit*, suas gratias ex mera sua bonitate & clementia operatur in mea anima, suscitat in illa, pro majore ipsius bono, in abditissimo ejusdem recessu, & superiore parte magnum & vehementem ac fortem, quietum & pacatum ignem, quo in ista quiete, unáque vehementia exardescunt affectus, quos Dominus DEUS, ipsi infundit, amoris, timoris, propriæ cognitionis, resignationis in Divinam voluntatem, confidentiæ in suo DEO, & similium. Hi omnes simul, & sine strepitu, vel discursu concurrunt in unum tam potentem & intensum, ut anima in eo videatur sentire omnes simul, sítque instar alicujus aquæ Angelicæ, quæ per distillationem ex diversis floribus extracta odoriferis, habet unà solùm odorem suavissimum, & valde proficuum. Sic agitur cum mea anima, quæ DEI est bonitas, etiamsi ex omnibus sine dubio credam me quàm minimùm proficere,

§. I.

INter hos affectus habui quosdam ex intimo corde procedentes & ferventes, cum quibus mea anima, & lingua prorupit in hæc verba exteriora, quasi de se ipsa conquerens: Bonum animæ meæ, DEUS mi, ac Domine mi, valde malè valeo & sum miserabilis, ac imperfecta: mea anima pessimè valet, Domine mi. Audivit

meis querelis DEus respondit meæ animæ, quàm amantissimè, dixítq; : Anima quid tibi dolet? quare conquereris? Respondi cum vehementi cordis mei affectu ac dixi: DEus meus, ac Domine mi, habeo animam valde infirmam; quod frequenter repetebam, ac dicebam: Sana me Domine, quia anima mea infirmatur. Audivit me Dominus, sicut dixi, & respondit: Videtúrne tibi esse anima tua infirma, & itáne loqueris? Hæc infirmitas, quam, tuâ opinione, pateris, non est ad mortem, sed ut manifestetur gloria DEI in electis. Plurimùm fuit confortata & recreata mea anima eo, quod Dominus tanto cum amore dixerat. Quia tamen adhuc in ea ardebat ignis, quem DEUS exsuscitabat, querebatur rursum, cum magna teneritudine & amore sui DEI, ideóque rursum, illi dixi: Infirma sum, mi DEus, patior ingentes dolores partûs, dolores inferni sustineo, eò quòd hactenus non prodiverit in lucem filius uteri mei, neque mea anima, per æternam possessionem, pro dignitate sui DEI, fruatur clarâ & beatificâ ejusdem visione cum pace, quiete & securitate æterna, tibi non displicendi, neque tui unquam perdendi. Hoc est, mi DEUS, ob quod queror ac doleo. Quiesce jam in me, Anima, dixit Dominus, nam ego te bene intelligo, & dies tuus adveniet plenus, juxta mensuram tui desiderij, atque etiam longè cumulatior. Post hoc fuit mea Anima abstracta, sensítque insolitam quandam teneritudinem: hæc enim non magnopere congruit meæ naturæ.

§. II.

VAlor & efficacia horum ardentium desideriorum ipsi fuit manifestatus per istam gratiosam visionem. Vidi, *inquit*, pendentes ex cœlo parvos ramos mali granati, in ijsdémque singulis singula granata, ex purissimo auro. Cõsideravi attentissimè hoc mysterium, & dixi intra me: Re verâ ego me possem appendere istis ramis, & per illos ascendere ad cœlum. Incepi adhærescere uni granato unius rami, & mansit mihi statim granatum in manu decerptum ex arbore, seu ramo. Licèt verò esset elegantissimum & pretiosissimum, quia tamen ego non volebam habere granatum, sed ascendere ad Cœlum, permisi cadere granatum ad terram. Denuò me affixi alteri granato alterius rami, contigítque mihi idem, & similiter illud permisi cadere, atque ita factum est tertiâ & reliquis vicibus, sempérque proijciebam granata ad terram, etiamsi essent tam admiranda. Interea redij ad me, ac dixi: DEUS bone! quàm fuit mea imaginatio inanis! & confugi ad DEum more solito. Post hoc vidi meum Sanctum Angelum Custodem, qui tenebat in manibus elegantem corbiculum, & in illo omnia granata, quæ ego permiseram cadere ad terram. Mirata sum valde, videns corbiculum tam gratiosum, & granata tam pulchra, quæ agnovi. Sanctus Angelus autem mihi dixit: Non fuit imaginatio tua, sed ista mala granata significant tua merita, quæ cõparavisti ardentibus affectibus, quibus incitabaris, & incitaris, ad videndum Dominum DEUM tuum. Vehementer obstupui hæc Divina mysteria. Postea verò die sequenti manè, mihi dixit meus Sanctus Angelus Custos: Anima mea, es fatigata & afflicta? vísne, ut te ducamus ad tuum DEUM? Ego respondi: Ità, mi Domine. Si ergo vis ire, subjecit Angelus, debeo tibi imponere illam crucem, quam scis, tibi à me aliàs suavissimè fuisse applicatam infra tuos humeros. Sed quia recordabar, quàm terribilis fuerit illa crux, respondi: Non, sancte Angele, hoc non volo. Vísne igitur, respondit Sanctus Angelus, ut te collocem in cruce, quæ sit confecta ex gratiosissimis, suavissimis, & fragrantissimis floribus? Cui ego: Neque hoc volo, Domine Angele. Et ille: Quid tandem vis? Ego respondi: Nolo aliud, quàm quod meus Dominus de me disposuerit, fuerítq; conforme ipsius sanctissimæ voluntati. Tum me in momento susceperunt omnes mei Domini sancti Angeli ad suas manus, tulerúntque me ad cœlestem Jerosolymam. Et videbar mihi

à singulis seorsim portari, unáq; ab omnibus simul. Constituerunt me coram Majestate JESU Christi Domini nostri ac dixerunt: Domine noster, hîc tibi præsentamus istam tuam animam, cujus corpus est valde afflictum & fatigatum, & vehementer illi condolemus propter id, quod patitur: dignetur Tua Majestas, illam liberare ab afflictionibus, ac ad se transferre. Dominus autem respondit? Ita profectò est, sicut dicitis, etiam ego ipsius vices doleo, quòd tantùm patiatur: adhuc tamen non advenit terminus, qué ego, in ipsa prædestinanda, præfixi illius doloribus. Et postquam mihi Divina Majestas fuisset bene precata, retulerunt me ad meum angulum.

§ III.

DUm aliâ vice (3. Decembris anno 1622.) natura esset magnopere afflicta à tantis doloribus, quamvis essem admodum resignata in voluntatem DEI, ac desiderarem, illam semper in me adimpleri, vidi in meo cubiculo Christum JESUM Dominum nostrum, indutum pretiosissimâ togâ talari. Habebat in limbo togæ multas gemmas & pretiosos lapides, quos Dominus omnes in me projecit, ità ut quasi sentirem illorum impetum, & quoddam frigus. Obstupui supra modum, dum id viderem, & fui consternata isto spectaculo. Videns me ita constitutam Dominus, dixit mihi: omnes istæ gemmæ & lapides, sunt figura ac repræsentatio meritorum, quæ habes, & resultant ex doloribus, molestijs ac afflictionibus, quas pateris, quia meâ æstimatione sunt, instar gemmarum, & lapidum pretiosissimorum. Postquam hoc dixisset, reperi me vestitam pretiosa quadam togâ, exornatâ omnibus illis lapidibus & gemmis, atq; ita indutam me sancti Angeli elevaverunt ex meo lectulo, collocaverúntq; humi, ubi flexis genibus adoravi Dominum, qui mihi impertitns est suam sanctissimam benedictionem, & reposuerunt me ad meum lectulum. Postea mihi Dominus voluit appropinquare, & jam appropinquabat; ego autem incepi affligi meis timoribus, ac dixi: Hoc non, Domine. Feci id ex reverentia erga Dominum, atque etiam timore, ne subesset aliqua fraus diaboli. Ita mansi usque ad diem sequentem, neque mihi quidquam dixit Dominus, & ego fui aliquantùm afflicta, dubitans, an non offendissem meâ inurbanitate Divinam Majestatem. Postridie mihi dixit Dominus: Verè, Soror, es spiritualissima: non fuit diabolus, sed ego, qui te ità volui probare. Tunc petij veniam à Divina Majestate, ac dixi: Domine mi & DEus mi, cùm diabolus tantùm possit efficere in visionibus imaginarijs, timui nonnihil, ignoscat mihi Tua Majestas. Et Dominus me animavit, atque solatus est, posteáque mihi dixit. Noli turbari vel alterari, quia statui, te his diebus frequenter visitare. DEus sit benedictus. Amen.

§. IV.

V*arietas ac pulchritudo virtutum, quas his affectibus obtinebat, magis declaratur in hac visione per gratiosâ similitudinẽ speciosæ oviculæ.* Dum, *ait*, aliquando, per hos dies, omnia alia cogitarem, vidi in meo cubiculo quendam gravem virum magnæ authoritatis, qui cum imperio accessit ad me, dixítque mihi: Veni mecum, Anima, quia te volo ferre in meis humeris, sum enim tuus bonus pastor, & tu es mea ovicula: Apprehendítque me in brachio, cum impetu. Ego vehementer fui turbata, & cùm illum aspicerem, vidi quòd haberet in suis humeris oviculam instar nivis candidam, quódque inciperet cum illa progredi. Cogitabam autem in animo meo, an non mihi id ego tantùm imaginarer. Quando tamen vidi abeuntem, dixi intra me: Eat in nomine Domini, eat; quasi respirarem ab illa turbatione. Vir ille gravis, quem agnovi fuisse Christum Dominum, tulit eam oviculam ad cœlestem Jerosolymam, & præsentavit illam suo sanctissimo Patri æterno, dixítque: Pater Æterne, hîc tibi fero istam oviculam, & præsento, ut tibi ita

in illa complaceas, ac impertiaris ipsi tuam sanctam benedictionem. Pater æternus illam diu aspexit, eò quòd esset candida instar nivis, quæ significabat virgineam puritatem ejus oviculæ, & dixit: O quàm est gratiosa! verè est mihi gratissima, plurimúmque mihi placet. Subitò ovicula induit colorem auri purissimi, dixítque Christus JESUS Dominus noster: Jam illam aspiciat Tua Majestas. Et Pater æternus ipsam est intuitus, ac dixit: Profectò est valde gratiosa, placétque mihi nunc multò magìs. Aurum significabat charitatem ardentem illius animæ. Postea fuit mutatus illius color, & comparuit tota purpurea, quod significabat afflictiones & cruces, quas illa anima toleraverat pro DEO. Intuitus est illam rursum Pater Æternus, ac dixit: Modò mihi longè magìs placet, éstque magìs gratiosa. Iterum transmutavit colorem, in colorem ignis ardentissimi, qui erat symbolum magnæ fortitudinis, quâ toleraverat afflictiones. Et cùm eam aspexisset Pater Æternus, placuit illi magìs, quàm unquam, valdéque ipsam laudavit, & dixit Divina Majestas: Ducatur ad locum, qui ei debetur, optimè enim mihi satisfecit ista ovicula, quam meus Filius mihi præsentavit. Tunc ille venerabilis vir, qui erat, ùt dixi, Christus JESUS Dominus noster, imponens manum collo oviculæ, abduxit illam, & ovis mutavit colorem, qui fuit color mixtus ex omnibus quatuor coloribus, unde evasit longè pulchrior & gratiosior, duxítque ipsam per multos Angelos, ac Sanctos Beatos, redimitam serto, seu coronâ, quam illi DEUS imposuerat, & omnes ipsi loco cedebant, mirabantúrque, quòd illam viderent adeò honorari à DEO, donec pervenisset ad suum locum, qui erat valde eminens, in quo ipsam Dominus constituit. Atque tum mihi disparuit ovicula, quæ est conversa in splendidum solem, emittentem ex se multos radios, pertingentes ad ipsum DEUM, per quos radios Dominus communicabat illi animæ, in specie solis, suam beatitudinem, ac Divinum esse: ibíque se DEus univit cum illa anima, & videbar mihi, remanente ibi animâ, esse in meo angello. Non poteram intelligere, quomodo id posset fieri, ut illic maneret mea anima, & ego essem in meo lectulo: Dominus autem mihi hoc explicuit, & dixit: Isti Sancti Angeli, qui hîc tibi cohabitant, nónne simul mecum manent in Cœlo? & nónne hoc ego facio, ac possum facere? ita se res habet, & idem tecum ago.

Biduo pòst, spectavi quandam processionem in Cœlo, in qua vidi Christum Dominum præcedentem instar boni Pastoris, & Divinam Majestatem sequebatur magnus ac numerosus grex ovium candidarum instar nivis, & gratiosissimarum. Omnes habebant torques pretiosissimos, plenos gemmis infiniti valoris, & omnes edebant gemmis, quas gestabant, quandam admirabilem musicam, atque plurimi Angeli, qui sequebantur oves, maximopere cooperabantur ad eam musicam, quæ res tota erat suavissima & jucundissima. Illa verò ovicula diversicolor ibat ad latus Domini, qui habebat manum suam sanctissimam impositam torqui, quem gestabat, & sequebatur magna multitudo Sanctorum. Circuivit ea pompa cœlum. DEUS sit benedictus propter omnia opera sua, Amen.

§. V.

IDem ipsi aliâ similitudine avicularum declaravit Dominus. Dum alio die essem collecta (in Martio anni 1623.) invocavi DEUM dicendo: DEUS meus & Domine mi, veni ad me, quia sum sola. Meus Sanctus Angelus Custos mihi dixit: Anima considera, quid dicas, non enim es sola; hîc sumus nos, aspice & videbis nos. Circumspexi, & vidi mihi adesse omnes meos Dominos, unáque Sanctos illos quatuor Angelos, qui manent intra illud claustrum aureum. Vidi illos per portulam, unáque aviculas gratiosissimas, quæ decantabant Divinas laudes ad pedes Angelorum, & inde volaverunt, collocaverúntque se in genibus; iterum volaverunt & con-

consederunt in manibus, ac tandem in capite Angelorũ. Hoc viso, dixi meo Sancto Angelo: Aspiciat Dominus Angelus illas aviculas, quàm sunt audaces, quod conscenderint capita Angelorum. Tum subitò evolaverunt ad Cœlum, nec ipsas ampliùs vidi. S. Angelus mihi respondit: Jam scis, Anima, per illas aviculas repræsentari & significari tuos ferventes affectus amoris, quos continuè habes: attolle oculos, & aspice. Elevavi oculos, & vidi DEUM in specie Divini splendidissimi solis, qui suis Divinis radijs illuminabat Cœlos & totam terram. Introivit in meam animam, & univit se mecum Divina Majestas, quâ aliquamdiu sum fruita: útque ipso facto experirer, quantùm isti affectus possint, ac valeant, contigerunt statim duæ res notabiles.

Venit, *inquit*, ad me sanctus Angelus Custos, elevavítque me, apprehensam in humeris, erigens me in lecto, ac dixit: Anima, aspice DEum, ecce pergit ad mare, & videtur esse iratus. Elevavi oculos, & vidi meum Dominum stantem inter cœlum & mare, quasi imperantem ventis ac mari, ut conturbarentur, valde offensum peccatis, quæ contra ipsius Majestatem committunt navigantes (ego verò vehementer condoleo & compatior navigantibus propter ingens discrimen, quod ordinariè subeunt, tam vitæ, quàm animæ) & postquam vidissem DEum ità, sicut dixi, iratum, mota commiseratione proripui me, & constituta coram DEO inter ipsius Majestatem ac mare, expansis brachijs, dixi: Noli, mi Domine, noli, mi Domine, per tuam clementiam te obsecro, noli id permittere, ne submergantur isti homines. Dominus præseferens gravem indignationem, mihi dixit: Quid facis, Anima? permitte me agere. Noli, mi Domine, reposui ego, per tuam infinitam bonitatem, noli hoc facere. Dominus mihi dixit: Recede, Anima, adverte, quòd etiam tu possis submergi. Tum ego subjeci cum magna confidentia: Non debeo te derelinquere mi DEus, etiamsi submergar; licèt me occidas, non intermittam confidere in te. Hoc audito DEUS fuit mutatus, quasi in mansvetum agnum, & non punivit illas animas, dicens mihi: Fiat sicut tu vis, & veni huc, Anima, perge mecum ad cœlestem Jerosolymam, volo enim, ut hodie assideas meæ mensæ, & bibas ex meo poculo. Atque in momento me univit secum Divina Majestas, & reperi me in illa cœlesti Patria, vidíque paratam quandam mensam, cui assidebant omnes Beati comedentes, séque satiantes Divinâ visione. Jussit me DEus assidere mensæ. Videns autem ego illos Sanctos ac illas species corporum, quæ habebant admirabilia, & considerans me, erubescebam ac timebam assidere cum ipsis, dixíque meo Domino: Non, mi Domine, non decet, ut ego assideam huic Divinæ Mensæ cum istis sanctis Beatis, qua vivo in carne mortali; hic sedebo sub mensa, & comedam. Dixitque Dominus: Non, Anima, non ità oportet fieri, asside mensæ. Assedi cum Sanctis, & incepi me reficere, ac frui illâ beatitudine, pro meo captu, idq; brevissimo tempore; sicut pertransit fulgur, & eram ibi valde confusa ac pudefacta. Obstupui, ac pulsa sum ecstasim, videns talia mysteria: & quando ad me redij, deduxerat me jam DEUS ad meum angulum. Sit ipsius Majestas benedicta!

CAPUT

CAPUT XVII.

Quàm inusitatos illi favores DEUS præstiterit, compensando ipsi id, quod patiebatur, peculiaribus visionibus cœlestis gloriæ, quæ illam manebat, & quantopere sibi in ea complacuerit.

IN tertio libro collegimus plurimas revelationes, concernentes beatitudinem Sanctorum, ac modum ad eam perveniendi, per vias crucis & afflictionum. Et quamvis ipsi plereq; à DEO fuerint factæ hoc tempore, ut illam animaret ad patiendum, sunt tamen ibi relatæ, ad declarandum illud mysterium nostræ fidei. Nunc addemus alias de cœlesti gloria, quam jam habebat viciniorem, ne in suo cursu deficeret.

§. I.

DUm, *inquit*, aliquando manè agerem cum DEO, derepente me mihi eripuit, sibíque ipsi impressit adeò, ut me viderim in pectore DEI, eâ specie, quâ hîc pingitur anima. Postquam me ibi conspexissem, extimui ac dixi: Mi Domine, & qualia facit Tua Majestas? Dominus mihi respondit: Anima, ne te angas, neque affligas; si non vis esse mecum, dimittam te. Ego autem dixi: Non, mi Domine, tecum volo esse, & exequi tuam sanctissimam voluntatem. Mei Domini Angeli, & illi alij quatuor aspiciebant me, existentem in Divino pectore, vehmenter stupentes bonitatem, munificentiam, misericordiam, ac demissionem Domini. Hoc modo me DEUS secum tulit ad cœlestem Jerosolymam. Cùm essem ibi, exposuit me Dominus ex se ipso, dixitque Sanctis Angelis, qui me comitabantur: Hæc anima, est mea filia plurimùm dilecta, in qua ego mihi summè complaceo; juvate illam solicitè. Isti mysterio interfuerunt Sancti Patriarchæ Sanctus Dominicus, & sanctus Ignatius, obstupescentes quòd me viderent ità constitutam. Hoc dicto, me Dominus denuò impressit suo pectori, tulitq; me ulteriùs intra cœlestem Patriam, atque præsentibus plurimis Angelis, ac multis Sanctis Beatis, ex quibus multos agnovi, coram omnibus, & ad magnam eorum admirationem, ut viderenter consternari me videndo, secundò dixit Latinè: Hæc est mea Filia plurimùm dilecta, in qua mihi summè complaceo. Omnes intuebantur, & stupebant, videntes gratiam, quam mihi DEus præstabat. Deinde præcepit Dominus Angelis, ut me circumducerent in cœlesti Aula, sicut Novitia, quando illi confertur habitus Religionis, duci solet ad Moniales, ut ipsam amplectantur. Atque omnes Angeli & Beati, me stringebant brachijs, & præseferebant singularem admirationem, quòd me ibi viderent. Hoc modo fui ducta per Sanctam Civitatem DEI, donec pervenissem ad sanctissimam Virginem Dominam nostram: cujus Majestas me suscepit peramanter, & affabiliter, sustulit me ad sua brachia, ibíque mihi præstitit mille gratias. Mansi cum illa satis diu: ac tandem mandavit DEUS meis Dominis, ut me reducerent ad meum angulum.

Alio die (in Decembri Anno 1622.) agens cum DEO, adverti, quòd mihi Divina Majestas vellet præstare aliquam gratiam. Non concessit DEUS locum meis timoribus, ideóq; statim vidi descendentes ex cœlo plurimos Angelos, splendidè vestitos & exornatos, qui musicis instrumentis & vocibus concinebant Divinas

laudes: illos sequebatur Majestas DEI Trini & Vnius. Hæc omnia vidi eminus, sicut dum oritur sol, qui cum suis radijs videtur prodire ex terris longinquis. Progrediebantur paulatim ad meum cubiculum, & DEUS veniebat cum magna majestate, ac magnificentia, sub pretiosa umbella, quæ suâ magnitudine videbatur adæquare ipsum Cœlum, & gestabatur ab Angelis. Cùm pervenissent ad meum cubiculum, ingressi sunt omnes Angeli, & post ipsos DEUS. Deditque Divina Majestas quoddam veluti signum, quasi imperando silentium ac attentionem, & prostraverunt se omnes humi, adorantes Divinam Majestatem. Jussit illos surgere, ac tum peramanter & affabiliter mihi Divina Majestas dixit: Anima mea, es valde afflicta, & natura tua est prostrata, sustinuisti tuos dolores ob mei reverentiam, veni mecum & quiesces, ducámq; te ad cœlestem Patriam, ibi commoraberis, ita tamen ut hîc remaneas ad peragenda omnia necessaria, pro vita humana, quâ vivis, sicut consuevisti. Subitóq; ad me accedens DEUS, sustulit me ex meo loco, & se univit cum mea anima, atque ego cum Divino ipsius Esse, & reperi me in illa Divina caligine, ut non essem mihi præsens, neq; viderim abeuntem DEUM: sed sentiebam me totam unitam & tranformatam in illud Divinum esse DEI. Hoc modo, & comitantibus me omnibus Sanctis Angelis, me duxit DEUS ad cœlestem Patriam. Postquam eò pervenisset, ostendit mihi statim omnem gloriam Beatorum, ac mysterium Sanctissimæ Trinitatis spiritualissimè, & quasi sub velo: ibi diu mansi unita cum illo Domino, quiescens in Divina Majestate, usque dum expergefacta ex eo raptu me reperi in meo angulo, remanente meo spiritu in cœlesti Patria, sicut aliàs. DEUS sit benedictus.

§. II.

DIe præsentatæ Beatissimæ Virginis (anno 1623.) ante diluculum matutinum vehementer fui afflicta, à magnis æstibus, ut mihi viderer comburi, méque ab aliquo valde robusto & lacertoso constringi: existimo fuisse diabolum. Interea implorabam opem sanctissimæ Virginis Dominæ nostræ. Venerunt aliquantò pòst ad me mei Domini, & amantissimè mihi dixerunt: Soror, significamus tibi aliquid nomine Sanctissimæ Virginis Matris DEI, quæ dicit, tibi jam constare, nos hîc à DEO relinqui pro tuo auxilio & solatio, atque ut te excites & animes ad tolerandum tuum martyrium, ipsam enim, licèt sæpe à te non videatur, tibi adesse, sempérq; te juvare, & adjuturam; ita námque expedire, ne illam nunc videas, ut possis pati. Aliquantò pòst, dum tolerarem acerbissimos dolores, vidi descendentem ex cœlo Seraphinum, totum Divino igne ardentem, & venientem ad me. Ego vehementer timui, meo more. Et postquam ingressus fuisset meum cubiculum, mihi dixit: Anima, venio nomine DEI, qui me ad te mittit, ut te animem & confortem, adferámq; tibi donum ipsius, quod tibi mittit: atque accedens ad me, signavit caput meum cruce, & osculatus est illud, ac deinde mihi dedit palmam, in signum victoriæ, quam relatura eram ex meis cruciatibus, atq; sceptrum, in signum possidendi Regni Cœlorum. Egi illi gratias, pro favore mihi præstito, & ipse mihi valedicens discessit. DEUS sit benedictus, Amen.

In Vigilia sanctissimæ Conceptionis Dominæ nostræ (eodem anno 1623.) dum essem valde afflicta, paterérq; ardores, exurentes totum meum corpus, vidi plurimos Angelos DEI, & sanctissimam Virginem MARIAM Dominam nostram, quæ magnâ charitate & amore mihi dixit: Anima, es afflicta, quiesce, sum enim hîc tecum, & quàm frequentissimè me habes, ac habebis adjutricem. Dixitque que ad Angelos: Accipite istam Animam, & ducite illam ad cœlestem Jerosolymam, quia illi volo ostendere palatia meæ quietis, & gloriam, quam possideo. Angeli ipsi responderunt: Domina nostra, ubi ne pro ea veniet divinus Sponsus? illa respondit: Jam non; ducite ipsam. Vesti-

verunt me Angeli, & collocaverunt in quadam quasi sella, in qua, comitante me sanctissima Virgine, fui lata ab illis ad cœlum, & ostenderunt mihi quandam speciem Divinorum palatiorum, in quibus nihil aliud erat, quàm gloria DEI, & magis DEUS, atque splendores Divinæ gloriæ, quæ est inexplicabilis. Deinde vidi Beatissimam Trinitatem, & peculiariter Personam Spiritûs Sancti, qui me exornavit ac ditavit, imponens coronam meo capiti, & splendidissimos annulos digitis, circumdedítque me elegantissimo cingulo, & hoc modo me eadem Divina Majestas secum univit, fuíque longo tempore fruita Divino ipsius Esse. Postquam ad me fuissem reversa ex hac unione, præcepit DEUS Angelis, ut me ità vestitam & exornatam, reducerent ad meum angulum, eò quòd ea cimelia nunquam mihi essent auferenda: ideóque illa nunc hîc habeo & video, quamvis non videantur ab alijs.

§. III.

ALiàs manè per idem tempus (12. Decembris anno 1623.) agens cum DEO, vidi intra meum cubiculum splendidissimam nubem, quæ illud replebat lumine & splendoribus, atque ipsa efformabat, quasi aliud conclave, in cujus superiore parte erat Sol, evibrans maximos radios claritatis & splendoris, quibus irradiabat capita meorum Dominorum Angelorum, qui ordinariè mecum manent, ita ut non attingeret alios multos, qui eò venerant. Mirata sum, videns id mysterium, & timui, more solito. Subitò ex eo Divino Sole prodiverunt radij, qui pertingebant ad meam animam, & per illos ei communicabantur illius influentiæ ac virtutes, quas mea anima recipiebat, per eosdémque tendebat ad eundem Solem, ac se cum illo uniebat, & convertebatur in alium similem solem, ad eum modum, quo ignis transmutat in se ferrum, quod occupat. Ibi incepi vehementer timere: sed meus sanctus Angelus Custos mihi dixit eum imperio: Eja, Anima, permitte DEUM peragere istud mysterium. Hoc dicto conquievi. Accesserunt ad me mei Domini, elevaverunt me, & vestiverunt, sicut solent, duxerúntq; etiam partem inferiorem meæ animæ, & me totam ad Solem, ita ut ego me non adverterem esse in lecto, & subinde mihi viderer in eo esse. Interea cum illo Divino Sole illa tota nubes, unà cum Angelis decantantibus Divinas laudes, & ipse Sol unà mecum, adeóque omnia simul elevata fuerunt usque ad cœlestem Jerosolymam, ubi sum præsentata Beatissimæ Trinitati; ac Dominus Trinus ac Vnus se univit mecum, & ego cum Divina Majestate, ubi, meo modo, sum fruita diu illo Divino Esse, ut nescirem, neque intelligerem, essémne in meo angulo, an non. Postquam fuissem fruita eo Domino, ducta sum à meis Dominis Angelis ad meum angulum, & interrogavi meum sanctum Angelum Custodem: Dicat mihi Sanctus Angelus, quomodo hoc fuit factum, ut mihi viderer esse abducta, nec me adverterem hîc manere; aliunde autem interdum mihi viderer animadvertere, me esse in meo loco? Sanctus Angelus mihi respondit: Tace, Anima, non intelligis hoc? nónne scis, DEUM esse ubique, & ubi vult, ostendere suam gloriam; posséque hîc, ubi manes, facere quod vult, atque etiam te totam transferre, quò Divinæ ipsius Majestati libuerit? utrúmque potest DEUS facere, quod tu non percipis.

§. IV.

DUrantibus meis magnis cruciatibus, quos his diebus patior, præcepit DEUS meis Dominis Angelis (in Aprili anno 1613.) ut me ducerent ad cœlestem Jerosolymam. Ego propter meos ordinarios timores valde reluctabar eò ire, usquedum mihi Dominus dixit: Verè, Anima, multis tecum egi, ut tibi auferrem istos timores, & tu adhuc times, cùm non habeas causam. Respondi: Domine mi, tu scis, quòd desiderem, me in omnibus conformare tuæ sanctissimæ voluntati, optémq; tibi non displicere, & propterea

timeam. Dominus autem mihi respondit: Jam ego id novi, Anima, atque idcirco permitto, & tibi relinquo tuos timores, ut sint pars tuæ crucis, & in hoc mihi non displices; nunc veni mecum. Sancti Angeli me sustulerunt, elevantes me ex lecto, & induerunt ac ornaverunt vestibus atq; cimelijs, more solito, quæ mihi elapsis diebus dederat sacratissima Persona Spiritûs Sancti, quando peregit in me illâ cœlestê desponsationê, & collocatam in quadam quasi sella, me tulerunt ad cœlestê Patriam cum comitatu multorûAngelorum DEI, qui venerant ad me comitandâ, alij armati, alij eleganter ornati, alij cum hastis, alij cum gladijs, sicut quando satellites comitanturRegem; alij me præcedebant, alij sequebantur. Et sanctus Angelus meus Custos mihi dixit: Ecce Anima, cum tali custodia, qualem tibi Dominus submittit, cur times, ac te affligis? Dum ita procederem ad Cœlum, manifestavit mihi DEUS, in inferno esse magnum tumultum, & vidi, quòd Princeps diabolorum, videns me ita ascendentem, ringeretur præ dolore ac rabie, imperarétque diabolis, ut citò pergerent, ad impediendum mihi transitum, & ingressum ad cœlum. Illi verò nolebant ipsi obedire, & dicebant: Frustra ibimus, quia est magna potentia illorum, quos ducit, ad sui defensionem. Timebant; ille verò urgebat, ut irent, vocando illos vecordes, canes, & impetendo ipsos mille convitijs; sed actum agebat dixitque ipsis: Ego ei intercludam viam: Hoc non, reposuerunt illi, quia cederet in tuum dedecus: ac tandem quidam se proripuerunt, quasi quatuor, qui me aspiciebant eminus, neq; sunt ausi accedere, videntes ingens robur satellitij, quod me comitabatur. Perveni ad Cœlum, quod totum videbatur pandi, & egressi sunt multi Angeli DEI ad me excipiendam, duxerúntq; me ad conspectum Beatissimæ Trinitatis, & DEUS me jussit poni in quodam loco, mirè alto & eminente, ac valde augusto, è regione cujusdam Solis, qui erat ipsemet DEUS, atq; iste feriens me suis Divinis radijs introduxit me in se ipsum, & sic mansi cum Divina Majestate. DEUS sit benedictus, Amen.

§. V.

DUm aliquando his diebus (in Novembri anno 1622.) agerem cum DEO, dixi Divinæ majestati cum magno affectu: Veni mi DEUS, veni mi Domine, præpara me, pro te, tuis Divinis donis & auxilijs, intelligens per hoc, ut me DEus præpararet ac disponeret ad bene moriendum, & potiendum ipsius Majestate. Repetebam hæc verba frequenter, & cum ardentibus affectibus ac desiderijs cordis mei, ut mihi viderer deficere. Interea vidi Majestatem Christi JESU nostri Domini, DEI & Hominis veri, in cœlesti Patria, qui me diu aspexit, & conversus ad plurimos Angelos, qui aderant præsentes, dixit illis: Videtísne hanc Animam, quæ conficitur in vocando me? Parate vos, eamus ad illam. In momento, cum magna aviditate ac promptitudine se omnes disposuerunt, alij assumptis lucidissimis armis, ac vestibus elegantissimis, alij conscensis equis mysticis, non quales sunt hic, sed valde spiritualibus, ut viderentur esse equi, sed carentes illâ crassitie equorum terrestrium. Ita omnes abiverunt ex cœlo, & Dominus veniebat splendidè exornatus coronâ regiâ, & insignibus DEI, Hominis, Regis ac Domini totius mundi, atque uni suorum Sanctorum pedum, habebat suppositum in parvam molem contractam mundum rotundum: Situs ipsius illum prementis benè repræsentabat infinitam potentiam, quâ dominatur totum mundo. Hoc modo venit ad me Dominus. Præcedebant & sequebantur Divinam Majestatem multi Angeli, tam pedites, quàm equites, & latera Domini stipabant aliqui Sancti antiqui Patriarchæ, quos non agnovi. Postquam pervenissent ad portam, omnes Angeli, qui præcedebant, intraverunt ad meum cubiculum, & applicuerunt se parietibus. Dominus substitit modicùm apud portam, & unus ex sanctis Patriarchis dixit voce altâ, quam audi-

audivi latinè: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.* Ingressus est deinde Dominus cum magna gravitate, & authoritate meum cubiculum, & dixit sanctis Angelis, qui erant intus: Vos expectate hîc, quia conclave Sponsæ, solus Sponsus debet ingredi. Subitò me vidi in quodam cubiculó, instar sacelli elegantissimè & pulcherrimè exornati, quod inspectantibus omnibus Angelis est ingressus Dominus. Erat sacellum ità dispositum, ut omnes qui erant foris, viderent, quid intus ageretur. Incepit me Divina Majestas splendè adornare & vestire suâ manu, replevit me elegantibus & pretiosis cimelijs, imposuit coronam auream meo capiti, cooperuit me pretioso pallio, & postquam fuissem exornata, dixit mihi Divina Majestas: Anima & Sponsa mea, vocavisti me, ut venirem ad te, & petivisti, ut te præpararem ac disponerem. Jam es adornata, ac ditata meis thesauris & donis, ac disposita: vale usq; ad diem nuptiarum, quæ erunt æternæ, ac durabunt perpetuò. Dedit mihi divina Majestas ter benedictionem, & abivit, sicut venerat. Quia eram adeò absorpta, & abrepta à Domino, fruebárque his divinis bonis, non aspexi neque cognovi, quinam fuissent illi sancti Patriarchæ. Sanctus Angelus meus Custos venit, sicut solet, & servavit in se ipso illa cimelia. DEUS sit benedictus, propter omnia opera sua. Ego vehementer obstupui magnitudinem bonitatis divinæ, & fui confusa, quòd me audirem ab ipso vocari Sponsam, quia nunquam Dominum audeo vocare Sponsum, cùm sim indigna ipsius Ancilla.

CAPUT XVIII.

De varijs DEI & Sanctorum dictis, concernentibus ea, quæ patiebatur, excitantium ipsam ad patiendum.

§. I.

PRidie Dominicæ *Quasi modò* anno 1623. fui vehementer afflicta à gravibus, & valde continuis doloribus, ut mihi jam non viderer posse illos sustinere, optarémque, ut me DEUS ad se transferret, & cum his desiderijs dixi: Veni mi DEUS, veni mi Domine, & abeamus. Dominus autem mihi respondit: Jã venio, Anima, jam venio. Tũ ego: Videris mi, DEUS, habere pedes plumbeos. Non habeo, Anima, dixit Dominus, sed alas aquilæ: si doloris essem capax, dolerem, quòd te videã, pati: verùm scias, quòd tecum agam, sicut agit Mater cum dilectissima Filia, dum illam videt habere malè affectum caput, & si opus sit eam tondere, ut bene curetur, ipsa illam tondet, sed lachrymantibus oculis, præ commiseratione; ità ego quodammodo permitto, ut patiaris, pro tuo majore bono & profectu, ac majore gloria, non tamen absque dolore, & compassione, quoad sum hujus capax, quòd videlicet, si possem tibi condolere, id facerem.

Aliâ vice (in Decembri anno 1614.) vehementer afflicta dolore oculorum, dixi ad DEUM, non esse, cur habenda sit cura oculorum corporis: illuminaret mihi proinde oculos animæ, ad agnoscendas veritates, quas mihi revelabat. Respondítque mihi Dominus, ità esse, non enim diu duraturos oculos corporis: oculos

autem animæ habere me illuminatos, id quod ipse mihi esset ostensurus. Subitò mihi apparuit quædam imago medij superioris corporis, habens oculos clarissimos & lucidissimos, quibus erant inserti pretiosi lapides, & vivacissimi; ubi intellexi id, quod mihi fuerat dictum. Deinde mihi comparuit Christus Dominus conspicuus solitâ majestate, & dum ego quererer, quòd propter dolores, quos patiebar, non possem attendere rebus, quas mihi manifestabat, Dominus mihi respondit, non aliunde meliùs, quàm ex cruce audiri istam lectionem; significans mihi, bene pati dolores, bonam esse dispositionem, pro intelligendis bene veritatibus, quas mihi illis diebus declarabat.

§. II.

POst toleratos (in Novembri anno 1623.) multis diebus maximos dolores & cruciatus, ut tantùm non morerer: timui aliquantùm, & non parùm, utrum fortè minùs fuissem resignata in Divinam voluntatem. Dum hoc cogitarem, in Festo Sancti Martini manè, venerunt ad me Domini mei Angeli, qui mecum manent in aurea aula, & cum charitate ac amore mihi dixerunt: Quid habes, Anima? quid times? scias, nos à DEO hîc esse positos, ad tuam defensionem & custodiam; Dominum quoque tecum manere, téque esse intimè unitam Divinæ Majestati: ne timeas, quia capillus de capite tuo non peribit, quos omnes DEUS habet numeratos; ne timeas, neq; enim habes causam, & scias, declarandum tibi à nobis mysterium, quod in te peractum fuit his diebus, quoad tuos tam acerbos dolores. Valde altercatus est sanctus Mi-Michaël Archangelus cum diabolo his diebus, quia te volebat conficere, & privare vitâ, præ rabie & odio, quo te prosequitur, id quod ità ardenter conatus est efficere, sicut advertisti. Archangelus autem te ijsdem diebus defendit, usquedum tandem illis elapsis, ipsi imperavit in nomine DEI, ut te relinqueret. Noveris etiam, quòd DEUS hos duos dolores, ac tormenta, quæ tibi diabolus intulit; obtexerit pallio morborum naturalium, ut non cognoscerentur ab omnibus, cùm reverà non sit, quod apparet, neq; sint mala, quæ cogitatis, sed procurata à diabolo adhibente aliquid naturale: & qui te curaverunt, intellexerunt nonnihil hac de re, quia vident meliorationes & mutationes in morbis repentinas, ac insperatas, spectatis principijs medicis. Ego illis dixi: Dicant mihi autem, mei Domini, potéstne mihi diabolus nocere, absque licentia DEI, & potéstne in minimo transgredi concessam sibi facultatem? Responderunt: Verum est, quòd non possit, sed DEUS ità fieri permisit propter sua occulta & arcana judicia, ac inprimis ad majorem gloriam suam, atque augmentum tuæ coronæ, & confusionem diaboli, ac bonum proximorum, proptérq; alios fines suos occultos. Tum ego dixi: Verè, mei Domini, ego nescio, in quo noceam diabolo, quòd me tantopere detestetur, cùm sim tam tepida, & nihil præstem boni. Responderunt: Omnino noces, & vehementer es illi gravis; præsertim autem nunc tibi plurimùm indignatur, propter curam, quam habes de proximis, eorundémque necessitatibus spiritualibus, atq; etiam corporalibus, quibus desideras succurrere, quásque his diebus complanas: verùm jam tibi dicimus, ut, quia times, non timeas (significando mihi, quòd ipse timor sanctus me tueatur) quamvis enim diabolus te deduceret ad lacum leonum, sicut Danielem, non deesset tibi Propheta Abacuc, qui tibi ferret cibum, quem uno capillo apprehensum portaret Dominus ad subveniendum tibi, si esset opus. Et quando fruêris conspectu Divino feliix ac beata, existimabis, bene esse impensam omnem tuam patientiam, adeò ut si tunc dolere posses, doleres, te non fuisse passam ampliùs: ideóque anima te, & confortare ad patiendum. Dum ità conversarer cum his Dominis Angelis, quibus omnibus me alloquentibus, videbatur loqui unus solus, vidi Majestatem DEI, qui me allocutus, dixit mihi: Veni mecum, Anima, quia

quia es valde afflicta, & requiescés in me: ducite illam mei Angeli. Mei Domini me elevaverunt, & cooperuerunt pallio, quod ferebant in corbe quodam mirabili, duxerúntque me quasi ad duos vel tres passus, & ego ibam velut deficiens præ mea debilitate, Venit ad me Dominus, univítque me cum suo Divino esse, ubi sum fruita Divina Majestate eo modo, quo in hac vita fieri potest, & quievi in Domino, atque aliquantò pòst reliquit me Dominus in meo loco.

§. III.

QUodam die Jovis (27. Januarij anno 1623.) fatigata magnis doloribus, quos patiebar, linquebar animo quasi obdormiscens, & videbar mihi mori ac deficere. Interea venerunt ad me Domini mei Angeli, & festinanter mihi dixerunt: Veni huc, Soror, veni nobiscum, & relevabimus te aliquantùm, duxerúntq; me ad cœlestem Aulam, & reliquerunt in pavimento illius cœli, venerúntque ad me multi Sancti Beati, & circumdederunt me, atque aspexerunt: Ego etiam quasi attonita aspiciebam hos & illos. Dixerúntque mihi: Creatura DEI, si nos essemus capaces invidiæ, vehementer tibi invideremus, quòd tantum patiaris pro DEO; & si status, in quo sumus, esset capax tristitiæ, haberemus illam propterea, quòd parùm passi fuerimus in terra pro DEO, quo fruimur; anima te, creatura, ad patiendum, quia brevi finientur tuæ afflictiones, & præmium erit æternum. Ibi diu quievi, & cùm valde confortata fuissem, mei Domini me reduxerunt ad meum angulum.

Postridie manè, meus Sanctus Angelus Custos venit ad me, dixítq; mihi: Anima, es afflicta, quiesce modicùm, & extendens sua brachia, posuit super illa pallium, quo tegitur, ac dixit: Reclina hic tuum caput & quiesce. Reclinavi me super illius brachia, & quievi ibi diu. DEUS sit benedictus propter omnia opera sua.

Dum alio tempore matutino (in Septembri anno 1622.) agerem cum DEO, vidi quendam sanctum Angelum admodùm gravem in meo cubiculo, & propter meos timores conata sum me abstrahere ab ipsius aspectu, ac manere cum DEO, ita ut illum quasi penitus perdiderim ex oculis. Sanctus Angelus me aliquamdiu expectavit, ac denuò se mihi spectandum exhibuit. Non potui illum non videre & audire. Dixítque: Anima, noli turbari, ecce exspecto te. Composui me, & vidi, ferri in manu à sancto Angelo ingens cor, quod videbatur esse ex pretioso ardentissimo ac splendissimo rubino; in altera manu verò ferebat clavos adæquantes mensuram spithamæ, singuli habebant caput, & inde ad medium usque erant quasi quadrati, atque hinc deorsum acutissimi, desinentes paulatim in cuspides acerrimas, quasi chalybeas: valde timui, videns hoc mysterium, quia cogitabam, mihi imminere aliquos graves dolores. Sanctus Angelus autem me animavit, dicendo: Noli timere, quia hoc mysterium, quod vides, tibi non adferet dolorem, sed levamen. Sanctus Angelus incepit perforare illud cor clavis, ita ut ex eo deciderent guttæ sanguinis. Idem Sanctus Angelus posuit istud cor supra meum caput, nonnihil elevatum, statimque ex illo erupit tam copiosius sanguis, ut perfuderit meum caput & corpus quàm abundantissimè dicente sancto Angelo latinè: *Unxit te DEUS, DEUS tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Venit deinde graviter sanctus Angelus meus Custos, ferens strophium, & absterfit ex meo capite & corpore illum purissimum sanguinem, servavítque strophium in se ipso. Absoluto hoc mysterio sanctus Angelus mihi valedixit ajens: Soror, jam ego feci, quod eram jussus, vale, & deinceps scito, quòd Dominus te denuò reddiderit participem sui sanguinis, & suorum Divinorum meritorum, hoc enim significat, te fuisse perfusam sanguine, ùt vidisti. Obstupui ac fui passa excessum mentis, propter admirabiles vias DEI, & quando mihi sum reddita, non vidi sanctum Angelum. Sit Divina Majestas benenedicta in æternum.

§. IV.

§. IV.

AGens cum DEO in oratione (in Novembri anno 1622) cum ferventissimis affectibus illi dicebam: Adjuva me DEUS mi, adjuva me, mi Domine, idémque sæpe repetens incipiebam dicere: adjuva te, mi Domine. Continui me & erubui, ac fui afflicta, dixíque Divinæ Majestati, ut mihi ignosceret meam inadvertentiam. Dominus autem mihi peramanter respondit: Ne te affligas, Anima, dic quidquid volueris, quia te bene intelligo. Ego respondi: Domine mi, bene scio, quód Tua Majestas me intelligat: Ego autem vellem ac desidero, intelligere Tuam Majestatem. Tum Dominus: Bene me intelligis, Anima. *Ego sum Pastor bonus, & cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ.*

Aliâ vice (in Januario, anno 1623.) mihi inspiravit DEUS quædam sui ipsius desideria vehementissima, & incepi ipsum invocare dicendo, cum magnis affectibus: Veni, mi DEUS ad me, veni Bonum meum, veni pulchritudo æterna, veni facies omnium pulchritudinum, & gratiarum. Dominus mihi respondit: Anima, hîc sum tecum, quid vis? aperi os, ac satiabo te me ipso, & impetu abundantis fluminis, ejusdémque affluxu te replebo. Et hoc dicto, occupavit DEUS meam animam, méque totam, & implevit me suo Divino Esse, ut submergerer in ipso DEO, atque ita mansi longo tempore cum Divina Majestate. Ipse sit benedictus. Amen.

Dum quadam nocte (in Novembri anno 1622.) aliquantùm affligerer & molestarer quibusdam tentationibus & ineptijs, quas diabolus ingessit meæ phantasiæ, converti me ad DEUM, obsecrans ipsum, ut me adjuvaret, mihíq; succurreret. Et similiter dixi meis Dominis Sanctis Angelis, qui mihi aderant, atque nunc sunt decem, ut mihi subvenirent, & vehementer illos ad id urgebam, ut citò facerent. Unus sanctus Angelus ex majoribus. respondit nomine cæterorum, & quamvis ipse solus loqueretur, videbantur tamen omnes respondere, dixítque: Anima, ne te angas & affligas, quia sumus hîc omnes, quos vides, ut te defendamus, tibíque subveniamus. Scias, tuam animam & cor esse in manibus DEI, atque cor tuum esse armatum virtute Altissimi: non habes, cur timeas diabolum. DEUS sit benedictus, Amen.

Aliàs (in Septembri, anno 1617.) dixi DEO, non advertens, quid dicerem: Domine abeamus, aufer me tecum. Dominus mihi respondit: per me licet, veni mecum. Rapta fui in ecstasim, & reperi me cum Divina Majestate, in cœlesti Jerosolyma, totam unitam cum meo DEO, qui videbatur demersisse meâ animam in abyssum cujusdam maris profundissimarum aquarum, ubi vidi juxta me duas cruces splendidissimas, confectas ex pretiosa crystallo, quæ evibrabant ingentes splendores. Dedit mihi DEus magnam cognitionem suorum profundissimorum judiciorum, & quomodo homines frequenter præposterè judicent, bonum esse malum, & malum esse bonum, præsertim in materia virtutis, quando judicamus esse virtutem, ubi nulla est, vel nullam esse, propter aliquos defectus naturales, quos videmus, cùm tamen esse soleant multæ. Deinde me reduxerunt ad cœlestem Jerosolymam, cum meis crucibus, & Dominus mandavit, ut ibi manerent, quasi in mei memoriam, quòd fuissem magnas passa, jámque adveniret illarum finis. Subitò me denuò secum univit, ac duxit ad meum angulum.

§. V.

POst susceptas his diebus (in Novembri anno 1622.) tot misericordias à DEO, & tam extraordinarias, fui valde confusa, & aliquantum afflicta, propterea, quòd tam parum, ex omnibus proficiâ, dixíq; meo sancto Angelo Custodi: DEUM bonú! S. Angele, qualia mecum DEUS facit, tam extraordinaria, ut ex alijs subliquantur alia! S. Angelus mihi respondit: Ne te angas, Anima, vel affligas propterea, quæ DEUS tecum agit: visne fortè liga-

ligare manus omnipotenti? Nónne ſcis, quòd quando magni Principis filia venit ex regnis exteris, nuptias celebratura in alio regno, excipiatur ac ſolenniter honoretur ubique & in omnibus urbibus, quâ tranſit per regnum ſui Sponſi; quódque omnis locus illam excipiat ùt poteſt, pro ſuis viribus, & ipſa omnibus ſine magna feſtinatione fruatur, donec perveniat ad urbem, ubi ſunt celebrandæ nuptiæ. Hoc ipſum tecum facit DEUS, ne te affligas.

Dum ſentirem ardentia deſideria (in Decembri anno 1622.) quæ mihi Dominus inſpirat, migrandi ex hac præſenti vita, unáque tot cruciatus & dolores, quos ſuſtineo, ut me videantur conficere, dixi, neſcio quomodo, meis Dominis Angelis: Quorſum tendimus mei Domini? Sanctus Angelus meus Cuſtos reſpondit meæ cogitationi, ac dixit: Quò tendis? ad cœleſtem Patriam tendis; nónne hoc jam ſcis? ecce illuc proficiſceris, & ſingulis noctibus, quas tranſigis, divertis in hoſpitio, in quo cum incommoditate ſumis ſolummodo neceſſaria pro cóſervanda vita, id quod facis, donec pervenias ad cœlum: Quatuor Angeli DEI, quos tibi nuper dedit, te præcedunt, præparando tibi viam, nos autem te comitamur, cuſtodientes te, ſicut nobis mandavit DEVS: atque hac ratione progrederis quotidie, donec pertingas ad cœleſtem Patriam: eſto bono animo, & gaude in Domino.

CAPUT XIX.

Quomodo DEUS illi varijs modis repræſentaverit multa ex ijs, quæ ſolent evenire, & ipſi eventura erant tempore mortis, cum nonnullis magni momenti prædictionibus tunc futurorum.

PLacuit DEO, ut venerabilis Marina multoties vivens moreretur, quando illi multa repræſentavit, quæ ipſi tunc erant eventura, ut ſe ad ea præpararet, quemadmodum apparebit ex recenſendis, in ſequentibus capitibus.

§. I.

E*Xordiamur ab eo, quod ipſa hac de re generatim narrat.* Quadam die, *inquit*, inter meos dolores, qui ſunt graves, DEUS mihi incepit paulatim dicere, quòd me brevì eſſet ad ſe translaturus, atque etiam quorſum, & quâ ratione id eſſet futurum, ut me ita ſolaretur & recrearet, ſicut infantem, valde aliquid deſiderantem, recreat mater vel nutrix, dicendo illi, ibimus illuc, atque hoc & illud faciemus.

Cúmque me expergefactam aliquando manè, invaſiſſet timor ac ſolicitudo, an eſſem tranſitura purgatorium, ibíque aliquamdiu hæſura, carens viſione DEI, quod me reddebat ſolicitam, & aliquem mihi incutiebat metum, occurrit mihi Divina Majeſtas, volénsque me liberare ab iſta cura dixit: Confide in me. Ego verò ipſi reſpondi: optimè eſt, Domine, ego in te confido, & agnoſco gratiam, quam mihi præſtas, ac miſericordiam, quam mihi exhibes, ſcio tamen etiam, quòd tua juſtitia exigat integram ſatisfactionem. Tunc dixit Dominus: Ad quid autem ſunt amici, & hoc, quod es paſſa in iſto lecto? Putásne, me neſcire, quomodo res ſint combinandæ? Ita me reliquit plenam ſolatio, & reſignatiſſimam in

in id, quod Divina Majestas vellet de me facere.

Aliâ vice vidi, DEUM colloquentem cum Sanctis Angelis, qui mecum manent, quasi secretò. Ego auscultabam, & nihil audiebam, dixitque mihi Divina Majestas: Ne sis solicita: quod dicebam meis Sanctis Angelis, erat, ut, quando te tollam, exspires in ipsorum brachijs. Ah, mi Domine, ajebam ego, Tua Majestas ubi erit? Etiam ego (dixit) tibi adero, & suscipiam tuam animam.

Aliàs mihi dixit DEUS, desideranti quædam disponere, quorum mihi cura incumbit; Quòd tibi non dicam horam tuæ mortis, facio, quia tibi non expedit, hoc enim te vehementer solaretur, & propterea non tantum amore mei patereris. Quando aderit tempus, monebo te, & dispones de eo, quod dicis.

§. II.

Habuit præterea alias repræsentationes mysticas varijs modis, qualiter anima separetur à corpore, ut adeat cælestem gloriam. Quadam vice *inquit*, adverti, quòd aliqui Angeli me vellent auferre ita decumbentem in lecto. Abstulerunt me & collocaverunt in medio cujusdam campi. Subitò sensi, quòd sustulerint lectum, cœlum versùs, ad cujus ingressum immutata est species lecti in quiddam cœleste. Hoc modo me intulerunt: Et venerunt ad me multi Angeli ac Sancti, cum eximia musica. Derepente mihi visa est à DEO avelli anima, ita ut corpus remaneret quasi mortuum in lecto: univitq; animam secum in abysso suæ Divinitatis, ubi diu mansit. Post hoc denuò anima revisit corpus, & cùm auferretur lectus ex eo loco, in quo fuerat collocatus, redijt in abitu ad suum pristinum statum, atque ita me detulerunt ad meum locum, sicuti ascenderam. Intellexi à DEO, fuisse mihi ita repræsentatum modum, quo eram moritura, cum aliqua ecstasi, & elevatione ad cœlum.

Postquam aliàs DEUM, in spirituali Communione, suscepissem ex manu gloriosi Sancti Dominici, decumbens in lecto, dum Divina Majestas vellet à me discedere, dixit mihi; Veni nobiscum; & fui ducta ad cœlum cum ipso, & cum glorioso Sancto Dominico ac Nostro Sancto Patre JGNATIO, aliisque Sanctis: atque in ingressu portæ sensi magnum dolorem, qui mihi repræsentavit dolorem, quem oportet sentire animam, quando separatur à corpore. Visa mihi fuit res nova, tale quid pati in hoc ingressu, sed dolori, qui fuerat magnus, respondit solatium, quod intra Cœlum percepi solito majus.

Aliud quid simile mihi contigit aliâ nocte. Sensi me ferri à meis Angelis per quandam admirabilem & pulchram viam, quam utrimque claudebant Angeli: & hac viâ me tulerunt ad Cœlum, in cujus ingressu clauserunt quasi derepente portam, atq; tunc experta sum dolorem, similem illi, qui sentitur, quando separatur anima à corpore: hoc enim mihi fuit repræsentatum in illa ejusmodi occlusione portæ: fuit autem talis dolor, ut me afflixerit, reliqueritque debilitatissimam, non absque magna tamen conformitate cum divina voluntate.

Aliâ vice vehementer afflicta vidi venientem quendam Angelum lætissimum, qui ferebat in manu malum granatum, dicebátq; mihi: Accipe, Soror, hoc enim te confortabit. Videbar mihi illud nolle acceptare, quia adverti corticem vehementer asperum. Angelus autem venit ad me, & posuit pomum, modo quodam valde mystico, ad meum pectus, quod me in momento penetravit, fuitq; apertum. Vidi, esse plenum granis, quasi gemmis, quo aspectu fui magnopere confortata. Dixitque mihi Angelus: Cortex hujus granati significat mortem, in qua corpus corrumpitur, id quod natura refugit & horret: quod intus est, significat beatitudinem & gradus gloriæ, qui postea tribuentur, pro tuis bonis operibus.

Alio die vidi venientem Christum Dominum stipatum multis Angelis, vidi affabiliter & jucundè cum ipsis conventem, veniénsque ad me, dixit mihi: Vene mecum

mecum venire? Ego statim respondi: Ità, Domine: tum est quasi amplexatus meam animam, univitque illam cum sua Divinitate eo modo, quem ego nescirem verbis exprimere, & tulit me secum ad cœlestem Jerosolymam, remanente hîc meo corpore, quasi semimortuo, quia viginti quatuor horis, quibus ea res duravit, erat quodammodo destitutum animâ, tantúmque mihi videbantur remansisse in meo corpore aliqua accidentia, quæ illud sustentabant, ita ut, cùm ad me venissent isti mei Domini, qui hîc manserant, & nescio quid mihi dixissent, responderim illis, quasi intra dentes: sum mortua; usquedum elapso hoc tempore redij ad me, & Dominus mihi ad hoc propositum dixit: Non recordaris, quòd tibi dixerim, te ita morituram, sicut dum noctu quæpiam Domina exuitur togâ, ut collocetur in suo lecto?

§. III.

Magis mysticè illi fuit repræsentatum id, quod evenit in morte, hunc in modum. Quodam die, ait, dum nihil cogitarem de eo, quod mihi esset eventurum, speciatim, etiamsi adverterim quatuor vel sex horis antè quædam præambula, quòd mihi DEUS esset præstiturus aliquam gratiam, ex improviso ingressus est meum cubiculum Noster Sanctus Pater Jgnatius, cum plurimis Angelis DEI, & communicavit me, porrectâ mihi hostiâ, cujus communionis in mea anima remanserunt maximi effectus, & majores solitò. Postea Sanctus modicùm recessit, & incepit orare, respondentibus ipsi Angelis. Nescivi, quid diceret, donec aliquantò pòst intellexissem, ab illo dici Litanias: quibus finitis accessit ad me, & signavit me cruce, in fronte, ore, & pectore, ac deinde mansi quasi mortua, qualis mihi videbar esse. Venerunt ad me Sancti mei Angeli, & composuerunt me in sandapila, optimè adaptatam, in meo vestitu, conjunctis manibus, & discoopertam: atque hoc modo me tulerunt ad portam cœli. Quando eò perveni, vidi Majestatem Christi Domini, & quòd ad me accederet, méque quasi resuscitaret, ac diceret: In nomine Patris, & meo, & Spiritûs Sancti, surge. Surrexi, & flexi genua coram Divina Majestate, statimq; excitatus est quidam ventulus, qui perflavit meos oculos, cum modico pulvere & fumo, unáque sensi modicum calorem, quasi suffocativum, qui calefaciebat & molestabat, quamvis non magnopere. Post hoc me vestiverunt splendidissimè, & elegantissimè exornaverunt, introduxítq; me Dominus in illam cœlestem Jerosolymam. Ibi vidi mirabilia, pro captu meæ animæ, & venerunt ad me illi Cœlestes Palatini, ut mihi gratularentur de adventu; erant autem tam multi, ut non possem intendere tot rebus, sed solummodo adverti, adesse sanctissimam Virginem. Fui ducta à Domino ad quoddam castellum, situm in medio Cœlestis paradisi, pulcherrimè cinctum elegantibus muris, & habens pretiosas portas: ascendebatur ad illud, per quendam quasi collem, quò me paulatim deduxerunt, & inde ego contemplabar totam amplitudinem Cœli. Duxit me Dominus ad quandam planitiem illius Sanctæ Civitatis, & ostendit mihi Crucem ibi erectam, dixítque mihi: Novistine istam Crucem? Respondi: Ita; Domine, bene illam novi: Erat enim Crux, quam ego tuleram multis annis, affixam meo corpori, quæ me affecerat magnâ molestiâ. Consedi sub illa, ac deinde me deduxerunt per aliam partem, quasi circumeundo castellum, duxerúntque ad portam Cœli, ubi mihi dixit Dominus, & significavit, necdum advenisse meam horam, ut proinde abirem. Ego resistebam: Dominus autem meam animam secum univit, fuíque rapta in magnam ecstasim, & quando mihi sum reddita, reperi me in meo lecto, fuíque solicita, quidnam id significaret, quòd existimaverim me esse mortuam, quódque me tamen viderim, & propterea dubia hærebam, disceptando mecum modico illo tempore. Reliquit me DEUS in ista suspensione ultra unam horam, ignoran-

tem, quid hoc fuisset. Tandem mihi dixit Divina Majestas, totum fuisse quoddam experimentum meæ mortis, quæ brevì esset futura, daturúmque se mihi tempore mei obitûs, quendam vehementem raptum, ut omnes sint cogitaturi, me expiravisse, redituram autem ad me, & toleraturam tantillum molestiæ, ac deinde morituram.

Aliquid aliud ferè simile illi evenit cum sanctis ipsius contubernalibus Angelis. Quodam die, *ait*, vidi venientes ad me omnes meos Dominos splendidè vestitos, qui appropinquantes meo lecto, collocaverunt in medio sanctum Angelum *Minimum*, cæteri verò quatuor formabant quasi figuram quadrilateram, & sanctus ille Angelus constitutus in medio se prostravit humi ac surrexit, incepítque dicere quasdam preces latinè, & reliqui ipsi reliqui ipsi respondebant, tono submisso: Non potui intelligere, quid oraret, nisi quòd in fine, dum diceret clausulam, addi solitam in orationibus Sacri, *Per Dominum nostrum*, omnésq; responderent, *Amen*, dixerit: *Fidelium animæ per misericordiam DEI requiescant in pace.* Tunc intellexi, recitatas ab ipsis fuisse aliquas Litanias, non scivi tamen quales, neque quomodo. Valde mirabar, dum id viderem, ac audirem, cogitabámque intra me, an essem moritura. Cepit loqui Sanctus Angelus, qui vocatur *Missus Minor* suo & omnium nomine, respondénsque meæ cogitationi dixit: Soror, quod vidisti, & nos fecimus, noveris, fuisse tuas exequias, jam enim es mortua mundo, & ab hodierno die vives vitâ mortuâ, erísque mortua vivendo, & vita naturalis erit mors comparata vitæ, quâ in DEO vives, in quo conquiesces. Tum ego: Si ità est, mei Domini, dicant mihi, quid me modò agere oporteat? Sanctus Angelus respondit: Age, quod agis, & conare id ipsum perficere, pro viribus: atque constet tibi, quòd nos ex eo die, quo tibi Dominus impressit in tuis pedibus, & manibus, ac latere stigmata, tecum manserimus, custodientes te ac defendentes, præsertim à diabolo, ac etiam adjuvantes: deinceps tamen, cùm certiùs sciamus, te esse scriptam in libro vitæ, erit nostrum proprium munus tibi assistere, quamvis non simus futuri cæterorum, quæ nobis erunt agenda, immemores, erítque talis hæc assistentia, ut usque ad diem Judicij non simus derelicturi tuos cineres, & ossa. Esto præterea certa, tua judicia, quæ ab hodierno die tuleris, de eo, quod à te fuerit quæsitum, concernens bonum animarum, & bonum regimen temporale ac spirituale, omnia ferenda à DEO, & futura magis ipsius, quàm tua. Ità fuit finita ista communicatio.

§. IV.

De Sacramentis antecedentibus obitum, etiam habuit repræsentationes. Quodam die, *inquit*, vidi venientes gloriosos duos Patriarchas Sanctum Dominicum, & Sanctum Jgnatium, aliósq; Beatos, qui ipsos comitabantur, & inter illos solùm agnovi P. Petrum de Leon (qui pridem obiverat) converti me ad DEUM, ut implorarem ipsius opem, donec unus ex meis Sanctis Angelis mihi dixisset: Ecce expectant te isti Sancti, quod est, se quasi inurbanè erga illos gerere. Iterum ergo illos intuita, vidi gloriosum Sanctum Dominicum, indutum aureo pluviali, qui mihi dixit, venisse ipsos ad dandum mihi viaticum. Ego mihi sum imaginata advenisse jam horam mei transitus, sed statim me correxerunt Sancti, dicendo mihi, illum non tam citò futurum, quamvis id esset quædam præventio ac repræsentatio ejus, quod essem tunc susceptura, dum advenerit tempus. Sanctus Dominicus incepit exercere munus, ad quod venerat, & suâ manu mihi formavit unum signum crucis in fronte, aliud in ore, aliud in pectore, circuivítque me, cum quodam quasi thuribulo, & dixit suas orationes, quibus respondebat Sanctus Pater Jgnatius. Post hoc vidi, quòd gloriosus Sanctus Dominicus teneret quandam velut hostiam in manibus, pro me communicanda, & recurri ad DEUM cum mor-

more, de quo dixi initio: atque sancta hostia in momento leniter ad me advolavit, & ingressa est in me per os, affecitque meam animam ingenti solatio, replens ipsam bonis adhuc majoribus, quàm sint ea, quæ soleo percipere in quibusdam communionibus Sacramentalibus. Dico, in quibusdam, quia in alijs fuerunt magna.

Aliàs, dum essem valde afflicta, & nihil tale cogitarem, vidi venientes, eosdem duos gloriosos Patriarchas, qui mihi appropinquantes, me salutaverunt, ac dixerunt: Suscipe donum, quod tibi adferimus, nomine DEI. Hoc dicto, fui reddita vegetior, & vidi, quòd gloriosus Sanctus Dominicus ferret in suis manibus quandam ampullam, quasi crystallinam, valde rubentem, in qua erat pretiosus liquor: Noster autem Sanctus Pater Jgnatius aliam, quæ continebat liquorem viridem. Gloriosus Sanctus Dominicus accepit plumulam, quâ intinctâ in illo liquore, me unxit, & formavit tres cruces in fronte, dicendo ad primam: In nomine DEI Patris; ad secundam: & Filij, ad tertiam: & Spiritûs Sancti. Deinde formavit aliam crucem in pectore, & aliam in scapulis: idémque fecit Noster Sanctus Pater JGNATIUS, & ambo mihi dixerunt: Hac unctione te confortamus in spe in DEUM, & in charitate (quæ erant duæ virtutes, quas significabant color viridis, & ruber duarum ampullarum.) Post hoc obdormivi modicùm, & quando evigilavi, jam abiverant Sancti. Sensi me vehementer confortatam.

§. V.

Convertamus nos ad alias visiones plenissimas mysterijs, concernentes hoc punctum mortis. Quadam nocte, *inquit*, egit mea anima diu cum DEO, atque interea me reperi quasi in momento in ipsius manibus, ac Divinis brachijs. Occupavit me ibi quædam mystica mors, & somnus spiritualis, ut sinè dubio videretur mea anima remanere in suo DEO, cum affectibus & sensibus spiritualissimis, pacatis ac suavibus, & quadam luce atque cognitione de ipsius esse, & illa, ut ego eam voco, Divinâ ipsius caligine, neque enim aliud scio. Fuit res tam mirabilis, quam mea anima sensit, ac habuit in isto raptu, ut si diu duravisset, existimem meam animam remansuram fuisse apud suum DEUM, cum ingenti solatio & quiete. Post hoc dixit Dominus: Sic tibi fiet, Anima, sicut vidisti; cùm enim tua vita plena fuerit continuis doloribus tui corporis, æqvum est, ut illos non patiaris extremâ tuâ horâ.

Sequenti nocte sensit mea anima diutissimè, atque ego tota præsentiam actualem Christi JESU Domini Nostri, modo quodam valde extraordinario, & spiritualissimo, dicebátque Dominus: Quiesce, Anima, quiesce Creatura mea, quia sum hîc, & ero tecum. Mansi fruens hac Divinâ Societate, & fui repleta magno stupore ac solatio per hunc raptum, ac deinde sum occupata quodam quasi somno, & quando ad me redij, reperit se mea anima in magna ac tranquilla unione cum suo DEO, unà cum omnibus ipsius Sanctis Angelis, atque ita immutatam, ut non potuerim ad me redire; quod diu duravit. Dominus DEUS sit benedictus. Toleraveram ante hoc graves molestias, quas mihi intulerat diabolus suis tricis.

Dum ita essem constituta, fuissémque passa quodam tempore matutino gravem tempestatem dictorum cruciatuum & martyriorum, essémque vehementer debilitata ac fracto viribus, dixit mihi Dominus: Anima veni ad me, & quiesces, es enim afflicta & valde cruciaris, ideóque tibi plurimùm compatior & condoleo. Postquam hoc dixisset, reperi me intra ipsummet DEUM, & cùm in illo manerem, vidi quòd Divina ejusdem Majestas contemplans se ipsam, & quasi ingrediens suum Divinum secretum, voluerit meæ animæ denuò præstare misericordiam, ipsíque hoc modo mystico declarare gratiam, quam illi exhibebat, & dixit mihi: Bene fecero, si abbreviavero per meam misericordiam, potentiam & sapientiam

dies tui exilij, ita tamen, ut non perdas gradus tuorum meritorum, quos tibi conferre decrevi, neque tibi hoc breviore tempore dem plures cruces, ut ad illos pervenias; sed disponam res tuas alijs modis, quod mea sapientia potest facere, ut pertingas ad id, quod dictum est. Audivi, quod Dominus dixerat, cum magno solatio, & sublevatione debilis naturæ, quam illa per aliquot horas sensit.

§. VI.

DUm aliquando manè, per id tempus, agerem cum DEO, venerunt ad me omnes mei Sancti Angeli. Ego eram admodùm debilis, & confecta doloribus, atque revera cogitabam, me expiraturam, ipsósque venire ad me juvandam. Erexerunt me, ac ornaverunt omnibus vestibus & cimelijs, quæ mihi Divinus Sponsus contulit ex sua bonitate ac misericordia, posuerúntque me in quodam feretro, quali utuntur pro sepeliendis humanis corporibus, & tulerunt me paulatim, quasi sursum ad Cœlum, ac adverti meum corpus hîc remanere in meo loco, quasi mortuum, animam autem meam ita adornatam auferri in eo feretro. Dum ita progrederentur, venit mihi obviam Spiritus Sanctus, cum magna potentia ac majestate, stipatus infinitis Angelis, & magno impetu me quasi abripuit ex feretro, univitque me secum fortiter, & sic tulit ad cœlestem Patriam, disparente eo capulo. Ibi sum fruita Divinâ Majestate. Videbatur mihi anima affluere gaudijs, & corpus remansisse mortuum in suo lecto, neque poteram intelligere, quomodo id fieret. Postquam fuissem fruita illo Divino Domino, & quievissem in Divina Majestate, retulerunt me Domini mei ad meum angulum. Ego interrogavi meum sanctum Angelum Custodem: Dicat mihi sanctus Angelus, quomodo fuit peractum istud mysterium, quia mihi videtur, animam discessisse è corpore, & istud fuisse exanime; aliunde autem me adverti, hîc manere: utrúmque mihi videtur esse verum, quomodo tamen ego me ipsam sentiebam, si eram mortua? Sanctus Angelus mihi respondit: Mitte ista, Soror: Dominus est omnipotens, & potest id facere. Hoc mysterium est valde profundum, noli illud scrutari. Nónne scis, ac dicis, te, dum pateris acerbissimos dolores, esse instar trunci? & tamen Dominus tibi dixit, ne te id redderet solicitam, eò quòd Divina ipsius Majestas esset locutura & operatura loco tui, quemadmodum fecit, ut bene es experta his diebus. DEUS potest uti ministerio alicujus sui Angeli ad hoc peragendum, quod tu non intelligis: relinque id modò.

Quodam die, ex istis, invocabam inter meos cruciatus ac dolores DEUM, cum magno affectu, & dicebam: Veni, mi DEUS, veni, posside me, animam meam, ac me totam. Divina Majestas ad me venit cum magno amore & charitate, abripuitque meam anjmam, & univit secum fortiter. Ego manebam intra meum DEUM, & fruens ejusdem Majestate, & mei Sancti Angeli me fixè intuebantur, attollendo manus; quod mihi displicebat, quia intelligebam, quòd me vellent auferre inde, ubi eram, etiamsi ibidem diu manserim. Fuíque paulatim à DEO relicta in manibus meorum Dominorum Angelorum.

CAPUT

CAPUT XX.

Quomodo illi DEUS ostenderit quædam, spectantia ipsius sepulchrum, cineres & ossa, atque corpus resurrecturum ad statum gloriosum.

Manifestavit illi quoq; DEUS nonnulla concernentia ipsius intumulationem & sepulturam. Iam inde ab ipsius initijs, ex quo incepit agere cum DEO, habuerat in animo, ac optaverat sepeliri in templo Societatis JESU, atque Pater Generalis ejus temporis, ipsi id concesserat. Mutavit autem deinde nonnihil quoad id suã mentem, permota magnâ importunitate cujusdam Domini, sui benefactoris, cupientis, ut sepeliretur in Monasterio Monialium, quod ipse fundabat: cùmque ipsi ea in re consensisset, memor, Sanctum Franciscum jussisse, suum cor ferri ad Sanctam Mariam Angelorum, ubi à DEO obtinuerat tam insignes gratias, etiamsi illius corpus sepulturæ traderetur alibi, ità voluit & ipsa, prævio lumine & approbatione DEI, pro eo tempore, ut, si id fieret, suum cor, ferretur ad templum Societatis, ubi tantum boni assequuta fuerat. Verùm quia causa hujus propositi cessavit, penitúsque fuit mutata, ùt subsunt magnæ mutationi res hujus mundi, incepit dubitare, propter valde urgentes rationes, ubinam esset sepelienda, si tunc moreretur.

§. I.

INterea, *inquit*, venerunt ad me quinq; mei Angeli, & præ reverentia, quam illis debeo, cùm noverim illorum magnam potentiam, timui. Ipsi verò mihi dixerunt: Noli timere, Soror, quare nos times? Nostra potentia non est contra te, sed pro te. Subitò vidi, quod me exponerent ex meo lecto, collocaréntque in sandapila, ubi modo quodam mystico vidi me ipsam, quasi mortuam, & unum illorum Sanctorum Angelorum thuribulo incensantem corpus defunctum, more consueto, quod idem postea fecit alius. Deinde me posuerunt in quadam arca, quasi loculo mortuali, & inceperunt me auferre, vidique me inferri in templum Domûs Professæ Societatis JESU, & loculum illum deponi, atque collocari supra gradus summi Altaris ad latus Evangelij, in muro. Quando ad me redij, interrogavi meos Sanctos Angelos, quid hoc esset, & responderunt mihi: Si, his stantibus, fueris mortua, fiet, quod vidisti.

Mirabiliores sunt sequentes visiones, quibus illi DEUS voluit revelare, quantum æstimet sepulchra & cineres suorum servorum: in hunc enim finem talia repræsentat. Agens, *inquit*, quodam die cum DEO, vidi illatam à meis Angelis quandam tumbam in meum cubiculum, quæ erat præparata pro sepelienda aliqua persona defuncta, & plurimos Angelos, illam cingentes ac circumdantes. Deinde vidi ingredientem in meum cubiculum Juvenem bonæ ætatis, quasi viginti annorum, valde gravem, vestitum more antiquo, cui ingresso omnes Angeli exhibuerunt magnam reverentiam, & plurimùm sunt illum venerati. Non agnovi, quis esset, erat autem tantæ authoritatis, ut illum non fuerim ausa intueri. Ivit rectà ad tumbam, séque quàm gravissimè in illa collocavit, atque decubuit, quasi pro ipso facta fuisset, ac mansit ibi modicùm ita jacens, & Angeli ipsum venerabantur ac adorabant. Surrexit deinde ex tumba, cum magna gravitate, ac modo valde eminenti & insolito, accedénsque ad me, dixit mihi: Anima, vale, jam enim feci, ad quod veneram, ut scilicet contingerem tumbam, in qua es sepelienda, méque in ipsa collocarem. Tum agnovi,

agnovi, Juvenem illum fuisse ipsum Dominum, & repleta fui solatio, ac obstupui ipsius bonitatem. Deinde Sancti Angeli acceperunt illam tumbam, videntúrque mihi ipsam tulisse ad templum Domûs Professæ Societatis JESU, ubi volo sepeliri.

§ II.

Quod DEUS propositum habuit in duabus sequentibus revelationibus, est ingens secretum, idque testatur prima visio; Secunda verò videtur esse repræsentatio gloriæ, quam habebit ipsius corpus, quando resurget, ut se reduniat animæ. Dum, *ait*, aliquando his diebus vehementer affligerer à meis doloribus continuis, ac molestijs, & quia habeo hoc meum corpus adeò confractum & consumptum, ut videatur frustatim concisum, & quasi totum terreum, vidi Majestatem Domini DEI, qui me peramanter aspexit, dixítque mihi: Anima, si essem capax commiserationis, & compassionis, permoveres me ad illam. Quomodo tolerabo, ut tuum corpusculum, quod tantopere inservivit suo Spiritui, tam diu me non fruatur, separatum à sua anima? Nihil tibi ampliùs dico; hoc enim secretum servo mihi: quod dico, est, me posse facere paradisum ex sepulchris, atque ex ipso inferno (ita solet vocari limbus Patrum) & meos Angelos semper custodituros tua ossa, ipsisque adfuturos. *Tempus manifestabit, quid DEUS velit indicare eo dicto.*

Post hoc mihi dixit Dominus, quasi se non posset continere, quo minùs mihi aliquid panderet de illo Divino secreto, quod ejus Majestas mihi dixerat, se reservare sibi, quia non ferebat amor, quo me prosequebatur, ut mihi totum occultaret, ac proinde mihi dixit: Tuorum ossium ac cinerum non obliviscar, neque illos deseram usque ad diem Judicij, imò semper ipsis assistam, tam potens enim ego sum, ut faciam Cœlum ex sepulchris mortuorum. Et post tres abhinc vel quatuor dies, dum aliâ vice agerem cum DEO, & essem valde afflicta, denuò mihi Dominus loquutus est de hac re clariùs, dixítque, quàm amantissimè, quasi non posset, nostro loquendi modo, se ipsum vincere, ut mihi non loqueretur apertè: Dico tibi verè, quòd post mortem tuam hoc tuum corpusculum sit habiturum paradisum deliciarum, & solatiorum meorum hìc in terra ante Judicium: significans mihi Dominus, solatia ac delicias, derivandas in corpus ab ipsomet DEO, & ab ejus assistentia, atq; etiam ipsam animam subinde illi adfuturam. DEUS sit benedictus, propter omnes suas misericordias, Amen.

§. III.

IN Aprili anno 1622. agens cum DEO, more solito, vidi Majestatem Christi JESU Domini nostri, qui se spectandum exhibuit oculis meæ animæ, dixítque mihi: Anima, quid agis? Ego, nihil respondendo me aliquantum abstraxi ab hac visione, & remansi cum DEO, more solito. Deinde paulò pòst, denuò mihi Dominus comparuit, & ego me similiter abstraxi, sicut priùs. Apparuit mihi tertiò: atque jam non potui non attendere, & Divina Majestas mihi dixit: Anima, adverte, ego sum Pastor bonus, ac porto in meis humeris oves meas: & vidi, quòd Dominus haberet in suis humeris oviculam, quæ erat figura mei corporis, quasi involutam aliquo lintee, quod Dominus tenebat suis manibus. Ibi vidi me ipsam. Feci, quantum potui, ut non abriperer in ecstasim, manerémque in meo loco, donec non possem ampliùs; & vidi me totam supra humeros Domini, incepíque me non sentire in loco, in quo antea fueram. Dominus ambulavit diutissimè per quandam campestrem planitiem, quem sequebantur multi Sancti Angeli, & aliqui diaboli, in specie canum ac luporum ibant post Angelos, qui ejulabant & latrabant, quamvis non auderent accedere, eò quòd ipsos Angeli abigerent. Postea disparuerunt, & Dominus ità pervenit ad declivitatem cujusdam montis non adeò alti, atque postquam eò pervenisset, reposuit idem Domi-

Dominus illam oviculam humi, optimè compositam, & aliquoties se profundè inclinavit, flexisque genibus alloquens suum Æternum Patrem dixit: Pater Æterne, offero tibi & immolo hanc oviculam redemptam meo pretioso sanguine, suscipe illam, Domine, ex mea manu, in sacrificium. Et post hoc Domini dictum, descendit ex Cœlo potens ignis, comburens, clarus instar purissimi auri, occupavitque illam oviculam, & combussit, ac absumpsit, quidquid in ea erat terrenum & imperfectum, reddiditq; ipsam gratiosissimam, & spiritualem, ut videretur esse prædita dotibus gloriosis, quibus fruitura sunt corpora beata post resurrectionem, ita ut nullum indicium rei corporeæ & imperfectæ in illa remaneret. Tum descenderunt ex Cœlo, à throno Beatissimæ Trinitatis, quidam radij lucis ac splendoris, clari & potentes, qui permeaverunt illam oviculam ac penetraverunt: atque per illos ipsos ascendebat eadem ovicula, donec perveniret ad thronum Sanctissimæ Trinitatis, ubi se immersit in illud Divinum Esse, & infinitum pelagus Divinitatis: tandem autem paulatim ad me redivi.

§. IV.

PEr idem tempus, agendo cum DEO vehementer afflicta à gravissimis doloribus, & confractione totius mei corporis, ut mihi videretur comminui, conspexi Majestatem Christi Domini, qui mihi dixit: Soror, es graviter afflicta, & habes confractum tuum corpusculum, volo te aliquantum sublevare, attolle oculos & aspice. Elevavi oculos, & vidi ipsum meum corpus non phantasticè, sed reipsà valde clarum, transparens, subtile & agile, ut ipsi nihil aliud videretur deesse, quàm, quòd non volaret: erat elevatum à terra, & mirabar, quod illud viderem tam pulchrum, & clarum ac præditum dictis qualitatibus. Deinde mihi dixit Dominus: Aspice animam tuam, infudítque ipsam Dominus illi corpori: sicut, dum sol valde resplendens irradiat vitra crystallina, adeò erant magni splendores lucis, & jucundi ignis, quos anima ex se emittebat, exornando corpus. Mansi diu in hac visione, & postea mihi Dominus dixit: Anima, tua natura est magnopere consumpta & afflicta, veni mecum, & quiesces. Duxit me Dominus ad Cœlestem Jerosolymam, ibique mihi ostendit ipsius Majestas gloriam illius cœlestis Patriæ, & sui Divini Esse, ac Divina Attributa, singula seorsim, Attributum Divinæ Bonitatis, Misericordiæ, Pulchritudinis, Magnitudinis, ac Immensitatis. Et dixit Dominus: Ecce hæc omnia tibi volo dare. Attulit hoc spectaculum mihi maximum solatium ac levamen, & obstupui ac fui attonita, quòd viderem tantam majestatem, præsertim illam æternitatem & perpetuitatem, quódq; omnia essent DEUS, & magis DEUS. Ibi quoque mihi ostendit Dominus gloriam perpetuam, quæ me manebat, pro eo, quod patiebar.

Quamvis autem hæc omnia mihi fuerint maximo solatio, & levamini, cùm ego me advertam esse ita imperfectam ac timidam in meis doloribus, ut nesciam, simne bene resignata, dixi meo Domino: DEUS mi, & Domine mi, mille defectus committo in tuo servitio, & licèt verum sit, me aliquid pati, agnosco me tamen tam tepidam, ac adeò consumptam meam naturam, adeóque timidam, ut ignorem, simne bene resignata. Sancti Martyres patiebantur cum tanta lætitia & promptitudine, ut eorum pati, esset potiùs gaudere, atque in medio tantorum tormentorum erant contenti ac hilares, ut bene esset advertere sanctum Spiritum, quo patiebantur: In me omnia sunt contraria, vivo inter dolores cum mille timoribus, & hi ipsimet me torquent. Dominus mihi respondit: Bene, Anima, bene loqueris; adverte nunc. Martyres patiebantur, ùt dicis, quia ego illis dabam meam fortitudinem & mea auxilia, ut pro me paterentur, cum hoc solatio, eò quòd ita fieri expediverit: at ecce, quando ego sum passus pro hominibus, assumpsi eorum

rum fragilitatem, non admisi solatium, fui derelictus ab omnibus creaturis, atque adeò à meo Patre, & cum tanto dolore, ut natura timuerit, ac recusaverit pati, & sit questa, senserítque tantas anxietates, & fuerit afflicta, ac sudaverit sanguinem. Hoc ego pro me assumpsi, atque idem, est enim perfectiùs, do tibi. Isto dicto Domini fui summè animata ad patiendum, & plurimùm mihi complacui, in meis doloribus ac afflictionibus, quamvis non absque timore, displicendi DEO.

§. V.

ETiam hoc eodem anno, postquam me quodam die præmonuisset Angelus Custos, ut me resignarem, ad acceptandas gratias, quas mihi DEUS esset præstiturus, per suos Sanctos, vidi ingredientem, per portam cubiculi, quandam processionem Patrum Societatis bipertitam, cum suis pallijs, & luminibus in manibus, cantantium psalmos, sicut fit dum sepelitur defunctus. Erant tamen psalmi jucundi, & canebantur tono læto. Superabant numerum centesimum, & omnes erant animæ beatæ, in fine veniebat Noster sanctus Pater Jgnatius indutus elegantissimo & splendissimo pluviali, cujus unum latus stipabat Sanctus Franciscus Xaverius, alterum Pater Balthasar Alvarez: proximi erant omnes Patres Societatis defuncti, qui fuerunt mei Confessarij. Præcedebant ipsos aliqui Angeli, cum quodam quasi feretro candido, pulchrè exornato, & ante feretrum ibat unus ex Societate, præferens crucem. Postquam advenisset feretrum prope meum lectum, steterunt Angeli, & sancti quatuor Angeli mihi assistentes, me subitò acceperunt, induerúntque veste albâ & pallio cæruleo, posuerúntq; in feretro, ac deinde illud circumquaq; incensaverunt. Incepit progredi ea pompa, ascendens ad certum spatium, per quosdam gradus, valde latos & amplos, usque ad Cœlum: postquam illuc venisset, Angeli aperuerunt portas, & Patres ingrediebantur, singulíque deponebant suam stolam, excepto eo, qui ferebat crucem: ubi omnes fuissent ingressi, unáque feretrum, deposuerunt me ex eo, & collocaverunt in pavimento illius Cœli, coopertam nube splendidissimâ, quæ dissipabatur: & continuò me reperi impositam in quandam quasi columnam crystallinam, admodum elegantem & pretiosam. Venit Christus Dominus, & aperuit illam, ac fui inde ducta ad videndum in ea cœlesti Aula ipsum DEUM, in ejus claritate & caligine, sicut aliàs soleo. Vidi etiam, quomodo Sancti essent beati, illâ clarâ visione DEI, & alijs rebus Divinæ Æternitatis. Post omnia me reperi in meo angulo, ita ut non adverterim, quomodo fuerim reducta; Nostrum autem Sanctum Parrem Jgnatium cum suis Socijs vidi juxta me. Incepit mihi declarare mysterium, dicendo mihi: Filia mea, & Soror nostra, omnes nos, quos vidisti, intererimus tuæ sepulturæ. Cúmque ego inciperem turbari, addidit: Meliùs convenis cum Angelo tuo Custode, ipse tibi id declarabit, vale. Sanctus Angelus mihi dixit, eam rem fuisse, quandam adumbrationem ejus, quod eventurum esset in mea sepultura, & corpus meum, priùs inferendum Cœlo, ad conspectum DEI, quam hîc sepeliatur.

CAPUT

CAPUT XXI.

Quomodo ipsi DEUS communicaverit eximiam Spiritûs mysticam, & experimentalem scientiam, præceperítque, ut conscriberet omnes suas experientias, in commodum proximorum, consignandas & in ordinem redigendas à Confessario, quem habebat in Societate JESU, & quid illi ea in re evenerit, cum Sancto Dominico.

Extraordinarijs gratijs, quas DEUS suæ famulæ, per decursum longævæ ejus vitæ præstitit, & istud accenseamus, quòd ipsi fuerit unà cum illis communicata scientia spiritualis, quam communiter vocamus Theologiam mysticam, & scientiam experimentalem, de qua loquens Divina Sapientia, ait quòd ostenderit justo Iacob regnum DEI, & dederit illi scientiam Sanctorum, quia ductu Divini luminis est ingressa ad percipienda arcana regni Cælorum, quæ nimirum sentiebat, & experiebatur in se ipso, quod est proprium Sanctorum.

§. I.

IN hoc mirè excellebat ista famula DEI, cui Divina Majestas sensim communicavit quinque admirabiles experientias, quæ complectuntur universam scientiam Spiritûs.

1. Quia imprimis experta est, ac attigit omnia concernentia infantiam, Passionem, & Mortem Salvatoris, ac reliqua ipsius sacratissimæ Humanitatis mysteria, quibus interfuit, acsi tunc denuò executioni mandarentur, ita ut sentiret in se dolores ac tormenta Redemptoris, usque ad participata ejus vulnera pedum, manuum, lateris & capitis.

2. Hinc est progressa ulteriùs, ad cognoscendam & experiendam immensitatem DEI Trini ac unius, cum suis Attributis, quæ beatos reddit Angelos ac Sanctos, participando in se ipsa, ac degustando istam beatitudinem, videndo aliquid de eo, quod ipsi vident in suo DEO, pro sua capacitate, idque interdum eâ claritate, quamvis momentanea instar relucenscentis fulguris, ut possimus dubitare, an non fuerit visio clara, qualem nonnulli per speciale privilegium, concedunt Sancto Paulo.

3. Tertiò experta est omnes modos familiaritatis & communicationis inter DEUM & animam, per alloquia, per inspirationes, per species, & visiones imaginarias, pérque visiones intellectuales, per raptus, elevationes & uniones, mille modis, jam in fundo sui cordis, jam in Cælo empyrio, jam commorando ibi quasi stabiliter secundùm spiritum, jam idem percipiendo in suo cubiculo.

4. Ad hæc accedit experientia dolorum, cruciatuum, molestiarum ac tormentorum internorum & externorum, quæ est passa, partim ex Divina dispositione, partim propter persequutiones diabolorum, DEO permittente, ita ut experiretur, dolores esse scalas ad gaudium; & Crucem, esse viam pro adeunda cælesti gloria.

5. Deniq; experta est, & probavit actus heroicos omnium virtutum, in quo consistit perfectio Evangelica, cum summa prudentia, circumspectione, & cautela in vijs extraordinarijs, quibus ducebatur, ne deciperetur. Unde factum est, ut esset adeò plena hac Divinâ scientiâ, ut posset esse excellens illius Magistra; & anima ipsius, ac modus vivendi, esset instar libri vivi, ubi infinita Sapientia DEI descripsit atque expressit omnia mysteria nostræ Sanctæ Fidei Catholicæ,

licæ, admirabili artificio, adjunctis duobus raris privilegijs, quorum unum erat, quòd etiamsi revelationes interdum essent admodum diuturnæ, & continerent multa, ac minutissimas circumstantias, tam fixè tamen illas imprimeret suæ memoriæ, ut illarum non obliviscereturur: Alterum autem, quòd illi DEUS suggesserit verba convenientia, quibus posset declarare, quod viderat, & fusè referre, etiamsi aliquando esset res tam sublimis, ut illi non suppeterent verba, pro ea exprimenda. Et quia omnes istæ experientiæ ac res, quæ illi accidebant, fiebant arcanè & modo invisibili, manebántque in ipsius spiritu, quasi in libro clauso & signato, voluit Majestas nostri Magni DEI, ut iste liber aperiretur, omnésque prodirent in lucem, præcipiendo illi frequentiùs (sicut fusè dictum est, in Prologo istius historiæ) ut conscriberet omnes gratias, quas illi præstiterat per decursum ipsius vitæ, eò quòd eas ipsi non communicavisset pro illa sola, sed etiam in commodum multorum.

Hoc fuit primũ, quod Deus præcepit venerabili Marinæ, & comprehendit generatim, id quod Divina Majestas extraordinariè in illa est operata: voluit tamen simul, ut observarentur consvetæ leges Ecclesiæ, útque examen rerum publicandarum, & earundem coordinatio ac dispositio fieret, secundùm judicium, prudentiam, & scientiam Confessarij, Magistri ac Directoris, quem habebat in Societate, eò quòd non omnia, quæ DEUS secretò suis servis revelat, velit publicari, imò non expediret quædam probare. Propterea cùm germanus meus Frater Andreas de Ponte, ex Ordine S. Dominici conscripsisset ea, quæ Venerabilis Marina ipsi dicebat vel dictabat, ut illa mihi traderet, ùt dictum est in Prologo, retinuisset autem ipsorum apographa, mandavit DEUS, ut illa ab eo peteret, mihique traderet, & ego ex ipsis demerem, quod judicarem, non convenire, ut publicetur.

§. II.

DE his omnibus habuit ipsa insignem revelationem DEI, à quo fuerunt confirmata ac approbata, & propterea illam referam, non absque aliqua verecundia, eò quòd contineat aliquid me concernens. Hæc igitur ipsamet ait: Postquam DEUS biduo, vel triduo disposuisset meam animam, suâ Divinâ inspiratione, ut audirem, quod mihi ejus Majestas volebat dicere; quia mihi id accidebat difficile, quodam tempore matutino mihi dixit quàm gravissimè: Expedit, ista tua scripta deponi apud te, donec ego disponam ac decernam, quid fieri conveniat: & dic meo servo (Fratri Andreæ de Ponte) qui habet hæc scripta, ut propterea non affligatur, neque contristetur; ego enim illi, per memetipsum, polliceor, quòd hoc faciendo, si fuerit è mea majore gloria, non sit frustrandus suâ spe, imò ita omnia sint meliùs disponenda. Multùm autem refert, ut omnia tua scripta lustrentur à Confessario ac Magistro, quem ego tibi dedi, pro regenda tua conscientia. Omnia quæ dixi, expedit fieri, ideóque mandentur executioni. Post hoc vidi gloriosum Patrem Sanctum Dominicum, & quamvis fuerim tergiversata, sicut soleo, coacta sum illum tamen aspicere: veniebat cum duodecim Sanctis sui Ordinis, adscriptis in numerum Sanctorum & Beatorum, gerebátque in pectore quasi impressum solem splendidissimum. Intellexi, quòd Sol significaret maximum amorem & charitatem, quâ Sanctus fuit præditus, dum degeret in hac vita, erga Dominum DEUM & proximos. Loqvutus est mihi de eo, quod mihi priùs evenerat cum DEO, ac de persona sui ordinis, quæ habebat illas chartas, dixitque mihi: Dices ipsi nomine meo, ut non affligatur; adimplendum enim absque ullo dubio id quod illi dixisti, nomine DEI: dices ei præterea, ut tecum agat eodem modo, quo hactenus, cum charitate, simplicitate, & sinceritate, quâ solet, atque tu fac idem: hæc enim est voluntas DEI: vale.

§. III.

BIduo, vel triduo pòst id, quod actum erat de jis chartis, voluit illi DEUS ostendere quasi adumbratu magna mysteria, quæ

in ipsis erant descripta. Dum agerem, *inquit*, cum divina Majestate, vidi oculis animæ duos Angelos gravissimos & supremos, qui tenebant simul in sua manu pulcherrimum & elegantissimum librum, quem volvebant & lustrabant cum magna admiratione; atque petito à DEO priùs divino ipsius lumine, aspexi illum librum mysticum, cum attentione ac admiratione, & quomodo ipsum Angeli volverent. Deinde se ità verterunt, ut ego possem videre id quod continebat, volvebant folia paulatim, ut ego viderem mysteria, in eo contenta. Erat res admirabilis, videre modum divinum, quo ibi erant signata & impressa tam vivaciter, ut illis videretur inesse ipse DEUS, mysteria sanctissimæ Incarnationis JESU Christi Domini nostri, sanctæ ipsius Nativitatis, Vitæ, & Passionis sanctissimæ, nec non Resurrectionis ac Ascensionis, & reliqua sacra mysteria: Alia erant expressa in specie sigillorum, quæ continebant, & includebant in se mysterium, quod repræsentabant; alia in specie munitorum elegantium & venustorum castellorum; alia in specie imaginum, significantium sua mysteria. Continebat idem liber paucas lineas, scriptas purissimo auro, ut viderentur Divinæ (fortè repræsentabant mysteria Divinitatis:) Fui diu vehementer absorpta, dum contemplarer hoc mysterium, ac deinde Sancti illi Angeli clauserunt librum, qui forinsecus fuit admodùm elegans & splendidus, atque conversi ad me dixerunt: Soror, iste est liber mysticus, scriptus in tua anima, manu DEI. Hoc dicto abiverunt, & sustulerunt librum in conspectu oculorum meæ animæ: quod ego vehementer sensi, & cùm aspicerem quonam irent, ac ferrent illum librum, vidi ipsos ingredientes in cubiculum Servi DEI Fratris Andreæ de Ponte, apud quem erant chartæ, quas ipse conscripserat, & DEUS jusserat, apud me deponi.

Postquam fuissent ingressi cum suo libro, quem habebant in manibus, aperuerunt illum, & venientes ad Servum DEI, qui dormiebat (erat enim circiter hora quarta matutina) dixerunt illi bis: Salve, serve DEI. Sed ille non plenè evigilavit, neque intellexit, quid sibi dictum fuisset. Sanctus autem Angelus ipsius Custos optimè attendit, ac respondit: Sancti Angeli, quid mandant, quid petunt à Servo DEI, ego enim hîc illum custodio, & excipiam, quod ipsi est nuntiandum. Angeli DEI (dixerunt illi) nos venimus, nomine DEI, ut traderemus istum mysticum librum huic Servo DEI, in quantum ipse fuit à secretis & scriptor mysteriorum. Tum respondit ille Sanctus Angelus: Domini, si ità est, me concernit hoc negotium, & apud me est deponendus iste liber, atque me oportet referre in numerum cæterorum obsequiorum, quæ iste servus DEI præstitit DEO, tum hoc, quòd fuerit Secretarius & Scriptor horum Divinorum mysteriorum, tum etiam istam gratiam, ipsi à DEO præstitam. Sancti Angeli, quòd illis videretur esse æqua ejus petitio, ipsi tradiderunt librum, qui illum servavit intra se, eò quòd significaret obsequium ab illo DEI Servo Divinæ Majestati ea in re exhibitum. Ego vehementer obstupui istud factum, atque etiam summirata, quòd viderem, quomodo DEUS tam clementer rependat obsequia sibi præstita. Eram quoque quodammodo desolata, propter meum mysticum librum, imaginata námque mihi fueram, quod ille liber tradendus esset mihi, vel meo sancto Angelo Custodi; nihilominus habui unà solatium, quòd DEUS suo servo fecisset eam gratiam. Illi duo Sancti Angeli, postea ad me rediverunt, & consolati me sunt in Domino.

§. IV.

SEd cùm viderem, quod mihi evenerat, & quomodo remuneretur DEUS illa obsequia, dixi illis: Dicant mei Domini Angeli, si tali DEUS dignatus est gratiâ remunerari illlum servum DEI, eò quòd sit Scriba & Secretarius ipsius mysteriorum, unde magnum cepi solatium; meo Confessario, qui non solùm hoc obsequium præstitit, sed tantopere laboravit, &

hac de re, déque toto meæ animæ regimine, fuit solicitus quid dabit DEUS, cùm multùm mereatur? Responderunt, mani id quod ipsis dicebam, facientes: Isti Servo DEI dabit Dominus ingens præmium, quia non solùm est Secretarius ipsius mysteriorum, sed etiam Magister, & Artifex ejusdem operis, quod DEUS in te peragit. Etiamsi enim illi dentur præcipui sumptus, & requisita, pro extruendo ædificio, solvatúrque ei labor, ipse tamen impendit operam & laborem suarum manuum, ac proinde in Cœlo pro mercede habebit suum meritum & insigne: sicùt dum egregius Magister & Architectus extruit sumptuosum & elegans ædificium, etiamsi ædificij Dominus ipsi solverit, dederítque pro eo necessaria, inscribit tamen illi, pro suo honore & insigni: *Talis me fecit.* Et hoc dicto mihi valedicentes, abiverunt. *Hanc revelationem volui referre, ut intelligatur, quantum placeat hoc opus DEO, quod est totum ipsius, demptis defectibus, quos habet profectos ex ignorantia Artificis, cujus est operâ usus. Quemadmodum enim aliquis Princeps desiderans extruere sumptuosum templum, vel palatium, dat architecto vel perito Magistro multa præclara requisita, ligna & lapides pretiosos, ut ipse omnia designet ac elaboret, demendo superflua, ponátque singula suo loco; ita mihi Princeps Cœli, per hanc suam famulam, dedit abundantiam necessariorum, & rerum mirabilium, quas illi communicabat: quia tamen mihi tradebantur à fœmina, erántque omnia dissipata, absque ordine, aut connexione, necesse fuit ea limare, ac demere, quæ videbantur superflua, & in ordinem digerere, singulis suo loco repositis. Omnium porrò simul combinatio, juxta ordinem, quo est facta, vocari potest synopsis Theologiæ & scientiæ mysticæ Spiritûs, seu scientiæ experimentalis ac practica universarum virtutum, quæ disponunt ad internam cum DEO familiaritatem, ac ad assequendam Divinæ contemplationis & perfectionis Evangelicæ sublimitatem.*

A. M. D. G.

PRO-

PROTESTATIO PATRIS PROVINCIALIS CASTELLANI.

OPtemperando Decretis Sanctissimi D. N. Papæ URBANI VIII. editis de illis, qui scribunt ac typis mandant Vitas, revelationes, miracula, & prophetias eorum, qui sanctitatis famâ celebres vixerunt, ac decesserunt, protestor, nihil, quod refertur in hac prima parte Vitæ Famulæ DEI, VENERABILIS MARINÆ de ESCOBAR Vallisoletanæ, dispositæ à Venerabili Patre Ludovico de Ponte, ex Societate JESU, ipsius Confessario, ullâ hactenus niti authoritate Sanctæ Sedis Apostolicæ, nec ea, quæ concernunt dictam V. MARINAM, vel aliòs, de quibus in illa agitur; sed duntaxat authoritate humanâ illorum, qui eadem scribunt, ac referunt, nullâ verò majore. Neque est mea intentio attribuere dictæ V. MARINÆ, quemadmodum nec alteri cuiquam Personæ, titulum Beatæ, aut Sanctæ, donec illam Sancta Ecclesia talem declaret: vel ullâ ratione quidpiam disponere pro beatificatione, cano-

canonizatione, aut comprobatione miraculorum dictæ Famulæ D E I, ulliúſve alterius, omnibus relictis in eo ſtatu, in quo fuerunt, antequam ſcriberetur, vel excuderetur hæc hiſtoria. Quam proteſtationem facio, tum nomine Authoris, Patris Ludovici de Ponte, qui eandem faceret, ſi viveret, poſt dicta decreta, tanquam filius adeò obediens Sanctæ Eccleſiæ; tum meo, attribuendo, quoad hoc, mihi dictum opus, in cujus principio & fine ponitur iſta proteſtatio.

Eundem in modum, ſe obedientem eſſe Sanctæ Sedis Apoſtolicæ filium, proteſtatur interpres.

INDEX

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM,
Quas complectitur hæc prima Pars VITÆ VENERABILIS VIRGINIS
MARINÆ DE ESCOBAR,

A

Abrahamus.

Venerabilis MARINA videt in cœlesti gloria Patriarcham Abrahamum, petitque à Deo, ut sibi tribuat fidem hujus Sancti. Paginâ 286

Adamus.

Cantus de lapsu Adami, quem Virgini Marinæ canunt Angeli. 356

Protoplastes Adamus invisit V. Marinam, præseferens magnam majestatem, loquitúrq; cum illa de suo peccato: & Christus Dominus ipsum in hac visitatione reveretur tanquam Patrem. 363

Admonitiones.

Puniuntur tres à Deo, ob non mandata exeqvutioni, de quibus à Ven. Marina erant ejus nomine moniti; & quàm propterea difficulter fuerit solita alios nomine DEI monere. 490

Deus dicit V. Marinæ, non semper acceptanda monita, quæ ipsam jubet dare alijs. 512

Colloquium S. Dominici cum V. Marina, de epistola, quam jussu Dei scripserat Provinciali ipsius Ordinis. ibid.

Quid illi idem dicat de eo, quòd non semper sint bene accipiendæ ejus admonitiones. 513

S. Pater Noster Jgnatius loquitur cum V. Marina, de quadam admonitione, quam ab eo jussa fuerat dare Patri Provinciali Castellano. 514

Deus ostendit V. Marinæ in visione, quantopere sentiat, quosdam non proficere ex admonitionibus, quas illis dat ipsius nomine. 515

Alia visio de eadem re. ibid. Et alia. 516

Adoratio Regum.

V. Marina adest huic mysterio in stabulo Bethlehemitico. 170

Videt iterum hoc mysterium, & sancti Reges ipsi referunt modum sui itineris. 171

Angeli eam ducunt cum SS. Regibus ad Cœlum. 172

Videt aliâ vice idem mysterium. 174

V. Marina ducitur ab Angelis ad regiones SS. Regum, & rediens cum illis ad adorandum Infantem DEVM in Bethlehem, offert cor mysticum. 175

Afflictiones.

Deus specialiter providit, ne V. Marina subiret discrimen vitæ, propter suos nimios fervores, defectum virium, & alias afflictiones. 74

Via afflictionum & crucis est via Regia & securissima ad fruendum Deo. pagina 317. & pag. 319

Quàm pauci hanc viam teneant. 320

Cur Deus non liberet V. Marinam ab afflictionibus. 325

Deus dicit, se habere in suis Divinis manibus scriptas ipsius afflictiones. 326

Angeli præsentant Deo afflictiones V. Marinæ. 327

Cimelia, quibus illam Angeli exornant, significantia ipsius afflictiones ibid.

Angeli nos juvant in nostris afflictionibus ac tribulationibus. p. 345. Et compatiuntur nobis. 328

S. Dominicus declarat V. Marinæ, quantùm Deo placeant ipsius afflictiones. 427

Quomodo Deus probet justos in communibus afflictionibus, pestis, famis, &c. 486

Visio de felici fine afflictionum, quas patiuntur justi. pag. 474. Et quanti eas faciat Deus. 600

Quantum V. Marina fuerit passa. 594

Ipsamet recenset suas afflictiones. 596

Christus in quadam visione declarat V. Marinæ, quantò sit ipsi vicinior in statu tolerantiæ, quàm in eo, quem priùs habuerat, dum solum deliciàretur. 597

Domiuus illi ostendit, quid suis afflictionibus sit promerita. 606

Declarat illi Deus, quòd in ſuis afflictionibus perficiatur pro ſe, & pro alijs. 601

Quanti faciat V. Marina afflictiones provenientes à Deo. Et Angeli ipſi dicunt, has ei nunquam defuturas. 605

Quàm magni fuerint dolores V. Marinæ. ib.

V. Marina eſt deſolata, eò quòd quærat ſolatia in ſuis afflictionibus. 606

Inivit pactum cum Deo, ne ipſi ullum daret ſolatium in afflictionibus: ſed Divina Majeſtas illud non acceptavit. 607

Recuſavit ſolatium ſibi oblatum ab Angelis. 608

Et aliud oblatum à Chriſto Domino. 609

Deus pollicetur V. Marinæ, redditurum ſe illi ſeptuplum pro ſolatio, quo ſe privaverat. ib

Quàm ſint breves hujus vitæ afflictiones, comparatæ bonis vitæ alterius. 610

Quia V. Marina ſe privat ſolatijs, quæ ei Deus offert, promittit illi Divina Majeſtas magnum præmium, ducitq; ipſam ad quodam myſticum convivium. 511

Viſio de modo, quo differunt afflictiones toleratæ abſque guſtu ſenſibili, ab ijs, quæ cum illo perferuntur. 636

Angeli conſcribunt in quodam libro afflictiones V. Marinæ. 645

Explicat illi Deus, quàm pretioſa ſint in Divinis ejus oculis merita afflictionum, quas patitur. 659

Deus dirigit V. Marinæ afflictiones ad majus bonum, dicitq; illi, quòd magno afficeretur dolore, dum illam videt afflictam, ſi eſſet capax doloris. 663

Chriſtus Dominus dicit V. Marinæ, ſe illi compati in ipſius afflictionibus. 671

Solatur etiam illam deſolatam, eò quòd patiatur abſq; hilaritate, cum qua patiebantur martyres. 675

Ambitio. *vide* Religioſi.

Amor Dei.

De ardenti amore Dei, quo flagrabat Virgo Marina, & quomodo Angeli ipſi conſcripſerint pactum, quod idcirco inivit cum Deo. 37

Angeli mirantur magnum amorem, quo V. Marina fertur erga Deum, id quod ipſi Deus manifeſtavit in quodam ejus raptu; alias verò S. Dominicus, & S. P. N. Jgnatius. Pag. 39. & 40

V. Marina accenditur in cœlo amore Dei per admirabiles nummos aureos. 162

Spiritus Sanctus confert V. Marinæ donum amoris. 278

V. Marina petit à Deo, ut ipſi det amorem, quo S. Franciſcus illum amabat, pag. 415. Et quomodo adimpleverit ejus petitionem. Pag. 416

V. Marina petit à S. Ludovico Rege Galliæ, ut ſibi communicet amorem, quo ille erga Deum ferebatur. p. 419. Et effectus petitionis. 420

Cognitio Dei, & cognitio ſui ſunt jantua ad amorem Divinum. 571

Sex media ad obtinendum perfectum amorem Dei. p. 574. Et ſex ejuſdem impedimenta. 575

Ex amore, quo amamur à Deo, provenit amor, quo nos Deum amamus. 576

V. Marina elicit ſingularem actum amoris Dei. 605

Deus ignoſcit errores amoris. 647

Angeli declarant V. Marinæ, quàm pretioſi ſint affectus amoris Dei, quibus ipſa continuè flagrabat. 678

S. Andreas. vide *Apoſtoli.*

S. Andreas Apoſtolus comparet V. Marinæ, & invidus diabolus conatur impedire ipſius viſitationem. 131

Angeli.

De Angelo Cuſtode V. Marinæ. p. 17. & alijs quatuor ipſi aſſiduè aſſiſtentibus. 18

Eorum nomina. pag. 19. & 166. & 167

De Angelis alijs, quos Deus adjunxit ſuæ famulæ. p. 19. & 20

Angeli reverebantur V. Marinam ut ſponſam Chriſti. 50

Angeli celebrant V. Marinæ vulnera cinendo. p. 119. Eademq; innovant cum dolore. 126. & 127

Angeli curant vulnera V. Marinæ, quæ ipſi inflixerat dæmon. pag. 133. Et offerunt illi quendam fructum & aquam myſticam. 134

Singuli Angeli aſſiſtentes V. Marinæ, dant eidem donum quoddam myſticum. 167

Exhibent ſe illi ſplendidè ornatos, & canunt. 177

Canunt aliâ vice, ad mitigandos ejus dolores. p. 179. Iterúmq; cantant. 207

Virgo Marina audit muſicam Angelorum quadam hebdomadâ ſanctâ. 218

Ducitur ab Angelis in hortum. 218

Deus ſpecialiter illuminat V. Marinam pro agnoſcenda excellentia Angelorum. 247

Aliâ vice illi Deus manifeſtat excellentiam Angelorum. 248

Chriſtus Dominus, jubet, quinq; Angeli aſſiſtentes V. Marinæ (quorũ nomina referuntur. p. 167.) eſſe vigilantes in ejus cura. 247

Angeli

Angeli collocant V. Marinam in candida, ab ipsis fabricata sella. 249
Angeli jussu Dei abstergunt velo sudorem V. Marinæ. 262
Deus dat Angelis pretiosum lapidem in quadam visione V. Marinæ, & quid hoc significet. 269
Angeli ferunt V. Marinam ad cœlum in lecto florido. 277
Angeli exornant ramis conclave V. Marinæ. 278
Amabilis obstinatio V. Marinæ resistentis suis Angelis, qui eam volunt deducere ex cœlo. p. 283 & 284
Angeli ducunt V. Marinam in curru ad vastum flumen. 301
Abstergunt ejus vultum sudantem. 308
Angelus ipsius Custos abstergit sudorem ex ejus facie. 310
Officium Angelorum est juvare servos Dei in eorum afflictionibus. 311
V. Marina videt naturam Angelicam absq; specie imaginaria. 325
Etsi Angeli nihil sint passi, compatiuntur tamen afflictis, & Deus ijs significat, quid sit pati. 328
Angeli V. Marinam, pro ejus sublevatione, portant in lectica, ubi illi Deus confert quoddam donum. 337
Favor ab Angelis V. Marinæ, in quo agnoscit, quomodo ab ijs custodiantur homines. pag. 341
Festum Angelorum Custodum, celebratum in eorum honorem ab alijs Angelis in cœlo. 349
V. Marina videt suum Angelum Custodem eleganter vestitum & armatum. 350
Ratio festi celebrati in cœlo in honorem Angelorum Custodũ, quod ipsa spectavit. ib.
Viginti sex Angeli Custodes mittunt omnium reliquorum nomine donum Virg. Marinæ. 351
Angelus Custos V. Marinæ est ex supremis cœlitibus. ibid.
V. Marina agnoscit eminentem gloriam sui Angeli ex sede, quam obtinet in cœlo. ib.
De quatuor Angelis V. Marinæ, qui cum Angelo ejus Custode sunt quinque; & de dono, quod illis Deus ipsâ præsente contulit 353
Et Marina videt in cœlo quatuor Angelos sibi conhabitantes: ut illam ita Deus liberet à quodam metu, sintne verè ipsius Angeli, & unde provenerit is metus. ibid.
Quomodo hi Angeli per aliquot dies defuerint V. Marinam, certâmq; reddiderint, id non fuisse factum propter aliquam ipsius culpam. pag. 355. & 356
Quomodo V. Marina offerat Deo hanc Angelorum absentiam. 356
Angelus Paranymphus cohabitans V. Marinæ, exosculatur locum, in quo fuerant alij Angeli. ibid.
Quatuor Angeli redeunt ad assistendum V. Marinæ, & singuli ipsi adferunt suum donum. 357
Et Marina videt Angelos Custodes, quasi reddentes Deo rationem sui officij. 360
Duodecim Angeli quadam vice visitaverunt V. Marinam. p. 361. Et unus ex his illi ostendit viam, quâ persona quædam incesserat, cujus ipse fuerat Custos. 362
V. Marina ducitur ab Angelis ad Ecclesiam S. Pauli Vallisoleti. 412
Qualiter fiat visio & cognitio angelorum apparentium in specie visibili. p. 569. Et qualiter V. Marinæ adstiterint illi, qui ei semper cohabitabant. 570
Musica, quâ Angeli recreant V. Marinam. q. 607. Et iterum. p. 608. & tertiò. 615
Angelus Custos conficit V. Marinæ quoddam scriptum. p. 597. Et aliud. 603
Quid fuerit V. Marinæ dictum à quodam Angelo, dum nollet acceptare favorem, quem ipsi præstare volebat. 608
Repetita Angelorum musica de laudibus Dei, in convivio mystico. 612
V. Marina quiescit in brachijs sui Angeli. pagina 665
Angelus extergit ex manu V. Marinæ sanguinem mysticum, quo imbutam ex suo sinu extrahit volente Deo. 616
Divinæ inspirationes ordinariè fiunt operâ Angelorum. 634
Deus assignat V. Marinæ alios quatuor Angelos, præter suprà dictos, ut ei assistant occulti, quamvis sæpe se illi exhibuerint spectandos. 637
Variæ distractiones, quibus hi novi Angeli oblectant V. Marinam. 638
Symbolum officij; quod Angeli Custodes exercent erga homines. Et novem Angeli contubernales V. Marinæ, recreaverunt illam musicâ: ibid.
Quatuor illi novi Angeli orant alternatim in conclavi V. Marinæ, & fabricant fontem mysticum, pro ejus exhilaratione. p. 639. & texunt telam, præsentantq; illam Deo, significantem opera hujus famulæ ipsius. ib. Agglomerant præterea, cujus significatio exponitur. 640

Angeli canunt V. Marinæ cantum de vijs, quibus Deus duxit ejus animam. pag. 641. Aliâ verò vice decantant laudes Dei. 642

Quatuor Angeli novi permutant stationem cum antiquis, præter Paranymphum, sed paulò pòst redeunt ad priorem locum jubente Deo. 645

Milliones Angelorum, quorum musicam audit V. Marina. 647

Angeli, qui assistebant V. Marinæ, erant decem. 669

Angeli. *vide.* Annulus. Cœlum. Corona. Crux. Ignis. Defectus.

Anima & Animæ.

Animæ Purgatorij. *vide.* Purgatorium.

Anima V. Marinæ manet per complures dies in cœlo, absque impedimento agendorum in terra. p. 263. Idem rursum fit. 295

Cujusmodi fuerit ista quasi absentia animæ V. Marinæ in cœlo, secundùm partem superiorem, videre est toto capite. 298

V. Marina videt suam animam in manibus Dei. p. 899. Et manet cum Divina majestate per integram septimanam. ibid.

Aliâ vice videt suam animam in manibus Dei. pag. 300. Et quomodo superior ipsius pars loquuta fuerit in cœlo cum inferiore. ib.

Christus Dominus ducit suâ manu animam V. Marinæ in specie puellulæ, cum admiratione Cœlitum. 306

Christus Dominus tanquam Pastor, præsentat animam V. Marinæ suo æterno Patri, portans illam in suis humeris in specie oviculæ. 316

V. Marina videt crucem Christi plenam beatis animabus. 318

Quomodo propter V. Marinam fuerint salvatæ multæ ànimæ, alioquin damnandæ. 349

Angeli ostendunt V. Marinæ viam, quâ Deus duxit quandam salvatam. 362

Iidem Angeli indicant, tres tantùm ex duodecim animabus, quarum habuerunt curam, fuisse salvatas. ibid.

Propter preces V. Marinæ convertit Deus animam cujusdam divitis intricati suis divitijs. 493

Angeli Custodes animarum petunt à Virg. Marina, ut eas commendet Deo. 511

Deus ostendit V. Marinæ, quomdo ducat animas, ac duxerit ipsius animam. 648

Animæ, quibus se Deus communicat. *vide.* Deus. ut se Deus animæ communicet per alloquium internum, oportet illam esse humilem ac sinceram. 553

Quomodo Deus consueverit probare animas, quibus se communicat, recedendo ab illis apparenter, dum ipsis subtrahit sua solatia: quamvis Divina majestas semper maneat in intimo hujusmodi animarum. 554

Modi, quibus se Deus communicat in parte superiore & inferiore animæ, eorundémque discrimen. pag. 557, & alij pag. 558

Deus se non communicat animæ, à qua abhorret, per alloquium. Quodsi id aliquando fecerit, agnosceretur ex bonis effectibus alloquij. 548

Quatuor modi, quibus se Deus supernaturaliter communicat animæ. 552

Quàm oporteat esse avulsam ab omnibus rebus animam, cui se Deus comunicat. 562

S. Anna.

V. Marina videt Beatissimam Virginem, instar puellulæ plorantem, in brachijs S. Annæ, præsente S. Joachimo. 142

S. Anna explicat V. Marinæ favores, sibi à Deo præstitos, quando gestavit sacratissimam Virginem in suo utero. 143

S. Anna venit ad agendas gratias V. Marinæ, pro festo Sancti Joachimi, ab ipsa procurato. 367

Annulus.

Angeli fabricant annulum similem ei, quem habebat V. Marina. 97

Christus Dominus honorat annulos V. Marinæ. 98

De annulo, quem sibi V. Màrina fieri optat, & quid tum eveniat. *vide* Humilitas.

Septem annuli in gratiæ cujusdam exhibitione inseruntur digitis V. Marinæ. 230

V. Marina videt in cœlo annulum in manibus Christi Domini. 288

Christus Dominus dat V. Marinæ annulum. 353

Angelus Raphaël dat annulum V. Marinæ p. 357. & alium S. Bonaventura. 420

Beatissima Virgo exornat V. Marinam annulo. 450

Spiritus Sanctus inserit annulos in digitos V. Marinæ. 551

S. Antonius Abbas.

Intercedente S. Antonio præstat Deus singularem favorem. V. Marinæ. 463

Et Marina vidit S. Antonium, S. Paulum primum Eremitam, S. Arsenium, & S. Hilarionem, sibi mysticè repræsentatos. 610

S. Antonius de Padua.

S. Antonius visitat V. Marinam. 41

V. Marina petit à S. Antonio, ut sibi communicet devotionem erga Incarnationem Divinam. 42

Et Sanctus illi dat cimelium, in signum, quòd ipsius petitio sit adimplenda. 421
Invisit & alijs vicibus S. Antonius V. Marinam. ibid.

Apostoli.

Virgo Marina assidet mensæ cum Apostolis. 212
Videt duodecim Apostolos in quodam templo celebrantes missam. 377
Aliàs verò videt Apostolos assistentes morti Beatissimæ Virginis. 449

Apparitiones.

Indicantur generatim apparitiones, quas V. Marina habuit, & qualiter eæ inceperint. Referuntur duæ habitæ in somno. 13
Quales fuerint apparitiones inter vigilandum. 14
De earum varietate, & bonis quæ operabantur, ac timore, quos in ijs V. Marina corripiebatur. 16
Securitas viæ, quâ Deus duxit V. Marinam declaratur admirabili apparitione, quam habuit. 20
Profectus V. Marinæ ex his apparitionibus & gratijs Divinis. pag. 30. & 32. & 175
V. Marina rogat Deum, ne sibi exhibeat tam sublimes apparitiones, eò quòd illas nequeat debitè describere. Et responsum Divinum. 255
V. Marina divinitus illuminata videt intra se favores, sibi à Deo communicatos in apparitionibus. 256
Qualiter oculi V. Marinæ corporei fuerint constituti in apparitionibus. 363
Deus dixit V. Marinæ, tripliciter posse fieri apparitiones. 416
V. Marina scribit epistolam ad Deum, petens ab illo lumen, pro agnoscendis ipsius veritatibus in apparitionibus. 441
Quantopere V. Marina fuerit illuminata, ne deciperetur in tam crebris apparitionibus. 503
Deus exponit V. Marinæ, quales sint, quæ in apparitionibus videntur, imagines Columbæ, & ejusmodi. 566
Quale sit corpus, quod Christus Dominus in his apparitionibus exhibet, quando comparet ùt infans, vel in alio vitæ suæ mysterio. 567
Quâ ratione spiritus & corpora Sanctorum adsint in apparitionibus. 568
Qualis sit visio & cognitio Angelorum, comparentium in specie visibili, atque etiam Sanctorum. 569
Et quomodo hæ apparitiones contingant, quod attinet personam Christi & ejus Matris. ibid. & pag. 570
Quomodo Angeli & animæ Sanctorum adsint imaginibus visibilibus. 570

Aqua.

vide Fons & Fluvius.

Angeli solebant adferre V. Marinæ quandam aquam mysticam, dum sitiret, quamvis illam ipsa propter Deum respuerit. pag. 607
quâ tamen ipsam aliquando, jussu Dei, potaverunt. 608
Christus D. illi dedit schyphum aquæ. 613
Deipara mittit V. Marinæ per Angelos vas crystallinum cum aqua. 614

Ascensio Christi Domini.

V. Marina videt Christum Dom. gloriosè ascendentem, qui illi præbet exosculandam quandam vestem mysticam. 207
Iterum illum videt ascendentem ad cœlum. 208
Et rursum, quando ducta ab Angelis interest in cœlo solennitati hujus mysterij. 209
Dum aliâ vice videt hanc ascensionem, ipsa quoq; ascendit cum Angelis. ibid.
Aliàs eandem ascensionem videt, atq; colligit lapides pretiosos. 213
Angeli ducunt Virg. Marinam ad locum Ascensionis. 300

Assumptio B. Virginis.

Vide. MARIA. Ubi referuntur cætera vitæ ipsius mysteria.

Attributa DEI.

Vide. DEUS.

S. Augustinus.

S. Augustinus invisit ter V. Marinam, à qua semel conspicitur ardens amore DEI instar Seraphini. 377
S. Augustinus agit gratias V. Marinæ pro monialibus, quas adduxerat ad ejus ordinem. 425
S. Augustinus loquitur cum V. Marina de inducendo in Hispaniam Ordine S. Birgittæ. Pag. 538

Aula.

Visio de tribus aulis, in quibus V. Marina videt, quomodo omnes à Deo ditemur, solúsque ipse sit, qui suis creaturis benefacit. 270 & 271
Aula aurea instar sacrarij, in qua Deus inclusam habebat V. Marinam. 640
V. Marina videt in quadam spatiosa aula deambulantes Angelos, suos contubernales. Pag. 641

V. Marina dncitur ad auream aulam è regione sui conclavis. 644

Quatuor Angeli, qui morabantur in aula aurea, permutant ad tempus stationem cum ijs, qui manebant in eadem domus contignatione cum V. Marina. 645

B

Beatitudo Beati.

Deus exhibet V. Marinæ gloriam, quâ fruuntur Beati. pag. 281. & 660

Effectus hujus visionis. 282

V. Marina videt in vultibus Beatorum, quasi guttam sanguinis Christi. ibid.

Aliàs videt insigniores Beatos assidentes mensæ, qui eam alloquuntur. 283

Ostenditur illi quasi in ictu oculi, in quo consistat Beatitudo. p. 284 Iterum, p. 285 atq; tum agnoscit quosdam Sanctos speciatim. ibid.

V. Marina videt diversos gradus gloriæ Beatorum, repræsentatos in quadam scala mystica. 290

Deus exhibet Virg. Marinæ Beatos, & magnam eorum claritatem. 301

Videt inæqualitatem gloriæ Beatorũ. 302

Deus ducit V. Marinam singulari quodam modo ad societatem Beatorum. 307

Quantopere desideraverit permanere cum Sanctis. 621

Qui salvantur sunt instar unius, respectu eorum, qui damnantur. 320

V. Marina videt inæqualitatem gloriæ Beatorum, dum legunt librum mysticum sapientiæ. 542

Videt quoq; in cœlo Christum D. instar boni Pastoris, & Beatos instar Ovicularum. 657

Videt Beatos cum insignibus peculiarium donorum. 236

S. Benedictus.

S. Benedictus cum reliquis Ordinum Religiosorum Patriarchis visitat V. Marinam. Pag. 424

Queritur de V. Marina, eò quòd non conversetur, cum suis duabus neptibus, quæ profitebantur ejus Regulam. 427

Colloquium S. Benedicti cum V. Marina, de facultatibus, quas possidebat. ibid.

S. Bernardus.

S. Bernardus gratias agit V. Marinæ pro monialibus, promotis ad ejus Ordinem. 425

S. Bernardus solatur V. Marinam. 428

Adfert illi cingulum, quod est symbolum Castitatis. ibdid.

S. Birgitta & ejus Ordo.

Christus Dominus exponit V. Marinæ, gratum sibi fore, si fundaretur in Hispania Ordo S. Birgittæ adaptatis ejus regulis ad mores nationis Hispanicæ. 533

Dominus dicit V. Marinæ, sibi placere, ut quædam persona (quam ei nominat) fundet Conventum, hujus Ordinis, exstruendum Vallisoleti: quantúmq; id facere interfit illius personæ, ut salvetur. 534

S. Augustinus visitat V. Marinam, loquiturque cum ea de fundatione hujus Ordinis in Hispania, pro qua illi assignat tres suas Moniales. 535

V. Marina videt in pectore Christi Domini regulas à se scriptas, pro monialibus S. Birgittæ. 536

Dominus illi exhibet formam annulorum, quos gestare debent hæ ipsius sponsæ: & S. Cosmas & Damianus ei talem annulum adferunt. ibid.

B. Virgo illam vestit scapulari, & præcingit cingulo monialium S. Birgittæ. 537

Solatur Dominus V. Marinam, occurrente ipsi difficultate, in fundatione Ordinis, dicitq; illi, quòd, si moriatur, priusquam hunc videat fundatum, omnia sint servanda, quæ ipsa disposuit in Regulis. 538

Dominus jubet V. Marinam dicere cuidam personæ, in quam ipsa ob id collimaverat, ut in se suscipiat fundationem Conventûs S. Birgittæ. 539

Quanti Deus faciat Ordinem S. Birgittæ, & quam hæc Sancta fuerit addicta Beatissimæ Virgini. ibid.

Cum V. Marina dubitaret de forma habitûs S. Birgittæ, apparuit illi Sancta eo vestita, cum Deipara, quæ hujusmodi habitum ferebat convolutum. ibid.

S. Christophorus visitat V. Marinam, dicitq; illi, quòd sicut ille transtulit Deum Infantem in suis humeris per flumen, ita ipsa debeat inferre in hæc Regna Ordinem S. Birgittæ. 540

Dominus solatur V. Marinam desolatam, eò quòd videret in nihilum recidere ea, quæ disposita fuerant pro hac fundatione. ibid.

S. Bonaventura.

S. Bonaventura petit à S. P. N. Ignatio, ut permittat V. Marinam se obstringere voto obedientiæ præstandæ suo Confessario. [illegible]

S. Bonaventura communicat V. Marinam [illegible] Pag. [illegible]

S. Bonaventura recenset V. Marinæ virtutes S. Francisci, præsente eo sancto. 417

S. Bo-

S. Bonaventura invisit V. Marinam cum S. Francisco, & proficiscitur cum illa ad videndum corpus ejusdem Sancti. 419

V. Marina rogat S. Bonaventuram, ut ei communicet, ex sua scientia, lumen, ne patiatur illusiones. Et Sanctus illi dat annulum. 426

S. Bonaventura redarguit V. Marinam ob incuriam, quòd non commendet Deo ipsius Religionem. ibid.

Impertitur illi benedictionem. 421

V. Marina videt Sanctum qualis fuerat infans. 422

Colloquium S. Bonaventuræ cum V. Marina, quomodo dæmon possit simulare allocutiones Divinas. 560

C

Calix.

Christus Dominus, admirantibus Angelis, perfudit sanguine V. Marinam, evacuato calice. 302

Dominus mittit V. Marinæ calicem, quem ipsa exosculatur. 319

Castitas.

V. Marina se obstringit Voto Castitatis, agitq; circumspectè etiam cum ipsis Angelis & Sanctis. p 56. & 57

Deus non permittit, ut V. Marina à diabolis tentetur contra castitatem, neq; ut illi repræsentent ullas fœditates. 56

V. Marina offert Deo tria mystica dona, quorum unum est symbolum castitatis. 428

V. Marina renuit, propter suam verecundiam, loqui cum quibusdam Angelis, eò quòd venirent vestiti instar adolescentulorum. 511

Catena.

S. Michaël imponit in collum V. Marinæ catenam auream. 258

Christus Dominus exornat V. Marinam torque aureo. 494

Deus mittit V. Marinæ catenam, quæ est symbolum SSS. Trinitatis. 633

V. Marina videt Angelos quadam veluti catenâ conjunctos, & ipsa unitur Deo. 643

V. Marina videt mysteria Passionis, & multa alia, in admirabili quadam catena. 644

S. Catharina Senensis.

Hæc sancta visitat ac solatur V. Marinam. Pagina 426

Alijs duabus vicibus invisit S. Catharina V. Marinam, & quidem semel adducens secum tres sui Ordinis moniales. ibid.

Iterum illam visitat cum B. Virgine. 440

Et dicit ei Sancta, Beatissimam Dei Genitricem fuisse immunem à peccato originali. ib.

Christus Dominus.

Mysteria Vitæ Christi sunt singillatim in sua litera, ùt in SS. Nativitas, & similiter cætera.

Christus D. subscribit chartam vacuam, quam dat V. Marinæ, ut in ea scribat, quidquid petere voluerit à Divina ejus majestate. Pag. 65

Christus Dominus sanat V. Marinam, cingendo ipsam quadam Zonâ. 81

Christus D. desponsat sibi V. Marinam: & effectus hujus desponsationis. 91

Eandem desponsationem reddit Christus D. sequentibus annis perfectionem, in pereleganti templo, cum raris gratiarum circumstantijs. 92

Christus D. dat V. Marinæ nummum, in quo sunt mysticè expressa merita Divinæ ipsius majestatis. 110

Christus D. castigat quandam negligentiam V. Marinæ. 137

Christus Dom. comparet V. Marinæ instar Regis omnium rerum creatarum. 186

Reddit illam Christus Dom. certam de sua gratia, ad bene utendum Divinis ejus favoribus. 211

Christus Dom. adhibet V. Marinam eidem mensæ cum SS. Apostolis. 212

Manifestatur Virg. Marinæ ingens beneficium meritorum Christi Domini. 267

Virg. Marina agnoscit divinitus merita Christi Domini, ùt Redemptoris omnium. Pag. 271

Christus D. descendit ex cœlo in conspectu totius Curiæ cœlestis, ut attingat cor, labia, & frontem V. Marinæ, ubi relinquit tres pretiosos lapides. 273. & 274

Ipse Christus D. explicat omnibus suis Sanctis, hunc mysticum favorem. 274

Dum SSS. Trinitas amplectitur Christum Dominum, V. Marina agnoscit potestatem, quam Divina ipsius majestas habet super omnia creata. 292

Christus D. ostendit V. Marinæ Crucem, quam ipse gessit in sua anima ab instanti suæ conceptionis, & gloriam, quam ex eodem momento habuit. 313

Christus D. obambulat in cubiculo V. Marinæ, & quâ occasione. 336

Christus D. integrâ unâ nocte solatur V. Marinam. 352

Ingens amor Christi Domini erga suas sponsas. 589

Christus

Christus D. communicat V. Marinæ magnam cognitionem suæ Divinitatis & Humanitatis. 636

Christus D. invisit V. Marinam cum magna majestate. 662

Alij favores Christi Domini reperientur quasi in omnibus hujus Indicis dictionibus, ac inprimis in mysterijs ipsius Vitæ.

Circumcisio Christi Domini.

V. Marina videt mysterium Circumcisionis. 168

Propter sanguinem, quem in Circumcisione Christus D. profudit, apparet V. Marinæ in specie Infantis ornatus cimelijs. 169

Claves.

Angelus dat V. Marinæ in cœlo clavim. 265

Ejusdem clavis significatio. ibid.

S. Petrus ponit clavim cœli intra V. Manam. 372

S. Dominicus fruitur in cœlo honore clavis aureæ. 401

Christus D. dat V. Marinæ clavim, confertque unâ extraordinarium favorem. 464

Deus dat V. Marinæ clavim sui cordis 626

Discrimen hujus favoris, & chartæ vacuæ à Christo D. subscriptæ. ibid.

Cœlum.

V. Marina videt solennitatem cœlestem in festo Nascentis Christi. 161

Rursum ducitur ad cœlum, ut interfit eidem solennitati, ubi videt cœlestes Palatinos. Pag. 176

V. Marina ducitur ad cœlum in festo Ascensionis, & Christus D. illam thesauris ditat mysticis. 210

Iterum ducitur ad cœlū eodem festo. 215

Aliàs ab Angelis ducitur in festo Ascensionis ad cœlū, quod cum ipsis perambulat. 221

Spiritus Sanctus ducit V. Marinam ad cœlum, ubi diu spectat ipsius divitias. p. 230 & pag. 231

In quodam cœlo mystico datur V. Marinæ specialis cognitio Dei. 257

V. Marina ducitur ad cœlum per scalam similem scalæ Jacob. 260

Deus ducit V. Marinam ad cœlum, ubi videt mirabilia. Pag. 264. & 265

V. Marina descendit ex cœlo, postquam ascendisset per quosdam gradus ad magnam altitudinem. Pag. 266. & 267

V. Marina videt suam animam in cœlo lucidissimam. 286

Dum V. Marina est in cœlo, vult explorare quid ibi fiat intra elegantissimam quandam aulam. Et quid viderit, quidq; ei acciderit, dum eo desiderio teneretur. 291

V. Marina in cœlo adest Processioni. 295

V. Marina habet ad portam cœli notabile colloquium, ut eò ingrediatur, cum Angelo, qui eam ipsi occluserat. 304

Ad cœlum non pervenitur per commoditates. 311

Angeli ducunt V. Marinam ad cœlum, oneratam cruce, ac ad locum, qui ipsi in eo erat paratus. 316

Quid contigerit in cœlo V. Marinæ, dum illic adesset cuidam Processioni. 328

Aperiuntur V. Marinæ in quadam afflictione cœli, sicut S. Stephano. ibid.

Christus D. ducit V. Marinam ad cœlum, descendentibus Angelis instar nivis, & quanto veniant ad comitandum Dominum in hac specie. 519

V. Marina ducitur ab Angelis & SS. Virginibus ad cœlum per quoddam mare, donec perveniat ad pedes Christi. 610

Angeli ferunt V. Marinam ad cœlum in sella. 624

Angeli præsentant in cœlo Virg. Marinam Deo, & mirantur ipsam à Divina majestate ditari. 633

Angeli rursum ducunt V. Marinam ad cœlum. 635

Christus D. fert Marinam ad cœlum in specie oviculæ. 638

Deus ducit V. Marinam ad cœlum, ubi illam gratijs cumulat, obstupescentibus Angelis. pag. 659. & rursum pag. 660

Communio Eucharistica.

V. Marina convalescit tribus vicibus ex febribus per sacram Communionem. 7

V. Marina habebat ingentem famem communicandi quotidie, & Deus interdum miraculosè satisfecit desiderijs. 60

Diabolus est conatus varijs tentationibus V. Marinam abstrahere à Communione. 63

Communiones spirituales V. Marinæ ex manu S. P. N. Jgnatij, & S. Dominici, sunt innumerabiles, ideóq; nonnullæ solùm speciales referuntur; quales sunt tres trium Festorum Nativit. Christi, ex manibus S. Dominici, S. Jgnatij, & S. Bonaventuræ. p. 163. & 164

Christus D. communicat V. Marinam ex Ciborio, quod ipse adfert. 165

V. Marina ducitur ab Angelis, ut communicet in regio S. Benedicti templo Vallisolet. 20. Pag.

Et post aliquot annos illi dicunt, fuerint hic ius in spiritu, an non. ibid.

S. Do-

S. Dominicus communicat V. Marinam. Pag. 222. & pag. 404. Iterúmq; tribus vicibus. ib. & pag. 405

Aliàs Christus D. communicat V. Marinam. pag. 226

V. Marina videt Christū D. sese penetrantē eum sacerdote, qui ipsam communicat. 242

Christus D. communicat V. Marinam spiritualiter. pag. 243. Rursum pag. 294

S.P.N. Jgnatius communicat V. Marinam stipatus Angelis. 389

S. Dominicus communicat V. Marinam in suo sacello S. Pauli, Vallisoleti. 401

Rara gratia à Christo D. collata V. Marinæ, ut liberet quatuor animas ex Purgatorio, quoties confessa fuerit & cōmunicaverit. p. 463. Et quomodo intelligenda sit ista gratia. 465.

Deus concedit V. Marinæ, quòd, quotiescunq; cōmunicando oraverit pro quopiā peccatore, sit illū conversurus, & salvaturus. 500

Conceptio Immaculata Deiparæ Virginis.

Dæmones malè tractant V. Marinam, eò quòd sit addicta Immaculatæ Conceptioni. Pagina 135

S. Anna dicit V. Marinæ, B. Virginem esse conceptam sine peccato originali. pag. 143 Et audit musicam Angelorum, celebrantium Immaculatam Conceptionem. ibid.

Deipara dicit V. Marinæ, quòd illam amet propter ejus devotionem, erga suam Conceptionē, quòdq; ob eandem causam plurimùm diligat quosdam sibi ab illa cōmendatos. 144

Exhibetur V. Marinæ mysterium Immaculatæ Conceptionis. ibid.

Ostenditur illi puritas Conceptionis Virgineæ profecta à meritis Christi Domini. 147

Deus illuminat V. Marinam in quadam admirabili visione, de Immaculata Conceptione Virginis. 150

SSS. Trinitas intuens puram Conceptionem Deiparæ, dicit illi: Tota es pura & munda, Anima mea, & macula non est in te. pag. 155

B. Virgo tradit parvulum JEsum V. Marinæ, dicendo illi, quòd per ejus sanguinem fuerit præservata à peccato originali. 164

Dominus dicit V. Marinæ, ut omnibus, quibuscum agit, suadeat devotionem erga purissimam Conceptionem MARIÆ. 186

V. Marina ex occasione cujusdam gratiæ sibi præstitæ à Deo, rogat illum, ut declaretur, Conceptio B. Virginis fuisse immunis à peccato. 215

Angeli concinunt in festo Ven. Sacramenti laudes, in honorem illibatæ Conceptionis Marianæ. 243

V. Marina rogat S. Josephum, ut obtineat à Deo, quo declaretur mysterium hujus Conceptionis. 369

Deus declarat V. Marinæ per quandā similitudinem, quomodo præservaverit B. Virginem à peccato originali: idēmq; illi exhibet in duabus nubibus. 434

Beatissima Virgo exponit V. Marinæ, quòd fuerit ab æterno præservata ab originali peccato, atque id pluris à se fieri, quàm quòd fuerit Mater Dei. ibid.

Virg. Marina jubetur à Deo scribere Regi Philippo II. gratiarum actorias, pro eo, quod præstiterat in hono em Immaculatæ Conceptionis Virgineæ. Et literàs dictat Angelus, quas ipsa scribit. 435

Scribit etiam P. F. Dominico Pimentello jubente Deo, de hoc mysterio. pag. 436. Et P. Generali Ordinis Prædicatorum, quod fuit valde gratum Divinæ majestati. ibid.

B. Virgo gratias agit V. Marinæ propter obsequium sibi præstitum in cultu suæ Conceptionis. pag. 437. Jubētq; illam quibusdam indicare idem mysterium. ibid.

Eadem ipsi dat pretiosum donum in gratiarum actionem. 438

Aliàs illi ob hoc ipsum dedit coronam. ib.

Et rursum pretiosum torquem. 439

Quid ei de hoc mysterio dixerit S. Thomas de Aquino. 439

S. Catharina Senensis dicit V. Marinæ, B. Virginem caruisse culpa originali. 440

Duæ mirabiles visiones de multis Religiosis ex Ordine S. Dominici, propugnantibus Immaculatam Deiparæ Conceptionem. 441

Sermo à S. Jldephonso dictus de hac Jmmaculata Conceptione. 442

Quare Deus revelet V. Marinæ hoc mysterium, velitq; id ab ipsa publicari, cum posset hanc veritatē inspirare summo Pontifici. ib.

Visitatio S. Dominici & S.P.N. Jgnatij concernens hoc mysterium. Et S. Dominicus agit V. Marinæ gratias pro eo, quod in illius cultu præstitit, jubētq; illam dicere suis Religiosis, præstandas esse à Deo gratias colentib' Imaculatam Conceptionem. p. 443. & p. 444

Eadem de causa ipsi gratias agit S. Jgnatius. 444

Iidem duo Sancti illi dant rosas significantes veritatem Jmmaculatæ Conceptionis. ib.

Mirabilis Visio cujusdam Religiosi Dominicani, qui publicè defendit Immaculatam Conceptionem. 445

Qualem se Deus exhibuerit V. Marinæ eo fine, ut alijs manifestaretur veritas ejusdem Mysterij. 446

Admiranda repræsentatio hujus mysterij. pag. 447. & ejus expositio. ibid.

B. Virgo amplectitur V. Marinam, & alios eò quòd defendant ipsius purissimam Conceptionem, jubétq; id illã dicere suis notis. 448

Dominus dat V. Marinæ florem, eò quòd crediderit Conceptionem Immaculatam sanctissimæ ipsius Matris. ibid.

Angeli canunt de Immaculata Conceptione coram imagine B. Virginis, quam V. Marina habebat in suo conclavi. ibid.

Laudes Angelorum deprædicantium idem mysterium. 450

Concionatores.

Queritur Deus V. marinæ, quòd pauci admodum Concionatores quærant profectum animarum. 305

Confessarius.

Confessarius Virg. marinæ fuit ex Societate JEsu P Dominicus de Samanjego. pag. 5. & P. Andreas de Leon. pag. 6. & P. Didacus Perez. p. 10. & P. Franciscus de Lara. ibid. & P. Petrus de Leon. p. 12

V. Marina videt ferri ad cœlum animam P. Petri de Leon. 113

Deus manifestat V. marinæ suam voluntarem de Confessario, per quandã visionem. 21

V. marina reprehendit seipsam, eò quòd vellet suo Confessario referre visionem, in qua illi Deus ostenderat statũ ipsius animæ: & quid ei hac super re dicat Divina majestas. 280

V. Marina agnoscit quatuor suos Confessarios, dum comitarentur S.P.N. Jgnatiũ. 390

B. Virgo respondet V. marinæ interroganti, quid actura esset, si ipsius Confessarius dubitaret de gratijs, quas ei Deus præstabat. 454

Tria, quæ habere oportet Confessarium, seu Patrem spiritualem, regentem animas, quas Deus specialiter dignatur suis alloquijs & visitationibus. 550

Quantopere Deo displiceant illusiones elevationum, & rerum apparentium, quantúmque eas debeant examinare Confessarij. 564

Qualis esse debeat Confessarius, ut prosit animabus, quibuscum agit. 585

Quomodo illis debeat suadere continuam orationem. 587

Confessarij, qui regunt animas incedentes vijs extraordinarijs, non debent alieno esse animo ab ijsdem vijs, dum illas agnoscunt esse securas. 588

V. Marina videt in quadam visione omnes suos Confessarios ex Societate JEsu. 676

Deus jubet V. marinam conscribere omnes gratias à Divina ipsius majestate susceptas (qua de re fusè agitur in Introductione) tamen absq; directione Confessarij. 678

Angeli significant V. Marinæ ingens premium à Deo dandum ejus Confessario, propter scriptum hunc vitæ ipsius librum. 682

Confessarius V. marinæ ex Ordine S. Dominici. *Vide.* Religiosi S. Dominici.

Confidentia.

V. Marinæ magna erga Deum confidentia, in ijs, quæ petebat à Divina majestate. p. 64. & Pag. 658

Cor.

Vide. Vulnera.

Christus D. ostendit suum cor V. marinæ. Pagina 47

Virg. Marina videt suum cor in manibus Christi D. pag. 109

Et in eodem videt aliâ vice poni istam inscriptionem: Hic hospitatur JEsus. ibid.

Christus D. vulnerat cor V. Marinæ. 119

V. marinæ cor transfigitur ad eum modum, quo id factũ fuit Christo Domino. 125

V. marina videt super inscriptionem sui cordis JEsum in specie infantis dormientem, ac deinde virum magnũ, ac vigilantem. 163

Christus D. attrectat suâ manu cor V. marinæ. 273

Et relinquit in eo lapidem pretiosum, cujus significatio exponitur. 274

Angelus aufert cor Virg. marinæ, ut illud præsentet Christo Domino. 336

V. Marina videt tribus modis Deum in suo corde. 338

V. Marina offert Deo suum cor, exemptum ex ejus pectore ab Angelo. 345

V. Marina sæpe videbat in suo corde JEsum, postquam ipsum illi attulit S.P.N. Jgnatius. Pagina 381

Angelus jussu Dei configit cor V. marinæ tribus clavis. 665

V. marina jussit cor suum ferri ad templum Societatis JEsu. Si alibi sepeliretur. 673

Corona.

Angeli texunt V. marinæ coronam ex floribus. 71

Christus D. imponit V. marinæ coronam spineam. pag. 116. Et hanc aliàs V. marina videt floridam prodeuntésq; ex illa flores. 117

Aliâ vice videt V. Marina defluentem e suo capite, vulnerato ab ea corona, sanguinem, qui convertitur in quoddam velũ. 121

Rursum videt istam coronam, & se ornatam pretiosis lapidibus. 122

Aliàs illi imponitur corona. p. 199. Interúmq; coronatur ab Angelis. 221

Tam

Tres Personæ SSS. Trinitatis exornant V. Marinam tribus coronis. 280
Iterum Christus Dominus coronat V. Marinam. 289
Angeli imponunt V. Marinæ coronam spineam, absq; læsione. 314
V. Marina habet in cœlo coronam, quam Christus suscipit in suas manus. 352
V. Marina accipit à Domino coronam, & alia ornamenta. 329
V. Marina affixa cruci gerit coronam spineam. 318
V. Marina videt in manibus Angelorum coronam auream. p. 645. & rursum. 646
Spiritus Sanctus coronat V. Marinam. 661
Idem facit Christus Dominus. 663

SS. Cosmas & Damianus.

Hi duo Sancti visitant V. Marinam, & solantur illam suis donis. 295
Iterum ijdem Sancti invisunt V. Marinam, & ferunt ipsi annulum. 536
Iidem Sancti colloqvuntur cum V. Marina de gratijs, quas illi Deus exhibet. 537
Atque in hac visitatione videt V. Marina, quomodo dæmones excrucient Tyrannos, qui hos Sanctos affecerunt martyrio. ibid.

Crux.

Vide. Afflictiones.
V. Marina fuit in suis initijs à Deo exercita varijs internis crucibus. 26
Dum Christus D. præparat V. Marinam pro afflictionibus, dicit illi, quòd sit promerita coronam suæ crucis. 113
Christus D. ponit crucem supra cor V. Marinæ. 116
Angeli imponunt jussu Dei, crucem Virg. Marinæ. p. 128. Et aliàs ipsam collocant in alia cruce. 129
Virgo Marina se deprehendit crucifixam, & Angeli ipsi dicunt, utrumnam in spiritu, an secus peracta fuerit ista crucifixio, eò quòd senserit dolorem exteriorem. 130
Angeli affigunt cruci manus & pedes Virg. Marinæ, vulnerantq; ejus latus lanceolà. 131
Iterum illam crucifigunt. 132
Christus D. benedicit crucem, quam illi offert V. Marina. 43
V. Marina jussa à Deo invenit crucem in suo pectore, in qua cruce erat cor, quod offert Divinæ Majestati. 264
Deus explicat V. Marinæ in quadam visione viam crucis, quam illa bajulat. 309
V. Marina onusta cruce ascendit usque ad cœlum, adjuvante ipsam illius Angelo. 311
V. Marina amplectitur animosè crucem, quam ei Deus mittit per Angelum. pag. 313
Rursúmque videt aliam crucem. ibid.
V. Marina ascendit ad cœlum collocata in uno brachio crucis, cujus alterum brachium occupat Christus Dominus. 314
V. Marina affixa uni crucis angulo, ascendit, virtute Divinâ, ad cœlum. 318
Eidem cum Christo Domino affixa cruci ascendit ad cœlum. 315
Horribilis visio, in qua Christus D. declarat Virg. Marinæ, paucos reperiri sectatores crucis. 321. & 322
V. Marina amplectitur cum magno fervore crucem, cujus chalybeis cuspidibus compungitur, ut complectatur Deum. 324
V. Marina videt multas cruces in aëre, quarum aliquas accipit. Et exponitur earum significatio. ibid.
Angelus signat V. Marinam varijs crucibus, ungendo illam pennâ aureâ in fronte, penes os, & in pectore. 342. Idque factum fuit nomine Christi Domini. 690
B. Virgo signat V. Marinam crucibus, adhibito liquore quodam cœlesti. 440
V. Marina ponitur à Deo ad crucem, obstupescentibus Angelis. 617
S. Dominicus efformat crucem in pectore V. Marinæ. 619
S. P. N. Jgnatius format crucem in fronte, ore, & pectore V. Marinæ. 669. Idémq; facit aliàs S. Dominicus. 670
Exhibetur V. Marinæ crux in cœlo, quam ipsa multis annis toleraverat. 669

D

David.

S. Rex David visitat V. Marinam. 363
Invisit illam aliâ vice, quâ ipsum Christus D. honorat tanquam Patrem. ibid.
V. Marina videt S. Regem Davidem in convivio mystico, dum suam coronam deponit ad pedes Divinos, gratiásque Deo agit, quòd ipsi dederit cognitionem sui peccati. Pag. 612

Defectus.

Deus castigat defectus V. Marinæ, admonendo illam, simúlq; cumulando gratijs. 48
Quomodo ipsam, Deo volente, castigaverint Angeli ob defectus, quos committebat. Pag. 49. & 50
V. Marina rogavit ardenter Deum, ut eam liberaret à quocunq; defectu. 43
V. Marina elicit fructum ex suis defectibus. 44

Desiderat, ut eos Deus puniat. 46
Punitur ob defectum, commissum in modo, quo certa esse voluit de quodam Divino favore. 96
V. Marina monetur à suo Angelo Custode de quodam quasi defectu; quem ex sua humilitate commiserat, dum visitaretur à nonnullis sanctis. 225
Defectus Virg. Marinæ, post quendam Dei favorem, videntur esse extra animam ipsius. Pagina 275
Defectus V. Marinæ in nimiùm refugiendis Divinis favoribus, ejusdémq; punitio. 289
Quid illi de hoc defectu dicat Christus Dominus. ibid.
Quid Christus Dominus respondeat Virg. Marinæ de quibusdam defectibus, quos illa metuebat. 314
Virg. Marina petit à Deo veniam defectuum. 335
Quid Dominus dicat S. Josepho de quodam defectu, propter quem vehementer angebatur V. Marina. 368
Quid Dominus respondeat V. Marinæ afflictæ propter suos defectus, eò quòd illi toties concederet divina Majestas peccatorum plenarias indulgentias. 424
Virg. Marina videt, quomodo Dominus aboleat defectus suorum servorum, in mirabili visione. 426
Signum perfectæ virtutis est, elicere fructum ex defectibus. 545
Dominus respondet V. Marinæ afflictæ, eò quòd sibi videretur habere multos defectus. Pagina 598
Afflictam eâdem causâ solatur Angelus. Pagina 621
Quid dicat Dominus V. Marinæ, dum sibi videtur scatere defectibus. 635
Indicantur V. Marinæ in mysterio exigui defectus inæstimabilium ipsius operum. 637
Certam illam reddit Dominus, quòd in suis afflictionibus non commiserit defectus coram Divinâ ejus Majestate. 654

Deus.

Vide. Animæ.
V. Marina videt modo quodam singulari attributa Divina. 51
Communicatur V. Marinæ extraordinarium lumen ad cognoscendam Divinam Naturam. 249
Anima V. Marinæ ter immergitur in mari Divinitatis. ib. & p. 250
Dum illi idem favor exhibetur, agnoscit divinum esse, cum magna claritate. ibid.
Hæc eadem cognitio communicatur Virg. Marinæ cum pluribus circumstantijs, dum se illi Deus videndum exhibet instar vitrei fluminis. 251
Deus illi inspiravit, ut describeret hanc visionem. 252
V. Marina cognoscit Deum tertiò, crescente per singulas vices cognitione, in quibusdam fulgetris mysticis. 254
Communicat V. Marinæ lumen cœleste ad cognoscendum Divinum esse, cujus luminis calor ac splendor postea multis horis durat. Pag. 255
Quales fuerint hæ visiones, an similes ijs, quas habent Beati: & quid hac de re V. Marina responderit suo Confessario. ibid.
V. Marina cognoscit extraordinario modo Deum, in vultu quodam quasi solis. 257
Alius hujusmodi favor præstitus V. Marinæ in exhibita ipsi catena, quâ unitur cum Deo. Pag. 273
Videt tres Divinas Personas repræsentatas in tribus speculis. ibid.
V. Marina videt in quibusdam castellis attributa Dei. 267
Præterea arcana divinæ providentiæ erga homines. 268
Deus circumdat annulo aureo collum V. Marinæ. 296
Deus dicit V. Marinæ, quod dixit Moysi: Ego sum, qui sum, & hoc est nomen meum. Pag. 332
Signa, quæ V. Marina conscripsit ad discernendum spiritum Dei. 549
Signa, ex quibus cognoscitur Deus per viam internæ cognitionis. 555
Nonnulla indicia, ex quibus dignoscuntur veræ Dei allocutiones. ibid.
Quantopere Deo displiceat tepiditas, cum qua nonnulli loquuntur de gratijs, quas Deus præstat suis servis. 565
Deus V. Marinæ, causam, ob quam illi exhibet gratias, hanc assignat, quòd sit ejus sponsa. 629
De desponsatione autem ista agitur. 227
Aliâ vice ipsi Angeli hanc eandem causam assignant, divinarum gratiarum. 657
Deus docet V. Marinam in visione, quod ex semetipsa sit pauperrima, & omnia, quæ habet, sint Dei. 63
V. Marina, dum ipsi Deus quendam eximium favorem præstat, vult cum eo manere, & is ipsi confert magnam cognitionem sui Divini esse. 64
Vehementia V. Marinæ desideria fruendi Deo. 655

Ostem-

Ostenditur illi invisione ingens meritum horum desideriorum. ibid.
Deus dicit V. Marinæ, ut ab eo petat confidenter, quidquid voluerit. 579
Docetur V. Marina, quomodo sit intelligendum, concedendum ipsi à Deo, quidquid petierit. 580

Diabolus.

Vide. Tentationes.
Diaboli persequuntur V. Marinam, variè sese transformando, defendente ipsam Deo, & Angelis ejus. 69
Diaboli illam præcipitant ad flumen Vallisoleti ex ponte, tribus vicibus. 73
Expurgant cubiculum V. Marinæ, jussu Angelorum. 135
Præcipitant ipsam ex colle ad fluvium, cujus profluente fuit delata ad mare. 139
Diabolus vexat ter V. Marinam in specie tauri, & ipsa tandem sensu destituta cadit ad brachia Angeli. 179
Christus Dominus corripit diabolum præsente V. Marina. 212
Christus Dominus confert V. Marinæ in lapide pretioso fortitudinem contra diabolos.
Diabolus persequitur V. Marinam triginta diebus, & vincitur. 314
Cùm V. Marina videret multos dæmones in suo conclavi, consolatur eam Deus, ostendendo ipsi Angelos, qui illi assistebant. 346
Diabolus vult in specie simiæ diruere domum V. Marinæ: sed abigunt illum Angeli. Pagina 358
Deus monet suos Angelos, coram V. Marina, de tribus malis, quæ dæmones volebant inferre hominibus. 359
Christus D. castigat diabolum severitate sui aspectûs, propter blasphemiam dictam V. Marinæ coram Divina Majestate. 368
Diabolus vult decipere V. Marinam, quæ divinitus edocta cognoscit ipsius alloquium. Pagina 372
Diabolus corruit in specie tauri, vulneratus à V. Marina spiculo, quod illi dederat Angelus. 477
V. Marina ducitur ab Angelis quodam die ad forum, dum agerentur Taurilia: cujus adventum valde ægrè ferunt dæmones. 504
Dum Christus D. scribit quoddam promissum V. Marinæ, fugiunt ex ejus conclavi diaboli. 595
Quantopere diabolus sit persecutus V. Marinam. 596
V. Marina videt conflictum Angelorum cum diabolis. 538
Permissu Dei obtegit diabolus V. Marinæ quadam nebula mysterium concernens gloriam B. Virginis, id quod ipsam vehementer afflixit, donec ea nebula, Deo disponente, dissiparetur. 652
Dum Angeli ferrent V. Marinam ad cœlum, diaboli volunt hunc ejus ascensum impedire, sed frustra. 662
Diabolus excruciavit V. Marinam magnis doloribus per aliquot dies. 664

S. Dominicus de Guzman.

Religiosi S. Dominici. *vide* Religiosi.
V. Marina videt S. Dominicum in specie puelli amabilissimi. 99
S. Dominicus invisit V. Marinam, subvenitq; ejus necessitatib° per suos Religiosos. 101
Visitat quoq; illam cum alijs Sanctis, quorum nomine loquens ei significat, quòd sit salvanda. 165
Visitat ipsam cum S. P. N. Jgnatio, & uterque sanctus fert insignia mutuæ unionis, atq; ejus, quam cupiunt reperiri inter suos filios. Pagina 222
S. Dominicus commendat V. Marinæ Societatem JEsu, ut pro ea oret Deum. 306
S. Dominicus ascendit ad cœlum, sequentibus ipsum Sanctis ex Societate, & S. Jgnatius cum comitatu Sanctorum ex Ordine S. Dominici. 398
S. Dominicus & S. Jgnatius aperiunt in quadam visione V. Marinæ portas cœli. 310
S. Dominicus extollit magnis laudibus S. Jgnatium, coram V. Marina. 381
S. Dominicus & S. Jgnatius se præbent spectandos V. Marinæ, ac tum notabile quiddam accidit, quoad consociationem ordinum, quorum sunt fundatores. 397
Deus manifestat V. Marinæ magnam sanctitatem & gloriam S. Dominici. 401
V. Marina ducitur à S. Dominico & S. Jgnatio ad summum sacellum, in templo S. Pauli. ibid.
S. Dominicus est ex Sanctis, qui gerunt clavim auream. ibid.
V. Marina videt S. Josephum & S. Dominicum, quæ visio plena fuit mysterijs. 402
S. Dominicus comparet V. Marinæ cum S. Thoma, præstátq; illi quendam favorem. Pagina 403
Rursum illi alium favorem exhibet in sua Ecclesia S. Pauli. 404
Alius favor ipsi præstitus à S. Dominico, unaq; à S. Petro, & S. Jgnatio. ibid.
Iterum, comitantibus illum S. Bonaventurâ & S. Jgnatio. 405

V. Marina videt S. Dominicum in cœlo assidentem cuidam mensæ, & sanctus illi aliquid inde donat. pag. 402. & rursum 407.

V. Marina videt in suo Oratorio festum, quod celebratur in honorem S. Dominici, auditq; admirabilem sermonem S. Thomæ de Aquino deprædicantis laudes sui sancti Patris. 403

Ejusdem laudes decantant Angeli. ibid.

Mirabilis apparitio S. Dominici, in qua V. Marina videt divinum spiritum super caput Sancti. ibid.

S. Dominicus ducit V. Marinam ad cœlum, ut videat Sanctos ex ejus Ordine. 406

Dat illi florem. 407

V. Marina videt S. Dominicum insolito modo resplendentem, quasi transfiguratum. Pagina 408

V. Marina videt Processionem Beatorum Religiosorum S. Dominici, à quo sibi audit aliquid dici. 409

Colloquium S. Dominici cum V. Marina super verbis Christi Domini: Ego faciam vos fieri piscatores hominum. 410

S. Dominicus superat charitate alios Sanctos. 411

V. Marina videt in quadam supplicatione S. Dominicum benedicentem suo Conventui S. Pauli, sed non Refectorio, nec absq; causa. ibid. & pag. 412

S. Dominicus reprehendit V. Marinam, eò quòd tepidiùs afficeretur erga ejus Ordinem. 413

Non placuit S. Dominico quidam sermo dictus in ejus festo, & quare? ibid.

S. Dominicus dicit, se à V. Marina accepisse quinq; cimelia, & quam ob causam? Pagina 425

V. Marina ducitur ab angelis, ad consequendas Indulgentias, die S. Dominici, in ipsius Conventu. 440

Sanctum certamen S. Dominici cum S. Jgnatio, utri priùs loquendum sit, in quadam visitatione V. Marinæ. Tandem autem loqvutus est S. Dominicus. 443

S. Dominicus agit gratias V. Marinæ, pro honore exhibito B. Virgini in eo, quod scripsit de illius Conceptione. ibid.

Dum S. Dominicus visitat Virg. Marinam cum cæteris Patriarchis Religionum, apprecatur ipsi nomine omnium felicia festa. 507

S. Dominicus petit à V. Marina, ut commendet Deo ejus ordinem, præsertim ut bene procedatur in Capitulis. ibid.

S. Dominicus invisit Virg. Marinam cum multis Sanctis sui Ordinis. 619

S. Dominicus & S. Jgnatius præbent Virg. Marinæ in quadam quasi repræsentatione sacrum viaticum. 670

Iidem sancti ipsam signant crucibus, ungentes eam pretioso quodam liquore, ad illam confortandam. 671

Dona mystica.

Deus cumulat Virg. Marinam donis mysticis. 208

Spiritus Sanctus promittit Virg. Marinæ, quòd ipsam ditaturus sit suis donis. 220

Adferuntur V. Marinæ quatuor dona. 228

Deus ponit quoddam donum in pectore V. Marinæ. 262

Dat illi Deus pretiosum lapidem. 269

Christus D. dat V. Marinæ tres lapides pretiosos. 274

Et aliud donum, quo remuneratur ejus patientiam. 314

Accipit mirabile donum à Domino. 335

Præterea aliud quod est cor Christi Domini, vel illud significat. 336

Effectus alterius doni, quod illi dat Christus Dominus. 338

Angeli adferunt V. Marinæ dona mystica. Pagina 345

Gratiæ in illis à Deo per eosdem Angelos præstitæ. ibid.

Mirabile donum, quod S. Gabriel adfert V. Marinæ, & ipsius demissio in eo suscipiendo. 348

Donum à S. Dominico allatum V. Marinæ. Pagina 409

Donum, quod V. Marinæ dat S. Ludovicus Rex Galliæ, & aliud illi datum à S. Francisco Seraphico; aliud quoq; à S. Bonaventura. 420

Aliud præterea ipsi donum dat S. Antonius de Padua, atq; aliud Sanctus Frater Juniperus. 421

Donum cujusdam vestis, quâ Dominus induit V. Marinam. 577

Tria dona, quæ SSS. Trinitas dedit Virg. Marinæ, & eorum significatio. 623

E

Ecclesia Catholica.

V. Marina videt in quadam visione communicationem Ecclesiæ Triumphantis cum militante. 227

Videt quoq; figuram Ecclesiæ militantis in admirabili curru. 299

Visio admirabilis, in qua V. Marina videt quomodo Angeli defendant Ecclesiam. 358

V. Marina orat Deum pro Ecclesia, justis S. Josephi. 371

Repeta-

Repræsentantur V. marinæ in quadam visione admirabiliter media, quæ suppetunt Ecclesiæ, pro salvandis hominibus, & quàm isti malè illis utantur. 478

Ecclesia obtinet victoriam de hæreticis, per preces V. marinæ, id quod ipsi Deus ostendit. 484

Exhibetur V. marinæ fons, qui est symbolum Ecclesiæ. 639

Effigies.

V. marina intelligit ex Christo Domino, qualiter pingendæ sint effigies ipsius & imagines, si aliquando pictæ fuerint. 198

Epistola.

Vide. Religiosi & Conceptio.

V. Marina scribit epistolam Philippo II. Regi, dictatam ab Angelo. p. 435. Et aliam eidem Regi. ibid.

Scribit aliam epistolam P. Francisco Dominico Pimentello. p. 436. Et aliam P. Generali Ordinis Prædicatorum. ibid.

V. marina mittit Deo epistolam per Deiparam. 441

Epistola, seu scheda, quam scripsit suo Confessario de zelo animarum, quem in se experiebatur. 509

Equus.

Diabolus conatur efficere, ut V. marinam prosternant jumenta, quorum pedes quasi miraculosè evadit. 106

Ad preces V. marinæ sistit eqvus effrenatus. Pagina 521

Evangelistæ.

V. marina videt in triumpho Christi D. triumphantis propter suam Passionem, quatuor Evangelistas in figura quatuor mysticorum animalium. 216

Aliâ vice ipsos eundem in modum videt trahentes in cœlo currum, cui insidebat Christus Dominus. 292

V. marina videt unum ex Sanctis quatuor Evangelistas canentem in missa Evangelium. 876

F

Flores.

Angeli ferunt V. marinam ad cœlum in lecto referto floribus. 277

V. marina colligit in cœlo flores, qui collecti convertuntur in gemmas. 288

V. marina post quandam afflictionem confortatur odore florum. 319

V. marina decerpit, jussu Christi Domini, quinq; flores. 327. Horum significatio exponitur. 328

S. P. N. Jgnatius promittit V. marinæ mysticum fasciculum florum. 380

S. Dominicus illi dat florem. p. 407. Iterum. p. 444. Christus D. dat tres flores Virg. marinæ. 448

Deus ipsi mittit florem, quo significabat illam esse desponsatam Divinæ ejus majestati. Pag. 628

Et V. Marina respondet huic tanto favori. Pagina 629

V. marina videt in cœlo cumulum florum, significantem bona desideria justorum. 635

Angeli spectante Virg. Marina, spatiantur per floridum pratum, non absque mysterio, quod explicatur. 636

Angeli adferunt V. marinæ mirabiles flores. 642

Dominus ducit V. marinam per arduam semitam ad pratum floridum, ac jubet illam decerpere quinq; flores, quos divina majestas benedicit. 647

Fluvius.

Vide. Diabolus.

V. marina videt fluvium mysticum. 251

Alium fluvium videt in cœlo, ex quo bibit pro suo libitu. 265

Angeli ducunt Virg. marinam in curru ad vastum quendam fluvium. 301

V. Marina abripitur cujusdam fluvij fluctibus, atq; elevatur. 327

Videt in ripa fluvij patientes quasdam animas. 462

Videt fluvium, qui repræsentat mortem. Pagina 475

Dominus ducit V. Marinam ad amœnissimum fluvium, ut eam recreet. 518

Angeli recreant V. Marinam in fluvio. 610

Fœminæ.

Plures fœminæ sunt devotæ quàm viri. Pagina 309

V. marina videt pauperem fœminam, quæ sola crucem Christi, in quadam regione, est amplexata. 321

V. Marina videt plures fœminas in cœlo, quàm viros. 290

Quidam propter nimium amorem suæ uxoris luit pœnas Purgatorij. 467

Deus revelavit V. marinæ, quandam fœminam esse salvatam, quæ destituta usu linguæ obijt absq; prævia confessione, & pro qua oraverat V. marina. 470

Fons.

V. marina videt fontem mysticum. 246

Dominus ducit V. marinam ad amœnissimos fontes, ut illam recreet in afflictione. 518

Fons

Fons admirabilis, quem Deus offert V. Marinæ in ipsius cruciatibus, quæ tamen magnopere hujusmodi solatia refugiebat. 609
Angeli ducunt V. Marinam ad fontem, ex quo desideraverat bibere. 610
V. Marina bibit aquam in mystico quodam Convivio. 611
Angeli illam ducunt ad fontes. 612
Angeli fabricant fontem in conclavi Virg. Marinæ. 639

S. Franciscus Seraphicus.

Ejus filij. *vide.* Religiosi.
V. Marina visitata à S. Francisco præsefert raram circumspectionem, propter quendam ipsius gestum. 57
In festo Nascentis Christi, quo illam invisit, exhibet ipsi Sanctus sua stigmata. 164
V. Marina videt S. Franciscum in cœlesti gloria, & petit sibi à Deo communicari ipsius humilitatem. 286
Aliàs illum videt cuntem eum cruce post Christum, qui etiam bajulat crucem. 320
S. Franciscus venit cum Christo Domino ad visitandam V. Marinam. 363
Dum V. Marinam Sanctus invisit, illa osculatur pedem ejut sinistrum, in quo videt vulnus instar pulchræ rosæ. 414
Exprobrat illi Sanctus defectum concernentem ipsius Religiosos. ib. Et curat ipsam à dolore capitis orto ex hac reprehensione. ib.
V. Marina videt suum nepotulum cum S. Francisco, & propter preces hujus populi Sanctus illi ostendit suum in cœlo locum valde altum. 415
Videt rursum eundem sanctum onustum cruce, quæ significabat grandem afflictionem internam, quam ille toleraverat in vita. ib.
Deus communicat V. Marinæ modo quodam rarissimo merita, & Spiritum Sancti Francisci. 416
Angeli ducunt V. Marinam ad videndum corpns S. Francisci. 416
Deus exponit V. Marinæ virtutes Sancti. Pagina 417
S. Franciscus ducit V. Marinam ad videndum suum sacrum corpus. 418
Dat illi donum significans paupertatem spiritùs. 420
Sanctus illi aliquid nuntiat nomine Dei, & ipsa renuit illum audire. Sanctus quoq; non vult repetere, quod ei nuntiaverat, propterea quod priùs se ab ipso abstraxisset. 423
Corpus S. Francisci setraxit pedem, quem V. Marina volebat osculari Assisij. ibid.
Mirabilis visio, in qua S. Franciscus quaritur de V. Marina, eò quòd nulla monialis, ipso agente, accessisset ipsius Ordini. p. 425 et quomodo ipsa cuidam Virgini procuravem dotem, ut ejus Ordinem ingrederetur. pag. 426. Quantiq; id sanctus fecerit. ibid.
S. Franciscus solatur V. Marinam, ostendendo illi sua stigmata. 603

S. Franciscus Xaverius.

Deus exhibet Virg. Marinæ spectandum S. Franciscum Xaverium, & ejusdem triumphum. 399
S. Franciscus Xaverius comparet V. Marinæ in alia visione notabili. 400
In alia visione illi dat Sanctus quandam cœlestem, lipsanothecam. ibid.
Solatur illam cum S. P. N. Jgnatio. ibid.
Rnrsus illam visitat. 423
Comitatur ipsam ad Conventum usque Assisiensem, ut consequatur Indulgentias Portiunculæ. ibid.
S. Franciscus Xaverius loquitur cum V. Marina de corona precatoria, cujus Indulgentias ipsi confirmaverat Christus Dominus. 471
Est Socius S. Jgnatij invisentis V. Marinam. 676

D. Franciscus Sobrinus.

V. Marina videt D. Franciscum Sobrinum Episcopum Vallisoletanum jam in cœlo gloriosum. 432
Venerabilis hic Episcopus comparet Virg. Marinæ gloriosus, loquitúrque cum illa de Conceptione Beatissimæ Virginis. 442

Fructus.

Exhibenrur V. Marinæ septem fructus mystici. pag. 611. Exponitur eorundem significatio. 612
Angeli adferunt V. Marinæ multos fructus ex Divino quodam horto. 612
Adferunt V. Marinæ Angeli etiam conviculum fructuum, quos illi mittit Deipara virgo. 613

G

S. Gabriel Archangelus.

Deus committit V. Marinæ punitionem diaboli, qui illam fuerat persecutus, & ipsi suum jus cedit S. Gabrieli. ib.
S. Gabriel punit dictum diabolum. ibid.
Colloquium S. Gabrielis cum quinque Angelis assistentibus V. Marinæ. ibid.

Colo-

Colloquium ejusdem cum V. Marina, cui ab illo offertur quoddam donum Dei. 348

S. Gabriel adstitit Beatissimæ Virgini, ut illi inserviret jam inde ab Immaculata ipsius Conceptione. ibid.

S. Gabriel agit Ducem in solennitate cœlesti, celebrata in honorem Angelorum Custodum. 350

Sanctus idem Archangelus mittitur à Deipara ad V. Marinam, ut illi annuntiet, gratum ipsi fore, si vacaverit Exercitijs spiritualibus pro more Patrum Societatis Jesu. 24

Gloria cœlestis.

Vide. Beatitudo.

Quidam Angelus confert cum V. Marina de cœlesti gloria. 354

S. Dominicus explicat V. Marinæ, quomodo ubiq; Sancti Cœlites fruantur sua gloriâ, qua de re illa ipsum ex cœlesti inspiratione interrogaverat. 401

Nonnulli jam fruentes gloriâ cœlesti venerunt ad invisendam V. Marinam. 432

V. Marina agnoscit gloriam, quâ fruuntur duæ ejus Sororculæ, quæ obierant in infantia; duæ item ipsius neptes. 464

Consideratio gloriæ quam speramus. 573

V. Marina videt locum sibi paratum in cœlesti gloria. p. 602. Et iterum. 614

Ostenditur V. Marinæ per mysticas significationes, quantum in cœlo valeant opera ac desideria Justorum. 635

V. Marina videt modo speciali sedem eminentiorem, quæ illam in cœlo manet. 656

Singularis favor præstitus V. Marinæ in cœlo. pag. 659

H

Hæretici.

V. Marina videt multos Hæreticos confusos coram sanctissimo Sacramento Eucharistiæ. 175

Exhibetur V. Marinæ symbolicè in visione status Hæreticorum. 477

In alia visione illi repræsentantur Hæretici, dicti Illuminati. ibid.

Victoria, quam Ecclesia retulit de Hæreticis, repræsentata V. Marinæ, eò quòd fuerit obtenta per ejus preces. 485

Hispaniæ Regnum.

Quid Dominus aliquando dixerit V. Marinæ de peste grassante in Hispania. 480

Et quomodo Divina Majestas ad intercessionem V. Marinæ, imminuerit pœnam, quam fuerat Regno Hispaniæ comminata. Pag. 487

Colloquium V. Marinæ cum Deo, an aliquando defectura sit vera fides in Regno Hispaniæ. ibid.

S. Jacobus Apostolus dicit V. Marinæ, ut commendet Deo Hispaniam, & ejus Regem Philippum III. 507

V. Marina sanat filiam Regis Hispaniæ. Pagina 521

Humilitas.

Vide. Timores.

V. Marina suscipiebat humiliter gratias Divinas, referuntúrque aliquæ visitationes Christi Domini, in quibus ipsa summo pudore afficiebatur. p. 30. & 31. 32. 33. 34.

Christus D. significat V. Marinæ per Angelos, quòd in cognitione sui ipsius superet alios Sanctos, majores in alijs virtutibus. 34

V. Marina conjunxit affectus cognitionis propriæ, cum affectibus amoris. 35

Ex animi demissione ægrè ferebat apparentes Dei favores. 36

V. Marina in extraordinarios favores, cognoscit suam vilitatem, seque esse ancillam Dei. p. 94. & 121

Optat sibi efformari annulum, cujus hæc sit inscriptio: *Ancilla IESU Christi, mei Domini:* & fuit cælitus illuminata de constructione hujus annuli. Curat eundem fieri ex consilio sui Confessarij, & Christus D. illum ipsi ostendit in quadam visione. 96

Venerabilis Marina Angelos coram illa cantantes, vocantésque ipsam in cantu sponsam Christi Domini, corrigebat, dicendo se Ancillam. 187

Ejus humilitas in quodam favore Spiritûs Sancti. 227

V. Marina docetur, quàm oporteat esse humilem animam in suscipiendis Divinis gratijs. 267

Humilitas V. Marinæ in describenda quadam extraordinaria gratia Dei. 275

V. Marina queritur, se à Deo tot cumulari favoribus. 277

Humilitas illius dum ipsi ingens quædam præstatur gratia. pag. 306. & pag. 308. rursum. 317

Animæ agentes cum Deo debent esse humiles. 506

Consideratio propriæ vilitatis. 571

I.

Jacob Patriarcha.

Lucta V. Marinæ cum Deo, similis luctæ Jacob. pa. 260. Et alia. 261

Angelus refert V. Marinæ, quid huic Patriarchæ evenerit cum Rachel & Lia, accommodatq; historiam Christo Domino. 354

IESUS.

Ejus nomen. *Vide.* Nomen JESV.
JEsu Societas. *Vide.* Societas JEsu.
JEsus Infans. *Vide.* Nativitas Christi.

S. Ignatius de Loiola.

Vide. S. Dominicus.
V. Marina petit à Deo canonizationem S. P. N. Jgnatij, quam petitionem Divina Majestas exaudit. p. 66. & 83
V. Marina videt S. Jgnatium cum S. Francisco Xaverio in Sacello Collegij Vallisoletani dedicato Deiparæ Lauretanæ. 81
Videt S. Jgnatium primâ vice, & ubi, atq; quali occasione? 83
Sanctus dicit V. Marinæ loquenti de ejus canonizatione, ne de illa verba faciat. ibid.
S. Jgnatius manifestat V. Marinæ, in tribus specialibus eventibus, curam, quam gerit de suis filijs. Pag. 84. & 85
Alijs duabus vicibus eam laudat, quòd amet obedientiam. p. 86. & 87
Aliàs illi adducit quatuor Angelos, qui ipsi assistant. 87
Communicat illam spiritualiter. 149
V. Marina videt in manibus S. Ignatij, & S. Dominici crucem. 325
S. Ignatius & S. Dominicus comparent V. Marinæ, loquuntúrq; illi de unione Ordinum à se fundatorum. p. 397. & 398
S. Ignatium sequuntur Sancti ex Ordine S. Dominici, & hunc Sancti ex Societate. 398
S. Ignatius venit cum Christo D. ad invisendam V. Marinam. 346
Dum Dominus alijs Sanctis mandat, ut visitent V. Marinam, non mandat id S. Ignatio. & quare? 364
V. Marina videt S. Ignatium in pluviali referto nominibus IEsu. 378
Deus permittit, V. Marinam terreri à diabolo, ut sit intenta visitationi S. Ignatij. 379
V. Marina videt in pectore S. Ignatij impressum nomen IEsu, & in eo sanctissimum Puerum IEsum. ibid.
S. Ignatius adfert V. Marinæ, sanctissimum Puerum IEsum, qui cor ipsius intimè pervadit. 381
V. Marina videt S. Ignatium in cœlo cinctum suis Filijs. p. 384. Et impertitur illi suam benedictionem. ibid.
V. Marina divinitus illustrata cognoscit prærogativas S. Ignatij. 386
S. Ignatius suscipit admirabili modo V. Marinam in suam filiam. 387
DEus mittit S. Ignatio chartam vacuam subscriptam, ut disponat de termino vitæ V. Marinæ, tanquam suæ filiæ. 391
S. Ignatius assignat V. Marinæ causam, cur illam non tam frequenter visitet, quàm consueverat. 392
Sanctus se illi exhibet spectandum quasi tristem, propter persecutiones suæ Societatis. pag. 393 Exponitq; ipsi, quid boni inde resultaturum. 394
Sanctus assistit sacro in Oratorio V. Marinæ. ibid.
Gratias illi agit, quòd fuerit afflicta ob persecutiones Societatis. ibid.
Responsum à S. Ignatio datum V. Marinæ, de mutando situ cujusdam Collegij Societatis. Pagina 395
Aliud responsum concernens dimissionem Religiosorum, consuetam Societati. ibid.
S. Ignatius ægrè fert, quosdam egredi ex Religione. 396
Quomodo S. P. N. Jgnatius specialiter ait Pater V. Marinæ, & quid hac de re illi dixerit S. Dominicus. 443
S. Jgnatius rogat V. Marinam, ut commendet Deo Societatem. 597
S. Jgnatius, *vide.* Societas JESU, floreat Crux.

Ignis.

Angeli traducunt V. Marinam per quendam ignem. 131
V. Marina ardet mystico quodam igne, simili ei, quo arsit rubus Moysis. 161
Videt Deum instar ignis, unitq; se cum eo. Pagina 260
Videt S. Dominicum circumdatum igne. p. 406. Et ingreditur hunc ignem, ut perveniat ad Sanctum. 407
Dominus ter Virg. Marinam manu apprehensam ducit per quendam ignem. p. 496. & quid hoc significet? 497
Virg. Marina videt ignem in cœlo. 636
Quid iste ignis significet? ibid.

Illusio.

Dum V. Marina solicitatur ne patiatur illusiones, reddit illam Deus certam, quod nulli unquam creaturæ, quam duxerit per viam extraordinarias, contulerit majus donum amoris, quàm ipsi. 72
Diabolus voluit V. Marinæ illudere, sed frustra. 372

V. Ma-

V. Marina loquitur, jussu Dei, Confessario, de quadam persona, cujus spiritus erat falsus. Pagina 502

Diabolus potest simulare imagines, per quas se Deus communicat parti inferiori animæ: sed Deus illuminat animam, ut agnoscat ipsius fraudem. 557

Diabolus non potest per illusiones simulare omnia opera Dei. pag. 560. Et operatur in sola potentia imaginativa. ibid.

Quales illusiones pati consuerint spiritualibus exercitijs vacantes, & unde illæ oriantur. 563

Imago vide *Effigies.*

Incarnatio Verbi Divini.

Ostenditur Virg. Marinæ, quàm parvulus fuerit Christus Dominus recenter conceptus. Pagina 149

Aliàs illi exhibetur admirabiliter modus, quo hoc mysterium fuit peractum. 151

Rursum illuminatur, ut agnoscat idem mysterium, & Divinitatem Christi Domini. 152

Idem ipsi manifestatur cum pluribus circumstantijs, & quomodo fuerit decreta Incarnatio. 153

Videt sibi repræsentari in quibusdam Angelis mysterium Incarnationis. 273

Angeli recreantes V. Marinam decantant beneficia Incarnationis Divinæ. 610

Indulgentiæ.

Christus D. confirmat indulgentias, annexas quibusdam corollis precatorijs V. Marinæ. 470

V. Marina docetur, quanti facienda sit ista confirmatio. 471

Christus D. concedit V. Marinæ, ut consequatur Indulgentias, etiã multò minùs præstando, quàm pro earum consequutione præscripserit Summus Pontifex: atque dum miraretur hunc favorem satisfecit illi Divina ejusdem Majestas. ibid.

Dictum Angeli de quibusdam Indulgentijs à Domino Concessis V. Marinæ. p. 472.

Christus Dominus illi concedit Indulgentias, quotiescunque epulo fuerit refecta Evcharistico. 500

Vide Jubilæum Portiunculæ.

Infernus.

Exhibetur V. Marinæ spectandus infernus. Pagina 334

Et rursum, dum illam inviti ferunt diaboli in sella, comitantibus ipsam Angelis. 335 & Pag. 617

V. Marina patentibus inferni faucibus videt horribilia. 349

Deus illi ostendit infernum, & tormenta damnatorum. pag. 457. Et S. Michaël illi declarat causam hujus visionis. 458

Non est conforme spiritui Dei, revelare cuiquam ullum in particulari ex damnatis. 459

Christus D. difficulter damnat, quos sanguine suo redemit. 470

Ostenditur Vg. Marinæ corpus cujusdam peccatoris, quasi defuncti, & secundùm præsentem justitiam damnati, quem conatur non agnoscere. Additur causa, ob quam illi Deus exhibuit hoc spectaculum. 501

V. Marina dicit Deo cum magno fervore, quòd etiamsi sciret, se ab illo præcipitandam ad infernum, nihilominus ipsum amaret: quem actum Deus valde æstimavit. 605

Infirmi.

V. Marina privat se Angelorum Societate, ut invisant infirmos. 516

V. Marina sanat infirmam, tangendo illam, atq; etiam alios. 520

Quædam monialis convalescit per Rosarium V. Marinæ, quæ præterea sanavit duos, qui ruerant ex tecto, tangendo illos, id quod ipsi Deus inspiraverant. 521

Beatissima Virgo exprimit lac ex suis uberibus, in manus V. Marinæ, & jubet ipsam se conferre ad sanandam filiam Regis Hispaniarum. ibid.

V. Marina sanat infirmam jam extremùm unctam, solo contactu, & fugit ne id resciatur. ibid.

Inspirat illi Deus ut sanet quendam Religiosum Societatis, tangendo ipsius brachium, cujus erat usu destitutus: & renuens id facere, timet: Deus autem illam consolatur. 522 & pag. 523

Cùm ipsi idem inspiravisset Deus de alio Religioso Societatis, reprehenditur à Divina ejus Majestate, propterea quòd id non fecerit. Pag. 524

Angeli adferunt V. Marinæ vasculum continens duos liquores, ut illos benedicat: atq; ita restituuntur sanitati quidam infirmi, qui se commendaverant ejus precibus. 525

Orante V. Marina convalescit ægrota ipsius soror. ibid.

V. Marina adjuta à S. Angelo curat quandam infirmam. 615

SS. Innocentes.

Deus ostendit V. Marinæ unum ex SS. Innocentibus. 163

S. Ioachimus.

S. Joachimus visitat V. Marinam, cum Angelorum comitatu, manu ducens suam filiam Beatissimam Virginem in ætate puellari, quam collocat super ejus lectum. 143

Iterum ipsam illi similiter adducit. Et sancta Puellula blanditur suo sancto Patri, cujus brachijs stringitur. 146

Deus iratus populo Christiano placatur, intercedente S. Joachimo. 360. & 365

V. Marina videt S. Joachimum esse altioris staturæ, quàm Christum Dominum. 363

Christus Dominus obtestatur S. Joachimum, ut invisat frequenter V. Marinam. Pagina 364

S. Joachimus visitat V. Marinam, manetq; apud illam duodecim horis, & impertitur ipsi suam benedictionem. 364

S. Joachimus suscipit in quadam visitatione V. Marinæ puerum JEsum ad sua brachia, qui suo sancto avo tenerè abblanditur. 365

V. Marina est multùm cooperata, ut in Ecclesia celebraretur festum S. Joachimi. 366

Et Sanctus illi pro hoc obsequio donat pretiosum torquem. ibid.

V. Marina videt festum, quod in cœlo celebrarur in honorem S. Joachimi, ubi illum Christus Dominus vocat Patrem. ibid.

S. Ioannes Evangelista.

S. Joannes Evangelista visitat V. Marinam cum Deipara, & S. Petro. 371

Admiranda visio, in qua S. Joannes ostendit V. Marinæ statum perfectionis, quâ est prædicta. 373

V. Marina videt S. Joannem quasi viventem, atque suâ opinione, præditum corpore. Pagina 374

S. Jobus.

Deus respondet V. Marinæ propterea desolatæ, quòd non patiatur absque omni prorsus solatio, sicut passus fuit S. Jobus. 606

V. Marina videt S. Jobum in mystico quodam Convivio, in quo ille benedicit Deum, quòd ab eo ductus fuerit per afflictiones. 612

S. Josephus Sponsus Deiparæ.

S. Josephus assistit Virg. Marinæ, dum illam sibi desponsat Christus Dominus. 93

V. Marina videt S. Josephum in Bethlehemitico stabulo. 156

Aliàs illum videt in suo conclavi assistentem Deo recens nato, jubetúrq; ab ipso suscipere in brachia Divinum hunc pupulum. Paginæ 159

S. Josephus imponit in os V. Marinæ gemmas pretiosas. 169

S. Josephus dat V. Marinæ in stabulo Bethlehemitico cœlestem panem. 175

V. Marina videt S. Josephum cum Deipara itinerantem. 181

Christus D. obsecrat amanter ac reverenter S. Josephum, tanquam suum Patrem, ut frequenter invisat V. Marinam. 364

S. Josephus visitat V. Marinam, & considet in throno, in quo antea sederat Angelus. Pagina 365

Christus D. exhibet S. Josepho indicia amoris, visitans cum illo V. Marinam. 367

In eadem visitatione egit S. Josephus, provolutus in genua, gratias Deo, quòd sibi in Sponsam dederit sacratissimam Virginem. ib.

S. Josephus solatur V. Marinam. 368

Et visitat illam cum puero JEsu. ib.

B. Virgo dicit V. Marinæ, S. Josephum esse ex maximis Sanctis in cœlo, atque is ipsi aliquid donat. 369

S. Josephus porrigit V. Marinæ partem panis, quo Christus D. vescebatur in Nazareth. ibid.

Admirandæ S. Josephi prærogativæ naturales & supernaturales. 370

S. Josephus fundebat lachrymas in hac vita, considerando, quid esset passurus Christus Dominus. ib.

Idem Sanctus dat Virg. Marinæ pretiosissimum torquem. ib.

S. Josephus plurimùm sentiebat dolores Christi D. ob amorem, quo erga illum ferebatur. 371

Jubilæum Portiunculæ.

Deus confortat V. Marinam miraculosè, ut se conferat ad consequendas Indulgentias Portiunculæ, 422

Christus D. illi concessit has Indulgentias decumbenti in lecto. 423

V. Marina fertur ab Angelis per aërem ad Conventum Assisiensem, ut obtineam easdem Indulgentias, comitantibus illam S. Dominico, S. Francisco, S. Ignatio, S. Francisco Xaverio. Et fuerunt ei concessæ à Christo Domino. ib.

Christus D. concedit V. Marinæ dictas Indulgentias in singulos dies, quotiescunq; dixerit semel Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam, atq; ter versum Gloria Patri, &c. 424

Judicium extremum.

Repræsentatur V. Marinæ in visione extremum Judicium. 333

Justitia

Iustitia Divina & Humana.

V. Marina vidit Angelum habentem donum Justitiæ. 230

Justitia Divina se præbet spectandam V. Marinæ, offensam quibusdam populis. 239

Ostenditur V. Marinæ, quà ratione damnati puniantur à Divina Justitia citra condignum. 267

V. Marina videt Christum D. petentem à suo æterno Patre, ut mitiget indignationem suæ justitiæ, adversus populũ Christianũ. 483

Angeli illam jubent idem facere, & ducta ad cœlum assequitur, quod petit. ibid.

Dat illi Deus palmam cum ramis olivæ, ut sit columba adferens bonum nuntium. 484

Deus manifestat Virg. Marinæ indignationem suæ justitiæ. 493

Angeli docent V. Marinam in visione, quòd à Ministris Justitiæ solus Deus sit respiciendus. Pag. 639

L

Liber.

V. Marina videt in libro quodam mystico Divinas perfectiones. 256

Christus D. exhibet in libro multis Angelis & Sanctis, quasi notis arcanis descriptum totum decursum Vitæ V. Marinæ. 363

V. Marina jubetur à Domino scribere librum de virtutibùs. 541

Ostenditur à Deo Patre V. Marinæ liber, jubetúrq; in eo scribere. 604

Christus D. dat V. Marinæ librum, in quo illi applicat merita suæ Passionis. 625

Angeli conscribunt V. Marinæ librum ipsius afflictionum. 645

Mittitur à Deo liber mysticus P. Andreæ de Ponte, propter annotatas ab illo gratias, quas ipsa à Divina Majestate fuerat jussa conscribere. 679

Limbus.

Deus ostendit V. Marinæ linbum parvulorum, quos vidit quasi abstractos à sensibus. Pagina 457

S. Michaël illi exponit causam hujus visionis. 458

Comparet Virg. Marinæ nepos, qui erat in limbo. 459

Causa, ob quã is ipsi fuit à Deo ostensus. ib.

M.

S. MARIA Deipara Virgo, & Mysteria ejus Vitæ.

Beatissima Virgo plerumque comparebat V. Marinæ. 20

B. V. est quasi Patrona & Fundatrix Exercitiorum Spiritualium S. P. N. Jgnatij. 24

B. Virgo dicit V. Marinæ, ut petat quidquid voluerit: semper enim se intercessuram apud Filium. 77

Sanat suâ manu Virg. Marinam. 78

Aliàs, dum ipsam invisit, promittit se futuram ejus advocatam. ibid.

B. Virgo canit ad sublevandam V. Marinam. 79

Aliàs illi ostendit in quodam pulvillo mysticum strophium. ibid.

Ducit ipsam in spiritu ad suam Domum Nazarethanam. 80

Aliàs verò illam ducit corporaliter ad suum sacellum Lauretanum, quod est in templo Vallisoletano Societatis JEsu. Et V. Marina existimat ibi adfuisse B. Virginem cum corpore & anima. 81

B. Virgo sanat V. Marinam, imposito in ipsius caput suo velo. ibid.

Aliàs illi ostendit casulam, quam dedit S. Ildephonso. 82

Aliàs ei exhibet catenam auream. 122

Christus D. ostendit V. Marinæ in quibusdam cimelijs virtutes B. Virginis. 142

B. Virgo amplexatur V. Marinam, & apprecatur illi felicia festa. 155

Iterum illam amplexatur. 258

Ostendit ipsi suam Domum Nazarethanam, & in ea Infantem Deum, stipatum Angelis. 181

Liberat illam suo divino lacte à dolore capitis. 182

Præsentat ipsam æterno Patri. 263

V. Marina videt B. Virginem in throno superiore, quàm sint throni Angelorum. 273

Videt illam esse superiorem in gloria omnibus Sanctis. 290

Christus D. petit à B. Virgine, ut sæpe invisat V. Marinam. 364

B. Virgo amplexatur Virg. Marinam, manéteq; in ejus conclavi duodecim horis. 364

Parvulus JEsus suaviter abblanditur B. Virgini in quadam visitatione V. Marinæ. 365

B. Virgo visitat Virg. Marinam cum S. Petro, & S. Joanne Evangelistæ. 371

Adducit illi unam ejus neptem. 432

Angeli ferunt ad cœlum imaginem B. Virginis, quam habebat V. Marina. 448

V. Marina nuntiat nomine Dei B. Virgini, quòd propter ejus merita sit propitius populo Christiano. 481

B. Virginis gloria est major, quàm omnium simul Sanctorum. 542

B. Virgo amplectitur in cœlo V. Marinam. Pagina 659
Mittit quoddam nuntium V. Marinæ. 660
Angeli ferunt V. Marinam in sella ad cœlum, eunte simul Beatissimâ Virgine. 661

Conceptio.

Vide. Conceptio Jmmaculata Deiparæ Virginis.

Nativitas & Infantia B. Virginis.

Vide. S. Joachimus.
V. Marina videt B. Virginem, ut puellulam recèns natam. 142
Aliàs illam videt in eadem ætate inter brachia S. Annæ: & declaratur illi causa, ob quam B. Virgo fuderit lacrymas in sua infantia. ibid.
Aliàs eam videt similiter parvulam ornatissimam, in manibus verò SSS. Trinitatis titulum continentem ea verba: Tota pulchra es, &c. 143

Præsentatio.

V. Marina videt bis B. Virginem in ea ætate, quam habuit, cùm præsentaretur. p. 145 & pag. 146
B. Virgo exponit Virg. Marinæ, quomodo se occupavererit à die Præsentationis, usque ad diem Divinæ Incarnationis. 146

Annuntiatio.

V. Marina videt bis Annuntiationem cum suis circumstantijs: & B. Virgo illi explicat suam turbationem ac timorem. p. 147. & 148
Iterum videt hoc mysterium cum raris circumstantijs, præsertim illa, quòd Virgines binæ adorent in cœlo Deum, depositis coronis ex capitibus. 148
B. Virgo ducit V. Marinam ad locum in quo peractum fuit hoc mysterium. 151

Visitatio.

V. Marina videt B. Virginem quasi proficiscentem, ad visitandam S. Elisabetham. Pagina 154
Videt idem mysterium aliâ vice, & in eo colloquentem B. Virginem cum S. Elisabetha. Pagina 155

Partus.

Vide. Nativitas Christi.

Purificatio.

V. Marina videt hoc mysterium. 177
Videt illud iterum cum pluribus circumstantijs. p. 178. & rursum. 180
Die Purificationis fuit B. Virgini revelata mors Filij. 319

Solitudo.

B. Virgo se exhibet V. Marinæ spectandam in mærore suæ solitudinis: & propter ejus debilitatem, non permittit illam affligi sui aspectu. pag. 194

Mors & Assumptio.

V. Marina videt mortem B. Virginis: quâ ratione ea contigerit, & quòd ipsi datus fuerit, præcipuus post Christum in cœlo locus, atq; sanctissimum ipsius corpus, dum fuit sepultum, non attigerit terram. p. 448. & 449
V. Marina ducitur ad videndam solennitatem Assumptionis in cœlo. p. 450. Et alii vice audit Angelorum laudes, in ejus honorem. ibid.
Videt quoq; B. Virginem in hac ipsius solennitate. ib. Mittitq; per illam ad Deum epistolam. p. 451. Videt præterea, quomodo excipiatur in cœlo B. Virgo. ibid.
Deus remittit prædictam epistolam Virg. Marinæ 646

S. Maria Magdalena.

S. Maria Magdalena visitat V. Marinam, eum comitatu Angelorum, ducitq; illam ad pulcherrimum hortum, ac asserit ipsi, se nunquam adversus castitatem peccavisse opere, Pag. 374. & 375.

S. Martinus Episcopus Turonensis.

S. Martinus impertitur benedictionem V. Marinæ, quæ ducitur ab Angelis ad templum, ubi videt à dicto Sancto celebrari sacrificium Missæ, assistentibus ipsi loco Diaconi & Subdiaconi uno Apostolo, & uno Prophetâ. 376

Meditatio.

De varijs modis meditationis. *Vide* 23
Meditatio de cognitione sui ipsius. 572
Meditatio, seu consideratio Divinorum beneficiorum: & alia de exigua correspondentia creaturarum. 572
Alia de pœna, quam meretur malè respondens Divinis beneficijs. ib.
Alia de obligatione hominis ob beneficia Dei. 573
Alia de prœmio dando servientibus Deo. ibid.

S. Michaël Archangelus.

Deus ostendit V. Marinæ fortitudinem & potentiam S. Michaëlis. 394
S. Michaël illam ducit in spiritu ad cœlum, confortando ipsam. ibid.
S. Michaël illam ducit in spiritu ad cœlum. confortando ipsam. ibid.

V. Ma-

V. Marina videt S. Michaëlem ferentem vexillum, & vibrantes illud in cœlo Angelos in ipsius solennitate. 296

S. Michaël ducit V. Marinam ad cœlum in festo Omnium Sanctorum, ut ibi illi intersit. 297

Diaboli terrefiunt conspecto S. Michaële. Pagina 346

S. Michaël vincit dæmonem in conclavi V. Marinæ. ibid.

Adducit diabolum, qui fuerat persecutus V. Marinam, ligatum, ut ipsa illum pro libitu puniat. 349

Agit Ducem in festo, quod in honorem S S. Angelorum Custodum celebratur in cœlo. ibid. Et rursum. 358

S. Michaël ducit V. Marinam ad cœlum diverso prorsus modo ab eo, quo solebat duci, ut dubitaret fueritne eò translata cum corpore & anima. 383

Quid de hoc dubio fixerit Deus. 385

S. Michaël dedit quoddam cimelium Virg. Marinæ.

S. Michaël adducit ad conspectum V. Marinæ diabolum in specie bestiæ, occasione cujusdam sententiæ latæ à Sacra Inquisitione. Pagina 646

Defendit V. Marinam adversus diabolum. Pagina 664

Miracula.

Vide. Infirmi & Oratio.

V. Marina vivit miraculosè, & summopere aversatur omnia, speciem habentia miraculi. 36

Quantùm V. Marina caverit patrare miracula, & quomodo ad ejus preces substiterit equus effrenis. 521

Misericordia Divina.

Vide. Justitia.

Deus exponit V. Marinæ, opera ipsius misericordiæ esse plura, quàm Justitiæ. 480

Admiranda visio, in qua, petentibus à Divina Justitia, diabolis, ut destruat mundum, misericordia reijcit petitionem. 481

Propter preces V. Marinæ agit Deus misericorditer. 485

Moniales.

V. Marina videt in cœlo monialem, Sororem P. Ludovici de Ponte, & P. F. Andreæ de Ponte. 432

Monialis quædam convalescit ex periculosa infirmitate, per corollam precatoriam V. Marinæ. 521

S. Augustinus designat per modum inspirationis V. Marinæ tres moniales sui ordinis, pro fundatione Ordinis S. Birgittæ in Hispania. 535

Quomodo Sponsæ Christi debeant respondere ipsius amori, ita ut earum gaudium sit ipsius Crux. 590

V. Marina scribit Epistolam cuidam moniali, ut exequatur ardentia desideria, inspirata ipsi à Deo, consequendæ magnæ Sanctitatis. 591

Visio de clausura, quam observare oportet Sponsas Christi. ibid.

Et quanta fuerit clausura V. Marinæ. 592

Mors.

Deus manifestat V. Marinæ in quadam visione afflictiones, quas erat perpessura suæ morris hora. pag. 311. Eas tamen fore breves. ibid.

Deus edocet V. Marinam, quid sit passura in sua morte, & quomodo omnia sint habitura bonum exitum. 317

Deus approbat petitionem V. Marinæ, optantis mortem facilem. 326

V. Marina rogat Deum, ut ipsam ad se tollat, détq; ei mortem absq; doloribus. Et Deus illi respondet. 330

V. Marina cupit scire, quando sit moritura, auditq; à Domino, non expedire, ut id sciat. pag. 352. & 668

S. P. N. Ignatius pollicetur V. Marinæ, se illi adstiturum in ejus morte. 391

Deus dicit V. Marinæ, quòd moritura sit in brachijs suorum Angelorum, & anima ejus suscipienda à Divina ipsius Majestate. 668

Repræsentatur V. Marinæ diversimodè ejus mors. ibid. & pag. 669

Alia repræsentatio admirabilior. 672

Specialis visio, qualis futura sit ejus mors. Pagina 671

Exequiæ mysticæ, quas V. Marinæ celebrant Angeli. 673

Corpus V. Marinæ transferendum est post mortem antequam sepeliatur. 676

Mortificatio.

De mortificatione V. Marinæ *Vide.* Crux, Afflictiones, Vulnera, Diabolus.

V. Marina superaddebat suis infirmitatibus afflictationes corporis. 140

Angeli ei ostendunt vestem cuspidibus chalybeis horridam, quibus per multos dies invisibiliter fuit mortificata. Pag. 134. Et præsentant eandem vestè Christo Domino. ib.

Cru-

Cruciatus V. Marinæ fuerunt conjuncti cum continuis revelationibus & gratijs cœlestibus. 138

Deus magni facit anachoreticam vitæ austeritatem. 306

Mundus.

Vide. Peccata.

Deus queritur V. Marinæ de novis vanitatibus, quas indies mundus adinvenit. 305

Præterea illi ostendit, quàm sit mundus peccatis corruptus. 458

Videt mundanos affligi in suis vitijs, & multos damnari. 474

Christus Dom. ostendit V. Marinæ multa peccata mundi, & interrogat illam, quid facto sit facto sit opus? Exhibet ei quoq; fluvium, qui significat mortem. ibid.

Diabolus habet cruces, pro sibi servientibus in mundo. ibid.

Mundus repræsentatur V. Marinæ in specie nosocomij. 478

Deus solatur V. Marinam afflictam propter multa mundi peccata. 491

V. Marina rogat quàm instantissimè Deum, ut salvet omnes homines, qui sunt in mundo: & Deus illi respondet. 492

Deus donat V. Marinæ modo quodam mystico totum mundum, quem illa Deo reddidit. 634

N.

Nativitas Christi Domini, & Christus Infans.

V. Marina interest frequenter in stabulo Bethlehemitico mysterio Nativitatis. 156

Videt hoc mysterium cum singularibus circumstantijs, moratúrq; pluribus diebus in stabulo Bethlehemitico. ibid. & pag. 157

Videt aliâ vice idem mysterium. p. 158. Iterum ibid.

Tempore specialis cujusdam gratiæ accipit V. Marina Christum Dominum recèns natum in ulnas. 160

Quâ ratione V. Marina ter communicet quodam festo Nascentis Christi, æquiparente ipsam Deo, per hanc gratiam, Sacerdotibus. Pagina 162

V. Marina ducta ad cœlum in festo Nativitatis, videt mensem mysticam. 166

Ducitur à suis Angelis ad stabulum Bethlehemiticum, ubi videt mysterium Nativitatis, unàq; magnam hominum multitudinem ex omni statu. 175. & 176

S. Josephus dat V. Marinæ gemmas, quibus Deus ait, significari lachrymas Infantis JEsu, earúmq; merita. 161

V. Marina videt parvulum JEsum dormientem in brachijs Beatissimæ Matris, simúlq; contemplantem mysteria suæ vitæ. 183

Videt illum aliàs dulciter colludentem suæ Sanctissimæ Matri. p. 183. Et Sanctus Pupulus amplexatus est Virg. Marinam. ibid.

JEsulus illi comparet cum sua Sanctissima Matre, datq; illi quendam fructum trium colorum, symbolum trium virtutum. 184

Videt præterea JEsulum plorantem in ulnis suæ Matris, refertúrq; causa hujus ploratùs. 375

Christus D. dicit V. Marinæ, quòd cùm etiamnum esset infans, manifestaverit B. Virgini mysteria cœlestia. 185

V. Marina amplexatur Puerum JEsum in brachijs S. Joachimi. 365

Rursum videt JEsulum introeuntem in suam animam, pag. 214. & alia vice, 381

Etiam illum videt in dextra manu S. Ignatij. 381

Et aliàs in pectore ejusdem Sancti. 379

S. Ignatius illi adfert Sanctissimum Puerum JEsum. 394

Quale sit corpus Domini JEsu, quando se videndum præbet in specie infantis. 567

Navigantes.

Deus queritur V. Marinæ de avaritia navigantium propter sua lucra, qui obliviscuntur suarum animarum. 305

Peccata navigantium sunt multa, & Deus illis vehementer offenditur. 658

Nobilis.

V. Marina videt Virum Nobilem, qui solus Crucem est amplexatus in quadam regione, in qua illam defixerat Angelus. 332

V. Marina intellexit salvatum fuisse quendam nobilem, qui obierat in juventute. 459

Rescivit etiam salvatum esse alium nobilem Juvenem, qualem se & factis exhibuerat, ut propterea difficulter potuerit consequi salutem: quæ tamen difficultas fuerat superata bono quodam opere, quod per V. Marinam præstiterat. ibid.

Alius Juvenis Nobilis derepente interfectus salvatur, propter votum concernens V. Marinam, quo se Mater ejus obstrinxerat. ib.

Nomen IESU.

V. Marina videt S. P. N. Ignatium organum pluviali, quod erat plenum nominibus JEsu. 378

Videt etiam Nomen JEsu scriptum literis aureis, incinctum radijs in pectore S. Ignatij. 379

Pagina

Præ-

Præterea illud videt impressum ipsimet carni pectoris S. Jgnatij. ibid.
Angeli concinunt laudes S. P. N. Ignatij, eò quòd honoraverit Nomen IEsu. 380
V. Marina videt Nomen IEsu expressum intra circulum elegantissimum in manibus S. P. N. Jgnatij, atq; ipsummet IEsum. 381
Angeli obsignant libros nomine IEsu. 645

Numeri aurei mystici.

V. Marina in cœlo offert Deo quinq; nummos aureos, qui fingnificant quinque virtutes. 176
Deus dat viginti quatuor nummos aureos V. Marinæ, quorum significatio exponitur. Pagina 337
Hos nummos V. Marina dispertitur alijs per suos Angelos. ibid.
Datur V. Marinæ à Deo unus nummus aureus. 352
Angeli contubernales V. Marinæ, dant illi quatuor nummos aureos, dum ab illa discedunt, in pignus sui reditûs. 355
Angelus adfert V. Marinæ tres numos aureos, quos illa non vult acceptare, ne quidem ex manibus Christi Domini. pag. 622. Jubetur tamen à Domino illos suscipere. ibid.
Deus ditat V. Marinam multis nummis aureis. 630
Desideranti scire, quid ij significent non dicitur, & cur? ibid.
V. Marina videt nummum aureum in suo pectore, dum colloquitur cum Spiritu Sancto, & quid ille significet. 652

O.

Obedientia.

V. Marina se vult obedientiæ voto obstringere suo Confessario, adq; idcirco agit cum S. P. N. Ignatio. 90
Nuncupat votum obedientiæ limitatum, solam concernens paupertatem. ibid.
V. Marina petit sibi communicari à Deo obedientiam S. Dominici, dum eundem Sanctum videt in cœlo. 285
Obedientia exhibita Confessario, est probatio boni Spiritûs. 562

Oratio.

Vide. Somnus.
Dæmones conantur V. Marinam in ætate ejus puellari abstrahere ab exercitijs Orationis. 5
Ipsa tamen propter inspirationes, atq; gratias Divinas incipit ex toto animo se dedere Orationi mentali. 6
Diabolus tandem illi persuadet, ut deserat orationem, nè in ea patiatur illusiones. 8
Sed redit ad illam cum majore fructu. 9
Dat Deus V. Marinæ donum orationis, & quà ratione. 188
Orationes Justorum sunt gratæ Deo. 239
Deus concedit Virg. Marinæ, coversionem cujuscunq; peccatoris, pro quo oraverit. 485
Propter orationem V. Marinæ convertit Deus Divitem intricatum suis divitijs. 493
Et existentes in via damnationis, constituit in via salutis, 503
Deus irascitur cuidam peccatori, qui alios induxerat ad peccandum. V. Marina pro illo orat. Quid factum? ibid.
Angeli ostendunt V. Marinæ quodam die Tauriliorum, quendam periclitantem, spectato cursu ordinario, de salute, ut pro eo oret. 504
S. Jgnatius dicit V. Marinæ, orationes Justorum in terra degentium, sæpe plus à Deo obtinere, quàm Cœlitum. 507
Angelus solatur V. Marinam in quodam perdifficili causa, qui cuipiam evenerat, pro quo orabat. 532
Continua oratio est magnum judicium ad cognoscendum, per internam allocutionem, Deum. 555
Exponitur à Deo V. Marinæ varijs modis præstantia orationis. 578
Deus offenditur, quòd V. Marina dicat, se non obtinere, quidquid petit, cùm se res aliter habeat. 578
Explicatur, quomodo sit intelligendum, V. Marinam semper à Deo obtinuisse, quod petijt. ibid.
Bona Orationis mentalis. 580
Epistola de ejus utilitate scripta à V. Marina. 581
Deus exhibet Virg. Marinæ mysticè gradus orationis, per quos est progressa. 649

P.

Parentes Virg. Marinæ.

Parentes ejus sunt Doctor Jacobus de Escobar, & Domina Margarita Montana. Eorundem virtutes atque imprimis Patris. Pag. 1. & 2.
Uterq; Parens Virg. Marinæ fruitur Deo. Pagina 463
V. Marina videt cum S. P. N. Jgnatio suum Parentem, qui illam monet, ob incuriam in orando, pro quodam cognato, existente in Purgatorio. 467

Passio Christi Domini & eiusdem mysteria

Christus D. imprimit V. Marinæ dolores suæ Passionis. 130

Et reddit illam participem dolorum suæ Passionis, explicátq; ipsi, cur voluerit tantum pati pro hominibus, cùm minus ad eos redimendos suffecisset. 189

V. Marina videt Christum D. tristem & afflictum ante suam Passionem, propter ingratitudinem hominum. ibid.

Christus D. offert V. Marinæ instrumenta suæ Passionis. 190

V. Marina videt Christum D. sudore sanguineo perfusum in horto, & repræsentarur illi oblatio, quâ seipsum obtulit æterno Patri. ibid.

Videt illum præparatum ad flagella, & non permittitur ab ipso interesse huic tormento, quamvis ipsa id petat. 191

Aliâ vice adest flagellationi, tametsi non toto tempore, quo durat. 192

Virg. Marina videt Christum D. coronari spinis, cum speciali quadam circumstantia. ibid.

Videt ipsum eâ specie, quâ fuit productus ad populum. 6

Deinde onustum cruce: & cum illum ità semel intuetur, patitur præ dolore deliquium animi. 193

Videt etiam crucifixionem. 194

Aliàs videt Christum in quadam repræsentatione hujus mysterij, quasi per velum. Pag. 196

Aliàs illum taliter videt in spiritu. ibid.

Christus D. comparet V. Marinæ flagellandus, cujus aspectus illam magno dolore afficit. 197

Comparet illi in cruce, dicitque se ipsi eâ die dedisse unam guttam ex mari suorum dolorum. 198

V. Marina videt Christum Dom. in cruce perfusum sanguine, & animatur ab illo ad tolerantiam. ibid.

Christus D. crucifixus stringit, brachio suo refixo à cruce, collum V. Marinæ. ibid.

V. Marina videt Christum Dom. Crucifixum, dum carnifices attollunt crucem. 199

Dum V. Marina in quadam visione amplexatur pedes Christi crucifixi, perfunditur manante ex ijs sanguine. 201

Colloquium Christi crucifixi cum V. Marina. ibid.

V. Marina videt sepulchrum Christi. 205

Angeli exhibent V. Marinæ spectanda mysteria Passionis, facto initio à bajulatione crucis. 215

Exhibentur illi mysteria Passionis in facie hostia. 231

Dantur ipsi in cœlo dona, significantia Passionem. 238

Qui amplectitur Crucem, amplectitur Christum in ea suffixum. 313

V. Marina videt crucem Christi Domini. 318

Christus D. illi exhibet eam ipsam crucem, cui fuerat affixus. 323

Angeli adferunt V. Marinæ illos ipsos tres clavos, quibus Christus D. fuit crucifixus. Pagina 331

Christus D. ostendit V. Marinæ in quodàm castello infinitos thesauros significantes merita suæ Passionis. 449

Repræsentatur illi, quod Christus crucifixus est passus inter latrones. 482

V. Marina jubetur in visione à Christo D. refigere ipsum à cruce & sepelire. Deinde illi Dominus apparet resuscitatus. Qua in re ei repræsentantur peccata, quæ in certo negotio comittebantur. 504

Passio Christi D. exprimitur in linteo, quo extergitur sanguis & aqua, quibus V. Marina fuerat perfusa. 618

Applicantur à Christo D. merita Passionis Pagina 625

Actus resignationis, quo B. Virgo obtulit æterno Patri vitam sui filij, quando ipsi fuit revelata futura ejusdem Passio. 313

Pater æternus.

V. Marina præsentatur æterno Patri ab Angelis cum singularibus circumstantijs. 160

V. Marina videt, quomodo Pater æternus suscipiat suum Filium ascendentem ad cœlum. 215

In quadam visione cognoscit distinctionem Patris & Filij & Spiritûs Sancti. 277

Pater æternus donat V. Marinæ quoddam cimelium. 278

V. Marina videt in sinu Patris æterni Christum Dominum depositum ex cruce. ibid.

Videt Personam Patris in ejus Esse spirituali & in eadem Verbum Divinum, tanquam stellam lucentem instar solis. 279

Pater æternus bene precatur V. Marinæ. Pagina 380

Pater æternus comparet V. Marinæ quoad in specie corporea, ut jubet illam scribere in quodam libro sua desideria patiendi, & sequendi Divinam voluntatem. 504

Chri-

Christus D. præsentat V. Marinam Patri æterno tanquam oviculam, in qua sibi ille complacet. pag. 656. & 657

Patientia.

Vide. Afflictiones.

V. Marina excelluit in tribus gradibus patientiæ. 111

Deus remuneratur V. Marinæ patientiam in afflictionibus. 314

Pauperes & Paupertas.

Pauperes placent Deo. 242

S. Franciscus Seraphicus dat Ven. Marinæ quoddam donum, in signum, quòd ipsi communicet suam paupertatem spiritûs. 420

V. Marina ex amore paupertatis desideravit se spoliare suis facultatibus: & loquitur hac de re cum Fundatoribus Religiosorum Ordinum. 427

Deus offenditur defectu charitatis erga pauperes. 487

B. Virgo MARIA est addicta pauperibus. Pag. 506

Deus donat V. Marinæ vestem pretiosissimam, quia ipsa vestem dederat cuidam pauperi. 520

Peccata.

V. Marina recenset sua levia peccata, commissa in juventute. 4

Timuit committere vel levissimum peccatum. 43

Deus ostendit V. Marinæ multa peccata mundi. pag. 305. & rursum. 309

Propter mundi peccata petunt diaboli extraordinariam licentiam nocendi hominibus. Pag. 360

Repræsentantur V. Marinæ peccatores. 476

Peccata crucifigunt Christum Dominum. Pagina 506

Peccata navigantium sunt multa, quibus Deus graviter offenditur. 658

SS. Petrus & Paulus.

Beatissima Virgo veneratur S. Petrum, visitans cum illo V. Marinam, quam Apostolus curavit à dolore capitis. 372

S. Petrus recondit quandam clavim intra V. Marinam. ibid.

Fert V. Marinæ corollam precatoriam ad Christum Dominum, quod ipse bis manibus suis pertrectat, ac Apostolo reddit. 373

SS. Petrus & Paulus rogant V. Marinam, ut impetret certam gratiam pro Ecclesia. Et Beatissima Virgo illi dicit, passuros propterea detrimentum pauperes. 507

V. Marina videt S. Petrum dum legit librum Divinæ sapientiæ. 544

Pœnitentiæ Sacramentum.

Mirabilis visio V. Marinæ de Sacramento Pœnitentiæ, in qua ei ostenditur quomodo per illud purificentur animæ. 246

Summus Pontifex.

Deus ostendit V. Marinæ mysticè, quomodo Spiritus Sanctus assistat Pontifici. 226

Sancti quidam Pontifices visitant V. Marinam. 364

S. Petrus monet V. Marinam, ut commendet Deo summum Pontificem, qui tum erat Clemens VIII. 500

Portiuncula.

Vide. Jubilæum.

Prædestinatio.

Vide. Cœlum.

Deus certam reddit V. Marinam, quòd illam habeat scriptam in libro Vitæ. 54

Et Christus D. illi pollicetur vitam æternam. 595

Idem ipsi promittit aliàs per S. Dominicum. 165

Ostenditur V. Marinæ symbolicè, quòd sit salvanda. 200

Certiorem reddit illam Deus, quòd permissâ ipsi libertate arbitrij sit ab eo salvanda. Pagina 329

V. Marina videt suam prædestinationem in mirabili visione. 332

Videt quoq; paratum sibi in cœlo locum, inter undecim millia Virginum, valde vicinum Beatissimæ Virgini. 375

S. P. N. Jgnatius docet Ven. Marinam quomodo sit salvanda. 390

Promissio.

Vide. Oratio.

Deus promittit V. Marinæ, daturum se illi quidquid petierit. pag. 65. Et exponitur ipsi quomodo sit intelligenda hæc promissio. 67

Diabolus fatetur causam, ob quam Deus omnem V. Marinæ petitionem exaudiat. 346

Christus D. promittit scripto V. Marinæ, quòd ipsi daturus sit vitam æternam. 595

Proximi, & cum ijs conversatio.

V. Marina procurat ex Divina inspiratione bonum animarum, & quàm proficua fuerint ejus alloquia. 103

Diabolus conatur impedire conversationem V. Marinæ cum proximis. 106

Deus punit V. Marinam, quòd velit deserere conversationem cum proximis. 180

Deus remuneratur charitatem V. Marinæ erga proximos, admittendo, propter ipsius

Intercessionem, quandam afflictam personam ad mensam mysticam. p. 211. & 212

V. Marina amat impensiùs proximos, post perceptum quendam divinum favorem. 214

Elicit ex visionibus cœlestis gloriæ eum fructum, ut illam petat pro suis proximis. Pagina 281

Gratiosa visio, in qua ad ferventem V. Marinæ petitionem, Christus D. impertitur suam benedictionem multis. 496

Deus exponit Ven. Marinæ, quomodo illi assistat agenti cum proximis. 497

Deus manifestabat sæpe V. Marinæ statum eorum, qui cum ea conversabantur, ut illos juvaret. 502

Epistola V. Marinæ ad quendam Religiosum, desiderantem se abstrahere à conversatione cum proximis. 583

Quia V. Marina sibi in suis afflictionibus non videbatur posse benefacere proximis, solatur illam Deus. 600

Purgatorium & Animæ Purgatorijs.

Deus ostendit V. Marinæ Purgatorium, & pœnas, quas illic patiuntur animæ. 457

Causam hujus visionis illi exponit S. Michaël. 458

Pœnæ Purgatorij sunt horribiles, estq; gratia Dei, si in hac vita luantur pœnæ, aliàs ibi luendæ. 460

Singulæ animæ patiuntur, acsi prorsus essent solitariæ. 461

Visio de tribus animabus existentibus in Purgatorio, ob errorem commissum in adoranda SSS. Trinitate, ortum autem ex ruditate; cujus tamen eos pœnituerat. Fuitq; pœna proportionata culpæ. ibid.

Animæ Purgatorij sunt certæ de sua salute. 462

Gratiosum Colloquium V. Marinæ cum Christo Domino, intercedentis pro animabus Purgatorij. Et Divina Majestas multum fecit, propter ejus preces. ibid. & pag. 463

Octo animæ Purgatorij, pro quarum liberatione Christus D. dat schedas V. Marinæ. Quatuor erant animæ cognatorum V. Marinæ, quorum filijs defunctis in infantia, datæ fuerunt schedæ, pro eorum parentibus. 463

Aliæ quatuor Animæ, quarum liberationem commisit Deus arbitrio V. Marinæ: & hujus gratiæ executrices sunt duæ ipsius sorores, & duæ neptes. 464

Nonnullæ Animæ expiabant suas culpas extra Purgatorium, juxta quendam fluvium. 462

Deus concedit V. Marinæ, ut pro suo libitu liberet Animas ex Purgatorio, quotiescunq; fuerit confessa, & communicaverit. p. 464 & pag. 465

Cùm autem non posset confiteri, quotiescunq; communicabat, concedit illi Deus denuò, ut idem possit præstare, ter confitendo intra septimanam. 465

Exhibentur V. Marinæ à Christo D. in quodam globo Animæ liberatæ ab ipsa ex Purgatorio. ibid.

Quædam anima liberata precibus V. Marinæ ex Purgatorio, non tamen statim ingressa est cœlum. 465

Deus liberat novem Animas ex Purgatorio propter preces V. Marinæ, inter quas fuit Anima decennis pueri, cujus propter puritiam fuerant immemores degentes in hac vita. pag. 466

V. Marina ingressa quendam ignem liberavit Animam suæ, Cognatæ. 467

Liberat præterea Animas cujusdam sui Cognati, & Religiosi suis precibus. ibid.

Liberat etiam unam Animam suis communionibus. ibid.

Liberat Animam Sacerdotis, à quo multa bona susceperat, & aliam cujusdam Religiosi. ibid.

Aliam alterius Religiosi, qui etsi fuerit valde probus, luebat tamen propter defectus commissos in excipiendis confessionibus. Pagina 468

Angeli Custodes sunt soliciti de animabus Purgatorij. 469

V. Marina liberat duodecim Animas ex Purgatorio intra unam noctem, orando Rosarium, quod benedixerat Dominus. 472

Deus respondet V. Marinæ soliciæ, an in pertransitura Purgatorium. 657

R.

Regnum & Rex.

Christus D. dicit V. Marinæ, ut commendet Deo Regna Galliæ & Angliæ. 369

Ven. Marina commendat Deo necessitates Regnorum, & Deus illi respondet. 417

Ducitur ad videndum Regem quendam Infidelium, & alium Regem Hæreticum. 417

Ostendit Deus V. Marinæ Regna Infidelium & Hæreticorum, & illa petit à Divina Majestate eorum conversionem, inprimis omnium, deinde Angliæ; respondetque ei Deus. 417

S. Ludovicus Rex Galliæ visitat V. Marinam. 418

Idem Sanctus illi dat cimelium, quòd est symbolum amoris Dei. 420

Religiosi.

Vide. Purgatorium.

Religiosi impediuntur ab aditu cœli, quia concupiscunt res mundanas. 309

Provocant Deum suis ambitionibus ad iram. 360

Dæmon crucifigit Religiosos ambitiosos. Pagina 476

Modus Purgatorij trium Religiosorum, qui erraverant in fide, concernente mysterium SSS. Trinitatis. 461

Pœna cujusdam Religiosi in Purgatorio. Pagina 468

S. Dominicus ostendit Ven. Marinæ quendam Religiosum, qui sibi illum assumpserat in Patronum, & versabatur in periculo damnationis, ut pro ipso oret Deum. 508. & 509

Deus ostendit V. Marinæ circiter triginta Religiosos, damnatos propter suas ambitiones. 510

V. Marina obtinet à Deo, ut duo ex assistentibus sibi Angelis eant ad consolandum quendam infirmum Religiosum. 518

Quales oporteat esse Prælatos & superiores Religiosorum. 584

Religiosi S. Francisci.

Angeli revertuntur à defensione Religiosorum S. Francisci. 357

S. Franciscus dicit V. Marinæ, debere ipsam esse addictam suæ Religioni, eò quòd gerat stigmata vulnerum Christi, sicut ipse, quamvis occulta. 18

Quidam Religiosus constitutus in periculo damnationis, liberatur per merita sui Sancti Patris Francisci. ibid.

Sanctus Frater Juniperus invisit V. Marinam. 419

Idem dedit V. Marinæ donum, quod erat symbolum consilij, ut cum sancta simplicitate susciperet gratias Divinas. 421

Religiosi S. Dominici.

S. Dominicus petit à V. Marina, ut conversetur cum ejus Religiosis. 102

Christus D. illi idem imperat. 103

V. Marina alloquitur P. Priorem S. Pauli Vallisoleti. ibid.

Peragit quandoq; confessionem in eodem conventu. ibid.

Utitur aliquamdiu secundario Confessario P. Andrea de Ponte. In Introduct. sub finem. & Pagina 106

Quidam Religiosus S. Dominici venit cum eodem Sancto ad invisendam V. Marinam. 401

V. Marina videt in cœlo multos ex Ordine S. Dominici. ibid. Iterum p. 403. & rursum, Pagina 406

S. Dominicus manifestat Ven. Marinæ magnum spiritum suorum Religiosorum adhuc degentium in terra. 408

Religiosi ex Ordine S. Dominici, quos V. Marina videt in cœlo, sunt tot, ut videantur posse replere totum mundum. 409

S. Dominicus bene precatur quibusdam suis Religiosis & Monialibus. 411

V. Marina videt librum, in quo S. Dominicus habet scriptos suos Religiosos. 412

Dum S. Dominicus visitat quendam Conventum sui Ordinis, omittit visitare suos tepidos Religiosos. ibid.

S. Dominicus comparet V. Marinæ offensus quibusdam suis Religiosis. 413

V. Marina videt distinctè quosdam Religiosos S. Dominici fruentes cœlesti gloriâ. Pagina 432

V. Marina videt in quadam visitatione Christum Dominum bene addictum multis Religiosis S. Dominici, tunc viventibus, eò quòd defenderent Immaculatam Conceptionem Deiparæ Virginis. 441

Videt quendam Religiosum S. Dominici Beatum, qui illi significat, propugnatam à se, fuisse Immaculatam Conceptionem, eandémq; à quibusdam sui Ordinis propugnari, exponitque illi, quomodo hi ab alijs differant. ibid.

Quid Deus responderit, dum quidam Religiosus S. Dominici non crederet revelationibus V. Marinæ concernentibus Immaculatam Deiparæ Conceptionem. 442

S. Dominicus agit per V. Marinam gratias, nonnullis sui Ordinis Religiosis, quòd crediderint dicta sibi ab ipsa de eadem Conceptione. 444

V. Marina videt animam P. F. Ludovici Guttierez, qui publicè tuitus erat Immaculatam Conceptionem. Et quomodo fuerit laudatus à S. Thoma de Aquino, ac deinde à B. Virgine. 445

Idem Religiosus dixit V. Marinæ, quòd propter ejus preces jam multi in suo Ordine teneant eandem sententiam. ibid.

Epistola V. Marinæ ad P. Provincialem Hispaniæ Ordinis Prædicatorum, de utilitate Orationis. 581

Aliâ Epistola V. Marinæ ad quendam Religiosum S. Dominici, qui se volebat abstrahere ab agendo cum proximis. 583

Deus & S. Dominicus imperant V. Marinæ, ut dicat P.F. Andreæ de Ponte, ne affligatur propterea, quòd illi auferantur chartæ V. Marinæ, quas ipse habebat. 678

Deus est remuneratus sanctum hunc Religiosum, propter eas chartas conscriptas. 679

Resignatio.

Placuit Deo humilis V. Marinæ resignatio in Divinam ejus voluntatem. 282

V. Marina elicit ferventes actus resignationis, ex occasione cujusdam crucis: exhibetúrq; illi hunc duntaxat in finem calix. 313

V. Marinæ resignatio in voluntatem Dei, quam Divina Majestas plurimi facit. 594

Continua V. Marinæ resignatio in Divinam voluntatem. 601

Ferventes resignationis actus V. Marinæ. Pagina 602

Intelligit V. Marina uno præsertim actu resignationis se plurimũ promeritam fuisse. ib.

Idem illi exponit S. Franciscus Seraphicus. 603

Fervens quædam V. Marinæ resignatio, scripto approbata à Christo Domino. ibid.

Alia scriptura de eadem re, quam subscripsit Deus & V. Marina. ibid.

Alij resignationis actus. 605

Exponit illi Deus, quantum promerita fuerit insigni quodam actu resignationis. 606

Quolibet actu resignationis magnum V. Marinæ accedit auctarium meritorum. ibid.

Resignatio V. Marinæ in manus Dei est causa, ob quam illi Divina Majestas præstat gratias. 627

Restitutio.

Deus ostendit V. Marinæ in visione generatim, damnari eos, qui confitentur peccata, incumbente ipsis obligatione restitutionis rerum, vel honoris, neq; tamen restituunt. 480

Resurrectio.

Representatur V. Marinæ gloria, quam habiturum est ejus corpus in resurrectione. 674

Rursum. 675

Resurrectio Christi Domini.

V. Marina videt Christum D. resurgentem. p. 204. & iterum. 105

Christus D. resuscitatus exponit V. Marinæ, quid significet elegans quædam vestis. ib.

V. Marina videt mysterium resurrectionis sibi repræsentatum in sole. 206

Iterum videt Christum D. resuscitatum cum S. Thoma Apostolo. 207

Angeli decantant coram V. Marina triumphum Dominicæ resurrectionis. ibid.

Christus D. resuscitatus comparet V. Marinæ, dum illi specialis quidam favor præstiretur. 505

Dominus Rodericus Caldenronius.

Hic Dominus multa bona præstitit V. Marinæ. 526

Sustinuit æquanimiter sui incarcerationẽ, quæ V. Marinam afficit dolore. ib. & p. 527

Omnes hujus Domini casus Deus dirigebat ad ejus salutem, id quod Deus V. Marinæ pro ipso orauti ostendit. 527

Ostenditur V. Marinæ in visione, quantopere D. Rodericus aversatus sit mortem, & quomodo superato ejus horrore amplexatus sit suam Crucem cum ingenti fervore. ib.

In alia visione apparet D. Rodericus V. Marinæ, indutus ante mortem conscissâ veste, cujus tamen suffultura conspiciebatur per scissuras pretiosissima. 528

V. Marina ducitur in Spiritu ad locum Supplicij, & videt magnum ardorem, quo D. Rodericus suscepit istum cruciatum. ib.

Anima D. Roderici visitat V. Marinam, dicitq; illi se frui cœlesti gloria absq; Purgatorio, licet hoc ipsi fuerit ostensum ab Angelis, ut videret, unde sit liberatus per mortem à se toleratam. 529

Aliâ vicè videt V. Marina animam hujus Domini in cœlo præditam magnâ gloriâ. 530

D. Rodericus jam vitâ functus invisit Ven. Marinam, dicitq; ipsi, se illi adstiturum in ejus morte; & quàm gloriosum sit futurum vulnus sui colli. ibid.

Antequam D. Rodericus moreretur, ostendit Deus V. Marinæ, proditurus Angelos cum palmis obviam ipsius animæ. 531

Deus dicit V. Marinæ, permissam à se fuisse mortem hujus Domini, pro ipsius salute. ib.

Visio de conatu diaboli, procurantis mortem hujus Domini, quem suis tentationibus non vicit. 532

Rosarium.

Christus Dominus pertrectat bis suis manibus coronam precatoriam V. Marinæ. 373

S. Dominicus adfert V. Marinæ Rosarium. 410 Pagina

Idem Sanctus illi adfert aliud missum à Deipara. pag. 452. dicitq; ipsi quod eadem Sacratissima Domina quinque illius Rosaria habuerit in suis manibus. ibid.

Breve

Breve Rosarium, quod Dei para docuit orare V. Marinam. p. 454. Et cum illa hoc oraret, Angelus ipsius Paranymphus contexebat aliud ex floribus. 455

Rosarium quoddam V. Marinæ fuit benedictum à Domino, ab ejusdemq; radijs quasi solaribus illustratum. p. 471. & 472

Christus D. illi benedixit aliud Rosarium. Pagina 473

Deus persæpe benedicebat corollas precatorias, cruces & nummismata V. Marinæ. ib.

Sacramentum Eucharistiæ.

V. Marina videt ac audit Angelos decantantes V. Sacramenti laudes. 165

Declaratur V. Marinæ modus, quo Christus D. existit in hoc Sacramento. 232

Exhibetur illi quædam repræsentatio hujus Sacramenti. ibid.

Duæ similitudines V. Marinæ ad explicandum hoc mysterium. 233

Quid illi Christus D. dixerit de eo, quòd sit destitutus usu suarum operationum in Sacramento. 234

V. Marina illuminatur de modo, quo fit transsubstantiatio. 235

Accipit rursum ingens lumen concernens hoc mysterium. 236

Videt in hoc Sacramento Majestatem naturæ Divinæ. p. 236. & iterum clarè. 237

Christus D. manet aliquot diebus sub speciebus Sacramentalibus intra V. Marinam in hostia: unde fuit illuminata ad cognoscendum istud mysterium. 238

Ven. Marina videt in Sacramento indignantem Justitiam Dei. 239

Videt Christum D. in hostia qer intermedium parietem. 240

Deus illi significat placere sibi festum, quod celebratur in honorē hujus Sacramenti. 240

Sexies vel septies videt Christum D. in hostia. 241

Videt illum in hostia instar Regis. ibid.

Videt etiam diversis vicibus solennitates in cœlo celebratas in honorem Sacramenti Altaris. p. 243. & 244

Videt repræsentationem quandam hujus Sacramenti in manibus Christi Domini. 244

In solennitatibus, quæ in cœlo peraguntur in honorem hujus Sacramenti, specialiter inter Sanctos honoratur S.P.N. Jgnatius. p. 245 & pag. 246

V. Marina decerpit in cœlo spicas & uvas, symbola ejusdem Sacramenti. 286

V. Marina fit hierotheca Eucharistica propter quoddam donum Dei. 338

Ostenditur V. Marinæ in mystico quodam convivio repræsentatio Eucharistiæ. p. 611

Alia hujusmodi Convivia. p. 612. 613. 614

Sancti.

Multi Sancti Episcopi, Cardinales, Pontifices, visitant V. Marinam. 364

S. Lucia invisit V. Marinam. 440

V. Marina videt magnam gloriam S. Laurentij. 542

Deus exponit V. Marinæ modum, quo animæ & corpora Sanctorum solent comparere. p. 568. Et rursum. p. 569. iterumq; 570

V. Marina in cœlo assidet cuidam mensæ cum Sanctis. 658

Sancti in cœlo amplexantur V. Marinam admirabundi, ob favorem illi à Deo præstitum. 659

Sancti dicunt V. Marinæ, se magnâ tangendos invidiâ, si id fieri posset, quòd tam multum propter Deum patiatur. 665

Sapientia.

Per vulnus lateris Christi Domini, quod V. Marina osculatur, communicatur illi donum Sapientiæ. 200

Datur V. Marinæ in quodam cimelio donum sapientiæ. 278

Deus exhibet V. Marinæ librum Divinæ Sapientiæ. 541

Scala.

Vide. Cœlum.

V. Marina videt Christum D. descendentem ex cœlo per quasdam scalas. 269

Videt mysticam scalam protensam ex pectore Christi Domini. 289

Ascendit per illam admirantibus Angelis. Pagina 290

V. Marina ascendit per scalas usq; ad portam cœli, cum magna difficultate. 303

Videt quoque nonnullos ascendentes per quandam scalam. Et quidam postquam inceperunt ascendere, desistunt. 309

V. Marina ascendit ad cœlum per scalas, Deo ipsam adjuvante. ibid.

V. Marina onusta cruce ascendit cum magna difficultate usq; ad cœlum, atq; ad hujus portam multum illi fuit laborandum, ut aperiretur. 309

Ascendit ad cœlum per aurearum scalarum partem magis arduam. 310

Videt duas diversas scalas ducentes ad cœlum, & interrogat Dominum, per quas illi sit ascendendum. 315

V. Marina descendit per quandam scalam ad locum horribilem. 333

Quinq;

Quinque sensus Corporis.

V. Marina jam inde ab infantia obtulit Deo suos quinq; sensus ad gloriam Dei. 328

Dominus dat V. Marinæ quinque flores, tanquam symbolum quinq; sensuum, quos Divina Majestas benedixit, eò quòd sibi ab illa fuerint oblati in infantia. 648

Sepulchrum.

Ven. Marina ducitur ad videndum sepulchrum Christi Domini. 476

Christus D. decumbit in tumba, in qua sepelienda est V. Marina. 673

Deus significat V. Marinæ, corpus ipsius habiturum in sepulchro paradysum deliciarum. 674

Seraphinus.

Stellæ illius, quæ duxit Reges in Bethlehem, cura fuit commissa Seraphino. 171

Ven. Marina videt Seraphinum in curru igneo. 342

Seraphinus adfert Ven. Marinæ palmam. Pagina 660

Societas IESU.

V. Marina videt multos Patres ex Societate comitantes S. Jgnatium. p. 381. Quos inter præsertim agnoscit duos. ibid.

Deus ostendit S. P. N. Jgnatio in quadam visitatione V. Marinæ Societatem ab eo fundatam. 382

V. Marina habet admirandam visionem de instituto Societatis. ibid.

Angeli exhibent in quibusdam cimelijs præclara opera filiorum Societatis. 383

Ven. Marina videt in cœlesti processione multos Sanctos Societatis, singulos habentes insignia virtutis, quâ excelluerunt. ibid.

Videt Patres Præpositos Generales Societatis redimitos coronâ instar mitræ. 384

Quid Deus dicat Ven. Marinæ dubitanti, quomodo tot sint in cœlo ex Societate, cùm ejus judicio, non potuerint plures in ea obijsse, quàm quos videbat. 385

Quomodo Ven. Marina fuerit à S. Jgnatio suscepta ad Societatem. 387

Quid Dominus respondeat V. Marinæ, dum illa ipsi commendat Societatem, quando Romæ fuit accusata propter sententiam de auxilijs gratiæ. 396

S. Jgnatius comparet V. Marinæ cum S. Dominico, & quid tum accidetit quoad unionem Religionum utriusq; Sancti. ibid.

S. Jgnatius in quadam visitatione V. Marinæ jubet suos filios orare Deum pro Societate. 394

V. Marina sibi procurat participationem meritorum Societatis, & quantopere id placeat Deo. 381

Quanta hominibus Societatis incumbat obligatio imitandi sui (juxta ponderationem V. Marinæ) tam admirabilis P. S. Jgnatij. 392

Quid Deus dicat V. Marinæ de persecutionibus, quas patitur Societas. 386

Justitia, quam V. Marina videt exercen adversus persecutores Societatis. 393

V. Marina videt duos Angelos custodes in quadam nigra nube cum S. Jgnatio. ibid.

Inter eos, qui comitantur S. Jgnatium, agnoscit V. Marina quatuor ex Societate. 394

Unus ex his est P. Christophorus de Ribera. ib. quem jam aliàs agnoverat in simili comitatu. 345

S. Jgnatium in quodam processu sequuntur Sancti ex Ordine S. Dominici, & hunc sequuntur ij, qui sunt ex Societate. 398

V. Marina videt quosdam ex Societate speciatim fruentes cœlesti gloria. 432

Angeli ostendunt V. Marinæ, quòd sit sepelienda in templo Societatis JEsu. 673

V. Marina videt cum S. Jgnatio multos ex Societate, qui illi promittunt, quòd sint ipsam comitaturi in sepultura. 675

Angeli declarant V. Marinæ ingens præmium, dandum à Deo P. Ludovico de Ponte, eò quòd rexerit ejus animam, scripserinq; hunc librum ipsius vitæ. 680

Quos V. Marina habuerit Confessarios ex Societate, *Vide.* Confessarius.

Sol.

Ven. Marina vidit Deum in specie Solis. *Vide.* Christus Dominus. Spiritus Sanctus. Verbum Divinum.

V. Marina videt S. Dominicum resplendentem instar Solis. 453

V. Marina splendet instar Solis, propter donam ipsi à Deo missum. 628

Videt Deum in modum Solis, à quo penetrata elevatur ad cœlum. pag. 644. Et aliis pag. 661. & pag. 658

Somnus.

V. Marina dormit inclinata ad Christum Dominum somno divino. 283

Sopitur somno spirituali incumbens genibus Christi Domini. 328

Somnus mysticus JEsuli in brachijs S. Joseph. 371

Duo Mauri habuerunt somnia, post quæ fuerunt conversi propter preces Ven. Marinæ. 457

Pagina

Ab uno Angelo, ex assistentibus V. Marinæ, fuit expulsus diabolus ex domo cujusdam personæ, quam tentabat in somnis. 517
Quomodo differant somnia naturalia ab ijs, quæ talia non sunt. 565
Somnium supernaturale & mysticum V. Marinæ, tenente Christo Domino suam manum supra ipsius caput, dum dormiret. 611

Spiritus Sanctus.

Ostenditur V. Marinæ modus, quo se Spiritus Sanctus communicat animabus. 217
Spiritus Sanctus invisit V. Marinam in specie columbæ. p. 218. Iterúmq; illum videt in eadem specie. ibid.
Qualesnam sint hæ figuræ Columbæ, & aliæ hujusmodi. 566
V. Marina videt Spiritum Sanctum cum admirandis circumstantijs in quodam Divino palatio. 219
Communicatur illi ingens lumen ad cognoscendum Spiritum Sanctum. 220
Spiritus Sanctus præstat quandam gratiam V. Marinæ. ibid.
Visitat illam in specie Solis. pag. 223. Et rursum. 224
Videt etiam V. Marina Spiritum Sanctum in specie candidæ nubis. 223
Aliàs ad illam venit cum magno strepitu. Pagina 224
Spiritus Sanctus sibi desponsat V. Marinam, exhibétq; illi specialem quandam gratiam. 227
Effectus hujus desponsationis. 228
Qualiter solitus fuerit Spiritus Sanctus invisere V. Marinam. Et quædam mirabilis visitatio, in qua illam adornat cimelijs. 230
De extraordinaria visitatione Spiritus Sancti, in qua V. Marinæ communicantur illius attributa. 231
Deus retinet secum V. Marinam per sex dies ante festum Spiritus Sancti, cummunicando ipsi lumen ad multa cognoscenda. 263
Spiritus Sanctus illam ducit ad videndum suum festum in cœlo. 301
Visitat ipsam, & grata sibi ostendit esse Angelorum solatia, quæ illi adferebant in ipsius afflictionibus. 608
Ferit illam sagittis sui amoris. 615
Quid ipsa Deo pro hoc favore, eximens tribus vicibus ex suo sinu manum plenam sanguine. 616
Ven. Marina videt Spiritum Sanctum in specie Aquilæ. 652
Spiritus Sanctus elevat V. Marinam ad cœlum modo quodam valde singulari. 672

Stella.

Vide. Seraphinus.
Angeli mirantur stellas collucentes in manibus & pedibus V. Marinæ. 338
S. Jgnatius imprimit ingentem stellam in pectore V. Marinæ. 391
V. Marina videt in sua manu & pectore stellas constituta coram Deo, & quædam nigra signa. 634

Tentatio.

V. Marina probatur varijs tentationibus & scrupulis. 4
Non tamen sentit tentationes contra Castitatem, neq; dæmonibus permittitur, ut illi repræsentent res fœdas. 56
Nunquam habuit tentationes vanæ gloriæ. pag. 29
Pater æternus ipsi dat quoddam cimelium, quo significatur potentia resistendi tentationibus. 278

S. Teresia à JESU.

S. Teresia invisit V. Marinam, & dicit illi, etiam se Filiam esse Societatis JEsu. 430
Magnanimitas, quam Deus contulit S. Teresiæ. ibid.
Admirandum colloquium, S. Teresiæ cum V. Marina, in quo illi explicat modum, quo ipsam duxit Deus, ducítq; V. Marinam. ib. & Pagina 431

S. Thomas de Aquino.

Sermo S. Thomæ in laudem S. Dominici, quem audit V. Marina. 403
S. Thomas in libro, in quo S. Dominicus scriptos habet suos filios, designat quendam pro officio Provincialis. 412
S. Thomas dicit, se non honorari ab ijs, qui negant Jmmaculatam Conceptionem Deiparæ. 439

Timores.

Deus contulit V. Marinæ speciale donum timoris. 52
Quibusdam occasionibus magis augebantur timores V. Marinæ. 54
Quid illi dicat Christus D. de ejus timoribus. 238
Propter ordinarios suos timores non vult V. Marina accipere ramum quendam ex manu Angeli. 279
Timor V. Marinæ in quadam rara gratia Christi Domini. 328
Deus promittit V. Marinæ, quòd sit auctorus Sanctum ipsius timorem. 329

Timores V. Marinæ ingenerati à dæmone, sintne Angeli Dei, ij qui ipsi assistunt. 353
S. Jgnatius dicit V. Marinæ, ut excutiat superfluos timores. 390
S. Dominicus approbat timores V. Marinæ, cum quibus suscipit Divinos favores. 428
Colloquium B. Virginis cum V. Marina, de ejus timoribus: & quomodo his non obstantibus V. Marina posset jurare, esse infallibiliter verum, id quod illi evenit. 453
Magnus timor V. Marinæ est conjunctus cum claro lumine, quòd non fallatur. 503
Timores V. Marinæ, cum quibus reluctatur Divinis gratijs, non displicent Deo. 624
Timorem & gratias confert Deus V. Marinæ, ut illi elargiatur majores. 627
Deus securam reddit V. Marinam de timore, dicendo, quod per hunc disposita fuerit pro Divinis gratijs. p. 649. Et rursum. ibid. Atq; iterum, dicendo illi, quòd ipsam protegat. 650
Monet Deus V. Marinam propter nimios timores. ibid.
Solatur ipsam in ejus timoribus. 652
Timores V. Marinæ permittebat Deus, ut essent pars Crucis ab ea toleratæ. 662

Transfiguratio Christi Domini.

V. Marina videt sibi repræsentari mysterium Transfigurationis. 188
Christus Dominus se transfigurat coram V. Marina, comparens illi in magna gloria. Pag. 327. & 648

Trinitas Divina.

Deus dat magnum lumen V. Marinæ, ad cognoscendum mysterium SSS. Trinitatis, & Processionum Divinarum, ut eam soletur in ipsius afflictionibus. 55
V. Marina videt more consueto mysterium SSS. Trinitatis. 164
Videt distinctionem Personarum cum unitate Essentiæ. 187
Anima V. Marinæ manet aliquot diebus singulari modo unita SSS. Trinitati. 214
Illuminatur specialiter de SSS. Trinitate. Pagina 218
SSS. Trinitas suscipit animam V. Marinæ, quam tulit ad cœlum Spiritus Sanctus. 219
Rursum videt mysterium SSS. Trinitatis. Pagina 220
V. Marina videt in specie imaginaria SSS. Trinitatem, cum insignibus Trium Divinarum Personarum. 221
Videt iterum SSS. Trinitatem. 223
V. Marina adornatur pretiosâ catenâ, quæ est Symbolum SSS. Trinitatis. 226
Videt admodum clarè hoc mysterium, unà cum mysterio Sanctissimi Sacramenti. p. 236 & pag. 237
SSS. Trinitas fuit V. Marinæ repræsentata, occasione Communionis sacræ. 242
Adhuc illi communicatur cognitio SSS. Trinitatis. 254
Cognoscit idem mysterium in tribus speculis, quæ illi exhibentur. 259
Idem mysterium illi manifestatur per lumen altioris ordinis. 262
V. Marina habet de hoc mysterio tam magnum lumen, ut petat eo carere, quasi illud nequeat sufferre. 263
Tres Angeli gratiosè repræsentant V. Marinæ idem mysterium. 272
Deus communicat V. Marinæ lumen de hoc mysterio cum circumstantijs raris, quoad modum. 276
Videtur sibi V. Marina non habere fidem hujus mysterij, propter claram illius cognitionem. 277
Exhibetur ipsi idem mysterium. 284
Videt hoc mysterium distinctè, cum notabili claritate. 289
Angeli ipsi repræsentant hoc mysterium. Pagina 340
Deus eidem illud ostendit. 648
Specialis unio Ven. Marinæ cum Divina Trinitate. 651

V.

Vallisoletum.

Ven. Marina videt duos Angelos custodes Vallisoletanæ urbis. 361
Deus fuit offensus, quòd tempore pestis pellerentur pauperes Vallisoleto. 487
Propter hanc, & alias culpas, comminatus est Deus pœnas huic Civitati. 488
Dum V. Marina Deum rogaret, ut desisteret à castiganda hac urbe, ostendit illi Deus Angelum pacis, qui benedicit magnam terræ partem. 489
Multi extinguebantur Vallisoleti tempore pestis. ibid.
Cessat pestis juxta prædictionem V. Marinæ, quando minimè id sperabatur. 490
Deus fuit offensus, quòd cùm essent pro hoc beneficio agendæ ipsi gratiæ, fierent commœdiæ: qua de re V. Marina per suos Confessarios commonefecit eos, qui hunc defectum poterant corrigere. Et cùm non prodesset admonitio, Deus propterea tres pestilentias punivit. ibid.

Ver-

Verbum Divinum.

Vide. Incarnatio.

Ven. Marina videt Verbum Divinum, & ejus processionem à Patre. 152

Videt etiam, qualis sit processio Verbi Divini. p. 153. & p. 284

Specialiter illuminata cognoscit Personam Verbi unitam Humanitati. 336

Iterum cognoscit, quomodo verbum procedat à Patre. 375

Videt librum mysticum, qui est figura Verbi Divini. 604

Virgines.

V. Marina videt in cœlo festum, quod celebratur in honorem undecim millium Virginum: omnésq; illas Virgines quàm speciosissimas. 375

Videt paratum sibi inter illas locum. ibid.

Aliàs quoq; bis videt quasdam ex his SS. Virginibus. 376

V. Marina videt seipsam in specie Virginis in loco sibi præparato in cœlo. 317

Visitant V. Marinā multæ SS. Virgines. 610

V. Marina videt in suo conclavi duas Sanctas Virgines, apud fontem, quem Angeli fabricaverant. 939

Virtus.

V. Marina fuit ab infantia propensa in Virtutem. 3

Virtus probatur in afflictionibus. 326

Virtus, quæ est quasi naturalis, ut nullæ difficultates sint vincendæ, est imperfecta. 543

Unde possit cognosci perfecta virtus. 546

Virtus perfecta est, quæ non provenit à natura bona, sed exercetur tantùm propter Deum. ibid.

Virtus quædam quasi naturalis, orta ex bonitate naturæ, quæ non proficit indies, non meretur extraordinarios Dei favores. 545

Potiùs in raro aliquo casu loquetur Deus peccatori cuipiam perdito, quàm tepido ac remisso in sua virtute quasi naturali. 546

Virtus quæ nascitur ex natura vehementi, quamvis inclinet ad res bonas, non est perfecta, neque illâ prædito Deus exhibebit extraordinarios favores, nisi rarò. ibid.

Eadem virtus est obnoxia illusionibus. 547

Duo virtutis modi in principijs, & quale de ijs ferendum sit judicium ex fine, in quo sistunt. 561

Qui habet virtutem perfectam, optimè est dispositus, ut illi loquatur Deus. 548

Actus variarū virtutum, quos noctu exercebat V. Marina. Et ostenditur illi in quadā ovicula mystica, quanti eos Deus faciat. 642

Deus exhibet V. Marinæ ipsius virtutes in mirabili visione. p. 656. & 657

Vulnera.

V. Marina magnopere tergiversatur, nē ipsi Christus Dominus imprimat sua vulnera. p. 116. & p. 117

Christus Dominus imprimit sua vulnera V. Marinæ, in manibus, pedibus, atq; corde. Et licèt vulnera essent interna, sensit tamen dolorem ac debilitatem exteriorem. 118

V. Marina interrogat Dominum, quâ ratione sibi fuerint impressa hæc stigmata, & accipit responsum. 120

Christus D. illi exponit causam hujus gratiæ ipsi collatæ. 123

V. Marina videt in admiranda quadam visione pretiosos lapides in suis vulneribus. Pagina 122

In alia visione renovantur ipsius vulnera acutis clavis. 124

Rursum renovantur in visione, quæ fuit similis visioni S. Francisci Seraphici. 126

Diabolus renovat ac exasperat in specie catelli vulnera Ven. Marinæ. pag. 133. Sed curant illam Angeli. ibid.

S. Jgnatius adveniens cum Deipara Virgine curat vulnus lateris, quod habet V. Marina. 125

Quinque stigmata V. Marinæ innovantur absque dolore, per visionem quinque stellarum. 162

Christus Dominus ostendit V. Marinæ sua vulnera. 197

Angeli configunt pedes V. Marinæ, renovantes clavo eorundem vulnera 123

Iterum ipsius vulnera renovantur. 199

Ven. Marina tangit vulnus lateris Christi. Pagina 203

Videt celebrari festum in honorem vulnerum Christi Domini. 217

Spiritus Sanctus vulnerat mysticè V. Marinam radijs sui ignis. 223

De septem stigmatibus, seu vulnusculis mysticis, quæ Spiritus S. perficit in V. Marina à pagina 223

V. Marina videt sua vulnera recentia in manibus, pedibus, latere, & capite. 469

Videt sua vulnera in loco sibi præparato in cœlo. 316

Videt quoq; sua vulnera recentia in quodam mystico complexu. 325

Vulnera V. Marinæ renovantur ijs ipsis clavis, quibus fuit Christus Dominus crucifixus. 331

In ijs septem vulneribus (de quibus est sermo. pag. 223. & sequentibus) invenit V. Marina jussu Dei acumina chalybea, cum quatuor clavis & cuspide lanceæ, quam etiam eximit ex suis antiquis vulneribus. Pagina 616

Et hos clavos rursum in ejus vulnera infigit Angelus. 167

V. Marina toto corpore vulneratur, instar Christi Domini, in quodam Dei complexu, & forti unione. ibid.

Christus Dominus significat V. Marinæ, quòd omnia vulnera sibi inflicta, & illi impresserit. ibid.

Postquam Christus Dominus Ven. Marinam mystico sanguine & aquâ consperſit, remanserunt in linteis, quibus ipse Dominus, & Angeli absterserunt ejus manus & caput, impressa omnia vulnera Passionis Dominicæ. Pagina 618

Z.

Zacharias.

S. Zacharias, Pater S. Joannis Baptistæ, invisit V. Marinam. 363

Zelus.

Vide, Proximi.

Deus exornat V. Marinam pretioso vestitu & catenâ, in præmium Zeli, quo procurat bonum proximorum. 494

Ven. Marina excruciatur à dæmone, propter zelum, quo conatur prodesse proximis. Pagina 498

Zelus, quo V. Marina prodesse conabatur animabus, erat ingens: præsertim verò, ne in errores laberentur homines docti. 509

Dæmon abominabatur V. Marinam propter zelum animarum. Pag. 884

A. M. D. G.

ERRATA.

IN *Proloquio edit. hisp. lin. 19. lege* ijs. *& lin. 31. lege* utraque. *In alloquio Interpretis pag. 2. lin. 20. lege* exuperantiâ. *& lin. 32. lege* appende. *In Introduct. pag. 1. lin. ultimâ lege* transfiguret. *Deinceps in Vita, pag. 6. columnâ 1. lineâ 8. lege* expurgaretur. *pag. 9. colum. 1. lin. 6. lege* amisi. *pag. 14. c. 2. lib. 8. lege* famulæ. *p. 25. c. 2. lin. 3. lege* effectus. *p. 31. c. 2. lin. 13. lege* tolerat. *p. 32. c. 2. lin. 49. lege* crederem. *p. 39. c. 1. lin. 22. lege* ipse. *& c. 2. lin. 30.* te volo. *&* te velim *lege* tibi bene volo, *&* tibi bene velim. *p. 41. lin. 1. lin. 27. dele,* esse, *& sequentem lineam 28. atq; etiam 29. usq; ad* refertum. *inclusivè, p. 47. c. 2. lin. 1. lege* totam. *& lin. 41. lege* viderem amorem. *p. 48. c. 2. lin. 12. lege* ipsum. *p. 57. c. 2. lin. 30. lege* conscripsit. *& lin. ult. lege* didicerunt. *p. 59. c. 1. l. 8. lege* illum. *& c. 2. lin. 6. lege* quia. *p. 61. c. 1. lin. 28. lege* misericordiam. *p. 65. c. 1. lin. 47. lege* rapiatur. *& c. 2 lin. 46. lege* digneris. *p. 66. c. 1. lin. 40. lege* ipsam. *& lin. 45. lege* se ipsam. *p. 67. c. 2. lin. 35. lege* importuna. *p. 68. c. 1. lin. 24. lege* do. *& c. 2. lin. 35. lege* illis. *p. 69. c. 2. lin. 24. lege* exerebat. *& lin. 37. post.* intelligere. *adde:* quamvis videas modum, quo id perago, qualiterne hoc faciam; ita prorsus contorqueo phantasiam hominum spiritualibus vacantium exercitijs, ut vix possint intelligere. *p. 72. c. 1. lin. 17.* quæ. *lege* quæ me. *& lin. 36. lege* eam. *p. 74. c. 2. lin. 22. lege* quantum est. *& lin. 23. lege* mandentur. *p. 77. c. 1. lin. 26. lege* inesse ijs. *p. 79. c. 1. lin. 47. lege* tuam. *p. 85. c. 2. lin. 4. lege* digressu. *& lin. 35. lege* allata. *p. 89. c. 1. lin. 35. lege* confitebar. *p. 90. c. 1. lin. 23. lege* vade. *p. 92. c. 1. lin. 11. lege* persundebat. *p. 95. c. 2. lin. 26. lege* dilectam. *p. 96. c. 1. lin. 4. lege* apparuit. *& c. 2. lin. 7.* vel. *lege* illud. *& lin. 29. lege* arreptum. *p. 101. c. 1. lin. 9.* enim. *lege* id ei. *& lin. 15.* vice. *lege* viâ. *p. 102. c. 2. lin. 34. lege* mihi eam. *& lin. 36. lege* illam. *p. 103. c. 2. lin. 38. lege* amoris in. *p. 104. c. 1. lin. 38. lege* producat. *p. 105. c. 2. lin. 34. lege* ipsa. *p. 110. c. 2. lin. 22. lege* ditabor. *p. 112. c. 1. lin. 5.* mihi. *lege* ipsi. *p. 117. c. 2. lin. 26. lege* sint. *p. 123. c. 1. lin. 19. lege* impressio. *p. 135. c. 1. lin. 32. lege* mephiti. *p. 136. c. 2. lin. 3. lege* effectus. *p. 147. c. 1. lin. 5. lege* destitutus. *p. 161. c. 2. lin. 9. lege* hortum. *p. 166. c. 1. lin. 30.* suo. *lege* eo. *pag. 171. c. 2. lin. 39.* bonis. *lege* nobis. *p. 172. c. 2. lin. 45.* suæ. *lege,* tuæ. *pag. 175. c. 2. lin. 5. lege* quòd dum. *p. 179. c. 2. lin. 41.* nè. *lege* me. *p. 186. c. 1. lin. 42. lege* ijdem. *pag. 192. c. 1. lin. penult. lege* Delicium. *p. 193. c. 1. l. 4. lege* contextam. *p. 194. c. 1. lin. 15. dele.* illum. *p. 196. c. 1. lin. 31. lege* acsi ipsum. *p. 199. c. 2. lin. 23. lege* angor in. *& lin. 31. lege* resistere. *& lin. 44. lege* ipsum. *p. 202. c. 1. lin. 43.* exegerat. *lege* erexerat. *& c. 2. lin. 10. lege* intuentes. *pag. 203. c. 2. lin. 18.* ibi *lege* tibi. *p. 204. c. 2. lin. 6.* Angelum. *lege* angellum. *p. 207. c. 1. lin. 2. lege* conspexi. *p. 213. c. 1. lin. 41. dele.* mysticum. *p. 214. c. 1. lin. 2. lege* 1621. *p. 217. c. 2. lin. 10.* quando *lege* quando ad me. *p. 233. c. 1. lin. 7. lege* illum. *p. 234. c. 2. p. 37. lege* certam. *p. 237. c. 2. lin. ult. lege* posset. *p. 252. c. 2. lin. 28. lege* innovarem. *p. 256. c. 1. lin. 31. lege* fuerat. *p. 267. c. 1. lin. 34. lege* videbar. *p. 274. c. 1. lin. 19. lege* signavit. *& col. 2. lin. 20. lege* relictâ. *p. 281. c. 1. lin. 18.* ipso. *lege* isto. *p. 283. c. 2. lin. 38. lege* considerem. *p. 289. c. 1. lin. 18. lege* illi. *p. 301. c. 1. lin. 19. lege* spectaculum. *p. 316. c. 1. lin. 45. lege* oculis. *P. 317. c. 1. lin. 20. lege* securissimam. *p. 325. c. 2. lin. 19. lege* 1617. *p. 333. c. 2. lin. 11. lege* liberavit. *p. 340. c. 2. lin. 33.* in. *lege* in hoc. *p. 342. c. 1. lin. 26. lege* ungendo. *p. 344. c. 2. lin. 27. lege* dilapidavi. *p. 345 c. 2. lin. 31. lege* perseqvuntur. *p. 346. c. 1. lin. 12. lege* prævenerat. *p. 349. in titulo lege* celebrabatur. *p. 351. c. 2. lin. 31.* túmq;. *lege* cúmq; *p. 353. c. 1. lin. 34.* ipsas. *lege* istas. *p. 354. c. 1. lin. 8. lege* illam. *p. 355. c. 1. lin. 2. lege* illum. *p. 365. c. 1. lin. 21.* qnod *lege* qui. *p. 368. c. 1. lin. 17. lege* aspexit. *p. 372. c. 1. lin 39. lege* adverterem. *p. 387. c. 1. lin. 6.* partem *lege* portam. *p. 388. c. 2. lin. 6. & 7. lege* apparuit. *pag. 389. c. 2. lin. 27. lege* alius. *pag. 390. cag. 2. lin. 30.* utique *lege* ubique. *pag. 391. c. 1. lin. 3. lege* de hoc. *pag. 392. c. 2. lin. 18. lege* referre. *pag. 394. c. 1. lin. 3. lege* incapaces. *pag. 401. c. 1. lin. 14. lege* ipsum. *p. 403. c. 1. lin. 46. lege* procurandæ. *p. 405. c. 2. lin. 23. lege* ipsam. *pag. 409. c. 1. lin. 33. lege* tunc non. *pag. 412. c. 2. lin. 23. & 24. lege* advertebam *p. 414. c. 1. lin. 19. lege* illum. *& lin. 30. lege* conspecto. *p. 419. c. 1. lin. 20. lege* hanc. *p. 420. c. 1. lin. 16. lege* servavisti. *p. 421. c. 1. lin. 47. lege* ipse. *p. 423. c. 2. lin. 48. lege* concedo tibi. *p. 425. c. 1. lin. 17.* cœlo. *lege* collo. *p. 426. c. 1. lin. 18.* consobrina, *lege* neptis. *p. 431. c. 2. lin. 14. lege* animarum. *p. 432 c. 1. lin. 41.* consobrinam. *lege* neptem. *& c. 2. lin. 16. lege* Puebla. *p. 450. c. 1. lin. 39. lege* esset. *p 441. c. 2. post lin. 42. adde:* atq; sic subscriptam epistolam tradidit suæ sanctissimæ Matri, quæ statim ad me redijt, dixitq; mihi. *p. 443. c. 1. lin. 4. lege* fuit. *p. 458. c. 2. lin. ult. lege* adoptavitque. *p. 464. c. 1. lin. 17.* consobrina. *lege* neptis. *p. 467. c. 1. lin. 17. lege* facturam *p. 469. c. 2. lin. 29.* consobrina, *lege* neptis. *p. 474. c. 1. lin. 27. lege* ullum. *p. 476. c. 2. lin. 8.* primam, *lege* Divinam. *p. 481. c. 2. lin. 2. lege* geminatis. *p. 485. c. 2. lin. 39. & 40. lege*

vermi-

vermiculorum. *p.489. c.2. lin.10. lege* postquam id. *p.500. c.2. lin.14. lege* ascensu. *p.503. c.2. lin.8.* ipsi id, *lege* ipsis. *& lin.9. lege* petendum id. *p.520. c.2. lin.18. lege* vellet. *p.525. c.2. lin.29.* sed, *lege* seu. *& lin.38. lege* nolueris. *p.529. c.1. lin.16.* At, *lege* Atque. *p.532. c.1. lin.40. lege* obtineant. *p.533. c.1. lin.2. lege* dixique. *p.539. c.1. lin.37. lege* inculca. *& c.2. lin.16. lege* possem. *p.541. c.1. lin.16. lege* deciperentur. *& c.2. lin.3.* ne, *lege* me. *& lin.15. lege* desituerérque. *& lin.22.* justa, *lege* jussa. *p.542. c.1. lin.13. lege* substitit. *& lin.29. dele* ab eo. *p.544. c.2. lin.6. & 7. lege* appetitûs immoderati. *p.545. c.1. lin.33.* ubique, *lege* utique. *pag.547. c.1. lin.23.* præmissis, *lege* prætermissis. *p.548. c.2. lin.20. dele.* ac. *p.549. c.2. lin.31. lege* decipere. *p.551. c.1. lin.24. post:* eadem. *usq; ad punctum, sic lege:* sua bonitate se communicaverit multis animabus, similiter posse ac velle se communicare nunc animabus, quas amat, quia illi verè serviunt. *p.555. c.1. lin.33.* eximio, *lege* exiguo. *p.557. c.1. lin.7. & 8. lege* patefacit. *p.559. c.2. lin.10. adde* fuit. *p.563. c.1. lin.20. lege* histrionicis. *p.564. c.1. lin.16. lege* perfectæ. *& lin.28.* sat, *lege* ac. *p.565. c.1. lin.43. lege* tacent. *p.569. c.2. lin.14. lege* audit. *p.570. c.2. lin.3. adde* fuisse. *p.574. c.1. lin.31. lege* amabilissima veneratio. *p.575. c.2. lin.43.* hoc *lege* hos. *p.577. c.2. lin.34.* me, *lege* meo. *p.578. c.1. lin.26. lege* reposuitq; *pag.580. c.2. lin.33. lege* illum. *p.584. c.2. lin.27. lege* sanitatem. *p.586. c.1. lin.27. lege* illum. *& col.2. lin.41. lege* incipiens. *p.587. c.1. lin.2. lege* illa. *& lin.44. lege* resilire. *p.588. c.2. lin.27. lege* eveniet. *p.604. c.1. lin.38. lege* eximens. *p.605. c.2. lin.7. lege* suspicere. *p.616. c.1. lin.39. lege* possis. *p.620. c.2. lin.35.* admittit, *lege* dimittit. *p.624. c.1. lin.38.* ullo. *lege* illo. *p.625. c.1. lin.29. lege* conjecíque. *p.633. c.2. lin.25. sic lege:* Omitto declarare, quid hoc significaverit, quia jam initio dictum est, & per se patet. *pag.638. c.2. lin.13. lege* collocavit. *& lin.17.* non, *lege* nos. *p.639. c.1. lin.16. lege* id ipsum. *p.641. c.2. lin.31.* claritate, *lege* charitate. *& c.2. lin.5.* Secretario, *lege* Sacrario. *p.643. c.2. lin.6. lege* his rebus. *p.644. c.1. lin.24. dele.* basso. *& c.2. lin.14. lege* irradians. *p.651. c.1. lin.43. lege* condemnat. *p.662. c.2. lin.33. & 34. lege* contractum. *p.673. in titulo lege:* spectantia ad. *p.677. c.1. lin.16. lege* ipsa. *p.678. c.1. lin.34. & 35.* probare. *lege* publicare. *p.679. c.2. lin.8. lege* Angele.

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

MARINA

Th
922 a

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vita
V. V.

Marina
de
Escobar
R.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN